R_4893

SYNOPSIS Tractatuum, capitum, lectionum & sollectionum, pure hæc hujus Breviarii Moralis Carmelitani . . . — [S. l.] : [s. n.], [1. ª]

Carece de portada

R - 4893

SYNOPSIS

TRACTATUUM, CAPITUM, Lectionum, & Sublectionum, quæ hac hujus Breviarii Moralis Carmelitani quarta continentur in Parte.

TRACTATUS XXVI.

De Justitia, Jure, & Dominio.

CAP. I. De Justitia, & Jure quasi in communi.

Lect. I. *Quid, & quotuplex sit Justitia? pag. 2.*

Lect. II. *De Justitia legali, seu generali, distributiva, commutativa, ac vindicativa, pag. 4.*

Lect. III. *De Injustitia, sive vitiis contra Justitiam, pag. 6.*

Lect. IV. *De Jure, quid, & quotuplex sit? pag. 7.*

CAP. II. De Dominio, ac acquisitione legitima rerum, *pag. 9.*

Lect. I. *Quid, & quotuplex sit dominium, ac de dominii translatione, pag. 9.*

Lect. II. *Quid sit titulus, usus nudus, ususfructus, Emphyteusis, feudum, superficies, habitatio, servitus, & possessio? pag. 11.*

Sublect. *De Servitute, & possessione, p. 14.*

Lect. III. *Quinam sint dominii capaces, quod est agere de subjecto dominii, p. 17.*

Lect. IV. *De bonis illis, quorum dominium Ecclesiastici habent, vel non, habere, vel non possunt, pag. 18.*

Lect. V. *De Objecto dominii, sive, quod idem, quænam res sub dominium hominum cadere possint, pag. 19.*

Lect VI. *De acquisitione dominii, sive de variis modis dominium acquirendi, p. 21.*

Sublect. I. *Animalium dominium quomodo acquiratur, & deperdatur; etiam & sylvarum, montium, & pascuorum, pag. 22.*

Sublect. II. *Prosequitur materia præcedens, pag. 24.*

Subiect. III. *De acquisitione dominii circa sylvas, montes, & pascua, pag. 26.*

Lect. VII. *De aliis modis acquirendi rerum dominium, naturali, & gentium Jure, pag. 27.*

Sublect. I. *De bonis inventis, pag. 30.*

Sublectio II. *Prosequitur, materia præcedens, agendo de rebus ab uno deperditis, & inventis ab altero, pag. 32.*

Lect. VIII. *De acquisitione dominii per præscriptionem, vel usucapionem, pag. 34.*

Sublect. I. *De conditionibus ad legitimam præscriptionem necessariò requisitis. Et 1. circa conditionem* Res apta, & titulus justus, *pag. 35.*

Sublect. II. *Circa conditionem* bona fides, *pag. 36.*

Sublect. III. *Circa conditionem* completo tempore legis, *pag. 38.*

CAP. III. De Dominio, quod apud Religiosos potest, vel non esse potest, *pag. 39.*

Lect. I. *De Religiosorum dominio in communi, sive quod à Monasterius, seu Religiosorum Communitatibus haberi potest, vel solet, pag. 40.*

Sublect. *Multa inferuntur ex doctrina tradita, pag. 40.*

Lect. II. *Utrum particulares Religiosi dominium aliquod, vel alicujus rei habere valeant? pag. 43.*

Lect. III. *An, & quarum rerum dominii Religiosi in particulari sint, vel reddantur capaces? pag. 45.*

Sublect. *Prosequitur materia præcedens, pag. 47.*

Lect. IV. *De Religiosorum peculio, occasione cujus vocantur ad punctum concernentia alia, pag. 49.*

Sublect. *Ad præcedentem rem concernentia alia trahuntur, pag. 53.*

CAP. IV. De violatione Religiosi dominii, per ipsosmet Religiosos facta, quod proprié est agere de violatione voti paupertatis, *pag. 55.*

Lect. I. *Qualiter quilibet particularis Religiosus peccet, vel non, aliquid de communibus Monasterius bonis sibi accipiendo, eoque nomine proprio utendo absque Prælati licentia legitima? pag. 55.*

Sublect. *Prosequitur materia præcedens, pag. 58.*

Lect. II. *Quando Religiosi dando, & accipiendo absque Superioris licentia contra paupertatis votum operentur, & peccent, vel non? pag. 61.*

Lect. III. *Qualiter contra paupertatis votum Religiosi peccent, res pretio æstimabiles commodando, mutuando, permutando, vendendo, aliquo vel alio modo absque Prælati licentia distrahendo, p. 64.*

Sublect. I. *Prosequitur materia præcedens, pag. 67.*

Sublect. II. *Ponuntur alia, quæ ad supradictum intentum concernunt, pag. 70.*

Lect. IV. *Qualis Superioris licentia sit necessaria ad hoc, ut Religiosi possint aliquid dare, accipere, permutare, quocunque vel alio modo disponere de bonis temporalibus, æstimabilibus pretio, quin paupertatis violetur votum? pag. 73.*

Lect. V. *De obligatione ex violatione voti pa[illegible] pag. 77.*

TRACTATUS XX[illegible]

De Restitutione, tam in communi, quàm in particulari, pag. 79.

CAP. I. De Restitutione in communi.

Lect. I. *De natura, seu quidditate, & radicibus restitutionis, de ejusque necessitate, pag. 79.*

Lect. II. *Qualis culpa requiratur, ut ex actione, vel omissione injusta restitutionis obligatio oriatur? Pro quare supponuntur aliqua, pag. 82.*

Sublect. *Resolvitur id, quod positum extat in titulo, pag. 84.*

Lect. III. *De possessore bonæ fidei, an nimirum aliquid rei domino restituere teneatur, pag. 87.*

Sublect. I. *Res de bonæ fidei possessore prosequitur, pro eoque plura quæruntur, pag. 89.*

Sublect. II. *Eadem materia prosequitur, pag. 92.*

Lect. IV. *Qualiter possessor dubiæ fidei ad restitutionem rei alienæ teneatur? p. 93.*

Sublect. *De re præcedenti quæruntur aliqua, pag. 96.*

Lect. V. *De possessore malæ fidei, pag. 97.*

Sublect. *Prosequitur materia præcedens, pag. 10[illegible].*

Lect. VI. *De fructibus, quos malæ, vel bonæ fidei possessor restituere tenetur ex re aliena perceptis, ac quas expensas deducere possit uterque, pag. 103.*

Sublect. I. *De fructibus, quos bonæ fidei possessor tenetur, vel non restituere, pag. 104.*

Sublect. II. *De expensis, quas bonæ, & malæ fidei possessores in restitutione alienæ rei deducere possunt, pag. 105.*

Lect. VII. *De obligatione restituendi ab impediente alterum ab assequutione alicujus rei, pag. 106.*

Sub-

...ctrina tradita plura dedu... 108.

...resolvu... intentum idem prosequitur, ...g. 142.

...De obligatione restituendi, qu... habent ii, qui ad alterius damnum cooperantur, pag. 114.

Lect. I. *An ad hoc, ut dictæ personæ de damno illato teneantur, necesse sit quòd quando concurrunt, ita illati damni sint causæ, ut sine illis tale damnum alteri factum non fieret, vel, quod in idem recidit, teneantur etiam, si sine illis fieret, putà sine hoc consulente, quia alius esset, qui ad hoc concursum suum præberet, pag.* 115.

Lect. II. *De jubente, sive mandante, pag.* 117.

Lect. III. *De consulente, pag.* 120.

Lect. IV. *De consentiente, pag.* 122.

Lect. V. *De palpante, pag.* 124.

Lect. VI. *De receptante, sive de eo, ad quem recursus habetur, pag.* 125.

Lect. VII. *De participante, pag.* 127.

Lect. VIII. *De illis, qui negativè ad damnum cooperantur, qui sunt* Mutus, non obstans, non manifestans, *pag.* 130.

Lect. IX. *De ordine habendo in ordine ad restituendum inter causas per injustitiam ad damnum alterius concurrentes, p.* 133.

Lect. X. *Utrùm quæ ob turpem causam recipiuntur, restitutioni sint obnoxia, & quid de illis, qui gratis actus exercere tenentur, pag.* 136.

Lect. XI. *Utrùm acceptum ob honestam causam sit restituendum? id quod alii aliter sic inquirunt, nimirum, an accipiens pro actu bono, quem gratis facere debebat, vel pro desistendo à malo, quod debebat omittere, illud, quod accipit, restituere teneatur? pag.* 138.

CAP. III. De circunstantiis restitutionis, *pag.* 141.

Lect. I. *An, & à quo accepta fuit res, vel ablata restituere semper oporteat? p.* 141.

Sublect. I. *Utrùm à debitore nova facienda sit restitutio, quando res, quæ jussa est restitui per alium, ad creditoris manus non venit? pag.* 144.

Sublect. II. remissivé. *An, & cui restituere teneatur ille, qui thesaurum invenit? pag.* 145.

Sublect. III. remissivè. *De bonis incertis, vel habitis pro derelictis, & quæ nunquam domino alicui applicata fuerunt, pag.* 146.

Sublect. IV. remissivè. *De bonis ab uno deperditis, & inventis ab alio, debitaque diligentiâ facta, cujus domini sint, ignoratur, pag.* 146.

Lect. II. *De circunstantia* quomodo remissivé, *pag.* 147.

Lect. III. *De circunstantia* quando, & quo loco *restitutio sit facienda, pag.* 150.

Sublect. *Quo loco restitutio sit facienda? pag.* 153.

Lect. IV. *De circunstantia*, ordo *scilicet, quis ordo servandus sit in restitutione facienda, quando debitoris bona ad omnibus satisfaciendum creditoribus non sufficiunt, pag.* 154.

Lect. V. *Quæ causa excuset iniquum, id est, de causis ad totum, vel ad tempus, à restitutione excusantibus, & 1. de ignorantia, pag.* 155.

Sublect. I. *De impotentia ad restituendum, pag.* 156.

Sublect. II. *De eadem impotentia materia prosequitur, & quæritur utrùm necessitas gravis, jactura statûs, quandiu durat, à restitutione excusent? pag.* 158.

Sublect. III. *De tertia causa ab onere restitutionis excusante, quæ est creditoris remissio, vel condonatio, pag* 161.

Sublect. IV. *De cessione bonorum, ac de excommunicatione, pag.* 163.

CAP. IV. De restitutione ob furtum, homicidium, stuprum, raptum, & ablationem honoris, & famæ. Remissivé, *pag.* 164.

Lect. I. *De furto in tributis, &c. non solvendis, & de ejus restitutione, & 1. quid sit tributum, quas conditiones requirat, & à quo imponi possit? pag.* 165.

Sublect. I. *De causis justis ad imponenda, vel exigenda tributa, pag.* 166.

Sublect. II. *De obligatione solvendi tributa, & de peccato illa defraudantium, p.* 169.

Sub-

Sublect. III. *Præcedentis Sublectionis materia prosequitur*, pag. 171.
Sublect. IV. *Quæ personæ à tributis, & gabellis sint exemptæ? & hîc de non Ecclesiasticis agitur*, pag. 172.
Sublect. V. *De tributis, & gabellis, &c. circa Ecclesiasticas personas resolvuntur aliqua*, pag. 175.
Lect. II. *De restitutione propter homicidium, & mutilationem, ac damna ex ipsis sequuta. Et quibus facienda sit restitutio?* pag. 178.
Lect. III. *De restitutione ratione ablatæ famæ, & honoris, ac ratione adulterii, & stupri.* Remissivè, pag. 180.

TRACTATUS XXVIII.

De Contractibus in communi, & in particulari, pag. 181.

CAP. I. de Contractibus in genere.

Lect. I. *Quid, & quotuplex sit contractus, quomodo perficiatur, & obliget?* pag. 181.
Lect. II. *Utrùm, & qualiter metus vitiet contractus?* pag. 182.
Sublect. *Aliqui ex doctrina tradita deducuntur casus*, pag. 187.
Lect. III. *An contractus sine substantiali Juris solennitate facti validi sint, & in conscientia obligent?* pag. 189.
Sublect. *Ex doctrina tradita casus aliqui trahuntur ad charitam*, pag. 190.
Lect. IV. *An, & quomodo contractus invalidi, juramento confirmari valeant?* pag. 193.
Sublect. *Ex doctrina tradita resolvuntur aliqui casus præter relatos*, pag. 195.
Lect. V. *Quænam personæ licitè, & validè contractus celebrare valeant, vel non?* pag. 196.
Lect. VI. *Quomodo possint, & debeant rescindi contractus?* pag. 198.
Sublect. *De modis aliis, quibus contractus rescindi possint*, pag. 201.
Lect. VII. *Utrùm pœna contractui addita ante Judicis sententiam* [illegible] *beatur?* pag. 203.
CAP. II. De Contract. em[illegible] venditionis, pag. 204.
Lect. I. *Quid sit emptio, & venditio, quomodo perficiatur, simul & de co[illegible]tionibus requisitis ad illam*, pag. 204.
Lect. II. *Quænam personæ vendere, & emere possint, vel quibus prohibita sit, vel non negotiatio?* pag. 206.
Lect. III. *Quænam res vendi, & emi possint?* pag. 209.
Lect. IV. *De Monopoliis. An nimirum Monopolia omnia illicita sint, & contra commutativam justitiam?* pag. 212.
Lect. V. *De emptione, & venditione pactis aliquibus celebrata*, pag. 215.
Lect. VI. *Cujus periculo res vendita, non dumque emptori tradita pereat; & ad quem rei venditæ fructus pertineant?* pag. 218.
Sublect. *Prosequitur materia præcedens*, pag. 220.
Lect. VII. *De pretio justo in emptione, & venditione*, pag. 222.
Sublect. I. *An semper excedere pretia rerum in vendendo, & minuere in emendo sit contra justitiam, & restitutioni obnoxium?* pag. 223.
Sublect. II. *Prosequitur materia præcedens, ac circa taxationem pretii frumenti dubia excitantur aliqua*, pag. 226.
Lect. VIII. *Utrùm aliquando liceat vendere cariùs ob solutionem dilatam, vel viliùs emere ob solutionem anticipatam?* pag. 229.
Sublect. *Ad maius comprimentum dictorum, aliquot ad medium trahuntur dubitationes*, pag. 232.
Lect. IX. *An semper teneatur venditor vitium mercis manifestare, & è contrà emptor bonitatem rei emptæ, & pretii dati creditori, sive venditori detegere?* pag. 235.
CAP. III. De mutuo, & usura, pag. 238.
Lect. I. *Quid sit mutuum, & quinam ex mutuo obligari valeant?* pag. 238.
Lect. II. *Quid, & quotuplex sit usura, an licita, quoque Jure prohibita sit?* pag. 240.

Sub-

Ex doctrina tradita aliqui pro [illegible] resolvuntur, vel deducuntur casus, pag. 242.
Lect. II. *Quibus aliis in casibus sit, vel non sit usura aliquid supra sortem à mutuatario recipere?* pag. 245.
Sublect. *Idem intentum prosequitur*, p. 247.
Lect. IV. *Circa hanc materiam de usura pro praxi quæruntur, & resolvuntur alia*, pag. 251.
Lect. V. *Quænam, quotque sint usurariorum pœnæ?* pag. 254.
CAP. IV. De Contractu societatis, pag. 256.
Lect. I. *Quid, & quotuplex sit societas, & quænam sint ejus conditiones?* pag. 256.
Sublect. I. *Quid ex prioribus quatuor conditionibus inferatur*, pag. 258.
Sublect. II. *Quid ex conditionibus reliquis resolvatur*, pag. 260.
Sublect. III. *Ex sexta, septima, & octava conditione*, pag. 261.
Lect. II. *De societate animalium*, pag. 264.
Lect. III. *Quisnam societatem contrahere valeat, & qualiter inita finiatur societas?* pag. 265.
Lect. IV. *De societate inter fratres, quando nimirum inter eos censeatur societas dari, & in quibus bonis?* pag. 267.
Sublect. *De aliis bonis, quæ inter fratres non communicantur, nonque inter eos sunt dividenda, vel ad portionem deduci non debent*, pag. 269.
CAP. V. De censibus, cambiis, locatione, conductione, emphyteusi, & feudo, ac de fidejussione, pignore, hypotheca, depositio, commodato, precario, negotiis gestis, sponsionibus, assecuratione, & sortibus, pag. 271.
Lect. I. *Quid, & quotuplex? An, & quibus in casibus licitus sit census?* pag. 271.
Sublect. *Circa materiam præsentem aliqua dubia trahuntur ad medium*, pag. 273.
Lect. II. *De cambiis. Quid, & quotuplex sit cambium, & ex quibus titulis licitum?* pag. 274.
Sublect. *Ex suprà jactis resolvuntur aliqua*, pag. 275.
Lect. III. *De locatione, & conductione, quid sit locatio, & conductio, quænam locari, & quisnam locare possit? & de obligatione locatoris, & conductoris*, pag. 277.
Sublect. I. *De obligatione locatoris, & conductoris*, pag. 280.
Sublect. II. *Prosequitur materia præcedens*, pag. 281.
Sublect. III. *An locatio ad hæredes transeat?* pag. 283.
Sublect. IV. *De conductoris obligatione*, pag. 284.
Sublect. V. *De justa famulorum, & aliorum Mercenariorum mercede*, pag. 285.
Sublect. VI. *De famulorum mercede eadem materia prosequitur*, pag. 287.
Lect. IV. *De emphyteusi, & feudo, quid, & quotuplex sit emphyteusis, & feudum, & quas conditiones requirant?* pag. 288.
Sublect. I. *De causis, ob quas amittitur feudum; quæruntur & alia*, pag. 289.
Sublect. II. *De conditionibus pro emphyteusi*; pag. 290.
Lect. V. *De fidejussione; quid, & quotuplex sit fidejussio, quis fidejubere possit, & quod pretium pro fidejussione accipi poterit*, pag. 293.
Sublect. *De pretio pro fidejussione, quinam fidejubere valeant?* pag. 295.
Lect. VI. *De pignore, & hypotheca, quid, & quotuplex sit pignus, & hypotheca, in quo differant, ac de pactis, quæ in pignoribus apponuntur*, pag. 296.
Sublect. I. *In quibus casibus, & contractibus tacita, vel legalis hypotheca contrahatur?* pag. 299.
Sublect. II. *De obligat. & pignore ex hypotheca tacita orti*, pag. 301.
Sublect. III. *Qui possint pignora dare, & quæres in pignus dari queant?* pag. 303.
Lect. VII. *De depositio, quid, & quotuplex sit depositum, ac de obligat. depositarii, & deponentis*, pag. 304.
Lect. VIII. *De commodato, precario, negotiis gestis. Quid sit commodatum, & de ejus effectibus*, pag. 306.
Sublect. I. *De precario*, pag. 307.
Sublect II. *De negotiis gestis*, pag. 308.
Lect. IX. *De sponsione, & assecuratione, quid*

quid ſit ſponſio, & an licita ſit? pag. 309.
Sublect. *Quid ſit aſſecuratio, quæ conditiones requirat, & an ſemper liceat pretium ab aſſecuratione accipere? pag.* 311.
Lect. X. *De ſortibus. Quid ſint ſortes, quomodo licite, & quando, vel quomodo in illis quis peccet? pag.* 312.
CAP. V. De Contractu ludi, *pag.* 319.
Lect. I. *Quid, & quotuplex ſit ludus, & an licitus? fol.* 315.
Lect. II. *Quibus circunſtantiis, & cauſis ludus vitiari poſſit? pag.* 316.
Lect. III. *Quænam conditiones requirantur ad ludum, ut licitus ſit, & ex eo reſtitutionis obligatio non oriatur? pag.* 319.
Sublect. I. *Ex conditione prima inferuntur aliqua, pag.* 320.
Sublect. II. *Caſus, qui ex conditionibus ſecunda, tertia, & quarta ſequuntur, deducuntur, vel inferuntur, pag.* 322.
Lect. IV. *Circa ludum excitantur, & reſolvuntur aliqui caſus, pag.* 325.
Lect. V. *De voto non ludendi, qualiter ſcilicet quis voto à ſe facto de non ludendo maneat obligatus? pag.* 326.
Lect. VI. *De theatralibus ludis, & ſimilibus aliis, pag.* 329.

TRACTATUS XXIX.

De Promiſſione gratuita homini facta, ac de Donatione gratuita, pag. 333.

CAP. I. De ſimplici promiſſione gratuita homini facta.

Lect. I. *Quid ſit promiſſio ſimplex, & qualiter differat à propoſito? pag.* 333.
Sublect. I. *Circa illam diffinitionis clauſulam* ſpontanea, *pag.* 336.
Sublect. II. *Circa illam diffinitionis clauſulam* deliberata *fol.* 336.
Sublect. III. *Circa illam diffinitionis clauſulam datio fidei alteri, pag.* 388.
Sublect. IV. *Circa diffinitionis clauſulam, vel verba illa* de re licita, & poſſibili, *pag.* 340.
Lect. II. *An ſimplex gratuita [illegible] acceptata ex juſtitia in re grav[illegible] impletionem ſub mortali obligę[illegible] pag.* 341.
Lect. III. *Quis pro abſente promiſſiones, & donationes acceptare valeat? pag.* 344.
Lect. IV. *Cui res promiſſa pereat, & quid, ſi pereat, & aliquid ex illa remaneat? & quid de promiſſione diſtinctivè, ac copulativè facta? agitur & etiam de promiſſione rei incertæ, pag.* 354.
CAP. II. De Donatione, *pag.* 347.
Lect. I. *Quid, & quotuplex ſit donatio, qualiter à ſimplici promiſſione differat? pag.* 347.
Lect. II. *De donatione conditionali; de in diem adjectione, ac de donatione ex falſa cauſa, pag.* 350.
Lect. III. *De donatione facienda cum, vel ſine inſinuatione, quod eſt agere de donatione omnium bonorum, pag.* 351.
Sublect. I. *De donatione omnium bonorum, pag.* 353.
Sublect. II. *Proſequitur materia præcedens, & agitur de donatione piæ cauſæ facta; & quænam ſit cauſa pia? pag.* 355.
Lect. IV. *De donatione cauſâ mortis, & quinam eam facere valeant? pag.* 358.
Sublect. *De iis, qui donationem cauſâ mortis facere poſſunt, vel non, pag.* 359.
Lect. V. *De donationibus inter conjuges, pag.* 361.
Lect. VI. *De donationibus liberalibus, quæ à patribus filiis ſuis fieri poſſunt, & quænam bona filii ad collationem teneantur adducere, pag.* 362.
Sublect. *Præcedens materia proſequitur, pag.* 365.
Lect. VII. *In quibus caſibus, & quas ob cauſas donatio jam facta revocari valeat? pag.* 368.
Sublect. I. *De ſecunda cauſa nempe ob filiorum ſupervenientiam, ob quam promiſſio, vel donatio revocari poteſt, pag.* 371.
Sublect. II. *De tertia cauſa, ob quam promiſſio, & donatio acceptata revocari valeat, vel non, quæruntur & aliqua alia, p.* 373.

TRA-

TRACTATUS XXX.

De Testamentis, Codicillis, Hæredibus, Substitutionibus, ac Maioratib. p 375.

CAP. I. De Testamentis, ac Codicillis quasi in communi, & de eorum solennitatibus; quis possit, vel non testamentum facere, &c.

Lect. I. *Quid, & quotuplex sit testamentum, ac à quo Jure sit introductum? pag.* 375.

Lect. II. *De solennitatibus, quibus testamentum profanum fieri debet, Civili Jure attento, & L. de testamento solenni scripto, vel clauso, pag.* 377.

Sublect. I. *De solennitatibus Civili Jure ad nuncupativum testamentum petitis, tanguntur & aliæ, pag.* 379.

Sublect. II. *De solennitatibus ad testamenti valorem juxta Jus Lusitanum, pag.* 381.

Lect. III. *De Codicillis, eorumque solennitate, pag.* 383.

Lect. IV. *Quibus modis testamentum validè factum revocari valeat? pag.* 384.

Sublect. *Prosequitur materia præcedens, pag.* 386.

CAP. II. De Testamentis privilegiatis, *pag.* 387.

Lect. I. *De testamento ad pias causas, pag.* 388.

Sublect. I. *Quid inferatur ex dictis? pag.* 388.

Sublect. II. *Intentum idem prosequitur, pag.* 391.

Lect. II. *De testamento inter liberos, pag.* 392.

Lect. III. *De testamento Militum, pag* 394.

Lect. IV. *De testamento tempore pestis; de testamento rusticorum, aut rure, eremo vel facto, ac de testamento coram Principe, vel Parocho, vel in mari condito, pag.* 396.

CAP. III. De iis, qui possunt, vel non testamentum facere. De testamento Novitiorum, Religiosorum, Episcoporum, & Beneficiatorum, *pag.* 398.

Lect. I. *De his, qui possunt, vel non testamentum facere, pag.* 398.

Sublect. I. *De iis, qui ad condendum testamentum ab ipsamet natura sunt incapaces, pag.* 399.

Sublect. II. *De illis, qui testari ex humano Jure non valent, esto ad id delictum, vel culpam ullam non habeant, pag.* 400.

Sublect. III. *De illis, qui ob defectum morum, vel ob culpam, & delictum faciendi testamentum sunt incapaces, pag.* 401.

Sublect. II. *De testamentis Episcoporum, & Clericorum Beneficiatorum, pag.* 404.

Sublect. I. *Quid circa bona puræ, & mere Ecclesiastica, pag.* 406.

Sublect. II. *Prosequitur materia præcedens, dubiola aliqua trahendo ad chartam, pag.* 408.

Lect. III. *De testamentis Religiosorum solenniter professorum, ac de testamentis Novitiorum, pag.* 410.

Sublect. *Circa testamenta Religiosorum, pag.* 413.

CAP. IV. De hæredibus, substitutionibus, fideicommisso, ac testamentariis, sive testamentorum exequutoribus, *pag.* 415.

Lect. I. *Quid sit hæreditas, & quotuplex hæres? pag.* 415.

Lect. II. *Quæ personæ hæredes, vel legatarii instituti valeant, vel non? pag* 416.

Lect. III. *De filus non legitimis, & de parentum obligat. erga illos.* Remissivè, *pag.* 418.

Sublect. *Qualiter filii naturales succedant parentibus, & qualiter à parentibus hæredes instituti valeant? pag.* 421.

Lect. IV. *De hæredibus necessariis, p.* 423.

Lect. V. *De legitima Quid sit, quibus, qualiter, & quanta debeatur, vel relinqui debeat?* 424.

Lect. VI. *De exhæredatione hæredum necessariorum, & ob quas causas exhæredatio fieri possit? pag.* 426.

Sublect. I. *De causis, ob quas liberos, parentes, vel alios ascendentes exhæredare liceat, & fratres alios fratres, pag.* 428.

Sublect. II. *Circa hucusque tradita adnotantur aliqua, pag.* 429.

Lect.

Lect. VII. *De ordine, quo hæredes ab intestato succedunt*, pag. 431.
Sublect. *Circa collaterales, & uxores*, pag. 434.
Lect. VIII. *De substitutionibus, & fideicommissis. Quid, & quotuplex sit substitutio, & quibus modis quis hæres substitui valeat?* pag. 437.
Sublect. *De substitutione fideicommissaria, vel de fideicommisso*, pag. 439.
Lect. IX. *De hæredum obligationibus, & 1. de Inventario*, pag. 441.
Sublect. *De quibusdam aliis hæredum obligationibus*, pag. 444.
Lect. X. *De testamentorum exequutoribus, eorumque obligationibus*, pag. 446.
Sublect. *Eadem materia prosequitur*, pag. 448.
Lect XI. *De commutatione piarum voluntatum*, pag. 451.
Sublect. I. *Ad punctum*, pag. 452.
Sublect. II. *Quid ex dictis inferatur*, pag. 453.
CAP. V. de Maioratibus, bonis vel vinculatis, ac de Renuntiatione bonorum; pag. 454.
Lect. I. *De Maioratûs origine; quid sit Maioratus, & quotuplex, in quo cum fideicommisso conveniat, ab eoque distinguatur?* pag. 454.
Sublect. *Quotuplex sit Maioratus?* pag. 456.
Lect. II. *Quisnam Maioratum instituere possit?* pag. 468.
Lect. III. *Quinam in Maioratibus succedere valeant?* pag. 460.
Sublect. I. *Prosequitur materia præcedens*, pag. 463.
Sublect. II. *Adhuc præcedens materia prosequitur*, pag. 464.
Lect. IV. *De renuntiatione bonorum*, pag. 467.

TRACTATUS XXX[illegible]

De Legatis pag. 470.

CAP. I. De Legatis quasi in communi.

Lect. I. *Quid, & quotuplex sit legatum, quis legare, quibus legari possit; ubi fieri valeat?* pag. 470.
Sublect. *Aliqua deducuntur, vel inferuntur ex dictis, per quod magis explicatur tradita doctrina. Addunturque & alia*, pag. 473.
Lect. II. *De legatis conditionatis*, pag. 475.
Sublect. *Prosequitur materia præcedens*, pag. 477.
Lect. III. *De legatis absolutis, ubi & promiscuè de aliquibus aliis conditionatis*, pag. 479.
Sublect. *Prosequitur materia præcedens*, pag. 482.
CAP. II. De legatis pro Missis solvendis, piis promiscuè quibusdam & aliis, pag. 485.
Lect. I. *Quando debeatur legatum pro Missis relictum, & quando hujusmodi legatum exigi queat?* pag. 485.
Sublect. *Ex doctrina tradita deducuntur aliqua*, pag. 486.
Lect. II. *De legatis Missarum relictis locis piis, puta Ecclesiis, vel Monasteriis*, pag. 490.
Lect. III. *De legatariis, sive de illis, quibus legatum pro Missis relictum debetur*, pag. 491.
Sublect. I. *Prosequitur materia præcedens*, pag. 493.
Sublect. II. *Adhuc præcedens materia prosequitur*, pag 494.
Lect. IV. *De hæredum obligationibus quo ad legata pro Missis solvenda*, pag. 496.
Sublect. *Præcedens intentum prosequitur*, pag. 498.
Lect. V. *An, & pro quibus requiratur licentia suscipiendi Anniversarium, sive perpetua onera Missas celebrandi*, p. 500.
Sublect. *Quibus in bonis Anniversarium, vel perpetuum Missarum onus imponi possit?* p. 502.

Erra-

	correcta	*Tract.*	*cap.*	*Lectio*	*num.*	*linea*	*pag.*
illicitus	elicitus	26	1	1	3	48	2
Regibus	Legibus	ibid.	2	3	132	4	38
dentium	decidentium	ibid.	3	3	26	23	47
detineatur	deſtruatur	ibid.	4	1	2	16	56
cogniti	cognitis	ibid.	ibid.	2	20	ult.	61
permiſtæ	impermiſtæ	Tract. 17.	1.	3	36	13	88
dominii	Domini	ibidem	ibid.	3	57	8	92
cooperaveris	cooperareris	ibid.	2	1	2	8	115
nec illi gravi	nec illi qui gravi	ibid.	2	7	98	6	128
duo	dubio	ibid.	8	9	143	22	135
&	ex	ibid.	3	5	111	6	161
ipſe	ipſo	28	1	7	138	16	203
præter	Prætor	ibid.	2	6	112	5	221
irregularis	particularis	ibid.	4	1	6	15	258
ſegnes	ſignis	ibid.	ibid.	3	47	8	265
evec	evicta	ibid.	5	3	60	13	280
ut in ſterilitatis	ita etiam in fertilitatis caſu	ibid.	ibid.	ibid.	73	12	282
ſic	ſicut	ibid.	ibid.	ibid.	ibid.	ibid.	ibid.
Epiſcopi	Epiſcopo	ibid.	ibid.	6	181	11	301
cap. autem 5. Lect. 10. num. 268. inter clauſula *continens* & *tunc* intra & multi æquales adſunt.							
alios	alias	ibid.	6	2	24	15	318
qui	que	ibid.	ibid.	6	99	4	331
eſt	&	29	1	2	59	35	344
pagina 356. num. 55. ly *non* poſitum initio, ſuperfluit							
Et pag. 365. num. 109. linea 23. inter ly *addunt valet* particula, *nec* apponi debet.							
eo	eos	29	2	6	114	26	366
Cod.	eodem	30	1	1	6	6	376
quia	qui	29	2	4	71	14	359
quòd tale	quòd nec tale	ibid.	ibid.	6	109	20	365
eo	eos	29	2	6	14	26	366
Cod.	eod.	30	1	1	6	6	376



TRACTATUS XXVI.

DE JUSTITIA, JURE, ET DOMINIO.

BREVIS PRÆFATIO.

DULRA Breviario hoc noſtro Morali, hucuſque ab initio exarata, Tyronibus noſtris, quos in eo præcipuè conamur inſtruere, pro Confeſſariorum munere, & officio tradidimus, ſed ea pro munere tanto non ſatis; reſtant enim adhuc pulcherrima plura, notatu, ſcituque digniſſima; Confeſſarii nanque (uti alibi diximus) ultra Medici munus, munera gerunt Doctoris, & Judicis; & prout ſic, ad hoc ut rectè, non verò ſiniſtrè conſulere, inſtruere, dirigere, judicareque poſſint, non ſolùm ſcire ea omnia debent, quæ exarata relinquimus, ſed etiam plura alia ſeduló, atque neceſſariò calere tenentur, teneantur enim ea omnia ſcire, quæ ad jus, juſtitiam, & dominium pœnitentis cujuslibet pertinent, & inſuper quid ſit, vel non reſtituendum ab illis, qualiter in incundo contractus, & poſt eos initos, & ſic in ſimilibus ſe gerere debeant, ut ſic tanquam Doctores, & Judices bene poſſint munus ſuum obire. Quocirca ut Breviarium hoc mancum, vel truncum non maneat, Tyroneſque noſtri (& fortè alii) ad manus conjunctim habeant præcipua ea, quæ communiter, & frequenter in confeſſionariis (& pro conſiliis extra) occurrere ſolent, præter ea, quæ tribus ſuperioribus hujus Breviarii Partibus à nobis ſunt tradita, tranſire ad aliqua alia, ſcitu digniſſima, operæ pretium duximus, & inter ea, quæ in hac quarta Parte dicenda ſe offerunt, de Jure, Juſtitia, & Dominio (cæteris ad reliquos Tractatus relictis) illud eſt, quod primum occurrit. De quibus Tract. in iſto (licèt brevi calamo) totus noſter erit labor, & ſudor. Pro eo ſit ergo

CAPUT I.

De Juſtitia, & Jure quaſi in communi.

JUxta Philoſophum 5 Ethicor. cap. 1. *Pulcherrima virtutum eſt Juſtitia. Et nec Heſperus, nec Lucifer ita admirabilis*, & juxta Div. Cyprian. de duodecim abuſib. *Juſtitia Regis eſt pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, temperies aeris, ſerenitas maris, terra fœcunditas, ſolatium plurimorum, hereditas filiorum, & ſibimetipſi ſpes futuræ Beatitudinis.* Et juxta Avicen. 10. Meth. ſua: *Neceſſe eſt, ſi homo, qui non permittat homines ſequi ſuas ſententias, diffiniendo quid ſit juſtitia, & quid injuria?* (& hi homines Reges ſunt, & Judices, inter quos pro foro Poli Confeſſarii locum etiam obtinent.) Ex quibus (de re tanta multis aliis miſſis) jam clarè cognoſcis, & vides quantum ſua Confeſſariis intereſt, quantumque eis ſit utiliſſimum habere Juris, Juſtitiæ, & Dominii notitiam, ſæpe numero nanque in confeſſionibus circa jus cujuslibet, juſtitiam, & injuſtitiam, &c. dicenda, vel ibi reſolvenda dubia occurrunt, quæ non ex proprio ſuo cerebro Confeſſarii reſolvere debent, nec poſſunt, ſed neceſſariò omnino eis de talibus certam habere ſcientiam, clàram,

claram, vel saltem probabilem, habere notitiam, id quod ab illis nullatenus fieri poterit, nisi prius de iis, quæ Justitia, &c. exigit, scientiam, notitiam vel habeant, & ideo de Justitia, Jure, Dominio, &c. hic nostra rudi minervâ aliqua dabimus, in cortice saltem tangendo præcipua. Sicque pro eo sit

LECTIO I.

Quid, & quotuplex sit Justitia?

1 ACceptionibus variis Justitiæ relictis, quæ ad intentum nostrum non multum faciunt, magisque ad intentum nostrum de ea loquendo, *Justitia* desumitur pro habitu, sive virtute inclinante voluntatem ad debitum, quodcunque sit illud, alteri reddendum, juxta quod clamat illud Apostoli Ep. ad Roman. cap. 13. num. 7. *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem*; & in hoc sensu Justitia illas omnes in se virtutes comprehendit, & imbibit, quæ alterum in ordine ad ei, quod suum est, reddendum respiciunt. Et

2 De ea strictè, & propriè sumpta, & prout magis propriè ad nostrum intentum accedit, loquendo: *Justitia est constans, & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi.* Sic diffinitur ab Ulpiano L. *Justitia*, ff. de Just. & Jure, & prout sic admittitur ab Angelico Magistro Div. Thom. 22. Q. 58. Art. 1. cõmuniterque à Theologis, Doctoribusque omnibus Juris utriúsque. Ulpianus & dictæ diffinitioni, tanquam Juris præcepta addidit hoc, quod est *honestè vivere, alterum non ladere, suum cuique tribuere*; atque adeò ad perfectam Justitiam necessariò requiritur quòd jus debitum alteri perfectè, & adæquatè exequatur. ¶ Et si juxta Div. Thom. 22. Q. 58. Art. 1. diffinire velimus, cum eo dicimus quòd *Justitia est habitus, quo voluntas libere, firmiter, & in perpetuum intendit jus suum unicuique debitum tribuere ad æqualitatem*; ubi ly *debitum* intellige, sive sit debitum *honoris*, aut *famæ*, sive *pecuniæ*, &c.

3 Diffinitio *Justitiæ* tradita ab Ulpiano explicatur (simul & incidenter ea, quæ ei à Div. Thom. tribuitur.) In dicta ergo diffinitione *voluntas* accipitur pro virtutis habitu hominis voluntatem ordinante, & inclinante ad volendum jus suum unicuique tribuere, ut non pauci dicunt, vel ut volunt Salmant. tom. 3. Tract. 12. cap. 1. P. 2. num. 9. *voluntas* ibi non pro potentia, sed pro voluntatis actu desumitur, eo quod, licèt Justitia sit habitus, per actus tamen suos diffiniri valet, quo etiam modo diffinitur Fides, dum de ea dicitur quòd *Fides est credere quod non vides*; & *constans*, & *perpetua* importat, & dicit quòd Justitia, prout est vera virtus, semper debet firmiter, ac immobiliter omni tempore, non autem semel, aut iterum tantùm, & in omni materia, non verò in materia hac sola, vel illa, permanere, atque inclinare ad actum justum, sive ad jus suum unicuique tribuendum: quælibet nanque virtus constans est, & perpetua honestè operandi voluntas, vel *est habitus indefectibiliter bonum honestum attingens.* Unde in diffinitione ly: *Constans, & perpetua voluntas* generis locum sortitur; cæteræ autem particulæ locum differentiæ obtinent. ¶ Ly autem *jus suum* dicit, & significat *objectum quod* formale Justitiæ, quod est jus, sive justum æquale debitum alteri, quatenus alter rem tanquam suam, & in commodum suum referendum jus habet. ¶ Præterea ly *unicuique* demonstrat objectum *cui* ipsius Justitiæ, quod est omnis homo, dempto semetipso, Justitia nanque directè juxta *Div. Thom. ubi sup.* semper est ad alterum, eo quòd munus, & officium Justitiæ proprium est æqualitatem ponere, quæ quidem nisi inter duos, sive distinctos esse non potest, cùm nihil æquale sit sibimetipsi. ¶ Tandem autem ly *tribuendi* proprium Justitiæ denotat, & explicat actum; id quod fit, vel alterius omne jus, si læsum sit, reparando, vel conservando, seu non lædendo, si alterius jus adhuc integrum sit, & non læsum. Non enim hic virtutis Justitiæ actus solùm *positivè* desumitur, sed etiam *negativè*. Est enim Justitiæ virtutis non solùm facere bonum in sua propria specie, sed etiam à contrario malo abstinere, sicque immediatus, & illicitus actus virtutis Justitiæ *est velle suum jus unicuique tribuere, & nolle jus cujuslibet ladere, aut violare*; mediatus autem, & imperatus actus illius actualis est redditio juris cujusvis, nempe debiti solutio, vel ablati restitutio, & abstinentia ab opposita injuria.

4 Justitia perfecta, & simpliciter talis tres essentialiter conditiones requirit, quarum prima est, quòd sit simpliciter ad alterum, sive quòd versetur inter dũos totaliter inter se distinctos, non solùm quo ad personas, sed etiam quo ad jus, & dominium ita, ut quilibet circa bona aliqua proprium sibi jus independens omnino ab alterò habeat. ¶ Secunda, ut sit debitum simpliciter alteri, veramque debiti legalis rationem habeat ita, ut alter ad illud jus, potestatem vel habeat, tanquam sibi debitum exigendi, etiam in Judicio. ¶ Tertia autem, ut inter debitum, & jus alterius simpliciter æqualitatem constituat. ¶ Quòd si ex tribus dictis conditionibus aliqua desit, jam Justitia non remanebit perfecta, & simpliciter talis, sed tunc solùm erit imperfecta Justitia. ¶ Esse

autem

autem Justitiam propriè virtutem, & moralem, esse & in voluntate, licèt etiam prudentiæ dictamen sequatur, constat ex dictis, & ex *Div. Thom.* docent, & probant legendi *Salmant. sup P 2. á n.* 10.

5 Ex dictis sequitur inter patrem, & filium, inter dominum, & servum, seu mancipium, & inter maritum, & uxorem, *formaliter, & quatenus tales*, nullatenus adesse posse Jus, & Justitiam propriè, & simpliciter talem, sed solùm Jus, & Justitiam imperfectam, & secundùm quid talem. Est doctrina *Div. Thom. ubi sup. Q. 57. Art. 4. Aristotel. 5. Ethicor. & cap. 6. Scotus in 4. Dist. 46. Q. 1. Salmant. sup. P. 3. num. 20.* & communissima. Et ratione probatur: nam, ut dictum manet, Justitia propriè, & simpliciter talis exigit quod sit ad alterum, quòdque vera, formalis, & omnimoda altereitas detur ita taliter, quòd nullo modo unus sit alter in aliquo, neque bonum unius ullo modo alterius sit bonum; sed filius, ut filius, in omnibus non est alter à patre, & idem de uxore, ut uxore, (& è contrà de marito, ut tali) & idem de servo, ut tali (& è contrà de domino) inter eosque altereitas non datur in omnibus, bonumque unius non est distinctum à bono alterius: ergo, &c. cætera constant, & minor patet. Nam filius quà filius non est alter à patre, sed est pars illius, vel quasi pars patris, eo quòd ex paterno semine natus; (& sermo est de filio non emancipato) estò nanque in persona physica sit distinctus à patre, non tamen *Jure* dicitur alius, cùm totum jus filii, quantum ad ea, quibus respicit patrem, sub patria potestate sit positum. Uxor autem, quà uxor (& idem de marito quà tali) ipsius mariti est aliquid, cùm ambo sint *una caro*. Et servus est domini, sicque bona cujuslibet istorum casibus in his reputantur alterius bona. Legantur *Salmant. cit n.* 20.

6 Dictum est *formaliter, & quatenus tales*, nanque inter patrem, & filium, maritum, & uxorem, dominum, & servum, *materialiter* sumptos, quatenus non dependent ad invicem, quatenus unus ut alterius pars non accipitur, ac quatenus singuli proprium, peculiareque jus, vel dominium habent, Justitia propriè, rigorosè, & simpliciter talis valet inveniri, unusque, prout est singularis persona, cum alio ex rigorosa Justitia circa propria bona optimè valet pacisci; sicut quilibet civis, licèt communitatis sit pars, cum ipsa communitate, quatenus ipse est singularis persona, bonaque sua propria habens, strictos, & rigorosos contractus valet inire. Ita cum *Div. Thom.* multisque aliis *Salmant sup. num. 21. Tamerus Disp. 4. Q. 2. Dub. 1. n. 12.*

7 Justitiæ tres sunt species, quarum una est *commutativa* Justitia, alia *distributiva*, & altera *legalis*, sive, quod idem, universalis, (& ad commutativam, & distributivam, *punitiva* Justitia reducitur) & earum; *commutativa* est partis ad partem; *distributiva* est totius ad partem, vel partes, *legalis* autem partis, vel partium ad totum; cùm enim de proprio Justitiæ munere sit æqualitatem respicere, illamque ad unguem servare, hinc est quòd secundùm diversos respectus, vel secundùm diversitatem eorum, inter quos dicta æqualitas reperiri valet, diversæ sint specie Justitiæ; ita taliter, quod si pars una aliquid alteri debeat, tunc intrat *commutativa* Justitia, determinans, & jubens quod debitor creditori suo solvat totum, quod debet, per quod inter partes omnimoda æqualitas ponitur; & ad hanc pertinent commutationes, emptiones, venditiones, cæteraque omnes contractus, de quibus suo loco. ¶ Si autem Reipublicæ, &c. partes merita habent, tunc *distributiva* Justitia intrat, præmia, vel bona distribuendo, secundùm quod cujuslibet particularis exigit meritum, & tam hæc, quàm illa particulares Justitiæ dicuntur, quia ad partium particularium bona respicit, & attendit earum quælibet. Si vero bonum totius, commune vel bonum aliquam indigentiam habet, tunc totius quælibet pars potens ad subveniendum totum, vel commune bonum concurrere debet, (uti manus faciunt, dum capiti imminet periculum aliquod) & tunc intrat Justitia legalis, sive universalis, quæ est partis, vel partium ad totum. ¶ Et hæc *legalis* Justitia *universalis*, vel *generalis* Justitia vocatur, quia quodam modo omnes alias in se continet virtutes morales, id est, non essentialiter, sed causaliter, & imperativè, quatenus dicta Justitia omnium aliarum virtutum ordinat, & imperat actus per ordinem ad commune bonum, non minus, quàm Leges in omni virtutum materia ea omnia præscribunt, quæ communi bono conducibilia extant, pro quo facit illud Philosophi 5. Ethicor. pulcherrimum dictum: *Leges de omnibus præscribunt, & ea, quæ ad virum fortem pertinent, ut non deserere ordines; non fugere, non arma abjicere; & id quod est temperantis: ut non committere adulterium, non contumeliosè se gerere; & id quod est mansueti, ut non verberare, non maledicere: simili modo secundùm alias virtutes, & vitia, alia jubet Lex, alia prohibet*; & sic similiter *legalis*, sive *universalis*, aut *generalis* Justitia procedit, perficit enim, & cingit hominem, ut erga communitatem, bonumque commune, & totius in omni virtutum moralium materia rectè, & justè se gerat; unde merito dicta Justitia *universalis*, sive *generalis*, & ibidem à Philosopho perfecta Justitia dicitur, & nominatur, licèt strictè, & simpli-

citer Justitia non sit. Legantur *Salmant. sup. à num.* 14. *ad* 21.

LECTIO II.

De Justitia legali, seu generali, distributiva, commutativa, ac vindicativa.

8 QUid *legalis*, vel *generalis* Justitia dicat, & importet, constat ex nuperrimè dictis, specialem & esse virtutem ab aliis diversam, ex dictis constat & etiam; cum multis aliis docent *Salmant. sup. Punct.* 3. *num.* 18. & est communis, & legi potest *Div. Thom. ubi sup. Q.* 58. *Art.* 6. ex dictis similiter constat eam propriam, & rigorosam Justitiam non esse; quodque id non tollit quod inter Civem, & Civitatem, inter totum, & partem, inter Civem, ac Regem, & Gubernatorem dari possint veri contractus, veraque ratio commutativæ Justitiæ. Legantur *Salmant. toto tit. P.* 3. quare de legali, vel generali Justitia id, quod dictum est, satis.

9 De *Distributiva* ergo (quæ est totius ad partes) loquendo, dicitur quod ea est, *qua communia bona inter partes communitatis secundum proportionem meritorum earum distribuuntur*, vel ea est, quæ commoda, & onera communia, putà officia, Beneficia, communes exactiones, tributa, & hujusmodi distribuit inter partes communitatis cum proportione *geometrica* ad singulorum merita, vel statûs conditionem. Quare ejus materia propria per se, & principaliter communia Reipublicæ, vel communitatis sunt bona, aut superflua, aut vacantia, uti sunt æraria superflua, &c. dignitates, Beneficia, officia vacantia, quæ omnia distribuenda sunt Reipublicæ, communitatis vel partibus, debita proportione servata, secundùm meritum, & statum cujuslibet, ac dignitatem. ¶ Item indirecta materia dictæ distributivæ Justitiæ communia etiam sunt onera, tributorum nempe, operarum, laborum, periculorum, &c. ad commune bonum suscipiendorum, debita etiam ut nuper proportione servata, quippe qui communium bonorum est particeps onerum communium, & etiam particeps esse debet, & qui commodum sentit, necesse est sentiat & etiam incommodum. Legatur *Div. Thom.* 22. *Q.* 61. *Art.* 1. *ad* 3.

10 *Commutativa* autem Justitia ea est, *qua unicuique res sua propria redditur secundum æqualitatem (saltem moralem) rei reddita ad rem debitam in commutationibus, &c.* id, quod est juxta *Div. Thom sup. Art.* 3. hæcque inter communitatis, vel Reipublicæ partes voluntariè versatur, secundùm debitam æqualitatem, uti fit utriusque partis consensu in rerum commutationibus in emptione, venditione, mutuo, locato, commodato, de quibus suo loco erit; contingit & etiam involuntarie, uti cùm quis injustè damnum alteri intulit, & tale damnum, licèt involuntariè, reparare tenetur, atque judicè illud refarcire constringitur. Hæc itaque tunc observatur, quando rerum fit commutatio secundùm æqualitatem dati, & accepti, rerum valore, sine ulla ad personas respectu, duntaxat considerato, ut nemini res reddenda tanti valeat, moraliter saltem, quanti valet accepta, sive personæ sint nobiles, sive ignobiles, uti contingit, quando quis centum putà alteri debet, & ipsi reddit centum, vel aliquid aliud, illi centum æquivalens, id quod etiam in venditionibus accidit, si tanti res vendatur, quanti moraliter saltem, secundùm communem æstimationem hominum hic, & nunc res ipsa valet, sive contractus fiat inter personam nobilem, & nobilem, sive inter nobilem, & mechanicam, vilem & etiam, non enim ullius ad personas respectus habetur, sed totum ad res, & æqualitatem.

11 Utraque Justitia *distributiva*, & *commutativa* inter se conveniunt, & inter se valde differunt; conveniunt enim in eo, quod utraque reddit jus, seu justum debitum particulari Civi, vel parti communitatis; conveniunt etiam in materia remota, (esto non in proxima) remota nanque utriusque Justitiæ materia sunt res, personæ, vel opera, in quibus jus, & justitia reperiri possunt, quæ eadem esse possunt respectu Justitiæ distributivæ, & commutativæ.

12 Differunt verò in multis, quippe utriusque diversi sunt actus. Primò actus commutativæ Justitiæ est ad personam alteram, quà talem totaliter, & adæquatè distinctam; distributivæ vero ad partem totius, quæ in toto includitur, vel adæquatè physicè ab eo non distinguitur. ¶ Secundo proxima materia commutativæ Justitiæ actiones sunt illæ, quæ sunt commutationes in rebus propriis, sive privatis hujus, vel illius; distributivæ verò actiones sunt illæ, quæ distributiones sunt, quibus communes res inter Reipublicæ partes distribuuntur. ¶ Tertiò commutativa respicit strictius jus, sive debitum, videlicet proprietatis, vel quasi, quod est debitum legale, & jus partis rigorosè activum; distributiva autem jus condignitatis ¶ Quartò commutativa principaliter subjectatur in privatis; distributiva autem in Principe, vel Magistratu communibus præsidente bonis. ¶ Quintò ex violatione commutativæ Justitiæ restitutionis obligatio oritur, secus ex violatione distributivæ Justitiæ, formaliterque talis. ¶ Sextò commutativa constituit medium, secundùm arithme-

arithmeticam æqualitatem, consistentem in adæquatione rei ad rem, sive quantitatis ad quantitatem, putà centum ad centum; distributiva vero medium constituit secundùm æqualitatem geometricam, id quod consistit in adæquatione secundùm proportionem inter conditionem personarum, & quantitatem communium bonorum. Ex quo medium in commutativa est, quòd nec plus, nec minus detur, quàm mereatur, uti si debes, vel furatus es centum, centum reddas; non autem ita in distributiva, in hac enim aliquando minus, quàm quis mereatur, distribui valet, ad rem, summam vel distribuendam habito respectu, quando scilicet bonorum summa non adeo est tanta, ut cuivis tantum dari valeat, quantum alias ejus expostulant merita. Vel ponamus quod Ducata mille inter viginti Cives de Republica benemeritos distribui debent; tunc distributivæ Justitiæ medium non est, ut si inter eos sunt decem, quorum quivis centum se solo meretur, eorum cuilibet centum dentur, nam tunc nihil acciperent, alii decem, sed medium est, ut illi, qui plus merentur, plus accipiant, minusque qui minus merentur juxta proportionem distribuendæ summæ, & juxta cujuslibet eorum merita, ac dignitates.

13 Ex dictis patet (estque quid inter DD. commune) Justitiam commutativam, & distributivam formaliter, & essentialiter inter se esse specie distinctas, estque ratio: nam juxta *Div. Thom. sup. Art.* 2. virtutes illæ specificè, & essentialiter inter se distinguuntur, quæ diversos actus, ac objecta formalia habent; sed, ut ex dictis liquet, id habet commutativa, & distributiva Justitia: ergo, &c. Et ut aiunt *Salmant. sup. num.* 28. commutativa disponit privatum ad privatum, ut illi debitum tribuat, distributiva verò disponit Rempublicam, ejus vel curam gerentem per ordinem ad communitatis partes. Commutativa respicit medium rei secundùm æqualitatem, ad personas respectu nullo habito, quod est personas secundùm æqualitatem *arithmeticam* respicere, distributiva autem secundùm proportionem geometricam respicit res, scilicet ad æqualitatem personæ; commutativa insuper rigorosum, & proprium dominii jus respicit, cum quo æqualitatem intendit apponere, non sic distributiva, hæc cum jure strictè dicto æqualitatem non ponit, sed cum dignitate, & merito, quam quilibet habet ad bonum commune.

14 Notant tamen (omnino legendi *à n.* 29. *ad* 36) *Salmant.* & probant, quòd, licèt commutativa, & distributiva Justitia inter se dicto modo distinguantur, justitia tamen distributiva se sola, sive nudè sumpta, non est propria, & rigorosa Justitia, quodque solùm id habet, quando cum commutativa conjungitur, consequenterque inter omnes Justitias solam commutativam se solam, vel nudè sumptam verè esse rigorosam Justitiam. Quod autem distributiva Justitia cum commutativa conjungi possit, sequenti exemplo, vel doctrinâ sic probant.

15 Relinquuntur tibi à patre mille aurei, ut eos distribuas inter pauperes secundùm proportionem paupertatis illorum, & attentis omnibus, quæ pro tali distributione debent attendi; huic pauperi, qui est pauper, ut viginti, centum aurei debentur, & tunc teneris ex Justitia commutativa illi centum aureos tribuere, & in hoc servare æqualitatem hujus Justitiæ, & si minus conferas, teneris restituere, quia respectu illius pauperis perinde est, ac si in testamento illa centum essent relicta. Idem dicimus cum proportione respectu aliorum. At Justitia distributiva in tali casu non respicit, quid tunc in tali casu debeatur, sed computationem facere paupertatis illius cum paupertate aliorum, & cum tali proportione bona relicta inter omnes distribuere; unde in tali casu & proportio arithmetica, & geometrica reperitur, hæc respectu Justitiæ distributivæ, illa respectu commutativæ Justitiæ distributivæ competit cum proportione geometrica, bona relicta distribuere; hac jam distributione facta, competit Justitiæ commutativæ bonum, quod huic particulari convenit, dare secundùm æqualitatem omnimodam, ut si illi centum competant, centum dentur. Et eodem modo dicimus judicandum esse in reliquis exemplis objectionis. Hæc ibi ipsi, quos legere debes, & etiam circa dicta legi poterit *Castrus Palaus tom* 7. *Tract.* 21. *P.* 4.

16 Circa vindicativam Justitiam dicitur quòd illa vera est Justitia legalis, habito ad Superiorem respectu, dum scilicet Superior subdito suo pro delicto commisso debitam, condignamque pœnam infert, & quatenus per eam respicit commune bonum procurandum, & conservandum delinquentium punitione debita, hæcque legalis punitiva Justitia primariò est in Principe, & Superiore, à quo, vel à quibus descendit ad alios, quos Princeps, Superior vel ad prospiciendum pro Reipublicæ, aut Communitatis bono positos habet.

17 Rursus vindicativa Justitia, secundùm quod ex officio debito exercetur à Judice, ut scilicet obligationi suæ satisfaciat, tam erga Rempublicam, quàm erga partem læsam, compensationem injuriæ sibi factæ expetentem, vera etiam est commutativa Justitia; tenetur nanque Judex ex officio, & commutativa Justitia, tam erga Rempublicam, quàm erga partes læsas, ob quod ei stipendium confertur,

fertur, ad condignam pro loco, & tempore delinquentibus pœnam inferendam, æqualitatem ponendo, vel faciendo inter se ex una parte, & Rempublicam, partemque lætam ex altera, id quod si omittat, tam Reipublicæ, quàm parti lætæ injuriam infert cum obligatione restituendi utrique damna ex inde sequuta, juxta communem.

18 Præterea vindicativa Justitia, quatenus præcisè puniens est, æqualitatemque ponit inter pœnam, & crimen delinquentis ipsius, licèt ob talem æqualitatem cum commutativa Justitia similitudinem habeat, & etiam cum distributiva Justitia, quatenus inter plures delinquentes debita pœnarum, & delictorum proportio servatur, propriè tamen, & simpliciter non est, nec dicitur Justitia, non quidem distributiva, quia communium bonorum nulla fit distributio, & multò minus commutativa, quia, prout sic, nulla per eam particularis damni fit compensatio, uti supponitur, sed præcisè æqua vindicatio spectatur delicti. Legantur *Salmant. sup. num. 25. ad 27. & Palaus ubi sup. n. 5.*

LECTIO III.

De injustitia, sive vitiis contra Justitiam.

19 *Injustitia* Justitiæ opposita actionem, vel omissionem illam dicit, importat, atque significat, qua jus debitum alteri auferatur, vel negatur adeo, ut *injustitia* sit ex parte agentis, injuria autem ex parte illius, qui injustum, vel injustitiam patitur, sicque injustitia, sive injuria ab aliquibus diffiniri solet, dicendo quod *est voluntaria læsio alienijuris* : sed aptiùs ab Angelico Doctore 22. Q. 59. Art. 1. ita diffinitur, dicendo quod injustitia *est habitus, quo aliquis volens infert inæquale contra jus alterius nolentis*, quæ diffinitio sic

20 Explicatur. Dicitur quòd est *habitus*, (sumpto habitu pro actu) quo aliquis volens, nanque, ut aliquis actus actus sit injustitiæ, debet, rei scientiâ supposita, necessario à voluntate voluntariè procedere, id quod commune est omnibus vitiis, & peccatis; omne enim peccatum necessariò est voluntarium, & ita voluntarium est, & esse debet, ut formaliter peccatum sit, taleque dicatur, ut si voluntarium non sit, eo ipso non sit peccatum formale; ex quo clarè devincitur quod nullus injuriam, aut injustitiam facere potest, quæ peccaminosa sit, nisi aliquo modo volens.

21 Dicitur *infert inæquale* id est *injustum*, pro quo nota quòd aliud est *injustum agere*, aliud *injustè agere*, & aliud *esse injustum*, vel *agere ut injustum*, nam *injustum agere* facere est aliquid, quod ex se injustum est, vel contra Justitiæ æqualitatem, jus aut alterius, id quod contingere optimè potest materialiter tantùm, vel ab involuntario, vel ab invito, nempe per ignorantiam invincibilem, per motum vel primo primum, vel per violentiam extrinsecam, uti si quis alienam rem auferat invincibiliter alienum esse ignorans, vel si motu primo primo aliquem occidat, vel si percutiat aliquem manu mota violenter ab altero, iste talis *injustum* re vera facit, sed materialiter tantùm, non autem facit injustè, eo quòd in eo non peccat formaliter, sive formale peccatum non facit; *injustè* verò *agere* est injuriam formaliter facere, vel sponte, & deliberatè est aliquid facere, quod re vera est, ac cognoscitur esse contra Justitiam, jusque alterius, sive id ex electione fiat, sive ex habitu malo, sive ex passione, sive ex cupiditate: *injustum* autem *agere*, sive *agere ut injustum* facere est aliquid, quod re vera est injustum, sponte, & deliberatè, ex pura, & mera electione, eo quòd sibi injustitia placet.

22 Dum autem dicitur tandem *contra jus alterius volentis*, dicitur quòd volenti, & consentienti nulla fit injuria, id quod cum Philosopho 5. *Ethicor. cap 9 & Div. Thom. sup. Q. 56. Art. 3.* docent *Salmant sup. P. 5. num. 43.* & communis, id quod ratione patet, nam quilibet dominus est juris sui: in his ergo, quæ sua sunt, & nullo modo dependent ab altero, juri suo cedere potest, illudque renuntiare, consequenterque nullam in eo patietur injuriam, si omnino liberè volens, & lubens in eis lædatur.

23 Sed circa hoc communiter advertitur quòd ad hoc ut aliquis aliquid, quod aliàs est injustum, sive contra jus suum pati volens, injuriam formaliter non patiatur, duo necessariò requiruntur. Primum, quod voluntas juri suo cedens sit plena, vel pura, ut alii dicunt. ¶ Secundum, quod jus, cui ceditur, plenum sit, plena vel sit juri suo cedendi facultas, seu, ut alii dicunt, voluntas cedendi sit justa. Præfati autem explicantur termini, &

24 Dicitur quod ad hoc ut aliquis patiatur injuriam, satis est ut, & si sit volens, aliquo modo sit nolens, sive quòd cum voluntario involuntarium admisceatur. Quale ex errore, metu, vel necessitate adesse potest. Exemplis res hæc fiet clarior. (& hoc quo ad illud primum) Si quis ex metu ad evitandam mortem, vel vexationem pecunias præstet latroni, vel ex necessitate ad recipiendum cum usura mutuum cogeretur, vel ex ignorantia pretiosum lapidem, putans esse vitreum, vel aliquid aliud vile, vas vel aliquod aureum, cupreum esse putans, alicui tertio tribueret gratis, in his omni-

omnibus, & consimilibus casibus re vera injuriam patitur, restitutionisque obligatio adest, dum latro injustè metum illum infert, dum usurarius ex mutuo petit, recepitque usuras, & dum ille, qui lapidem illum, vas vel illud recipit, qualitatem rei certò cognoscit: (& si dum rem accepit, non cognovit rei qualitatem, sed postea adhuc ratione rei acceptæ, & adhuc retentæ, ad restitutionem tenetur; & si res jam non servatur, id omne, in quo ex ea factus est ditior) nam in omnibus casibus dictis non adest plena, & pura voluntas, ut de se liquet, nec voluntarium plenum, & purum cum involuntario mistum, consequenterque omnibus illis in casibus infertur injuria. Et hinc patet Sanctissimos Martyres, & si paratissimos, summopereque volentes pati, & mori pro Christo, adhuc tamen ipsos veram passos esse injuriam, & injustitiam; quia licèt ad tale eximium opus voluntas paratissima fuerit, patiendi scilicet materiales injurias, cruciatus, tormenta, & mortem, non tamen in illis fuit, nec esse potuit cedendi juri suo voluntas plena, & pura, pro quo legatur *Lugo de Just. Disp. 8. Sect. 1.*

25 Quo ad secundum illud, nimirum de jure pleno, seu facultate plena, voluntate cedendi juri suo vel justa, exempla ponuntur, & dicitur quòd & si pupillus donando, vel permittendo consentiat quòd ab aliquo sua res auferatur, adhuc tamen ei fit injuria, vel injustitia, quia non dum plenum jus, aut *justam*, vel juxta Leges voluntatem habet. ¶ Item qui vellet sibi membrum amputari, vel vitâ privari, id vel ab alio peteret, abs dubio pateretur injuriam, & injustitiam, quia ipse membrorum, vitæque suæ dominium non habet, sed Dominus, vel Deus, proindeque juri illi nullatenus cedere potuit. ¶ Item si maritus consentiat in adulterium cum sua uxore ab altero factum, adhuc injuriam patitur, & quia ipse in corpus uxoris jus plenum non habet, sed solum restrictivum ad legitimum matrimonii usum, & quia, (id quod verius, & aptius) licèt ipsi injuria non fiat, fit tamen statui Sacramentali, contra Sacramenti bonum, bonumque prolis, cui jure maritus sponte cornutus cedere nequit; atque adeò qui cum conjugata, consentiente marito, rem habet, adulterium committit, & contrarium dicere extat damnatum ab Innocent. XI. in Propos. sequenti: (50. in ordine) *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, atque adeò sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.* ¶ Item idem de marito consentiente ut auferantur bona dotalia, de parente in filiæ stupro consentiente, de Clerico consentiente ab alio occidi, vel percuti, & sic in omnibus illis casibus, in quibus quis sine præjudicio alterius juris juri suo cedere nequit.

26 Injustitia legalis ergo consistit in eo, quòd quis operetur contra id, quod ex legali Justitia ad commune bonum facere debebat, diffinirique solet dicendo quòd *est violatio legis in ejus despectum ad detrimentum boni communis*, dividiturque in injustitiam *commutativam*, quæ illa est, qua defraudatur alter in bono suo proprio, & *distributivam*, quæ illa, qua defraudatur alter in bono communi, ipsi ex merito præ aliis debito. ¶ Omnem autem injustitiam esse ex genere suo mortale peccatum communis docet cum Div. Thom. sup. Art. 4. Dictum est *ex genere suo*, nam quandoque veniale fieri potest, vel ob parvitatem materiæ, uti si modica inferatur injuria, modicumque furto furripiatur, vel ob imperfectionem actûs, ob defectum scilicet sufficientis deliberationis, ac voluntarii, veluti si quis alteri injuriam inferat ex repentino motu, aut ex ignorantia juris, vel facti, esto non omnino inculpabili. Hæc omnia communia sunt. Tu circa ea lege *Salmant. sup. toto Puncto 5.*

LECTIO IV.

De Jure, quid, & quotuplex sit?

27 JUs varias apud AA. acceptiones habet, vel patitur; ex Philosopho 5. *Ethicor. cap. 1. & seqq. ex Paulo Juris Consulto in L. Jus, ff. de Just. & Jure, ex Div. Thom. 22. Q. 57. Art. 1.* doctrina delumpta. Sed variis acceptionibus illis relictis, quibus ad Jus explicandum AA. utuntur, magisque strictè de eo loquendo, & prout Justitiam respicit, estque formale objectum illius, idemque valet ac justum, estque jus ad alterum.

28 Dicitur quod Jus juxta aliquos *est facultas utendi re pro libito citra alterius injuriam*, juxta alios, *est justum alteri debitum per æqualitatem servandum*, & juxta Mastrium Disp. 3. Theolog. Moral. num. 2. Salmant. cap. 1. P. 1. num. 2. & juxta alios: *Est potestas legitima ad aliquam rem obtinendam, vel functionem aliquam exercendam, cujus violatio injuriam constituit*, ferèque cum dominio latè sumpto, ac diviso in dominium jurisdictionis, & proprietatis coincidit, in quo sensu dicitur quòd quis *suo jure utitur*, ejusque, modo hoc accepto, fundamentum est juris justi, & titulus, quem ex parte Proximi justitia respicit, ut propter illum jus suum ei tribuere velit; ideo nanque justum est ut mihi aliquid detur, vel fiat, quia ego ad jus illud facultatem, ac potestatem legitimam illud exigendi, eoque fruendi, habeo, unde illi, qui merces suas vendit, aut in

alterius

alterius fundo laborat, &c. debetur pretium, quod communi hominum æstimatione mercibus, atque labori æquatur, justumque est quòd tale pretium eis detur; legitimumque ipsi jus habent ad illud exigendum, etiam in Judicio, talisque æqualitas pretii ob venditas merces, vel ob exequutum laborem debita formale est *objectum quod* Justitiæ, quatenus Justitia ponere æqualitatem intendit, illius verò objectum *cui*, quatenus jus debitum respicit. Legantur *Salmant. cit. in num.*

29 Sed præfatum *objectum* aliquali explicatione indiget, dicitur ergo quòd *jus*, seu *justum* specialiter sumptum, seu *æquitas* debita, inter obligationem unius, & jus activum alterius, est formale objectum *quod* Justitiæ, cujus ratio ex *Div. Thom. cit. Q. 57. Art. 1.* defumitur: nam illud est Justitiæ objectum formale *quod*, quod per se primò per suos actus intendit Justitia ipsa; sed hoc est æqualitas inter rem, vel actionem legaliter debitam, & jus alterius, ut ex ipsius Justitiæ diffinitione patet: ergo, &c. Quare Justitiæ actus non erit, nisi æqualitas, vel adæquatio hæc, saltem proportionalis, explicitè, vel implicitè intendatur, ad solvendum se ab obligatione, & exhauriendum jus legale alterius, vel simul, vel successivè in totum, vel in partem. ¶ Objectum autem formale *quo*, sive, quod idem, formale motivum honestas est æqualitatis, vel adæquationis prædictæ. ¶ Objectum verò materiale remotum est res legaliter debita, proximum est operatio, per quam æqualitas ponitur, quia super illam remotè, & super hanc proximè cadit prædicta honestas; & cùm Justitia sit ad alterum, suum etiam *cui* habet objectum, illudque est persona illa, cui æquale redditur, non quidem nudè, & materialiter sumpta; sed formaliter, ut activo jure informata, vi cujus obligationem, debitumque legale fundat in altero.

30 Præfatum Jus communiter dividitur *in jus ad rem*, & *in jus in re*, & *jus ad rem* illud est, quod quis habet ad rem habendam, sive illud, quod res ipsa non dum affecta est, vel obligata, sed tantùm jus habetur per ordinem ad possessionem acquirendam, sive dominium talis illius rei, antequam actu talis res possideatur. ¶ E contrà autem jus in re illud est, & dicitur tale, quo quis rem jam sibi devinctam, obligatamque habet, sive quod re habetur in aliqua, legitimèque possidetur in actu, sive cujus possessio, & dominium legitimum cuipiam actu jam est comparatum. Vel

31 Aliter *jus ad rem* illud dicitur, quod actionem tribuit, *non in ipsam rem, sed solum in personam* talis rei consequutionem impedientem, taleque jus acquiritur per stipulationem, donationem, emptionem, aliosque hujusmodi contractus ante rei traditionem, si namque res donata, aut vendita alteri donetur, aut vendatur cum reali traditione, ipsi res talis manebit, quin tu, cui talis res donata, vel vendita est, non dum tamen tradita, talem rem vendicare, aut repetere etiam in Judicio possis, sed tunc contra eum, qui te fraudavit, duntaxat actionem habes, eo quòd res illa per actualem traditionem adhuc tua facta non erat, quare solùm contra te fraudentem personalem actionem habes; similiter tale *jus ad rem* illud est, quod quis consequitur per electionem, præsentationem, postulationem ad Beneficium, ac per Beneficii collationem, per successionem hæreditatis, & hujusmodi ante acceptationem. ¶ Jus autem in re dicitur illud, quod tribuit actionem realem, sive quod rem re ipsa obligatam habet realiter, (dicique solet *revendicatio*) ita ut res nobis omnino sit obstricta, ad quemcunque transeat, quia cum suo onere transit, resque, ubicunque sit, pro suo domino clamat, taleque jus illud est, quod habetur, rei traditione sequuta, per emptionem, & alios legitimos contractus, ac etiam per Beneficii collationem, vel per testamentum, vel per successionem ab intestato, sequuta Beneficii, vel hæreditatis acceptatione.

32 Jus, prout idem est, ac justum, latissimè sumitur pro debito cujuscunque virtutis, sicque quidquid conforme est rectæ rationi, & Legi, dicitur justum; unde in sacra Pagina *Div. Luca cap. 1. num. 6.* (& sæpe alibi) dicitur quòd *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini*, dictum nanque jus communiter dividitur in *morale*, & *legale*. Ex quibus *morale* illud est, quod quis debet ex honestate virtutis, & operantis tantùm, absque jure, vel potestate alterius illud exequendi, uti sunt debita misericordiæ, charitatis, fidelitatis, temperantiæ, fortitudinis, &c. quarum quamlibet si quis omiserit, nullum alterius jus lædit, sed solùm deficit, sive recedit ab honestate virtutis, vel rectitudine debita, quam in actionibus suis operans tenebatur servare; justum, debitum vel *legale* illud est, ad quod reddendum alteri quis Lege adstringitur, ex eo, quòd alter jus, ac potestatem habet ad tale quid exigendum, vel obtinendum, estque proinde objectum virtutis Justitiæ. Legatur *Div. Thom. 22. Q. 57. Art. 4. & 58. Art. 11. & Q. 80. Art. 1. ac Salmant. sup. dicto P. 1. per totum.*

33 Legali jure dato, cum eo simul actio datur. Actio autem generatim nihil aliud est, nisi *jus prosequendi in judicio quod sibi debetur*, id quod commune est, & habetur §. 1. *Inst. de Action.* Et *in judicio* dicitur, quia nemo jus sibi-

sibimetipsi dicere potest, neque authoritate privata id occupare, quod sibi debetur, cùm ad id constituti sint Judices, & Magistratus. Sed excipitur casus, in quo occultæ compensationi est locus, & quando in mora periculum extat, uti si fur cum furto fuerit repertus, atque deprehensus, nam tunc quilibet authoritate privata rem suam repetere potest.

34 Porrò actio ut sic in actionem realem, & personalem rectè dividitur, quarum *personalis* actio illa est, qua quis versatur contra personam aliquam, quæ ex contractu aliquo, vel maleficio est obligata; *realis* autem actio illa est, qua quis contra aliquem agit, qui nullo jure ei est obligatus, ei tamen de re aliqua controversiam movet, veluti si rem corporalem possideat quis, quam Titius suam esse affirmet, possessor autem dominum ejus esse dicat, nam si Titius suam esse intendat, in rem actio est. Ita clarè, & expressè habetur § *Omnium*, *Instit. de Action.* Actio rursus *realis* ea est, quæ adhæret rei, (diciturque *actio in rem*) remque insequitur ipsam ita taliter, ut in cujuscunque possessionē res nostra obligata advenerit, ab eodem repoſci, revendicarique valeat, & si probatum fuerit rem nostram esse, necesse habeat, etiam Judicio, possessor eam restituere nobis. Constat ex dicto §. *Omnium*, juxta L. Officium, ff de revendicat. communisque docet. ¶ Insuper Jus plures alias divisiones habet, nam aliud est Jus Divinum, & naturale, aliud Jus humanum positivum, aliud Jus Gentium, &c. de quibus jam in Tract. de Legibus actum fuit.

CAPUT II.

De Dominio, & acquisitione legitima rerum.

QUanvis in Mundi exordio omnia hominibus omnibus, & singulis communia essent, quin tunc esset *meum*, *& tuum frigidum illud verbum in vitam nostram inveheus*, *innumeraque gignens bella*, postea tamen Gentium Jure divisio facta est rerum, quæ quidem divisio justissima est, & insuper valde necessaria, hominum conditione supposita; qui quidem (post Adami peccatum eorum superbiâ, cupiditate, &c. attenta) omnes, & eorum quilibet omnia dominari vellent, omnes, & eorum singuli esse dòmini, servire nullus, nullus laborare, ex quo inter omnes jurgia, & bella quotidiana consurgerent, indiesque invalescerent; præterea, si rerum divisio facta non foret, nullus agros colere studeret, negligentiæ, & ignaviæ se se traderent omnes, aut, si iste colere hunc agrum vellet, impediretur ab altero, atque adeò, ut quilibet homo de sua re curam haberet, omnesque in pace degerent, omniaque in tranquillitate procederent, convenientissima fuit dicta rerum divisio, quodque iste rei hujus, alter alterius dominium proprium haberet, ac quilibet sciret quæ sua sunt, de illisque curaret, à labore, & cura nunquam desisteret, ut sic labore suo, sudoreque vultûs sui panem suum comederet, quin ullus justè ei se opponeret, & opponere posset. ¶ Licèt tamen Jure Gentium dicta rerum divisio fuerit facta, non tamen per illud res omnes divisæ fuerunt, sed earum plures pro omnium usu indivisæ manserunt, uti Civitates, plateæ, itinera, aer, mare, littora, terræ, gemmæ, & omnia in casu necessitatis extremæ, quorum omnium usus apud omnes est, & quorum dominium non est apud aliquem, sed omnes primo occupanti conveniunt, reliquæ denique aliæ, non Jure Gentium, sed quibusdam particularibus juribus fuerunt divisæ, ut scilicet Regnum hoc hujus sit Regis, illud alterius, quodque fundus, vel vinea hæc hujus sit dòmini, alius, vel alia alterius, id quod aut ex Lege, vel ex concessione Principis, sive proximè ex pacto, conventione, donatione, hæreditate, & hujusmodi provenit. Divisione itaque rerum ita suppositâ, & his omnibus sic cognitis, necessarium est ad dominium, rerumque legitimam acquisitionem descendere. Pro quo, vel quibus sit

LECTIO I.

Quid, & quotuplex sit Dominium? & de Dominii translatione.

1 DOminium latè, sive generaliter sumptum sic diffiniri, describi vel solet: *Est facultas legitima agendi, vel disponendi aliquid circa rem aliquam, vel personam, tanquam sibi subjectam*, vel brevius sic: *Est facultas utendi re in omnes usus Lege permissos*, vel distinctiùs, & clariùs: *Est facultas utendi re propria in quemlibet usum Lege permissum.* Ita communiter Theologi, ac utriûsque Juris DD. quæ ultima diffinitio ita

Explicatur. Dicitur *Jus*, nam omne dominium *jus* est, (sive, quod idem, facultas legitima aliquid agendi, obtinendi, disponendi, usurpandi, vel in eo quomodolibet se habendi, cui si sine legitima causa contraveniatur, injuria fit ei dictum *jus*, vel facultatem habenti) non tamen è contrà omne *jus* est dominium, uti clarè patet in jure utendi re commodata, vel conducta, &c. Dicitur *re propria*, nam per hoc dominium differt à possessione, eo quòd hæc optimè sine dominio stat, starequæ potest, ut patet in re conducta, & commodata. Dicitur *ad quemlibet usum*, per quod ab *usufructu*,

& usu nudo dominium differt, qui est jus utendi, aut utendi fruendi, semper rei substantiâ salva, dominium autem dicit *jus* utendi, fruendi, alienandi, donandi, & etiam distribuendi. Demumque dicitur *Lege permissum*, quia Leges quandoque certum rei usum domino prohibent, licet ei dominium relinquant, unde Epist. ad Galatas cap. 4. dicitur: *Parvulus est, nihil differt à servo*, (id est quo ad usum bonorum suorum) *cùm sit dominus omnium*, id est, quo ad proprietatem. Dicitur & etiam *Lege permissum*, quia usus prohibitus, nonque permissus propriè non dicitur *usus*, sed *abusus*, ex quo communiter dici solet quod *id possumus, quod licitè possumus*, sive permittentibus Legibus, atque in re renuente Lege nemo re sua propria uti potest, imò neque facultatem alteri dare, ut ea utatur.

2 Dominium aliud est *jurisdictionis*, & aliud *proprietatis*, & dominium *jurisdictionis* jus, potestasque illa est superioritatis, quam quis gubernandi subditos habet (præcipiendo scilicet, prohibendo, permittendo, præmiando, judicando, puniendo, &c.) ad eorum, totiûsque communitatis utilitatem, hocque jurisdictionis dominium (sermo est de dominio creato) aliud est *Ecclesiasticum*, vel spirituale, aliud *politicum*, vel temporale. Ecclesiasticum, seu spirituale jus potestas & illa est, quam quis habet gubernandi subditos convenienter in ordine ad Animarum eorum spirituale bonum, jus, potestasque hæc in Summo Pastore, Archiepiscopis, Episcopis, Religionum Prælatis, ac in omnibus Pastoribus illis, qui Animarum curam ex officio habent, existit, & remanet. ¶ *Politicum* autem, seu temporale dominium, jus, potestasque illa est, quam quis gubernandi subditos habet per ordinem ad eorum temporale bonum, finemque naturalem. ¶ Præterea utrumque dominium tam jurisdictionis, quàm proprietatis subdividitur in dominium *Altum*, sive superius, & in dominium *Bassum*, sive inferius, quorum illud residet in Rege, & in Republica, hoc autem in inferioribus, sive civibus, & illud dicitur dominium remotum, hoc autem dominium proximum, & immediatum. Nos autem de jurisdictionis dominio hîc non curamus, eo quòd de eo jam sufficienter à nobis actum est Tract. de Legibus, multisque aliis hujus Breviarii locis, quare de Dominio proprietatis solùm est hîc cura nobis.

3 *Proprietatis* ergo dominium (de quo sermo) *est facultas propria disponendi de re aliqua, tanquam propria, quæ ad omnes usus Lege permissos in proprium commodum*; & prout loquuti fuimus sup. num. 1. Et hoc proprietatis dominium dividitur in *perfectum*, sive plenum, & in *imperfectum*, sive non plenum, quorum primum ille habet, qui in re, cujus est dominus, consortem non habet. *Non plenum*, sive imperfectum dominium dicitur illud, quod est *partiale*, sive consortes habet, pluribus vel est commune; ita ut sine eorum omnium consensu eorum nullus seorsim de re disponere valeat, taleque est hæreditatis dominium, antequam hæreditas dividatur. ¶ Vel aliter dominium *perfectum*, seu plenum illud est, quod continet proprietatem rei cum omni ejus usu, usufructu, ejusque commodis omnibus. Imperfectum autem, sive non plenum illud est, quo quis respectu alicujus rei proprietatem absque emolumentis duntaxat habet, vel habet emolumenta absque rei proprietate ¶ Rursus Dominium *imperfectum*, sive non plenum duplex est, nempe aliud *directum*, & aliud *utile*; primum habet solùm *proprietatem*, & hinc dominus dicitur proprietarius, quale in feudis Princeps dominium habet: secundum autem, vel *utile* illud est, quod usum, usumfructum, vel rei utilitatem solùm habet, uti illud, quod habet ususfructuarius, emphyteuta, feudatarius, &c. ut tamen dominium directum in domino non omnino reddatur inutile, in aliquibus casibus in dominium directum etiam utilitas cadit, sive ad eum devenit.

4 Ex doctrina hactenus tradita sequitur primò quòd, licèt pupillus omnium bonorum suorum verè sit dominus, non tamen illorum perfectum dominium habet, sed imperfectum; non enim pro solo suo arbitratu ea vendere potest, alienare, distrahere, neque de illis (maximè si immobilia sint) ullo modo, quandiu ipse sub Tutoribus extat, disponere Ep. ad Galat cap 4. dicente Apostolo: *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est usque ad prædefinitum tempus.* ¶ Secundò licèt debitor ille illius rei, quam in pignus, vel hypothecam creditori suo dedit, verus, & absolutus sit dominus, non tamen talis rei *perfectum*, sive plenum dominium habet, quia ex tacita inter eum, & creditorem conventione facta, eam, quandiu in pignus, hypothecam vel habet, vendere, alienare, aliter vel distrahere nequit, quin debitum creditori suo solvat. ¶ Tertiò idem in bonis dotalibus, matrimonio durante, in quibus nec ex parte mariti, nec ex parte uxoris *perfectum*, sive plenum dominium datur, sed solùm *imperfectum*, sive non plenum, maritus nanque talium bonorum neque dominium, nec proprietatem habet, sed solum usum, & administrationem, uxor autem proprietatis dominium, sed non eorum usum, neque administrationem; matrimonio tamen soluto, perfectum, & plenum talium

bono-

bonorum dominium habet.

5 Quartò sequitur jus Maioratûs, Primogenituræ, ac fidei commissorum non esse propriè, ac simpliciter dominium, sive eum, qui Maioratum, &c. possidet, illius perfectum, ac plenum non habere dominium, (quidquid aliqui alii probabiliter contrarium teneant) sed tantùm imperfectum, & non plenum dominium habere. Ratio est: nam Maioratûs, Primogenituræ, ac fideicommissi possessor non solùm ex Lege prohibitus est alienare rem vinculatam, sed etiam ex commutativa Justitia, ita ut in alienando successoribus, vel familiæ injuriam inferat cum restitutionis onere; non igitur talis possessor perfectum, ac plenum jus justitiæ in dicta re vinculata habet; id quod haberet, si jus esset perfectum, & plenum. Et hinc

6 Dicitur quòd Maioratûs, & Primogenituræ dominium perfectum, plenum, & directum remanet apud Maioratûs possessorem, & simul successores futuros, vel familiam totam, quæ tamen tota quo ad successores, licèt in re pro tunc non existat, existit tamen fictione Juris, tanquam quædam persona politica, sicut hæreditas vacans, antequam fortè posthumus nascatur, vel animetur in utero matris, dicitur à Jure, & est persona ficta, repræsentans defunctum, in cujus dominium illa bona vacantia conservari censentur, per quod calcatur quædam sententiæ contrariæ ratio: nam jam patet apud quem, vel quos, quo ad substantiam, & fructus rei vinculatæ dominium remaneat. ¶ Et quando Princeps facultatem Maioratûs possessori præbet alienandi rem vinculatam, (data ad id justa, & rationabili, urgentique causâ, sine qua talem facultatem præbere non potest, id quod si fecerit, Maioratûs successoribus, vel familiæ restituere tenetur) tali possessori rei vinculatæ dominium præstat per dominium illud *altum*, de quo sup. quod in bona subditorum suorum Rex, supremus vel Princeps habet, ut in casu gravis, & urgentis necessitatis subditorum suorum bona distrahere, vendere, destruere, &c. valeat, (estò tale dominium etiam in Rege non sit perfectum, cùm non sit, nisi stante, & urgente necessitate gravi) uti passim in bello contingit, Reges propria bona vassallorum destruentes, ne inimici illis utantur, ex illisque vires ad acriùs bellandum assumant maiores. Et per hoc alia ratio contrariæ sententiæ quodammodo de medio tollitur. Legatur *Lugo de Justitia Disp. 2. Sect. 1. n. 6*

7 Quo ad illud secundum, quod in hujus Lectionis titulo positum extat, nempe de dominii translatione, dicitur quòd dominii translatio nihil aliud est, quàm transmissio rei facta ab eo, qui legitimè possidet, in alterum, qui legitimus incipit esse dominus; id quod fit, vel fieri potest, sive rem ipsam, aut titulum rei tradendo, titulus nanque fundamentum est, & tota basis, ubi rei dominium nititur, eo nanque ipso, quod quis rei titulum alteri tradit, vult dominium ejus transferre in alterum. Et

8 Prædictæ translationis dominii multiplex communiter assignatur causa. Prima est voluntas Divina, cùm enim Deus omnium rerum primus, absolutus, & universalis sit Dominus, rerum dominia in quem velit transferre potest, sicque de facto in Israelitas Chananæorum transtulit Regnum, &c. ¶ Secunda causa ex ipso naturali Jure provenit, unde filiatio, titulus, causaque est successionis in bonis paternis. ¶ Tertia causa est voluntas humana, aliquo modo explicata exteriùs, hæc enim satis est ad transferendum dominium, (modo alibi dicendo) nisi Lege aliqua in eo prohibita extet. ¶ Quarta causa est voluntas Principis, vel Legislatoris, transferentis res Civium in dominium aliorum, id quod ob commune Reipublicæ bonum fit vel per Leges, aut per justas sententias, &c.

LECTIO II.

Quid sit titulus, usus nudus, ususfructus, emphyteusis, feudum, superficies, habitatio, servitus, & possessio?

9 QUo ad *titulum*, quid sit, jam constat ex proximè dictis, ex illis nanque constat fundamentum esse, radicemque dominii, sive id, ex quo probatur quòd quis rei verus est dominus, uti est emptio, donatio, legatum, successio hæreditaria, electio ad Regnum, &c. *Titulus* alius est *verus*, qui à parte rei sufficit ad judicandum possessionem, sive dominium, uti si res à vero domino ematur, accipiatur vel ab eo, qui donare potest; alius *præsumptus*, aut coloratus, qui, estò à parte rei non sit verus, ex bona tamen fide, invincibilique ignorantia creditur esse verus, uti si aliquid ematur ab aliquo, puta à fure, qui probabiliter verus rei dominus esse creditur, qui quidem titulus, licèt non satis sit ad dominium acquirendum, sufficit tamen ad bona fide rem præscribendam, ac ad verum titulum efficiendum per eam. ¶ Et præter titulum ad acquisitionem dominii, tanquam conditio, rei traditio, ejusque apprehensio ordinariè requiritur, & *ordinariè* dicitur eo quòd certis in casibus non est necessaria traditio. Primo in Beneficiis, in his enim satis est collatio, & receptio. Secundo in hæreditate, ut nanque hæres

bonorum defuncti dominium acquirat satis est sola hæreditatis aditio, & acceptatio ante rei, vel rerum apprehensionem. Tertio in legato, & quarto quando aliquid donatur, venditur, aut relinquitur Civitatibus, Ecclesiis, locis vel aliis piis, vel in captivorum redemptionem, & hujusmodi.

10 Quo ad *usumfructum*, dicitur quòd *ususfructus est jus utendi, & fruendi re aliena, salva semper rei substantiâ*. Sic habetur in *L. 1. ff. de usufructu, & Inst. de usufructu* in principio: estque communis, in qua diffinitione *jus* ponitur loco generis, in eo nanque ususfructus cum aliis juribus convenit, quæ ususfructus non sunt. Cæteræ vero particulæ differentiæ loco ponuntur. Dicitur *utendi, & fruendi*, id est, rei fructus percipiendi, per quod differt ab usu nudo, usurarius nanque nudus, re, cujus usum habet, uti potest in suum proprium commodum, putà uti domo, vel prædio, &c. non tamen potest domum alteri locare, aut prædii percipere, neque vendere fructus, bene tamen ususfructuarius, hic enim non solùm re, cujus usumfructum habet, uti potest, sed etiam omnes ejus fructus percipere, eos confundere, &c. putà ex agro, vinea, pecore, lacuna, vel fluvio, &c. Dicitur *re aliena*, scilicet ea, cujus dominium directum est apud alium; sicut & proprietas. Tandemque dicitur *salva semper rei substantiâ*, per quod ususfructus à pleno, perfectoque rei dominio omnino distinguitur, qui nanque plenum, perfectumque rei dominium habet, potest rei substantiam destruere, secus autem usufructuarius, hic enim, & si usuum fructuum omnium, & commodorum rei dominium habeat, illisque pro libitu suo uti frui possit, non tamen rei substantiam, putà *vineæ fundi, &c.* substantiam perdere, sive destruere, sed potiùs eam quo ad substantiam integram, salvamque conservare tenetur.

11 Comparatione autem facta inter usuarium, & ususfructuarium, uterque in eo convenit: primò, quòd re aliena, *salva rei substantiâ*, uti potest unus, & alter. ¶ Secundò, quòd eorum neuter alteri rem ipsam, cujus usumfructum, vel usum nudum habet, vendere, donare, alienare, &c. valet. ¶ Tertiò eorum neutrum *jus illud* utendi fruendi, aut solùm utendi alteri absque dòmini directi, & proprietarii consensu cedere posse, uti §. *Finitur* Instit. de usufructu in fine expresse deciditur, ubi dicitur quòd, si quis extraneo, id est, alteri, quàm proprietario usumfructum cedit, nihil agit, sed necessario irrita redditur ipsa cessio.

12 Differunt autem primò, quòd *usuarius* (ut infra videbitur) solum usum sibi rei habet, quin fructum aliquem percipere valeat, ususfructuarius autem fructus omnes ex re fructifera percipere potest, de illisque quidquid sibi placuerit, facere, uti constat ex *L. Usufructu legato, ff. de usufructu, L. Item, si fundo, §. Aucupiorum, ff. eod.* sicque ad usumfructuarium pertinent fructus omnes pensionum reddituum ex ædificiis, vel domibus, areis. ¶ Item venationes, piscationes, eruere metalla, lapides, si sint in fundo, dummodo id agriculturæ non obsit ¶ Ad eum itidem pertinent omnes fructus gregis, uti lana, lac, fœtus; pertinent & omnes plantæ cæduæ, ita ut eas cædere, secare vel possit, non tamen plantas fructiferas cædere, aut secare, quia eæ pertinent ad dòminum directum, & proprietarium; bene tamen earum fructus omnes capere, neque pariter ancillarum partus ad usumfructuarium pertinent, id quod ita ob dignitatem humanæ naturæ resolvitur. ¶ Et notatur *apud Salmanz. cit. Tract. 12. cap. 2. P. 3. n. 19.* quòd ususfructuarius fructuum rerum dominium non habet, antequam eos colligat, vel fructus ipsi ab arboribus decidant, nec in gregibus etiam, antequam fœtus nascantur, in lana neque, antequam tondentur oves, quodque si ususfructuarius ab hac vita discedat, antequam fructus colligat, tunc, casus, eorum dominium ad directum dòminum pertinent.

13 Differunt etiam in eo, quòd usuarius nudus neque *jus*, neque usum ipsum in alterum, directo dòmino inscio, ullo modo transferre valet, uti *Instit. de usu, & habitatione* deciditur, ususfructuarius autem, licèt (ut tactum est sup.) jus percipiendi fructus in alterum, dòmino proprietario, sive directo inscio, transferre non valeat, bene tamen rem ipsam fructiferam, utilitates vel rei fructiferæ alteri, etiam directo dòmino invito, donare, vendere, locare, &c. potest. Circa fructus nanque verus ipse est dòminus, perfectamque, & plenam potestatem habet; sicque eam in alterum transferre valet, jure semper percipiendi fructus apud ipsum ususfructuarium manente. ¶ Differunt præterea in eo, quòd usuarius nullas pro conservanda rei substantia, cujus usum nudum habet, expensas facere tenetur, neque tributa, collectas, similes vel alias reales præstationes solvere, nisi aliunde singularis contractus intercesserit, bene tamen ad id omne ususfructuarius tenetur; tenetur enim substantiam rei conservare ita, ut si sua culpâ res pereat, restituere eam teneatur dòmino directo; (secus autem, si non sua culpâ pereat, sed casu, uti à grandine, gelu, &c. tunc nanque directo, sive proprietario dòmino perit) & ideo, si sit ususfructuarius gregis, loco capitum demortuorum, vel inutilium ex culpa sua

capita

capita alia substituere tenetur; & idem, si pereat vinea, vel pars ejus, tenetur eam noviter plantare, vel reparare id omne, quod fuit deperditum, & sic in aliis rebus, in quibus fuerit usufructuarius; & ita communis, & cum *Rebello, & aliis Salmant sup. n. 19. & 20.*

14 Ususfructus multipliciter finiri, extingui vel potest. Primò, si usufructuarius usumfructum proprietario cedat, vel proprietarius rei proprietatem in usufructuarium transferat, in utraque nanque reunitur ususfructus cum proprietate, & è contrà, sicque proprietarius, simul & usufructuarius, & usufructuarius, simul & proprietarius. ¶ Secundò, si tota res pereat, putà tota domus incendio fuerit consumpta; quo casu non remanet usustructus in area, id quod est juxta *L. Repeti, §. Rei, ff. quibus modis usufructus.* ¶ Tertiò, si tempus, pro quo concessus fuit usufructus, jam fuerit tranlactus. ¶ Quartò morte naturali, vel civili usufructuarii, nam usufructus jus est personale, consequenterque perit, pereunte personâ; id quod verum esse dicitur etiam in casu, quo proprietarius usumfructum concedens, expresserit quòd usufructus ad hæredes transeat, quo casu, ut transeat, nova petitio, novaque traditio exigitur. ¶ Quòd si usufructuarius Religionem aliquam fuerit ingressus, & in ea professus, tunc usufructus ipsius personam comitatur, ad Monasteriumque devolvitur, in quo ipse pro tempore habitâverit; si Religio, vel Monasterium capax sit bonorum in communi, perpetuorumque reddituum; (& talis Religiosus ante Professionem de tali usufructu testari potuerit, sicut de quibuscunque suis aliis bonis) secus omnino dicendum, si Religionem fuerit ingressus, vel Monasterium, quæ, vel quòd capax non sit bonorum in communi, reddituumque perpetuorum, tunc nanque usufructus simul cum persona extinguitur statim, ac religiosa Professio ab eo emittitur, & cum proprietate consolidatur. Legatur *Layman. lib. 3. Tract. 1 cap. 6. n. 6.*

15 *Usus nudus* autem rei diffinitur dicendo quòd est *jus utendi aliena re ad proprium tantùm usum, salva rei substantiâ*, cujus diffinitionis intelligentia patet ex dictis de usufructu, & distinctione, quæ inter usumfructum, & usum nudum adest, illud enim *ad proprium usumfructum* inter nudum rei usum, & usumfructum distinctionem ponit, nudus nanque rei usus tantùm facultatem confert utendi ipsâ in proprium usum; unde concesso tibi jure utendi aliena domo, illam cum familia tua habitare potes, concesso jure, vel usu horti, tantùm in eo cum familia tua ambulare potes, poma, olera, & hujusmodi, quæ ibi nascuntur, ad tuum, tuæque familiæ colligere usum; non tamen domum aliis locare, &c. neque hortum pro arbitratu tuo alteri dare, alienare, absumere, &c. quippe hoc proprium est aut dòmini directi, dum ususfructuarius rei non adest, aut ususfructuarii, dum ille adest. Item tibi utendi equo, mulo, vel asino, aut bove, illis uti potes ad equitandum, currus trahendo, onera portando, terram arando, agrum stercorando, &c. non tamen aliis extraneis talium usum concedere. Sed

16 Hìc gravissima inter AA. contentio extat; an scilicet rebus in illis, quæ unico actu, sive usu consumuntur, uti sunt omnia esculenta, poculenta, pecunia, &c. usus, seu jus utendi à dominio distinguatur realiter, ususque separabilis sit à dominio ita, ut apud unum sit, vel esse possit merus, vel purus usus, dominium earum vero apud alium? Rebus autem in illis, quæ unico usu non consumuntur, uti sunt equi, boves, &c. domus, vestis, liber, &c. usum realiter esse à dominio distinctum, sicque earum posse esse usum apud unum, & dominium apud alium, unanimiter concordant DD. patetque in Religiosis omnibus paupertatis votum emittentibus solenniter, qui quidem librorum, vestium, & hujusmodi solum nudum usum, & quidem à Superiorum voluntate semper dependentem habent; earumque rerum dominium semper est apud Religionem, vel apud alios; quare usus de rebus unico actu, vel usu consumptibilibus solùm in controversiam vocatur, an nimirum earum usus sit realiter à dominio diversus ita, ut dominium sit apud unum, usus verò sit apud alium?

17 Ast communissima hodie sententia illa est, quæ partem affirmativam tuetur, & dicit quòd in his rebus unico actu, vel usu consumptibilibus, *utipanis, potus, &c.* usus de facto realiter à dominio distinguitur, quòdque unum ab altero est separabile, posseque apud unum earum esse dominium, usumque esse apud alium, id quod optimè ex aliis probat *Palaus tom. 7. Tract 31. Disp. unica, P. 5. toto n. 6. Lugo tom. 1. de Just. Disp. 2. Sect. 2. & 3. latè Belarmin. de Sum. Pontif. cap. 3. & seq. Salmant. sup. P. 3. legendi à num. 22. ad 26.* patetque primò: nam ille, qui ad convivium est invitatus, utendi proposito cibo, & potu jus, facultatemque habet, invitatione suppositâ, nullum tamen dominium, proprietatem vel rei habet, sed omnia in invitantis dominio usque ad actualem assumptionem manent. ¶ Secundò filiifamilias paternis bonis, & mancipia dominorum bonis utuntur, in quibus tamen nullum dominium, nullamque proprietatem habent. ¶ Tertiò quilibet Religiosus in particulari

lari rebus ad victum, vestitumque pertinentibus utuntur, in quibus tamen ipse nullum jus, nullum dominium, nullamque proprietatem habet. Et si de religiosissimis Fratribus Minoribus faciamus verbum, ii nullum omnino jus, dominium, & proprietatem recognoscunt in aliquibus terrarum rebus, non solùm in particulari, sed etiam in communi, sive res sint *usu* non consumptibiles, harum nanque dominium, ac proprietatem apud Sanctam Sedem dicitur adesse, sive sint usu consumptibiles, etiam unico usu, vel actu, ut potus, cibus, pecunia; harum enim dominium, & proprietas, juxta varios modos dicendi, aut apud Sanctam Sedem, aut apud dantes eas adesse dicuntur. Imò & prædictarum rerum usu, etiam unico, consumptibilium, simplicem *facti* usum cum dependentia omnimoda aut Sanctæ Sedis, aut eas dantium habere dicuntur. Legantur citati, & Expositores alii in Regula religiosissimorum Fratrum Minorum cap. 4.

18 *Emphyteusis* communiter definitur, sive describitur, dicendo quòd *est concessio rei immobilis cum translatione dominii utilis, retento domino directo sub onere certæ pensionis proprietario solvendæ, idque vel in perpetuum, vel ad certum tempus, vel ad vitam unius, aut plurium*, id quod non sit minus decennio ¶ Emphyteusis cum usufructu in eo convenit, quòd ex re aliena concedit fructum, & commodum, ab eo tamen differt in eo, quòd ususfructus in rebus mobilibus reperiri etiam potest, id quod non in Emphyteusi, cùm hic duntaxat in immobilibus detur, & reperiatur; differt in eo etiam, quod ususfructus ususfructuarii morte finitur, non autem Emphyteusis, & denique quia jus usufructûs simpliciter in alium transferri non valet, bene vero Emphyteusis, dummodo dominus directus sit prius admonitus, ut ipse præferatur cæteris; si emere velit; posse autem Emphyteusim per decennium etiam, directo domino inscio, nonque requisito, locari constat ex §. *Finitur Instit. de usufructu*, communiterque docetur. ¶ Si autem circa Emphyteusim plura alia scire velis, lege Amostasum de Causis piis, tom. 1. lib. 2. cap. 8. & meliùs in Indice, verb. *Emphyteusis*.

19 *Feudum*, de hoc dicitur quòd *est concessio rei immobilis* (nimirum agri, vel pagi, & hujusmodi) *cum translatione dominii utilis, retenta proprietate sub onere fidelitatis, & obsequii personalis præstandi*. Et licèt Emphyteusis, & Feudum sæpe numero pro eodem sumantur, differunt tamen, nam Emphyteuta in recognitionem dominii directi pensionem realem præstare tenetur, feudatarius autem personale tantùm obsequium, cujus loco quandoque realis pensio imponi solet, & tunc parum unum differt ab altero; ratione autem utriusque, nempe, Emphyteusis, & feudi, vassalli, feudatarii, & Emphyteutæ dicuntur, quales omnes, qui supremo Principi extant subjecti, uti inferiores Principes, Duces, Marchiones, &c. Et notatur quòd vassallus sine domini directi voluntate nullatenus feudum donare, alienare, impignorare, nec alteri in feudum concedere valet. De Feudo alia habes apud cit. Amostatum, ubi sup. Indice verb. *Feudum*.

20 *Superficies*, de hac dicitur quòd *est contractus, quo superficies alieni fundi, vel soli alicui ad ædificandam domum, vineam, vel hortum, &c. plantandum conceditur*, (ex quo ille, cui tale quid conceditur, *superficiarius* appellatur) talisque contractus finitur statim, ac fundata domus, vel plantata vinea, hortus, &c. destruitur ita, ut sine novo contractu in tali fundo, vel solo iterum ædificari non possit altera nova domus, vinea, vel hortus, &c. plantari, quia non conceditur fundus, vel solum, sed tantùm superficies fundi, vel soli ad talem scilicet domum, vineam, &c. talem; quibus destructis finitur contractus, temporeque contractûs finito, ad dominum fundi, vel soli pertinet vinea, vel domus, quin superficiarius illis uti valeat, estò dominus æstimationem omnium earum rerum, quæ melioramenta in aliena re facta sunt, ei re vera solvere teneatur; superficiarius tamen, dicto contractu durante, sive contractûs tempore non dum finito, optimè alteri locare domum, vineam, vel hortum, si domino fundi pensionem solvere non teneatur; secus autem, si eam solvere teneatur, quia tunc re vera sunt Emphyteusis

21 *Habitatio*; de ea dicitur quòd est jus habitandi domum, vel locum per se, vel per alium: solùm enim usus specialis rei super nudum usum domûs, vel loci per conductionem, & locationem concessus, facultatemque solùm addens etiam talem locum, vel domum alteri locandi, locationesque percipiendi pretium, uti in *L. Cùm antiquitas, Cod. de usufructu* habetur

SUBLECTIO

De Servitute, & Possessione.

22 *Servitus* dupliciter sumitur, *activè* nempe, & *passivè*; sumpta activè jus dicit, quod quis in aliena re, persona vel habet, ut modo aliquo, suisque usibus sibi inserviat; *passivè* autem sumpta obligationem illam importat, qua aliqua res, vel persona usui nostro manet obstricta; vel aliter *servitus* ipsa *subjectio*, & obligatio rei est ad hoc, ut alteri serviat, qui ex ea fructum percipere, vel ea

aliquo

aliquo modo uti, vel circa eam impedire aliquid possit; desumitur & etiam pro jure dictæ obligationi correlpondente, hicque est jus utendi, vel fruendi re aliena, aut aliquid circa eam impediendi; distinguitur autem ab usu, & ab usufructu, quia, licèt omnis usus, & ususfructus sit servitus, non tamen è contrà, nam jus, & obligatio, nè quis putà ædificet altiùs, servitus est, non tamen est usus, nec ususfructus.

23 Servitus *in mere personalem*, & *in mere realem* dividitur, quarum prima est jus personæ in personam, vel obligatio, qua persona una adstricta est ad suis usibus inserviendum personæ alteri, quale jus in persona sui mancipii dominus habet, & etiam quando quis sui servi usum concedit alteri. ¶ Secunda autem jus est rei in rem alienam, vel obligatio est, qua aliena res rei nostræ manet obligata, quale est jus, & obligatio agrorum, domorum, &c. potest & esse *mixta*, quæ quidem est jus personæ in rem alienam, sive quæ à re immediatè debetur personæ. ¶ Servitus & realis alia est *rusticana*, & hæc illa est, quæ rusticano prædio debetur, sive quæ rusticis prædiis inhæret, uti sunt agri, prata, stabula pecorum, sejuncta à domibus. ¶ Et alia *urbana*, & hæc illa dicitur, quæ prædio urbano debetur, vel quæ prædiis urbanis inhæret, scilicet domibus, ædificiis habitandi gratiâ constructis, ac annexis hortis, & arcis. ¶ Jus ergo, quod habes, nè vicinus tuus domum suam altiùs attollere possit, nè tibi impediat lucem, vel ut ædium meatum stillicidium in tuum tectum, hortum, vel arcam tuam recipiatur, ut tegnum in parietem tuum immittatur, ut ex domo mea per domum tuam transitus pateat, vel nè in domum, vel murum tuum versùs meum prospectum, fenestram, aut januam aperias, urbana est servitus. ¶ Sed notandum quòd, dicta servitute sublata, pacto, præscriptione, vel constitutione secluta, quilibet in suo fundo usque ad Cælum ædificare valet, in ædeque sua undequaque aperiri fenestras, nisi Lex aliqua obstet, vel ex malitia in despectum, seu detrimentum alterius fieret, juxta *L. Altius*, *C. de servitute*. ¶ Rusticana servitus est quælibet alia, uti jus, quod habes, ut per alterius agrum ad tuum ire, venireque possis, aquam, currus, jumenta, &c. ducere, in prato tuo arenam, vel lapides fodere, & extrahere, calcem ibi coquere, & hujusmodi. Si plura alia de servitute velis, lege *Layman lib.* 3. *Tract.* 1. *cap.* 9. *Less. lib.* 2. *cap.* 6 *Molinam tom.* 1. *Tract.* 2. *Disp.* 66.

24 *Possessio* (cujus nomen à pedum positione venire communiter dicitur) potest sumi vel pro actu, & prout sic vocatur possessio *facti*, vel pro jure, & ut sic *juris* possessio appellatur, quarum prima dicitur quòd *est detentio rei corporis*, *& animi*, *juriſque adminiculo interveniente*, id est, non prohibente Jure, uti prohibet, locum sacrum possideri a laico, in eaque dicitur *detentio rei*: nam, licèt sine reali rei possessione ejus dominium acquiri valeat, frequenter tamen non acquiritur, nisi per eam, & ad rei possessionem ipsius rei necessaria est detentio aliqua: dicitur: Et *adminiculo corporis*, *& animi*, quia utrumque hoc necessario requiritur, ut vera possessio rei acquiratur; unde de depositario dicitur quòd rem non possidet, estò corpore eam apprehendat, quia non animo faciendi suam accipit eam, & qui feras, pisces, &c. capiendi animum habet, eas possidere non dicitur, quia, & si dictus animus adsit, deficit tamen corporalis earum apprehensio, sive detentio; quapropter ad veram rei possessionem exigitur quod rei corporis, simul & animi detentio adsit; denique dicitur *juris adminiculo* ad denotandum ad id satis esse quòd Jus positivè non resistat, estò positivè non faveat.

25 Juris autem possessio dicitur, quod est *jus utendi re*, seu *ei insistendi*, *tanquam sua*, *non prohibitæ possideri*. Et dicitur *juris*, ut à possessione *facti*, vel *actuali* distinguatur: dicitur *rei*, ut comprehendat res generaliter omnes, non quidem solùm corporales, sed etiam incorporales, uti census, Beneficium, servitutes, &c. quæ quasi possideri dicuntur. Dicitur *tanquam sua*: nam rei, quæ habetur alterius nomine, vera non datur possessio, demumque dicitur *non prohibita possideri*, per quod etiam *juris* possessio à *facti* possessione distinguitur, hæc enim à fure, possessoreque malæ fidei haberi potest, sæpissimèque habetur, sed ei juste non proficit, possessio namque, quæ prodest, est possessio Juris, sive ea, quæ non prohibetur à Jure; nam id possumus, consequenterque possidere possumus, quod jure possumus, consequenterque jure possidemus.

26 Possessio alia est *civilis*, & hæc illa est, qua secundùm Juris Civilis æstimationem rem semel à me naturaliter possessam, etiam absens possidere censeor, si nemo alius à possessione me dejiciat, in meque possidendi eam animus adsit. Alia est *naturalis*, & hæc illa est, quæ, nullo Juris favore expectato, naturali modo à me possidetur, sive qua ego præsens rem ut meam detineo, uti si in domo mea, habito, horto, vel fundo meo, vel prope eum existo. ¶ Civilisque possessio à naturali est separabilis, uti quando invasor violenter rem meam occupat, tunc enim invasor rem meam naturaliter possidet, ego verò civiliter.

27 Tripliciter possessio acquiritur. Primò *apprehensione vera*. ¶ Secundò *apprehensione ficta*. ¶ Et tertiò *civilissima*, quarum *vera* tunc datur, quando

quando rem manibus apprehendo, vel pedibus in ea insisto, domum intrando, fundum calcando, &c. quæ quidem semper requiritur, quando quis rem aliquam possidere incipit, quæ antea nullius hominis erat, qui illam tradere posset, uti est thesaurorum, piscium, gemarum, & ferarum possessio. ¶ *Ficta* autem possessio tunc datur, quando dominus rei talem efficit actum, quo juris æstimatione censetur alteri rei, fundi, vel domûs possessionem tradere, uti domûs claves tradendo, vel scripturam, aut Instrumentum, in quo ad rem talem jus continetur, aut antiquo domino consentiente, rei domino proprio custodiam ponendo ¶ *Civilissima* autem tunc dari dicitur, quando sola adest dispensatio Legis absque corporis, & animi adminiculo ullo, imo omnino nesciente eo, qui in possessionem introducitur. ¶ Possessio iterum alia est bonæ, alia malæ fidei.

28 Regulariter dominium non acquiritur, nisi rei apprehensio adsit *realis*, vel *ficta*; (licèt bene possit dari dominium rei, possessione deperdita) ex quo fit quod, si res, putà equus, mihi vendatur, venditorique pretium solvam, adhuc dominium talis rei, sive equi non acquiro, neque illius ullo modo sum dominus, neque jus in re tali habeo; atque adeo, si ipsamet res, vel equus vendatur alteri, illius pretio soluto, reque tradita, ejus dominium apud illum erit, ipseque mihi in utroque foro semper debet præferri. ¶ Dictum est: *Si ipsamet res vendatur alteri, illius pretio soluto*: nam, si ita non fiat, sed gratis alteri fuerit tradita; & etiam in casu, quo emptor mala fide, sciens rem mihi jam venditam esse, procederet, in quo, vel quibus casibus dicitur quòd prior ille emptor rem talem revendicare possit. ¶ Dictum est etiam: *Regulariter dominium, &c.* nam ex indulgentia, dispositione vel Juris aliqui dantur casus, in quibus sine rei apprehensione *realis*, vel *ficta* dominium rerum adquiritur, inter quos casus ille est, in quo aliquid venditur, vel donatur Ecclesiis, Hospitalibus, Monasteriis, vel ad redimendos captivos, sive ad aliqua alia opera pia; tunc enim statim, ac contractus est initus, atque perfectus, statim ad Ecclesias, &c. transfertur dominium ante ipsius rei traditionem, ita taliter, quòd, si postea eadem res alteri vendatur, &c. eique de facto tradatur, nihil fiet, sed omne factum sit nullum, & irritum. ¶ Idem dicitur in Beneficiis, in quibus dicitur jus in re, dominiumque acquiri per solam collationem, & acceptationem ipsius Beneficii. ¶ Idem dicitur in hæreditate, etiam ab intestato, in qua dicitur quòd, ut jus in re, dominiumque acquiratur, sat est hæreditatis aditio. ¶ Idem de legato, cujus dominium acquiri dicitur statim ac hæres hæreditatem acceptat.

29 Possessio effectus diversos, quasique privilegia habet. Primum, quòd bonæ fidei possessor rem præscribere queat. ¶ Secundum, quòd, stante dubio circa rei dominium, vel quis ejus sit dominus, melior sit possidentis conditio, in parique casu sententia ferri debet pro illo, cùm specialem titulum habeat, scilicet possessionem. ¶ Tertium, quòd, lite mota, non tenetur probare rem esse suam, quia ipsa rei possessio secum affert præsumptionem dominii, sicque alteri, qui talem rem repetere tentat, probandi onus incumbit rem talem possessoris non esse. ¶ Quartum, quòd bonæ fidei possessor sive *naturaliter*, sive *civiliter* armis rem à se possessam tueri potest, moderamine inculpatæ tutelæ utendo; *naturaliter* quidem, uti si alius à domo, in qua habitas, te ejicere tentet, galerum à capite, pallium vel ex humeris tollere; *civiliter* autem, uti si ad domum, quam possides, rediens, eam ab invasore injusto occupatam reperias, tunc etiam cum armis ab ea expellere poteris, cùm hoc non sit invadere alium, sed solùm domum, rem vel tuam tueri, in cujus possessione existis.

30 Dictum est *quam possides*, & *in cujus possessione existis*, secus nanque dicendum circa res illas, quas actu non possidemus, estò ex Jure verum, legitimumque jus habeamus ad illas, & hoc ob Propositionem duplicem ab Innocent. XI. damnatam, quarum prima (& in ordine 32) sic se habebat: *Non solùm licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* ¶ Secunda (& in ordine 33.) ita canebat: *Licitum est tam hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra earum possessionem injustè impedientem.*

31 Rerum possessio multis modis deperditur, deperdi vel potest, si scilicet nanque sit de mobilibus rebus, hæ deperduntur primo voluntate sola ejus possessoris, exteriori aliquo signo manifestata, uti rem alteri donando. (Id quod à pupillis, & furiosis fieri nequit, nisi Tutoris, & Curatoris consensus adsit. ¶ Secundo per furtum, vel rapinam ab altero factam. ¶ Tertio per fugam animalium, si ex illis sint, quæ de facili ad domini servitutem redire non solent. (Per fugam autem mancipii non amittitur ejus possessio.) ¶ Quarto per rei amissionem. ¶ Si verò immobilium rerum sit scilicet, horum, vel rerum harum possessio deperditur primò, si possessor tempore longo sit absens, & aliunde rei non instituat per alium, protestationem nec faciat se possessionem amittere

tere nolle. ¶ Secundò, si ab aliquo alio rem occupari videat, talique occupationi non se opponat. ¶ Tertiò, si dum absens erat, res sua occupata fuerit ab alio, ipseque postea rediens eam ab eo occupatam reperiet, nonque ad iterum eam recuperandam insistat, & si insistit, ab occupante repellitur, nonque resistere audeat; quo casu dicitur quòd sola naturalis, neutiquam autem civilis possessio amittitur. ¶ Quarto, si res ita ab altero sit occupata, ut recuperatio ejus non sit probabilis. ¶ Quintò per longam oblivionem, vel si nesciat rem esse suam, aut inter bona sua non computet eam. Tu circa hæc omnia, quæ hîc de Possessione sunt dicta, lege *Salmant. sup. toto P. 4. Less. lib. 2. cap. 3. Dub. 11. num. 47. & Dub. 14. ac Dub. 3. num. 27. Dicastill. lib. 2. Tract. 1. num. 56. & 64. ac 120. & an. 77: ac Palaum cit. P. 5.*

LECTIO III.

Quinam sint dominii capaces, quod est agere de subjecto dominii.

32 NOn est hic sermo de dominio Dei; Deum nanque ex jure creationis omnium rerum supremum, absolutissimum, & universalissimum, omninoque independens, ac incommunicabile rerum omnium creaturarum dominium habere, ratione cujus de omnibus rebus disponere valet, mutando, transferendo, occidendo, annihilando, &c. absque dependentia ulla, & absque alicujus injuria (secluso pacto, promissione vel sua) res est indubia, & ut de Fide tenenda.

33 Neque hîc est de Angelis sermo; Angeli enim solum habent dominium propriè dictum respectu liberorum actuum suorum, minimè verò respectu rerum inferiorum, & corporearum, respectu nanque rerum istarum solùm gubernativam potestatem delegatam à Deo habent, consequenterque de rebus his, tanquam suis, & in suum proprium commodum, id quod dominii est proprium, nullatenus disponere possunt, sed solùm de Dei mandato, quod si quandoque in sacra Pagina domini, & Principes Regnorum vocantur, id intelligitur, & intelligi debet de juris dictione latè, non propriè sumpta. Legatur *Lessius de Just. lib. 2. cap. 4. Dub. 1.* ¶ Si autem scire velis an Magi, & Sagæ dominium illarum rerum, putà pecuniæ, auri, acquirant, quæ acceptarunt à dæmone? Lege *Lugon. de Just. Disp. 3. Sect. 1. num. 9.* & apud eum reperies nullatenus talium rerum dominium acquiri, neque eas legitimè possideri, si ipsæ in alterius dominio, & potestate erant, bene tamen si res erant vacantes, planè vel derelictæ, uti ex, quæ sunt in fundo maris, aurum vel, alia ut pretiosa, quæ in terræ visceribus extant. Esto tamen Magi, & Sagæ harum rerum dominium, possessionemque legitimam acquirant, gravissimè tamen in acceptando peccant ob cum dæmone damnatum commercium.

34 Neque pariter sermo est de animalibus brutis, hæc enim nullum dominium habent, nec habere possunt, sed cujuslibet domini omnino sunt incapaces, & est ratio: nam, ut dictum manet, dominium est jus, vel facultas legitima disponendi de re sua pro arbitrio, quod jus, quæ vel facultas, aut potestas necessariò præsupponit libertatem, sed hæc animantia bruta non habent: ergo nullum alicujus rei, etiam vitæ suæ propriæ, dominium habent, nec habere possunt, consequenterque quilibet homo ea à pastu etiam sine aliqua justa causa prohibere potest, ea mutilare, & occidere, quin illis ullam injuriam irroget; quare non peccat ille, qui animal proprium suum occidit, vel mutilat, bene tamen si occiderit, vel mutilaverit alienum animal ob injuriam ipsius domino factam, & propter damnum inde secutum, quod restituere tenebitur; peccabit & insuper venialiter, ut alibi vidimus, si alicui animali malum fecerit absque ullo aliquo fine, nam sine aliquo fine operari operari est imprudenter, & brutaliter, in quo non potest non esse saltem veniale peccatum, in via nanque *Div. Thom.* actio indifferens in individuo non datur.

35 De hominibus ergo hîc duntaxat est sermo, & homines multarum rerum inferiorum (sicut & etiam suorum actuum, si rationis usu polleant) verum, proprium, & rigorosum dominium habere, & habere posse, nempe agrorum, montium, metallorum, plantarum, bestiarum, &c. apertè constat ex illo Lib. Genes. cap. 1. num 28. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam; & dominamini piscibus maris, & volatilibus Cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram;* & alibi. Ac

36 Data resolutio, vel veritas verum tenet etiam respectu infantium, & amentium; hi enim omnes proprium, primarium, sive radicale dominium habent, vel habere possunt, illudque retinere respectu rerum ad se pertinentium, id quod constat ex illa Ep. ad Galat. c. 4. *Quamdiu tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium*, ratioque suadet nam dominium, potentiam, sive actum primum, & radicalem denominat, importat, & dicit, non verò actum secundum, sive operationem in exercitio; aliàs homo, dum dormit, vel inebriatus est, nihilque operatur, dominium non habere, nonque pro tunc suarum re-

rum esset, diceretur dominus, id quod est omnino falsum: infantes ergo, & amentes suarum rerum verum dominium habent, & retinent, quantum ad actum primum, & radicalem, etsi pro tunc, eo quòd liberum arbitrium impeditum extat, dominii actus in actu secundo praxi mandare non valeant. ¶ Imo cuilibet infanti, etiam non dum nato, & in utero matris jacenti, nonque acceptanti, neque per semetipsum acceptare potenti, aliquid à Principe, vel quolibet alio donari, legari vel potest: nam tunc, casus, pro eo, ejusque nomine ex vi Legum acceptat Respublica, de quo alibi, & de quo legi poterit *Lugo cit. Sect. 1.*

37 Hic erat agendum de rebus, vel bonis illis, quorum servi emptitii habere possunt, vel non dominium, sed de hoc sufficienter egimus *Tract. 16 cap 2. Lect 3. in Sublect. 4. n.* 92. & 93. ubi legendum, & de quo videri poterunt *Sanch. lib. 7. de Matrim. Disp. 22 Molina Disp.* 38. *Lugo sup. Disp. 3. Sect. 3. & Tamb. lib. 8. Tract. 1 cap. 2. §. 1.*

38 Agendum & erat de bonis illis, in quibus uxores dominium habent, vel non; ac etiam explicandum quænam sint, dicanturque bona parafernalia. Sed de hoc etiam sufficienter, & quantum ad rem nostram sat est, dedimus nuper *cit. in locum num.* 94. & 95. ubi videndum, legique potest *L final. Cod. de pactis conventis tam super dote ea, L. Cùm maritum, Cod. de solutionibus, & liberationibus*, & ibi scribentes.

39 Agendum pariter erat de bonis filiorum familias, quorum scilicet ipsi verum, proprium, & absolutum dominium habent, & habere possunt; quænam & sint *bona castrensia, quasi castrensia, adventitia, & profecticia.* Ait de eis etiam omnibus satis tractavimus *cit. in locum.* 96. *ad num.* 100. legique poterunt *Salmant sup. P.* 10. *per totum.*

40 Ex dictis clarè cognoscitur omnes, & solas Substantias intelligentes, ac libero arbitrio, sive libertate pollentes, consequenterque omnes, & singulos homines, quantumcunque peccatores sint, Gentiles, & infideles, esse dominii veri, proprii, absoluti, & simpliciter omnino capaces: nam ad capacitatem dominii satis est, & requiritur liberum arbitrium, sive libertatem habere, dominium nanque, ut dictum manet, ex natura sua dicit, & importat facultatem legitimam utendi pro arbitrio de re sua propria; constat autem quòd omnes homines, &c. quicunque sint illi, capaces sunt habendi terrenas res proprias, atque illis pro arbitrio suo uti: omnes ergo, eorumque singuli dominii sunt capaces.

41 Dictum est *quantumcunque peccatores sint, Gentiles, & infideles*; id quod omnino verum, nam homo per peccatum, sicut neque per infidelitatem, aut Gentilissimum jus illud non amittit, quod ad propriam vitam, famamque habet; sed eadem ratio re vera militat respectu aliarum terrenarum rerum, quas possidet, quarumque dominium habet, sua vel diligentiâ, ac labore obtinuit: ergo, &c. Et contrarium dicere, sive asserere est sequi velle errorem, vel hæresim Joan. *Wicleff*, & Joan. *Hus*, quorum contraria dictamina in Concil. Constant. anno 1418. Sess. 45. damnata fuerunt, Wicleff. nanque Propos. (quæ ejus est in ordine 15.) ita dicebat: *Nullus est dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.* Et eandemmet in terminis protulit *Hus*, ejus in ordine est Propos. 30. consequenterque dicebant quòd nullus *Rex*, &c. in mortali existens verus est Rex, verum in Regno dominium habet, neque in tributis, &c. quæ ei à vassallis solvuntur. Et hujus furfuris, putridæ, fœtidæque farinæ Propositiones Wicleff habet alias, inter quas sunt sequentes.

Ditare Clerum est contra regulam Christi, & hæc est ejus 32. ¶ *Sylvester Papa, & Constantinus Imperator erraverunt Ecclesiam dotando.* Et hæc est ejus 33 ¶ *Omnes de Ordine Mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleemosynas sunt excommunicati*, & hæc est ejus 34. ¶ *Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo quòd possessiones habent, & consentientes eis, omnes videlicet dòmini seculares, & cæteri laici.* Et hæc est ejus 36. ¶ *Imperator, & domini seculares sunt seducti à Diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.* Et hæc est ejus 39. ¶ *Augustinus, Benedictus, & Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc, quòd habuerunt possessiones, & instituerunt, & intraverunt Religiones, & sic à Papa usque ad ultimum Religiosum omnes sunt hæretici.* Et hæc est ejus 44. ¶ *Dòmini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solùm actu delinquentibus.* Spurcamina hæc, inter quæ plurima alia ex pestiferis visceribus averruncavit porcus ille teterrimus, ac ex ore suo fœtido ad foras evomuit.

LECTIO IV. remissivè.

De bonis illis, quorum dominium Ecclesiastici habent, vel non, habere vel non possunt.

42 DE hac insuper re hic erat agendum, & sciendum an Episcopi, Parochi, Beneficiati, & cæteri Præbendati verum, proprium, absolutum, & simpliciter tale dominium habeant, vel non de rebus, vel bonis illis, quæ ex Beneficiorum redditibus (de bo-

nis

nis aliis ab istis distinctis eos verum, ac absolutum dominium habere, ut certum supponitur, ac in dubium non vertitur) sufficienti, decentique sua congruâ dempta, superfunt Sed de hoc diffuso calamo egimus in Schola nostra Morali, ex illisque aliquid vidimus in hoc Breviar. Tract. 16. cap 2. Lect. 3. in Sublect. 5. num. 104. & 105. & Tract. 9. cap. 5. Lect. 4. & ex ibidem dictis deduci poterit quid in præsenti re sit dicendum. Sed

43 Pro re legatur Concil. Trident. Sess. 25. de Reformat. cap. 1. ubi sic legitur: *Sancta Synodus omnino interdicit Episcopis, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos augere studeant; cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent.* Hæc ibi, & paulò pòst: *Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscunque Beneficia Ecclesiastica, tam secularia, quàm Regularia obtinentibus, pro gradûs sui constitutione observari; sed & ad Sancta Romana Ecclesia Cardinales pertinere decernit.* Hæc omnia ibi, quæ bene videntur, beneque sciuntur, sed nescimus an bene, vel malè praxi mandentur; Deus scit, qui solus omnia omnium intuetur corda, intentionem & operum.

Legatur & etiam Div. Bernard. Epist. 2. ad Canonic. Lugdunensem, ubi inter alia sequentia profert: *Quidquid præter necessarium victum, & vestitum, detinetur retinas, tuum non est, rapina est, sacrilegium est*, ex quo sic: Si tuum non est, si rapina est, si sacrilegium, furtum est, injustitia est, mortale est, & restituendi obligatio est, nonque proinde talium bonorum, quæ ex congrua decenti supersunt, apud Episcopos, &c. aliquod dominium adest, aliàs furtum non esset, rapina non esset, &c. legantur loca cit. ubi sup. à nobis adducta. De Dominio Religiosorum respectu temporalium rerum, sive utrùm Religiosi alicujus dominii erga res temporales, pretioque dignas, sint capaces, aptius erit infra sermo cap. 4.

LECTIO V.

De objecto Dominii, sive, quodidem, quenam res sub dominium hominum cadere possint.

44 DE Dominii objecto loquendo, sive quarum rerum homo dominium habeat, aut habere possit, dicitur primò quòd homo non est dominus vitæ suæ, sicut neque membrorum suorum, sed solùm merus custos, & usuarius, arctissimum scilicet jus, obligationemque strictissimam habens vitam, membraque sua custodiendi, facultatemque habens illis utendi ad finem bonum, cùmque non sit dominus, non licet ei sine magna, urgentique causa membrum aliquod suum abscindere, vel amputare. Sic communis, & constat ex à nobis dictis 3. *P. Tract.* 19. *cap.* 1. *L.* 4. ubi legendû. ¶ Et cùm vitæ, membrorumque suorum sit procurator, & custos, contra injustos invasores eorum se opponere licitè, jureque potest, etiam cum occisione invasoris, si aliter se tueri non potest, ut etiam communis docet, & vidimus *cit. in loco L.* 5. Legatur *Div. Thom.* 22. *Q.* 64. *Art.* 1.

45 Neque obest primò quòd Libro Ecclesiast. cap. 15. nn. 14. 15. 16. 17 & 18. dicatur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui. Appositi tibi aquam, & ignem... Ante hominem vita, & mors, &c.* Non quidem etiam obstat dicere quòd homo cum mortis periculo assistere potest pestiferis, quodque hostibus primo loco in acie belli occurrere potest, &c. in quo & membrorum abscissio, & etiam mortis periculum adest. Similiter neque ex eo, quòd Princeps, sive Magistratus, aut Respublica malefactores occidat, occidi vel jubeat, aut mutilare, sequitur quòd membra, & vita hominis sint in hominis manu.

46 Non, inquam, horum aliquid obstat. Non quidem primum, ad illud nanque dicitur quod ly *reliquit*, & ly *posuit*, &c. non intelligitur, neque intelligi potest, nec debet de morte naturali, & naturali vita, sed de vita, ac morte accidentali, sive spirituali gloriæ, vel pœnæ, sicut illud Adamo à Dòmino dictum Lib. Genes. cap. 2. num. 17. scilicet: *In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*, ubi non sermo de vita, & morte naturali, sed solùm accidentali, & spirituali. Et ratione probatur urgenter: nam dominium facultas est hominis ad per liberum arbitrium re tanquam sua utendum. Supponit ergo subjectum libero arbitrio jam præditum, consequenterque cum vita, Anima, corpore, & membris, atque adeò rem, quæ sub ejus dominium cadit, necessariò ab eo esse distinctam, utpote ei subjectam, & ut ea uti possit. Constat autem quòd homo libero arbitrio constans, à vita, & membris suis nullo modo distinguitur, ut de se patet: implicat ergo quòd homo vitæ, & membrorum suorum sit dominus; eorum ergo merus erit usuarius, custos, & administrator, solusque dominus eorum verus, absolutus, ac universalis dominus. ¶ Accedit quòd, si homo vitæ, suorumque membrorum dominus esset, posset se occidere, se mutilare, seque castrare ob incontinentiæ periculum maximè; sed hoc est falsum, ut communis docet, vidimusque cit. in loco: ergo, &c.

47 Neque obstat illud secundum, dicitur nanque optimè, imò & valdè meritoriè, posse hominem se periculo mortis exponere, &c. ob

quemcunque virtutis actum, qualis ille assistendi petitoris, &c. sed hoc non est se directè occidere, sed tolùm indirectè, per accidens, & permissivè, & hoc justa de causa. Dominium autem facultatem includit utendi quacunque re pro domini rei arbitratu, etiam rei substantiam, si sibi placuerit, destruendo directè, id quod homo de vita, membrisque suis nullatenus directè facere potest. Legantur Scotus in 4. Dist. 14. Q. 3. §. *De secundo*, Lessius lib. 2. de Just. & Jure, cap. 9 à num. 27. insuper & ea, quæ dedimus cit. L. 4.

48 Neque pariter obstat illud de Principe, & Magistratu, sive Republica, respondetur namque quod illud à Principe, &c. fit, non quia ipse hominis vitæ, & membrorum sit dominus; sed ut Minister Dei, & ob justissimam causam, nempe ob publicum Reipublicæ bonum, tranquillitatem, & pacem inter Cives servandam; id quod constat ex variis sacræ Paginæ locis. Pro quo vide ea, quæ de hoc dedimus *cit. Tract. 19. cap. 1. L. 2.*

49 Secundo dicitur hominem propriæ famæ suæ, & honoris verum esse dominum, id quod & si verum, nunquam tamen eam, vel illum sine aliqua justa, rationabilique causa licitè prodigere, aut negligere potest. Est expressum in Div. Thom. 22 Q. 93. Art. 4 ibi ad 1. dicente: *Sui arbitrii est detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum*; ratioque suadet: quia homo industriâ sua famam, honoremque suum acquirit, & si honor, vel fama est ab alio læsa, restitutionem condonare utique valet; & doctrina hæc ita est sana, & vera, ut quàm plures Sanctissimi Ecclesiæ Patres positivè proprium honorem, & famam spreverunt, ut sic per humilitatis virtutem (oh utinam in nobis humilitas tanta inhæreret, nullaque in nobis regnaret superbia, uti de facto regnat) tutiùs vitam consequerentur æternam, inter quos Sanctissimus Parens Augustinus in lib Confess. multique alii. Unde data resolutio est communis. Legatur *Mastrius Disp. 3. Theolog. Moral. num.* 34. legantur etiam *Salmant. Tract. 12. cap. 2 P. 5. num. 43. ad 45.* legantur similiter ea, quæ de hoc dedimus *in 3. P. Tract. 23. cap. 2. L. 1. in Sublect. 1.*

50 Dicitur tertiò hominem verum esse dominum suorum omnium actuum, liberorum, elicitorum, vel imperatorum, omnium & etiam habituum, & bonorum internorum, naturalium etiam, spiritualium, vel supernaturalium, nempe gratiæ, virtutum, &c. sicut & etiam omnium exteriorum bonorum, quæ spiritualibus extant annexa, uti sunt Beneficia, officia, ac dignitates Ecclesiasticæ, illisque in communes usus sibi à Lege permissos uti bene posse, illis cedendo, renuntiando, & resignando, servatis servandis. Ita tenent, & probant *Salmant ubi. supra num.* 46. *&* 47. & de quo legendus etiam *Tanner. Disp. 4. Q. 1. Dub.* 4. communisque docet.

51 Quartò dicitur quod, licèt quilibet homo à natura sit liber, suæque libertatis verus, & absolutus sit dominus, uti constat ex *L. Libertas, ff. de statu hominum*, & etiam quia ipsamet natura omnes homines fecit æquales, utpote ab eodemmet parente progenitos, ad eundemque finem ordinatos; nullusque proinde homo, Jure naturæ inspecto, dominium aliquod habeat, vel habere possit in alterum hominem, sive nemo ex natura sit servus, cùm in statu naturæ integræ nulla fuisset servitus; hoc tamen non tollit quòd unus homo in alterum hominem (quo ad ejus personalem servitutem, & non quo ad alia) dominium habeat, vel habere possit, quòdque ejus sit dominus, quanvis imperfectè, id est, tolùm quo ad dominium utile in ejus opera, ac lucra per modum usus fructûs, constat enim hoc ex illo Ep 1. ad Timoth. cap. 6. *Quicunque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* Constat ex Lib. Genes. cap. 20. Exod. cap. 21. & ex aliis sacræ Pag. locis, doctrinaque est Div Thom. 22. Q. 10. Art. 10. Div. August. lib. 9. de Civit. Dei, cap. 15. Div. Gregor. lib. 21. Moral. cap. 11. docetque Lugo de Just. Disp. 6. Sect. 2. à num. 13, tom. 1. Layman lib. 3. Tract. 1. cap. 1. num. 11. Salmant. sup. n. 41. & est communis.

52 Tituli, sive modi, quibus homo unus servitutis dominium in alterum hominem acquirere potest, dinumerantur quatuor, quorum primus est *captivitatis jure belli*, id quod Jure Gentium fuit introductum, cùm enim *jure belli* victos victores occidere possent, introductum fuit ut victores victos non occiderent, sed eos quo ad opera sua in servitutem redigerent, taleisque homines *Mancipia* dicuntur, quia manu capti; *servi* & etiam à servando dicuntur, quia, cùm victores eos potuissent occidere, magis eos servare maluerunt; hoc tamen Jus Gentium apud Christianos per immemorabilem consuetudinem, quæ jam dicit præceptum, omnino est abrogatum ita, ut Christiani jam *servi* non maneant, sed ad summum in victoris præmium soluto redimuntur pretio.

Secundus est *justa condemnationis*, sicut namque quilibet homo ob gravissima à se facta delicta vitâ privari potest, de factoque ea multi privantur, ita etiam, vitâ ejus servata, libertate privari valet mancipium, servus vel fieri quo ad ejus opera, de quo legendus Lugo ubi proximè.

Tertius servitutis modus, vel titulus est emptio-

emptionis, & venditionis, id quod constat ex Lib. Exod. c. 21. num. 2. ibi: *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi; in septimo egredietur liber gratis ::: si quis vendiderit filiam suam, &c.* Et ratio suadet: nam, ut commune est, & ex dictis constat, quilibet homo libertatis suæ verum jus habet, membrisque suis utendi ad licitas operas, aliundeque facultatem liberam habet transferendi jus illud, quod habet, in alterum, dum in eo nulli alteri officit; hoc ergo jus alteri vendere potest, id est, libertatem suam, suasque operas licitas, & quo ad hoc ei servire in omnibus, ejusque servum esse.

Titulus quartus est *nativitatis*, id quod constat ex cit. cap 21. num 4. Lib Exod. ibi: *Sin autem dominus dederit illi uxorem, & peperit filios, & filias, mulier, & liberi ejus erunt domini sui.* Constat & ex Ep. ad Galat. cap 4. ubi de Agar serva dicitur in servitute Abrahæ non liberos, sed *servos* generasse filios. Itidem constat ex *L Partum, Cod. de revendicatione*, partus enim sequitur ventrem, sicut arboris fructus sequitur arborem, quæ si fructibus onusta venditur, ipsa cum fructibus remanet emptoris. ¶ Sed libertatis favore *juxta Justi. de Ingenuis, § Sufficit*, nota quòd, si tempore conceptionis, vel partûs, aut inter medio aliquo mater fuit libera, filius ejus nascitur liber. De quo jam nos alibi; id quod in Matrimonio pro legitimatione verum est etiam.

53 Dicitur quintò hominem quoddam naturale, & universale dominium habere omnium rerum inferiorum, sublunarium à se diversarum, (& licèt illud non habeat in cælestia corpora, effectibus tamen, & influentiis eorum bene uti liberè potest) non tamen earum omnium civile, & particulare dominium habet; quòd autem naturale, & universale illud dominium habeat, docet communis, apertèque constat ex cap. 1. num. 28. Lib. Genes. ibi: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus Cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*, & ex Psalmo 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* (id est inferiora) *oves, & boves, &c.* unde licitè potest quilibet homo feras capere, aves, pisces, & hujusmodi venatui, illis ad proprios usus, & servitium uti, quin aliquis id ei impedire justè, & licitè valeat.

54 Dictum est, & *licèt illud non habeat in cælestia corpora, &c.* dominium namque hominis puri, ultra sublunaria (ad Cælos scilicet, Solem, Lunam, & Astra) nullatenus extenditur, nisi tantùm quo ad utendum modo sibi possibili eorum effectibus, lumine, calore, frigiditate, cæterisque influentiis eorum, talibus namque influentiis, jus, & absolutum, liberamque facultatem utendi homo habet ita, ut suæ ejus injuria tali facultate à nemine impediri valeat, cùm talis cælestis influxus communis sit omnibus. ¶ Dictum est etiam: *Non tamen earum omnium civile, & particulare dominium habet*; id quod verum: nam, licèt in Mund. exordio omnia hominibus omnibus communia essent, unde perbellè dixit Div Aug. Tract. 6. in Joan. *Tolle jura Imperatorum, & quis audebit dicere: Hæc villa est mea, meus est iste servus, mea est hæc domus, &c?* Jure tamen Gentium, hominumque communi consensu facta est divisio rerum, jamque jam post primi parentis peccatum fratres Cain, & Abel propria sua quilibet peculia habebat, ex primogenitisque gregis sui Deo offerebat, id quod postea Civili Jure, &c. transivit ad cæteros, & de hoc jam sup. est habitum.

LECTIO VI.

De acquisitione dominii, sive de variis modis dominium acquirendi.

55 EArum corporearum rerum, quæ sub hominum proprietatis dominium cadere possunt, aliæ sunt *res vacantes*, & hæ illæ sunt, quæ nunc proprio dòmino carent, nunquam aut in alicujus devenerunt dominium, uti feræ in sylvis, aves, pisces, & hujusmodi. Item gemmæ, & lapilli in litore maris, insula in mari nata, &c. ¶ Aliæ sunt res *derelictæ*, & hæ illæ sunt, quæ olim dòminum habuerunt, nunc autem omnino dòmino carent; vel si illum habent, moraliter tamen quisnam ille sit sciri nullatenus valet, uti thesaurus in visceribus terræ reconditus, cujus dominus omnino ignoratur. ¶ Aliæ sunt pro derelictis habitæ, quæ & si verum, proprium, certumque dòminum habeant, ipse tamen ita circa illas se gerit, ac si ipsius non essent res tales, de illisque curam ullam non habet; illas negligit, &c. uti si dominus voluntariè, nonque constrictus ab aliquo res aliquas suas in flumen, vel mare projiceret, vel si res suas recuperare posset, de hoc non curat vel propter periculum, sive propter expensas, aut alia de causa, per quod censetur earum dominium à se abdicare. ¶ Aliæ res sunt, quæ *res incertæ* dicuntur, & hæ illæ sunt, dicunturque tales, quæ certò certum dòminum habent, nonque procul abesse, quisnam tamen sit ille ignoratur omnino inculpatè, uti si loculus pecuniâ plenus in platea, vel foro fuerit repertus ab aliquo, res vel aliqua alia in publica via, patenti vel loco inveniatur.

56 Præterea corporalium rerum dominium acquiri solet primò Jure naturali, vel Gentium, id quod multiplicitèr fieri potest occu-

occupatione, nativitate, alluvione, acceſſione, confuſione, commiſtione, ædificatione, plantatione, fructuum perceptione, & translatione, de quibus jam aliqua dedimus, eſtò non omnium. ¶ Secundo Jure Civili, & Canonico, mediante præcipuè uſucapione, ſive præſcriptione, de quo infra in ſua Lectione. ¶ Tertiò ipſorum hominum voluntate privata, ſervatis ſervandis, dum per teſtamenta, legata, donationes, pacta, contractus, variaſque conventiones alias inter ſe factas rerum ſuarum dominium proprium transferunt ad alios, de quibus infra propriis ſuis in locis. ¶ Ulteriùs ex animalibus illis, quorum quis poteſt, vel non dominium acquirere, alia ſunt ex natura ſua manſueta, & domeſtica, ut ſues, gallinæ, oves, boves, feles, &c. alia ex natura ſua ferina, & ſylveſtria, uti cervi, perdices, lepores, piſces, &c. aliæ autem partim ferinæ, & partim domeſticæ, ut columbæ, cuniculi, anſeres; & ex illis, quæ ſunt naturâ ſua ferina, eorum aliqua humana induſtriâ fiunt manſueta, ut accipitres, cervi, & apes, quæ ei curantur, alveariiſque reſervantur; ex illis autem, quæ ſunt à natura manſueta, ſibi relicta, feræ redduntur, uti ſues, & capreæ, & uti boves, & equi ex Europa ad Occidentales Indias tranſvecti, quæ ad montes, ſylvaſque fugientes ferina bruta redduntur, atque capiuntur, ut feræ. Omnibus his ſic cognitis, ac ſtabilitis, nunc deſcendendum ad magis particularia.

SUBLECTIO I.

Animalium dominium quomodo acquiratur, & deperdatur, etiam & ſylvarum, montium, ac paſcuorum?

57 INcipiendo ab animalibus illis, quæ naturâ ſua manſueta ſunt, & domeſtica, quæque, & ſi à dòmini domo, vel cuſtodia fuerint egreſſa, non ſylveſcunt, de illis dicitur quòd communia non fiunt, ſed ſemper illa dominio, & proprietate ſui dòmini permanent; ita taliter, quòd, ſi fugerint, à dominique ſui domo, vel cuſtodia diſceſſerint, longiùſque aberrent, adhuc ubicunque fuerint reperta, ſemper dòmino ſuo reſtitui neceſſariò debent, (niſi in caſu, quo aut *pro derelictis* jam habeantur, inculpata vel ignorantia excuſet) & hoc etiam ſi reperiantur demortua, vel eorum aliquid, ſive ſit caro, ſive ſit pellis, ſive quid utile aliud adſit, vel remaneat. ¶ Et doctrina hæc ita eſt vera, ut dicatur quòd, ſi aliquod animal ex præfatis, putà bos, agnus, ovis, &c. à lupo, fera vel alia fuerit raptum, & quis è faucibus lupi, vel feræ illud eripiat vivum, vel mortuum, integrum aut ejus utile aliquid, ſub mortali, & reſtitutionis onere totum illud dòmino reddere tenetur, & ſi aliàs totum illud à fera devorandum foret, niſi tu ex ejus ore eripuiſſes illud, quia totum illud animal vivum, vel mortuum, & quidquid ejus utile fuerit, ſub dominio ſui dòmini manet. ¶ Bene verum eſt quòd titulo negotii utiliter geſti pro labore, induſtria, aut expenſis ille, qui ex lupi, vel feræ ore animal eripuit, juſtum pretium exigere poteſt, & dòminus illud ei tribuere tenetur, & hæc reſolutio conſtat ex *L. Pomponius, ff. de acquirend. rer domin. §. Gallinarum, Inſtit. de rer divif.* docentque Salmant. ſup P. 6. §. 1. n. 49. eſtque communis.

58 De animalibus illis, quæ ex natura ſua manſueta, domeſticaque non ſunt, ſed feræ, & vaga communia, ſolùmque uſu, educatione, & arte ſunt ſecurata per occupationem, aut propria facta, è cuſtodiaque emiſſa, vel profuga redire non ſolent, uti piſces, cervi, capreæ, lepores, &c. tandiu in dominio ſui dòmini ſunt, quandiu ipſe ea in cuſtodia habet, & quandiu, quoties ipſi l buerit, eis uti valeat, & tunc à nemine ſine injuſtitia, & reſtitutionis onere ullo modo capi valent; quia tunc certum dòminum habent, ſicque eas fraude, induſtriâ, arte, &c. è cuſtodia auferre re vera eſt furtum facere, ut patet.

59 Sed, ſi dicta animalia ex natura ſua fera, nonque domeſtica à domino ſuo fugiant, nonque iterum ad dòminum, quem habebant, reverti ſoleant, prudentumque arbitrio revertendi nulla ſpes adſit, (aut ſi bis, aut ter tempore ſuo conſueto, diebus, vel horis ſolitis non revertantur ad dòminum, aut per biduum, vel triduum non redeant, (in quo variant DD.) tunc ea capientis, ſive primi occupantis fieri, & eſſe communiter reſolvitur, eo quòd tunc, caſus, libertatem nativam recuperare, communiaque fieri communiter aſſeritur, animalia nanque ferina, quæ nunquam dòminum habuerunt, vel ſi habuerunt, nunc illum non habent, à quocunque licitè capi poſſe. Communis, & omnium ſententia extat, quæ nititur non ſolùm in Jure Gentium, ſed in Jure Civili etiam, & communi § *Feræ 12. Inſtit. de rer. divif.*

60 Ex doctrina, ſive reſolutione nuperrimè data reſolvunt Lugo, & Rebellus apud Salmant. ſup. P. 6. num. 50. *Aves venaticas, ut ſunt falcones, ac milvi, dominis reſtituendas eſſe ex conſuetudine, licèt conſuetudinem redeundi amiſerint, ſive ſigna aſportent, ſive non, idemque dicendum de paſſeribus muſicis magni pretii, ſi de cuſtodia evolent, reddito capienti debito pretio pro captione.* Hæc ibi

61 Cæterùm contrarium verius videtur tum, nam in contrarium ſtat communis ſententia,

tentia, de animalibus loquens, de quibus in universum dicit, & asserit quòd, si dicta animalia *revertendi animum habere desierint, etiam tua esse desinunt, & fiunt occupantium*, id quod expressè habetur §. *Igitur animalibus, Instit. de rer. division.* qua Lege stante, prout stat, sive aves sint venaticæ, ut *falcones*, sive musicæ magni pretii, uti *edones*, aut *luscinia*, *&c.* si jam non revertendi animum habent, jam etiam dominum non habent, suntque ad pristinam libertatem redactæ, consequenterque primi capientis, vel occupantis; tum quia consuetudo illa, de qua dicti AA. loquuntur, non probatur adesse, tum quia quòd iste, vel ille particularis homo aliquem ex prædictis passeribus homini illi, qui illius dominium habebat, traderet, legitimam contra dictam Legem eam abrogantem, consuetudinem facere nequit, actus nanque istius, vel illius hominis particularis universalem contra aliquam Legem legitimam consuetudinem (maximè pro hominibus omnibus, & ubique gentium) facere non potest, uti vidimus alibi, & communis docet Non est ergo unde passeres præfati domino ei, quem antea habuerunt, reddantur, curque non sint primi capientis, generali DD. doctrinâ suppositâ, Legeque nuper allata, quòdque consuetudinem redeundi amiserunt, per quod jam obtinuerunr, & recuperarunt libertatem illam suam primævam, & ita sentimus, & contrarium nobis non probatur. Et hinc

62 Communiter resolvitur primò quòd animalia illa, quæ ex natura sua ferina sunt, sub nullisque potestate sunt constituta, quicunque insequi queunt, atque liberè capere, facereque capientis, sive in proprio, vel in alieno capiantur horto, vel fundo, per hoc enim, quòd per alienum hortum, fundum vel hæreditatem vagentur, non fiunt, nec sunt domini fundi, hæreditatis, vel horti, & estò ibi nascantur, non hæreditatis sunt fructus, sicque proinde à quolibet insequi, & capi possunt; bene verum est quòd hæreditatis dominus impedire potest, nè quis hortum suum, fundum, vel hæreditatem ad venandum, &c. ingrediatur, verum & etiam quòd, si quis ingrediendo damnum aliquod in segetes, eas calcando, &c. causet, totum damnum ab eo illatum restituere tenetur, id omne, quod commune est, & communiter tritum, partimque constat ex cit. §. *Fere*.

63 Secundò resolvitur quòd, si ex prædictis animalibus, quæ à natura sua sunt feræ, nonque mansuetæ, uti columbæ, apes, &c. ab aliquo jam sint custoditæ, effugiantque à custodia, corumque dominus eas insequatur, putà apes ex alvearibus, pisces ex vivariis, columbæ ex columbariis, &c. fugam capientes, prioris dòmini erunt, & sunt usque dum dominus eas insequitur, spemque habet illa capiendi, nonque ea perdit ab oculis; secus, si ea dispareant, nonque facilis sit eorum comprehensio, nonque redire ad custodiam soleant, & si soleant, non est probabilis spes, ut dictum manet, ut iterum redeant, tunc enim primi sunt capientis, sicque primi capientis erit apum examen, quod in fundo alterius reperitur ex arbore pendulum, fugamque à fundo, & alveario alterius capit, & de quocunque alio animali consimili id ipsum resolvitur. Legantur *Salmant. cit. P. 6.*

64 Resolvitur tertiò quòd, licèt feræ illæ, uti cervi, cuniculi, pisces, &c. quas aliqui in suis circundatis, & circunseptis vivariis, stagnis, & sylvis habent, ita ut ex inde exire non valeant, (& etiam, ut dictum manet, si earum aliqua exeat, revertendi consuetudinem non amisit) nonque sylvæ, vivaria, & stagna multum sint ampla, sed talia, ut dominus quamlibet talium ferarum non multùm difficilè capere valeat, tunc nemo intra dicta circunsepta intrare possit, neque feras capere, quòdque, si id fecerit, peccet contra Justitiam commutativam, restituereque teneatur secundùm gravitatem materiæ, sive juxta damnum factum; secus tamen dicitur, quando circunsepta ita sunt vasta, & ampla, ut feræ à captura fugere, seque ita abscondere possint, ut de facili dominus circundatæ sylvæ, vel saltûs capere eas non possit, tunc enim dicitur quòd quilibet alius eas licitè capere valet absque ullo restitutionis onere: nam eo ipso, quòd saltus, vel sylvæ circum vallatæ sunt adeò amplæ, tunc feræ illæ in nativa sua libertate censentur adesse, quòdque eam recuperarunt eo ipso, quòd sylvæ dominus reclusionis terminum ita amplum, & latum ipsis concesserit. Sic cum *Molina, Lugone, & aliis Salmant. legendi sup. num. 52. & 53.*

65 Sed circa columbarum captionem ex communi notandum venit primò quòd, si columbæ intra leucam à columbario domini discedant (columbaria habere, quid licitum esse communiter resolvitur) tunc à nemine sine injustitia, & restitutionis onere occidi, neque capi possunt; (nisi in casu super allato, quo redeundi iterum ad proprium columbarium animum amiserint, non redeundo scilicet bis, aut ter tempore, consuetisque horis) si tamen columbæ per unam integram leucam à columbariis discedant, tunc licitè à quolibet occidi, capique posse resolvitur, primique occupantis fieri. ¶ Secundò circa eadem columbas notandum quòd, licèt cuicunque, qui columbas habet, licitum sit eis aptiora semina ministra-

re,

re, ut sic melius sustententur, frequentiùsque pariant, illicitum tamen ei erit, ad restitutionemque subinde tenebitur, si fraude, vel dolo, artificio vel aliquo utatur, ut ad columbarium suum ex columbariis aliis alienas columbas vocet, & attrahat, propriis putà columbis semina odorifera, quid vel consimile ponens, & ita communiter, & cum aliis *Salmant. cit. P. 6. §. 3.* legendo per totum.

SUBJECTIO II.

Prosequitur materia præcedens.

66 COmmuniter & etiam resolvitur, & dicitur quòd, estò feræ illæ sylvestres, quæ adhuc sub alicujus dominium non cadunt, à quocunque liberè, ac sine alicujus injuria Jure naturæ, & Gentium occidi, & capi valeant, ubicunque fuerint repertæ, hoc tamen non tollit quòd Reges, vel Principes venationem, piscationem, aucupium his, vel illis temporibus, hoc, vel illo lacu, saltu, vel prædio, & etiam in communibus locis sub hac, vel illa pœna (nunquam tamen mortis, vel mutilationis) prohibere possint. Et hujus ea est ratio, tum quia multa permissa sunt à Jure Gentium, & naturali, quæ tamen prohiberi valent, de factoque eorum prohibentur aliqua, ut (inter alia) in Matrimonio patet, quod quidem Jure naturali, & Gentium permissum extat, & tamen temporibus aliquibus personis, & locis justissimè ab Ecclesia prohibitum celebrari extat, patet & in præcepto de abstinentia à carnibus: ergo, &c. tum argumento desumpto *ex §. Fera. Instit. de rerum divis.* ubi sic dicitur: *Planè qui alienum fundum ingreditur venandi, aut aucupandi gratiâ, potest à domino, si is providerit, prohiberi ne ingrediatur*: idemipsum ergo Regni Princeps, justa ad hoc causâ stante, facere poterit, nè scilicet temporibus his, vel illis, aut saltibus, vel prædiis, etiam communibus, venationem, piscationem, aucupium vel faciat aliquis, aliàs pœnam illam, vel aliam luat; tum quia multis in Regnis tale quid nos edocet praxis, & tandem quia sic communiter docetur ab omnibus. Et hinc

67 Passim, communiterque resolvitur venationem, aucupium, ac piscationem licitè Principes prohibere posse tempore eo, quo feræ sunt gravidæ, nè scilicet venatione, &c. in detrimentum boni communis aut extinguantur, vel minuantur, similiter nè nivali in tempore venatio fiat, quando cum gravi detrimento publico nimis multæ feræ capi valent. Item nè fiat piscatio cum lumine nocte, certis aut instrumentis quibusdam, quibus etiam minutissimi concluduntur pisces, & capiuntur, nè his cibis, vel illis in flumen emissis, quibus pisces inebriantur, & moriuntur, aquæque inficiuntur, fiat piscatio; id omne, quod in publicum, commune vel bonum cedit, ut de se patet.

68 Resolvitur communiter etiam Principes optimè prohibere posse nè quis alius præter ipsos, aut eos, quibus ipsi ad id facultatem concesserint, certis aliquibus locis communibus alicujus Civitatis, vel Villæ venationem, aucupium, & piscationem faciat. (Imò & alicui Magnati in sui meritorum, vel suorum prædecessorum remunerationem concedere posse, ut talibus, vel talibus locis nemo præter Magnatem ipsum, ejusque familiam, aut alios de ejus licentia piscationem, venationem, aut aucupium faciat, idque etiam à quocunque alio legitima præscriptione obtinere posse docetur.) Et id Principes facere, & habere possunt primò ex consensu populi omne jus venandi, piscandi, &c. Principi concedentis vel gratis, vel contractu aliquo oneroso. ¶ Secundò jure belli, quo Provincia devicta, vel Regno, Princeps victor tales lacus, paludes, flumina, saltus ad venandum, & piscandum sibi reservavit. ¶ Tertiò temporis præscriptione legitima, quo venandi, piscandi vel jus publicis in locis semper Princeps habuit. (Vel etiam Magistratus, dominus vel fundi sibi reservavit.) ¶ Quartò justa Lege ob justam causam lata, ad honestam putà Principis sustentationem, sicut nanque Princeps justa de causa tributa imponere licitè potest, ita & etiam ob dictam causam sua sustentationis in talibus, vel talibus locis piscationem, ac venationem vetare, sibique soli, vel suis illam reservare. ¶ Imò tale quid à Principe fieri licitè valet, etiam ob solam sui recreationem decentem, quippe cùm Princeps pro communi publico bono laboret, congruum, decensque est ut ex publico recreationes honestæ ei concedantur, si ipse maximè alibi non habet ubi sic recreetur, & refocilletur.

69 Item communiter resolvitur tunc, casu, Principem (& idem de eo, vel illis, qui ejus nomine nemoribus hujusmodi præsunt) curare omnino debere nè feræ ita multiplicentur, ut vicinorum prædiis, &c. nemorum terminos egrediendo, inferant damnum, quodque si damna inferant, omnia nocumenta ab eis illata restitui debent: quia, licèt Principes reservandi sibi venationem jus habeant, id debet esse non cum præjudicio pauperum, quorum segetes, vineæ, olivæta, & hujusmodi ex ferarum multiplicatione, negligenti vel custodia devastantur, &c. consequenter obligatio restituendi totum damnum illatum necessariò adest, & adesse debet.

Itidem communiter resolvitur quòd quicunque,

cunque, qui contra Principis editum, vel legem, aut contra Reipublicæ prohibitionem, vel contra voluntatem alicujus particularis dòmini, particulare prædium habentis, venationem, piscationem, aut aucupium exercet circa feras illas, quæ communes sunt, nullíusque adhuc sunt dòmini, & deambulant, ac commorantur præfatis prædiis, nemoribus, aut locis, nunquam mortaliter peccant, nisi damnum illatum grande fuerit, sive notabile, etiam in casu, quo Lex sit præceptiva, vimque directivam obligãdi in conscientia habeat; (si enim solùm pœnalis fuerit, tantùm ad pœnam obligabit) quòdque, estò peccet contra virtutem Justitiæ, obligeturque ad compensationem ratione damni illati, gravitate, vel levitate damni attenta, nunquam tamen feras demortuas, ab eo vel captas restituere tenetur; peccat quidem, quia jus frangit, quod alter habet, non autem tenetur restituere feras, quia hæ, ut supponitur, communes omnium sunt, nullum proprium dòminum habent, primique proinde capientis fiunt, damnum autem illatum restituere teneri res indubitabilis extat. Et hæc, quæ hucusque *á num.* 66. hîc sunt exarata, communia sunt. Legantur *Salmant. cit. cap.* 2. *P.* 6. §. 2. *á num.* 55. *ad* 63. cum AA. ibid. ab ipsis adductis, & insuper *Tanner. tom.* 3. *Disp.* 4. *Q.* 6. *num.* 355. *Sanrig. Dist.* 6. *de Just. Q.* 3. *num.* 14. *& Q.* 2. *á num.* 1. *Laymann lib.* 3. *Tract.* 1. *cap.* 5. *Molina tom.* 1. *Tract.* 4. *Disp.* 46. *&* 59.

70 Sed cum communi, præfatis AA. & aliis notàndum hîc venit quòd, si aliquis ex dictis communibus feris vulneravit lethaliter aliquam, ipseque percussor eam insequatur, moralemque certitudinem habeat capiendi eam, fortèque alius, aut ad id dil.gentiâ posita, ceperit eam, tunc non capientis, sed vulnerantis erit, quia tali vulnere jam feram cepisse censetur; erit verò capientis, & non percussoris, si vulnus ad feram capiendam sufficiens non erat; & etiam si percussor non jam insequatur eam, quanvis dicatur ex æquitate aliquid ipsius feræ percussori ipsi tribuendum esse, tanquam capturæ concausa. Et ita Juris Consultus *in L. Naturalem, ff. de acquirendo rer domin.* Et

71 Ex eadem ratione idmetipsum in eodem sensu dicitur, quando quis suis canibus excitavit feram, putà leporem, vel aprum, & alius casu, vel studio leporem cepit, occidit vel aprum, tunc enim, si moraliter certum sit leporem, vel aprum à canibus capiendum esse, integer venatori debetur, cujus sunt canes; secus, si moraliter certum non fuit à canibus capiendum esse, nam tunc capienti debetur; si autem in hoc casu, & etiam in præcedenti, vel alio dubium circa hoc exiterit, tunc inter utrumque proportionaliter dividenda est capta fera.

72 Consimili modo idem dicendum in casu, quo unus laqueum, rete, vel nassam injecit, vel posuit ad capiendos pisces, leporem, &c. in quo casu dicitur in meliori sententia quòd, si fera, lepus, vel pisces inextricabiliter laqueo, rete, vel nassâ concludebatur, tunc, si alius accedat, & feram capiat, non ejus est, sed illíus, qui laqueum posuit, quia, cùm fera è laqueo exire non possit, uti supponitur, parum, vel nihil refert quò i manu, vel instrumento apprehendat eam. Secus dicitur in casu, quo fera non ita concluía sit laqueo, sed solùm taliter, quòd diu luctando à laqueo se se expedire posset, antequam laqueum injiciens, vel ponens ad capiendam eam accederet, aut accedere posset, tunc enim primi capientis eam esse resolvitur, quia adhuc tunc, casus, ipsa fera, antequam eximeretur à laqueo, libertatem naturalem suam censebatur habere, adhucque nullíus domini esse. Et hoc est id, quod videtur decisum *in L. Laqueum, ff. de acquir. rer. domin.* dum ita textus ibi alloquitur, dicens: *Quod in laqueum meum incidit, non est meum, nisi manualiter capiatur.*

73 Insuper, si quis vagum insequatur animal, illudque in sequutionem aufugiens, fortè in alterius incidat rete, illud capiendi uterque jus habet, hic, quia rete, laqueo vel suo comprehensum fuit animal, ille autem, quia industriâ sua incidit in laqueum: non enim in eum incidisset, si ab eo incitatus, ac insequutus non fuisset; sic illíus erit, qui primò illud apprehenderit, vel occuparerit, bene verum quòd, ut sup. est tactum, non capienti illíus aliquid tribui debet ex æquitate.

74 Præterea, si quis rete meum, vel nassam à fluvio, vel mare cum piscibus simul extraxerit, nihil suum facit; sed rete, vel nassam simul cum piscibus mihi restituere tenetur, eo quòd pisces rete meo capti certò à me capiendi essent, uti supponitur; si tamen ipse post illam piscium primam capturam, quam mihi restituere debet, aliam, & aliam piscium capturam, capturas vel faciat, ejus omnino erunt capturæ tales, quippe fructus sunt industriæ ipsius. Bene verum est ipsum mihi recompensare teneri retis usum, simul & damnum omne in rete passum, si rete patiatur aliquod; & insuper omne restituere lucrum cessans, si rete meum sicut erat persistens, plures alios pisces capere posset, vel caperet, id est, tot, quot à rete captandi moraliter essent.

75 Aucupari, venari, piscari quandoque prohiberi posse, essequo quid illicitum, quia prohibitum, est quid notum, constat ex dictis, & vidimus alibi, sicut & alibi vidimus venatio-

nem, &c clamorolam, vel tumultuoſam, quæ ſcilicet fit multis cum canibus, aut armis, clamore, tumultu equorum, prohibitam eſſe Clericis, & Religioſis, conſtatque *ex c. 1. & 2. de Clerico venatore, & ex Trident. Seſſ. 24 cap. 12. de Reformat.* non tamen erit peccatum mortale, ſi non ita clamorosè, ac tumultuosè fiat, fiatque ſine armis, & cum paucis canibus, & aliunde ſcandalum abſit. Legantur *Salmant. ſup. num. 64. & 65.*

SUBLECTIO III.

De acquiſitione dominii circa ſylvas, montes, ac paſcua.

76 Licèt olim montes, ſylvæ, & paſcua hominibus omnibus communia eſſent ita, ut eorum ſinguli ſine aliorum injuria in eis ligna quæcunque cædere poſſent, armenta, animaliaque ſua ſimiliter paſcere, &c. ubique ferè poſtea Jure Gentium ſylvæ, montes, & paſcua in dominia diviſa fuerunt ita, ut partim dominii ſint privati, ſive ad dominos particulares pertineant, partim ad bonum commune, id eſt, illius Communitatis, territorii, Civitatis, òppidi, Villæ, vel pagi, cui magis montes ipſi, ſylvæ, & paſcua vicina fuerint, vel ſint. Hoc certum, & indubium extat.

77 Certum, & indubium etiam quòd Civitas, vel populus in his, vel illis ſylvis, montibus, paſcuis certum dominium habens, dominium tale venditione, donatione, locatione, titulo vel alio transferre poteſt; cùm enim ſit verus dòminus, non eſt cur dominium à ſe habitum alteri transferre non valeat. ¶ Similiter certum in montibus, ſylvis, & paſcuis communibus hujus, vel illius Civitatis, òppidi, &c. dominium ullum non habere eos, qui in Civitate, vel òppido civilem, criminalem vel juriſdictionem aliquam habent, talis nanque juriſdictio dominium non confert earum rerum, quæ communes ſunt Civitati, vel òppido; ſicque tales talem juriſdictionem habentes dictis communibus rebus uti poterint, ſicut Civitatis, vel òppidi quilibet alius particularis: & ſi quid amplius fecerint, damnumque cauſaverint aliquod, illud recompenſare tenebuntur.

78 Inſuper certum eos, qui proprium, legitimumque dominium habent in aliquibus montibus, ſylvis, ac paſcuis, in eis liberè quaſcunque arbores cædere poſſe, armenta ſua, &c. & etiam ſi velint aliena, paſcere, in eis venata, aliaſque arbores plantare, & ex eis fructus colligere, horumque omnium uſum licitè prohibere aliis.

79 Iterum certum quemcunque alicujus Civitatis, òppidi, Villæ, vel pagi montibus, ſylvis, prædiis, aut fundis, qui, vel quæ communia ſunt omnibus, & quorum nullus particulare dominium habet, animalia ſua paſcere, ex eis arbores, & ligna cædere, fructus colligere, quin aliquis juſtè id ei impedire poſſit, quippe, cùm nec in communi, neque in particulari alicujus ſint dòmini, uti ſupponitur, non eſt unde id, quod dictum manet, facere non valeat. ¶ Et idem omnino dicitur de civibus, & oppidanis alicujus Civitatis, vel òppidi, de his enim etiam dicitur quòd in montibus, ac ſylvis, quæ ſunt communes tali Civitati, vel òppido, ſive quorum talis Civitas, vel òppidum proprium, & particulare in communi dominium habet, liberè arbores cædere poſſe, armenta ſua paſcere, &c. niſi à Communitate hoc, vel illud, hoc, aut illo tempore aliquid horum prohibitum extet, cùm enim ejuſdemmet Communitatis ſit pars, eorum quilibet fungitur eodemmet jure, quo funguntur alii.

80 Præterea certum, Principem, ſive Rempublicam juſtè civibus, oppidanis vel ſuis (& multò meliùs, ac fortiùs extraneis aliis) prohibere poſſe, ſaltem ſecundùm menſuram certam, certumque modum lignationem, vel paſtionem in montibus, ſylvis, prædiis, vel paſcuis communibus Civitatis, vel òppidi; atque adeò prohibere poſſe nè tali tempore paſcant, nè talem ſtirpem, ligna naſcentia, arbores maiores excidant, quippe hoc communi bono plurimùm expedit. ¶ Dictum eſt: *Saltem ſecundùm menſuram certam, &c.* ad ineundum id abſolutè, & totaliter prohiberi non poſſe, niſi tantùm in caſu, quo aliunde ſe quilibet providere queat, nam cùm eorum ſinguli inde ſibi providendi jus habeant, tali jure abſque ſuo conſenſu ſpoliari non valent. His omnibus ita viſis, & ut certis habitis,

81 Dicitur quòd, dicta prohibitione poſita, atque ſuppoſita, ſi membrum Communitatis alicujus Civitatis, òppidi, vel pagi contra prohibitionem factam pro ſui, ſuæque familiæ neceſſitate in communibus dictis ſylvis, & montibus ligna cædat, (& idem eſt de jure venandi, piſcandi, aucupandi, paſcendi Communitati competente, ſi à Magiſtratu certo tempore, vel loco juſta prohibeatur de cauſa) eſtò puniri poſſit, ſolvique conſtringi multam, ſi aliqua ſit impoſita, non tamen graviter peccat, neque aliquid (maximè ante Judicis ſententiam) reſtituere tenetur, (niſi in caſu, quo grave damnum Communitati intuliſſet, magnam in montibus, vel ſylvis faciendo ſtragem, ſylvam vaſtando, aut ligna expreſsè prohibita, vel naſcentia, ſive maiora nobiliora abſcindendo) quia nihil aliquid alienum accipit, ſed ſolum illud, quod ſibi, & aliis commune eſt,

tollit,

tollit. Sic communis, & citandi.

82 Si autem aliquis alius extraneus, sive qui illius Communitatis non sit, ligna cædat, aut pascua scindat, crimen, furtumque committere dicitur, ad restitutionemque damni illati teneri resolvitur; sed excipitur casus, in quo vicini oppidi unius viciſſim in montibus, vel sylvis oppidi alterius ligna similiter etiam cædere consueverunt, nam tunc mutua compensatio datur. ¶ Idem est in omni casu, quo existimetur vicinos sola multâ contentos esse, quæ quidem *multa* nullo modo corporalis casu in aliquo esse valet, sed solùm pecuniaria, & moderata semper esse debet, cùm & si furtum tales committant, nunquam tamen infamiâ furti, sive tanquam veri latrones haberi, notari vel solent ¶ A mortali simul, & à *multa* excusantur etiam pauperes è sylvis ligna sicca cædentes ob tacitum, vel præsumptum dominorum consensum ligna talia spernentium, parum vel æstimantium. ¶ Idem de viatore necessitate compulso ligna colligente, equum vel in alienis pratis pascente, cùm lege careat necessitas. ¶ Idem, si animal tuum sine culpa tua, vel amissum, pratum alienum depascat, velisque potiùs animal relinquere, quàm restituere damnum ab eo illatum; tunc nanque liber à restitutione evadis *ex L. 1. Si quadrupes pauperiem, &c.* legantur circa hactenus dicta Rebellus de obligat. Just. lib. 1. Q. 15. Sect. 1. Lugo Disp. 6 Sect 9 num. 86. & à 92. Palaus Disp. unica, P. 16. Tract. 31. ac Salmant. sup. toto Puncto 7.

LECTIO VII.

De aliis modis acquirendi rerum dominium naturali, & Gentium Jure.

83 SUnt & plures alii modi dominium acquirendi, inter quos primus est *nativitas*, per nativitatem nanque ea omnia nostra fiunt, quæ ex rebus nostris nascuntur, atque proveniunt, uti habetur §. *Item ea, Instit. de rer. divis.* quare quid nascitur ex animalibus nostris, & arboribus, &c. quorum dominium, aut usumfructum habemus, nostrum est, sub nostrumque dominium cadit. Communis.

84 Secundo dominium acquirimus eorum bonorum, quæ ab ipsorum dòminis pro derelictis habentur, eaque apprehenduntur à nobis, nam eo ipso quòd eorum dominus pro derelictis habeat eas, naturali, Gentiumque Jure ad suum primævum reducuntur statum, eum nimirum, quo erant antequam Gentium Jure facta fuisset rerum divisio, in Communitatis statu reperiuntur, consequenterque communia sunt, ac subinde primi occupantis fiunt, id quod habetur §. *penult. & ult. Instit. de rerum divis. L. 1. & seq. ff. pro derelicto*, communsque tenet, & docet. Cognoscetur autem ex circunstantiis, & signis res has, vel illas pro derelictis haberi, uti si rerum dòminus omnino voluntariè, & sponte à se projiciat eas, vel si eas extra suam potestatem habens de illis recuperandis curam ullam non habet, illas de facili recuperare valens; aut nunquam recuperare potens, eo quòd ipse ab illis longissimè abiens, ad easque recuperandas nullum excogitabile remedium, modum vel habet, etiam si rem ut suam cognoscere non possit. In his enim eventibus res pro derelictis communiter habendas esse dicuntur. Et

85 Hinc resolvitur merces, & quæcunque alia bona à navigantibus in flumen, vel mare projecta, aut ad evadendum naufragium imminens, aut vi tempestatis, naufragio jam in mare suborto, quandoque sunt, quandoque non sunt primi occupantis. Sunt quidem quandoque, quando scilicet ex præfatis, similibus vel aliis circunstantiis, & signis probabilis præsumptio nascitur, & habetur ea re vera esse derelicta, aut pro derelictis habita, uti si dòminus, qui præsens est, ea de facili recuperare posset, de eis tamen non curat, sed illa spernit, & negligit, vel si longè decessit, & abest, nec quòd reversurus sit spes adest, reque suas non repeturus, prudenter, probabiliterque putatur, & si revertatur, vel iterum veniat.

86 Quandoque autem primi occupantis non sunt, tunc scilicet, quando prædictæ circunstantiæ, signa vel desunt; tunc enim bona derelicta non sunt, nec pro derelictis habentur, neque ut talia haberi possunt, nec debent, quia rei dòminus ejus non amittit dominium, (in casu) nisi ipse consentiat, vel pro derelicta habeat eam, sed in proposito dòminus non consentit, neque pro derelicta rem suam habet, quin potiùs libentissimè retineret eam, vel recuperaret quocunque eo modo, quo posset, estò necessitate compulsus projecerit illam, aut impossibilitate spem recuperandi per se abjecerit eam: ergo, &c. Accedit Excommunicatio Bullæ Cœnæ contra eos lata, qui bona Christianorum naufragantium, in litoreque inventa surripiunt animo sibi retinendi ea; secus autem, si non dicto animo, sed restituendi dòmino, si appareat, accipiant ea; si verò non appareat, aut ejus hæres, ea sibi retinere; tunc enim dicta non incurritur Excommunicatio, ut vidimus alibi. ¶ Sed notandum quòd quando naufragantium bona accipiens, ea dòmino suo restituit, (prout tenetur) laboris, & periculi sui, earumque curæ, & custodiæ compensationem debitè æstimatam exigere jure potest, quia in

eo dòmini negotium utiliter gessit, & dum ei tale quid non solvitur, loco pignoris bona retinere poterit usque dum illud solvatur. ¶ Et idem, quod hîc dictum est pro naufragantium bonis, dicendum omnino de bonis illis, quæ incendio, periculo vel alio projiciuntur. Legantur *Salmant. sup. cap. 2. P. 8. §. 1. à num. 76. ad 80. Molina Tract. 2. Disp. 55. Navar. cap. 27. num. 98. Lessius cap. 5. Dub. 6. Laymann lib. 3. Tract. 1. cap. 5. num. 22.* ¶ *Et apud Salmant. cit. num.* 80. ex aliis resolutum reperies quid dicendum sit circa bona ea, quæ fluminis, vel inundationis vi asportantur, de quibus ibid. dicitur quòd, si parvi sint pretii, aut dominus sit valde distans, magno vel labore opus sit ad ea extrahenda, judicanda sunt bona asportata; secus autem, si bona non ita se habeant, tunc enim dicitur restituenda ea esse domino, soluto pretio laboris, industriæ, & periculi in eis eripiendis habiti.

87 Tertio dominium acquirimus fructuum earum rerum, quas bona fide possidemus, (secus, si mala fide possideamus eas) tunc enim fructus talium rerum facimus nostros quandiu bona fides durat, quin si postea dominus rei apparuerit, eos restituere teneamur, si jam sint consumpti; id quod constat *ex §. Si quis non domino, Instit. de rer. divis.* ubi sic legitur: *Si quis à non domino, quem dominum esse credebat, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliove quolibet justa causâ aquè bona fide acceperit, naturali ratione placuit fructus quos percepit, ejus esse pro cultura, & cura; & ideo, si postea dominus venerit, & fundum vendicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest, &c.*

88 Quarto *bona vacantia* (quæ quidem ea dicuntur, quæ quis moriens ab intestato, nulloque relicto hærede, qui juxta Leges ei ab intestato succedere possit, reliquit, sub Fisci dominium cadunt, juxta *L. Vacantia, Cod. de bonis vacantibus, lib. 10. & ex L. 3. §. Si in locis, ff. de jure Fisci.* ¶ Dicuntur & etiam bona vacantia bona eorum peregrinorum, qui in Hospitalibus intestati decedunt, de quibus (juxta *Authentic. Omnes peregrini Cod. de successionib.*) dicitur quòd, si peregrinus decedens hæredes habeat, ad eos ejus bona pertinent, sin minus per Episcopum distribuenda sunt in causas pias ibi ab eo relicta mobilia bona, sed in hoc casu, quo Hospitale, vel Xenodochium sibi talia applicandi bona privilegium non habeat. Legantur *Salmant. sup. n.* 81.

89 Quinto per *accessionem* nobis etiam dominium acquiritur, tunc autem *accessio* datur, quando aliqua alia res accedit ad tuam, vel quam bona fide tuam esse putas, & ex hoc tua relinquitur; dictaque accessio duplex est, *naturalis* una, *artificialis* altera, seu *industrialis*, quarum prima illa est, quæ fit vel per nativitatem, ut patet in partu servæ, pecoris fœtu, & arboribus in solo nostro natis, quæ nostra sunt ex eo, quòd ex rebus nostris nascantur, accedentesque rebus nostris, nobis accedunt; vel fit per *alluvionem*. Alluvio illud incrementum est, quod ab alluente fluvi demitur uni, & adjicitur alteri, quod quidem fit, fieri vel potest *latenter*, uti dum vi fluminis latenter, quasi vel insensibiliter ripæ uni aliquid demitur, & adjicitur alteri, vel *patenter*, uti quando fluminis impetus unius ripæ partem fluvii alveum totaliter mutet. *Artificialis* autem, sive *industrialis* accessio illa est, quæ fit per industriam, uti quando inædificatur, implantatur, inseritur, intexitur, scribitur, pingitur, & hujusmodi. Quibus sic cognitis,

90 Dicitur primò quòd accessio per nativitatem dominium accessæ rei tribuit, ex quo ille, qui est dominus servæ, ejus prolis est etiam dominus: (estò prolis pater sit liber) nam *partus sequitur ventrem*, & idem de fœtu pecoris, de plantis, &c. quæ crescunt in nostro horto, vel fundo, &c. accessorium namque principale sequitur, ut est quid tritum in Jure.

91 Secundò dicitur quòd id omne, quod per alluvionem fluminis vis latenter agro tuo, vel fundo adjicit, Jure Gentium acquiritur tibi; secus autem, si non latenter, sed apertè partem de fundo, prædio vel alieno detraxerit, tuoque fundo, vel prædio appulerit, sive adjecerit, id quod *§. Praterea, Instit. eod.* expressè habetur.

92 Dicitur tertiò quòd, si in medio fluminis nata fuerit insula, hæcque ab utraque ripa æqualiter distet, communis est inter illos, qui in utroque litore prædia habent; secus autem, si ripæ uni fuerit propior, sive propinquior, nam tunc ejus erit, cujus est prædium, vel fundus illius ripæ, quæ est propinquior, id quod commune est apud Juristas. ¶ Quòd si flumen, antiquo, naturalique alveo relicto, cursum alium sumat, vel occupet, relictus alveus ad eos pertinet, quorum propinquiora sunt prædia, vel fundus. E contrà verò alveus de novo occupatus remanet publicus, dummodo non transitoriè, sed tempore longo occupetur à flumine, id quod etiam apud Juristas est commune.

Quo ad dominium, quod per accessionem *industrialem* acquiritur, acquiri vel potest, hæc sub sequentibus versibus apponitur regula.

Quicquid plantatur, seritur, vel inædificatur,
omne solo cedit radicis, si tamen egit.

93 Unde quarto dicitur quòd ille, qui in proprio solo ex aliena materia ædificat, dominus totius rei ædificatæ relinquitur, cum one-

re

re tamen restituendi materiæ dòmino; totum materiæ valorem, solo nanque in Jure cedit id omne, quod inædificatur solo, sive plantatur radices assumens. ¶ Si autem quis in alieno ædificavit solo, in eoque bona fide procedit, solum suum esse credens, tunc rei ædificatæ dominium est dòmini soli, sed iste expensas, materiæque pretium ei reddere debet, nam ratio expostulat quod dòminus soli non locupletetur cum detrimento innocentis inædificantis in suo solo. ¶ Si verò quis ex propria sua materia in alieno ædificet solo, certò sciens solum alienum esse, tunc totum ædificium illius dòmini est, cujus est solum, quin dòminus soli in externo foro ei aliquid reddere debeat pro materia in tali ædificio apposita, & quin ipse ædificans soli domino aliquid in externo foro pro tali materia, industria, labore, &c. exposcere possit, ettò ædificium ruat, vel deruatur, quia totum censetur donasse, vel temere ædificasse. ¶ Excipitur tamen casus, quo quis utiliter hominis absentis negotium gesserit, nam tunc talis tenebitur ei laboris, industriæ, & materiæ pretium solvere. Communis apud Juristas. ¶ Præterea, si quid ornatûs causâ alicui rei adjicitur, licèt hoc pretiosius sit, quàm id, cui adjicitur, accessionis jure acquiritur dòmino illius rei, cui facta est adjectio, consequenterque si vesti tuæ aliena intexatur purpura, purpura vesti cedit, nisi facilè purpura absque vestimenti læsione à vestimento eximi posset, nam tunc purpura separanda esset, suoque dòmino eam in specie petenti danda, sin minus satis erit ei ejus pretium reddere. Legantur scribentes *in §. Cùm ex aliena, Instit. de rer. divis.* & §. *Si tamen.*

94 Sexto dominium acquiri potest per *confusionem*, aut *commistionem*. In hoc à confusione commistio differt, quòd in commistione corpora inter se quo ad substantiam separata remanent, uti accidit in commistione frumentorum duorum, &c. in confusione autem in unum unita corpora coeunt, uti accidit in vino, oleo, &c. duorum, veluti si meum, tuumque vinum per errorem, vel industriam eodem permisceantur in dolio Et tam pro confusione, quàm pro commistione in Jure §. *Si duorum*, & §. *Quòd si frumentum*, *Instit. de rer. divis.* sequentia decernuntur, & alia, scilicet quòd

95 Quando materiæ duorum dominorum utriûsque voluntate miscentur, & confunduntur, uti si duo vina habentes, vel mustum, ea commiscuerint, sive confunderint, vel ex vino, aut melle fecerint mulsum, utriûsque tunc commune erit totum corpus inde resultans; & idem, & si res fiat non voluntate amborum, sed casu, sive fortuito. ¶ Quando verò in commistione corporum ea non confunduntur, neque in unum coeunt, sed quo ad substantiam eorum singula separata manent, uti in commistione gregis, vel tritici utriûsque dòmini consensu facta est commistio, tunc totum corpus utriûsque commune efficitur, cùm utriûsque domini consensu, & voluntate grana, &c. quæ cujusque propria fuerant, mutuo communicentur ¶ Sed, si casu commistio fuit facta, vel eorum unus absque alterius consensu commistionem fecerit, tunc nihil commune fit, cùm singula corpora in sua propria substantia subsistant, dominorumque consensus ad communem commistionem deficiat; sed tunc, si illius, quod cujuslibet fuerit, non apparet distinctio, arbitrio Judicis æstimandum erit quale cujusque frumentum putà fuerit. Sed

96 Quid de commistione, vel confusione pecuniarum? Ad hoc constat ex *L. Si alieni, ff. de solution.* ubi sic legatur: *Si alieni nummi, injusu, vel invito dòmino, soluti sunt, manent ejus, cujus fuerant. Sed si missi aliis sunt ita, ut discerni non possint, ejus fiunt, qui accepit, ut libris Cassii scriptum est, ita ut furti actio domino cum eo, qui dedisset, competeret*; quare, si fur putà furtivas pecunias cum suis commiscuerit, suas facit pecunias furtivas, earumque dominium acquirit, licèt imperfectum, cùm maneat cum obligatione restituendi tantundem, quantum furto abstulit; si autem ipse post dictam commistionem factam panium, aliquid vel aliud à mercatore emit, pecuniâ soluta, tunc domino pecuniarum furatarum actio contra furem competit, non verò contra mercatorem, quia fur non ex alienis pecuniis, sed ex suis rem à se emptam solvit. ¶ Sed, si fur ante dictam mistionem pecunias furatis solvit illud, quod emit, tunc pecuniarum dominus (contra furem etiam actione suppositâ) actionem habet contra mercatorem, cùm propriam, & specificam rem suam habeat; secus erit, si mercator præstitas illas à fure pecunias jam pecuniis suis bona fide commiscuit, tunc enim non contra mercatorem, sed solùm contra furem remanet actio: nam, sicut fur furatas pecunias suas facit, si suis eas commiscuit, potiori ratione illas suas facit mercator, eas suis commiscens, & cùm aliàs bona fide processerit, non est unde contra eum aliqua remaneat actio. Et hoc, quod hìc dictum est, quid speciale est in pecuniis ob Legem prædictam.

SUB-

SUBLECTIO I.

De bonis inventis.

PRæter bona derelicta, & quæ pro derelictis habentur, ac præter bona vacantia, &c. de quibus jam suprà, quæ inventa bona dicuntur, bona etiam sunt alia, quæ etiam denominantur inventa, uti gemmæ, venæ metallicæ, inventus thesaurus, bona incerta, vel perdita, &c. de quibus hic sermo. Et

97 Circa gemmas, &c. dicitur quòd gemmæ, lapilli, coralia, & hujusmodi in litore maris, fluminibus, vel promontoriis, &c. inventa, primi sunt occupantis, quia res hæ nunquam alicujus domini fuerunt, consequenterque Jure Gentium earum ille proprius dominus erit, qui primò occupaverit eas; est *Div. Thom. 22. Q. 66. Art. 5. ad 1* & est communis.

98 Mineralia autem, & venæ metallicæ auri, & argenti, marmoreæ, &c. etiam antequam inveniantur, non censentur inter bona domino carentia adesse, sed ad dominum fundi, si in eo sint, spectant, quia tales venæ vel sunt pars ipsius fundi, naturaliter ei agnatæ, veluti si non renascantur metalla, vel marmora excisa ibi, vel sunt fructus fundi, si ibi renascantur, consequenterque domino fundi, ejus vel usufructuario cedunt. ¶ Si autem in loco publico inveniantur, licèt naturali, Gentiumque Jure stando sint inventoris, humano tamen positivo Civili Jure stando, particularique Regnorum talia metalla ad Principis Cameram applicantur, æquitas tamen expostulat quòd & domini fundi habeatur ratio, ac etiam inventoris largiter eos remunerando. Communis.

99 Circa *thesaurum*, qui propriè dictus definitur in Jure, dicendo quod *est vetus depositio pecuniæ, similis vel rei, cujus memoria non extat*, sive de cujus depositione, ac domino nulla memoria, vel cognitio extat, jam vel nullum dominum habet, ex quo dicitur quod est *vetus depositio*, & dum dicitur *similis vel rei*, intelligitur quælibet etiam alia res mobilis pretiosa, uti anuli, gemmæ, scyphi, armillæ aureæ, vel argenteæ. De thesauro ergo propriè dicto loquendo

100 Dicitur quod thesaurus propriè talis, licèt, naturali Jure, & Gentium spectato, inventoris sit, & non alterius, quia in prædicto Jure stando, id quod nullius est, est primò occupantis, & dictus thesaurus nullius est, eo quod non pars agri, (sicut pars agri sunt mineralia, & venæ metallicæ) subindeque dominus agri ejus est dominus. Communis, docetque Div. Thom. 22. Q. 66. Art. 5. ad 2. constatque *ex L. Nunquam, ff. de acquir. rer. dom.* ubi sic habetur: *Sic enim fit ejus*, (thesaurus) *qui invenit, quod non alterius fit.*

101 Non tamen sic, Civili Jure spectato, ac cujusvis Regni, vel Provinciæ statutis attentis, eo nanque spectato, hisque attentis, aliter resolvitur, proindeque dicitur quod thesaurus in proprio fundo inventus ipsius est inventoris. ¶ Si autem in alieno fundo, etiam Principis, non ad id data operâ, sed casu, sive fortuito fuerit inventus, cavando scilicet, ædificando, &c. tunc dimidium erit domini fundi, & dimidium inventoris, ut habetur apud Div. Thom. ubi sup. constatque *ex L. 1. Cod. de thesauris, L. 10. & § Thesaurus, Instit. de divis.* quæ quidem Lex, vel Constitutio, cùm pœnalis non sit, sed secundùm naturalem æquitatem lata juxta communem sententiam in conscientia ante Judicis sententiam obligare videtur. ¶ Quod si arte Magica thesaurus fuerit inventus sive in proprio, sive in alieno fundo, Fisco totus adjucabitur; sed hoc post sententiam Judicis, non verò antea, cùm Lex pure sit pœnalis, de quo *Navar. cap. 17. Manual. num. 157. Herrix. Discept. 4 de just. & jur. Q. 8. n. 148.* & communis.

102 Insuper, si in alieno fundo, ejus domino non requisito, quæsitus, & inventus sit thesaurus ab aliquo, totus thesaurus erit dòmini fundi, & hoc maximè, si thesaurum quærens certò sciat in tali fundo thesaurum adesse; (licèt inventor expensas factas non perdere, sed recuperare debeat) id, quod etiam verum habere dicitur in casu, quo thesaurum, cujus scientiam habet, quærens à domino fundi, quærendi illud licentiam petat, si talis scientiæ ei notitiam non præstat; ratio est: nam talis licentia exhibita fuit per errorem, si nanque dominus fundi scientiam illam haberet, quam habet licentiam petens, non ita facilè, & sine aliquo pacto licentiam talem concederet; licentia autem per errorem præstita pro nulla habetur. ¶ Si dominus autem fundi in aliquo cum licentiam petente conveniat, conventioni factæ standum erit.

103 Rursus, si thesaurus inveniatur in loco omnino communi, & publico, ad particulare, seu speciale alicujus Principis, vel Communitatis dominium proprietatis ejus pertinente, uti est publicum forum, publica via, publicum flumen, &c. tunc totus inventus thesaurus inventoris ipsius dicitur. ¶ Secus, si publicus locus ad Principem, vel Communitatem aliquam speciali proprietatis jure spectet, uti sunt sylvæ aliquæ, pascua, domus, horti, Civitates, &c. nam tunc dicitur quòd dimidia pars pertinet ad inventorem, ad Fiscum, vel Civitatem dimidia pars altera, prout expressè habetur Instit. §. *Thesauros de rer. divis.*

vis. ¶ Thesaurum autem in loco sacro, omninoque publico, uti in cæmeterio, fortuitò repertum medium esse Ecclesiæ, medium autem inventoris, communiter resolvitur; si verò ex industria fuerit quæsitum, variant DD. dicentibus aliis totum inventoris esse, aliis autem dimidium inventoris, & dimidium Ecclesiæ esse; quare standum consuetudini erit.

104 Præterea, si quis certò sciens in alieno agro, vel fundo latere thesaurum, idque suo in corde retinens, quin domino agri de eo notitiam præstet, agrum illum emit, ac si thesaurus ibi non esset, nullam in eo venditori ignoranti injuriam facit, consequenterque post thesaurum emptum, ejusque communi pretio soluto, thesaurum effodiens, & eruens, integrum sibi dominium comparat. Est *Div. Thom.* (& cum eo communior docet) 2. 2. *Q.* 66. *Art.* 5. *ad* 2. ubi sic: *Propter quod in Parabola Evangelii dicitur Matth. cap.* 13. *num.* 44 *de inventore thesauri abscondiți in agro, quòd emit agrum, quasi ut haberet jus possidendi totum thesaurum*, ibidemque negotiatoris prudentia laudatur à Domino. Pro quo legantur *Navar. cit. cap.* 17. *num.* 175. *Soto. lib.* 6. *de just. P.* 3. *Art.* 3. *Molina Disp.* 56. *Lessius lib.* 2. *cap.* 5. *Dub.* 15. *num.* 60. *Layman cap.* 5. *num.* 23. *Lugo Disp.* 6. *Sect.* 11. *num.* 126. & pro hactenus de thesauro dictis *Salmant. sup. P.* 8. *toto* §. 3.

105 Hucusque sermo fuit de thesauro propriè tali, nunc verò sermonem habendo de thesauro impropriè dicto, (qui quidem *in L. Nunquam*, §. *Thesaurus*, *ff. de acquir. rer. domin.* sic definitur, dicendo quod *est depositio pecuniæ, quam quis lucri gratiâ, vel metûs, aut custodiæ sub terra condidit*) dicitur quod inventor talis thesauri non fit dominus illius, quippe verum dominum habet, eum nimirum, qui eum abscondidit, consequenterque ei restitui, darique debet, vel ejus hæredibus in defectu ipsius, si eorum aliquis appareat, & cognoscatur, sin minus juxta doctrinam superiùs traditam resolvendum erit. Quare, si in angulo domûs ejus, vel superficie, retro vel arcas, &c. aurum, argentum, quid vel aliud pretiosum inveniſti, tuum non est, cùm verum dominum habeat, cui restituendum, & si contrarium feceris, furtum feciſti. Idem, si vestem alterius emiſti, in qua à domino vestis aurum depositum habuit latenter, cujus rei oblitus vendidit vestem, tuque postea, & si transacto triennio, aurum reperuiſti, illud tuum non facis, sed domino antea vestis debes totum restituere, quia in venditionis contractu dominus non vendidit aurum ob oblivionem, vel ignorantiam, quam habuit. ¶ Dictum est, & *si transacto triennio*, quia cùm toto triennio tale quid nesciret, præscriptionis beneficio uti non potest, quia qui nescit, re vera non possidet, & sine possessione, ut infra habebitur, nulla datur præscriptio. Sed ab hac doctrina

106 Excipitur casus primus, in quo bellum geritur justè, dictusque thesaurus in prædam Militi cedat; nam tunc Militis erit, sicut quodlibet aliud ei cedens. ¶ Secundus, si thesaurus in re aliqua mobili fuerit absconditus, priori etiam venditori ignotus, putà si vendantur sacci lanâ pleni, intrà quam aurum, quid vel aliud pretiosum reperis, cujus dominus omnino ignoratur, pro derelictoque subinde habetur, tunc enim emptor lanæ, vel donatarius, si postea thesaurum, aurum, vel argentum, quid pretiosum vel aliud ibi reperiat, ejus fit dominus, sicut & lanæ, quia prior dominus sacci, cùm latentis illius thesauri scientiam nullam habuerit, uti supponitur, illum nullatenus occupare intendit, proindeque illius dominium non sibi acquisivit, & cùm aliunde de altero domino talis thesauri notitia ulla non habeatur, neque, debita diligentiâ facta, haberi queat, inventoris illius dominium remanet, sicut remanet dominium sacci, & lanæ. Et res hæc

Explicatur exemplo; ponamus quod Miles in bello justo, justèque hosti saccos comestibilibus, vel aliis refertos abstulit, in quibus plures monetæ aureæ, aureæ vel laminæ erant, quodque id dictus Miles ignorans, postea præfatos vendidit saccos, in quo casu dicitur quod Miles, venditione facta, jus ullum ad dictas monetas, laminas vel illas aureas non habet, neque ad pretium pro illis exigendum, quia, cùm latuerint dum ipse saccorum dominus erat, earum dominium non acquisivit, sed transiit ad reperientem illas in saccis. ¶ Idem dicitur quando Pharmacopola agnoscens magnam utilitatem in herba, alias inutili, & quæ empta bestiis danda erat in pabulum, eo quod herbarum continetur in fasce, ut cum aliis in pabulum equorum, vel jumentorum vendatur, qui dictum herbarum fascem emit communi currenti pretio. Et sic in consimilibus aliis. Legatur *Lessius sup. cap* 5. *Dub.* 15. *Lugo sup. Sect.* 11. *num.* 130. *Tamburr. lib.* 8. *Tract* 4. *cap.* 3. ubi sequentem, valdeque curiosum casum sub his verbis apponit.

Noctu quidam avarus senex terræ infodit thesaurum, ego id casu præsenti, possum nè hodie judicare illud aurum esse derelictum, & illud mihi effodere? Respondeo; si *tum certus* eum non effodisse ad custodiam, sed animo ut ille thesaurus in posterum lateret, & pateret nemini, possum tutò mihi auferre: at si advertam infodisse ad veram custodiam, certè non possum. Ratio utriûsque dicti est: quia, si ad custodiam, non desiit auri dominium apud so-

ncm,

nem, at si, ut lateret in posterum, jam præsumitur senem abjecisse à se, suisque hæredibus illius thesauri dominum, instar Cratis Philosophi, qui omnes suas divitias in mare projecit, ut eò liberiùs vacaret Philosophiæ. Hæc Tambur. Sed quomodo illius senis, aut alterius cognoscendus sit hic, vel ille animus, hoc opus, hic labor est.

SUBLECTIO II.

Prosequitur materia precedens agendo de rebus ab uno deperditis, & inventis ab altero.

107 CIrca bona alia incerta (scilicet ea, quæ quidem verè proprium dominum habent, sed quisnam ille sit ignoratur, uti sunt bona casu amissa, & ab alio inventa, veluti anulus aureus, margarita, pretiosus lapis, vestis, crumena cum nummis, & hujusmodi, & idem, si res perditæ sint animatæ, ut equus, &c. quæ vulgò *bona mostrenca* vocantur, de his nanque, sicut de inanimatis illis idem est sermo, & resolutio eadem. Licèt alii de mostrencis bonis, sive de animalibus deperditis, quorum dominus non comparet, diligentiâ facta, aliud dicant *apud Salmant. sup. P. 8. §. 2. num.* 88. quare de omnibus in eodem sensu loquendo

108 Dicitur quod, si deperdita aliqua alicujus res inveniatur ab aliquo, iste talis tenetur omnem moralem diligentiam apponere ad detegendum ejus dominum, eòque maiorem, & diuturniorem, quò maioris momenti sit res perdita, pretiosior nanque res exactiorem diligentiam de se exigit, quàm illa, quæ de se vilior est, vel non tam pretiosa, id totum, quod prudentis arbitrio communiter relinquitur, talisque diligentia ab inventore rei fieri debet, quia ejus constitutus est depositarius usque dum deperditæ rei reperiatur dominus, non semel, sed multoties, non solùm voce, sed schedulas in Ecclesiis, aliisque locis publicis ponendo in loco, ubi res perdita fuerit inventa, & etiam in proximioribus, in quibus prudenter suspicari potest quod dominus, ejus vel hæredes reperiri, & detegi valent, reique domino, vel ejus hærede comperto, reique perditæ certa signa dante, omnino ei integra res tradenda erit, (secus autem, si signa non dederit certa) quin inventor pro rei inventione aliquid exigere valeat, (vulgo *Alviçaras*) bene tamen pro expensis in custodienda, & conservanda re præmissis, remque tanquam pignus apud se detinendo, donec expensæ dictæ ei solvantur. ¶ Item, si res dominus pro inventione rei gratis ei aliquid condonet, illud tuta conscientiâ accipere, & retinere. Hæc communia sunt, & de quibus legi poterunt *Salmant. sup. num.* 82. *&* 83. ibid ex aliis dicentes quod, si inventor *scit rem à se inventam unt ex duobus, vel tribus deberi, nescit verò determinate cui, illis reddere debet, ut inter se dividant, aut sortem mittant, vel uni applicent, aliis facta compensatione, quia omnes habent jus in re illa, licèt dubium singuli.* Hæc ipsi ibi: sed tu cogita.

109 Ast quid, si post debitam dictam diligentiam pro rei domino reperiendo positam, talis rei non compareat dominus? Variant DD. & valde probabiliter omnes, sicque duplex sententia extat, quarum prima (quæ probabilior apparet) dicit, & resolvit tunc casus, inventorem ex justitia teneri pauperibus, vel aliis operibus pis inventam rem applicare, & distribuere. Ita cum aliis *Molina tom 3. Tract. 2. Disp.* 764. cum multis, & aliis *Salmant. sup. legendi à num.* 84. *ad* 87. apud quos sententia hæc ita probatur; tum quia hæc est consuetudo, & praxis apud pios, & timoratos, tum quia res inventa re ipsa habet dominum vivum, vel defunctum, licèt ignoretur, applicari ergo debet juxta ejus voluntatem rationabiliter præsumptam; & hæc, quod in pauperes, & pias alias causas distribuantur, rationabiliter præsumitur esse; probant alii ex Div. August. lib. 50 Homil. 9. & refertur cap. *Si quid* 14. *Q.* 5. ubi sic: *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti,* & ibid. cap. 8. simul & Div. Hieron. in lib. Levit. referturque in cap. Multi 14. Q. verbis sub istis: *Multi sine peccato putant esse, si quod invenerunt, teneant, & dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? & discant peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat.* His, & aliis minoris momenti sententiam istam probant ejus AA.

110 Sed talibus limitationibus sententia ab ejus AA. afficitur ista, ut à contraria parum, aut nihil discordare videatur. Limitant ergo illam (*apud cit. Salmant.*) dicendo quod, si res in semetipsa, aut in pretio conservari valet, tunc inventor potest, & debet eam retinere, nonque inter pauperes, &c. illam distribuere. Id quod si verum, fere nunquam in pauperes, &c res talis distribui potest, cùm res aut in se, aut in pretio conservari per tempus longissimum possit ¶ Secundò limitant in casu, quo inventor *compositionis Bullam accipiat,* cujus virtute dicunt inventorem, dicta Bullâ sumpta, inventam rem sibi optimè retinere posse; in quo casu jam inventor rem pauperibus ex justitia distribuere non tenetur, sed sibi eam applicare potest. ¶ Limitant tertiò in casu, quo inventor sit pauper, tunc enim dicunt, pauperem inventas res in toto, vel in parte sibi applicare posse per semetipsum, si fraus absit, per arbitrium autem Confessarii, vel viri docti,

docti, si fraudis periculum adsit. Et si hoc verum, jam non absolutè verum illud aliud sententiæ istius, scilicet quòd inventor res inventas inter pauperes distribuere debet, aut aliis operibus eas applicare: nam qui sibi totum relinquit, distributionem inter alios non facit, neque piis aliis operibus applicat; & itidem qui sibi res applicat, non sibi ex justitia applicationem facit, ut de se patet. ¶ Quarto limitant dicentes quod, si post rerum inventarum legitimam distributionem dominus compareat, ad nihil inventor manet obligatus, & idem in casu, quo ipse inventor probabilem opinionem bona fide sequendo inventas res apud se consumptas jam habeat, (nonque ex eo ditior sit factus) quodque neque pauperes, inter quos distributæ res fuerunt, aliquid apparenti domino restituere debent, & si res sibi datas in ipsamet rerum specie, vel in æquivalenti adhuc post se habeant. In quibus sententia hæc cum contraria non parum concordare videtur, videtur vel parum ab illa discordare, si limitationes hæ meditentur attentè.

111 Opposita tamen sententia (quæ & si non sit ita pia, est tamen valde probabilis, atque tutissima praxi) contrarium tenet, & dicit, debita pro detegendo rerum perditarum domino diligentiâ posita, eoque non apparente, inventor jam tunc, domino amplius non spectato, pauperibus, vel aliis piis operibus res tales ex justitia nullatenus distribuere teneri, sed sibi eas, sive pauper sit, aut dives, licitè retinere posse, in propriisque sumptibus insumere eas. Sic tenent plurimi, gravissimi, classicique DD. *apud Salmant. sup. num.* 84. quam & ipsi probabilem judicant, praxique tutam num. 85. juncto num. 86. quatenus ibi dicunt: *Probabilius tamen dicendum est*, & infra: *Imò si inventor bona fide sequendo opinionem probabilem rem consumpserit, domino comparente, nihil tenetur restituere*, & insuper eam tenent Mastrius Disp. 3. Theolog. Moral. num 52. Hermes Disp. 4 de Just. & Jur. Q. 8. num. 149. & alii. Et

112 Sententiam istam probare oportet, sicque probari potest primò: (destruendo principale, nè dicamus unicum, fundamentum sententiæ contrariæ dicentis interpretativam voluntatem prioris domini esse, ut sua bona deperdita post debitam diligentiam factam, eoque non invento, vel ejus hæredibus, expendantur pro salute Animæ ejus, adeòque in usus pios) nam prioris domini interpretativa voluntas est, ut res suæ in statu eo maneant, quo faciliùs eas recuperare valeat, sed faciliùs ipse eas recuperare valet, si apud inventorem ipsæ maneant, quàm si pauperibus, & aliis piis operibus distribuantur, nam in his distributæ statim consumptæ erunt, manentes verò apud inventorem interdum casu ab ipsarum domino, vel ejus hæredibus clarè, & distinctè cognosci poterunt, sicque iterum recuperari, uti si perdita res sit vestis, liber, anulus, gemma, mulus, vel equus, & hujusmodi, ut de se patet, nonque præscriptionis tempus jam sit transactum: non ergo ex justitia inventor deperdita bona inter pauperes, & opera pia distribuere tenetur, domino non invento; ea ergo retinere potest, tanquam depositarius, usque dum tempus præscriptionis adveniat, eoque advento, (quod est triennium) sibi retinere ea, eum jure in eo favente. Et per hoc solum fundamentum primarium, & præcipuum sententiæ contrariæ funditus eradicari videtur.

113 Secundò probatur, quia bona ea, quæ pro derelictis habentur, vel ut tales judicantur à domino haberi, sunt inventoris, seu primi occupantis, dicente Magistro Angelico 22. Q. 66. Art. 5. ad 2. *Quædam verò res inventæ fuerunt de propinquo in alicujus bonis, quæ si pro derelictis habeantur, & hoc credat inventor, licèt eas sibi retineat, non committit furtum.* Sed juxta Salmant. cit. P. 8. num. 77. *Si ratione temporis longinqui transacti, vel loci distantia ita res sit extra potestatem domini, ut ab illo non possit ullo modo recuperari, nec ut suam eam cognoscere, pro derelicta habetur*; cùm ergo, debita diligentiâ modo sup. dicto pro detegendo rei, vel rerum perditarum domino posita, eoque non comparente, res *sit extra potestatem domini, ut ab illo non possit ullo modo recuperari, nec ut suam eam cognoscere*, eo quod dominus talis rei non comparet, inde sit inventorem non eam pauperibus ex justitia distribuere teneri, sed posse eam pro derelicta habere, & ita esse, inventorem credere, consequenterque eam sibi retinere. Et

114 Confirmatur primò: nam in Jure idem censetur esse dominum rei non comparere, ac rem nullius esse, vel pro derelicta haberi, id quod patet: nam ipsa Respublica hujusmodi bona inventa quandoque pauperibus, & quandoque suis propriis necessitatibus applicat, id quod nullatenus facere posset, nisi censeret ea bona nullius esse, vel pro derelictis haberi. Tum sic: sed bona, quæ nullius sunt, seu pro derelictis habentur, Jure naturæ communia sunt, Jureque Gentium fiunt primi occupantis: ergo, &c.

115 Secundò confirmatur: nam nulla Lex naturalis positiva, vel Gentium præcipit quod talia bona inventa pauperibus erogentur, ad pias vel causas applicentur: ergo tale quid ex justitia fieri non debet; consequentia tenet, & antecedens probatur: nam Lex naturalis, & Gentium ubique eadem est, omnesque Gentes conformiter obligat; sed non omnibus Gen-

tibus, imò neque Fidelibus omnibus (id quod plus est) talis hæc persuasio inest, aut observatur, ut scilicet, inventa re aliqua, voluntatem concipiant eam in pauperes erogandi, operibus vel piis eam applicandi, quin potiùs voluntatem concipiant eam custodiendi, domino restituendi, si fortè compareat, eoque longo tempore non comparente, perinde esse, ac si res domino careat, pro derelictaque esse, consequenterque eam sibi applicare: ergo, &c. Et

116 Ex hactenus dictis jam patet ad illud, quod *sup. num.* 109. à ratione in contrarium affertur, ut consideranti patebit, & quo ad illud de praxi virorum piorum, & timoratorum additur quod viri illi fortè erunt scrupulosi, & ideo tale quid praxi mandent, non verò quia certò de facto ex justitia ad id teneantur. ¶ Accrescit primò quod à multis viris piis, & timoratis multa praxi mandantur, quin ad id aliquo modo teneantur, id quod patet (multis aliis missis) in circunstantiis solùm notabiliter aggravantibus, quas viri pii, & timorati confitentur, & tamen in via *Div. Thom* communiorique sententia ad id nullo modo tenentur, cùm solùm peccata secundùm speciem, & numerum confiteri teneatur homo. ¶ Secundò accrescit quod etiam in casu nostro, & de quo sermo, multi viri pii, & timorati contrarium exercent, conservando, veluti depositarii, rem inventam apud se, nonque illam pauperibus, &c. distribuendo, unde clarè patet quod dicta ratio, vel argumentum firmas, & solidas radices non habet, nec vel habere videtur.

117 Ad auctoritates in contrarium adductas, nimirum, *si quid invenisti*, &c. & *Multi sine peccato*, &c. facilis est resolutio. Dicitur enim quòd ibi sermo fit de inventoribus illis, qui res alienas inventas dominis suis, etiam certò cognitis, comparentibus, requirentibus, resque suas repetentibus, reddere nolunt, vel de illis, qui nullam diligentiam adhibent in inquirendo, vel detegendo rei dominum, ut eo invento, res iterum ad ejus manus perveniat, id quod verè iniquum est, suumque rapinæ fortitur genus. ¶ Quod si Lex, textus vel aliquis in contrarium adducitur, uti Authentica *Omnes peregrini*, quæ loquitur de bonis intestatis, & *cap. Cùm tu de usuris*, quod loquitur de bonis injustè, & ex delicto, utpote per usuram acquisitis, & sic de aliis in consequentiam trahi non debet, quia loquitur in sensu diverso, & in eorum nullo ostenditur titulus dominium acquirendi, sicut ostenditur in rebus inventis, qualis est titulus de rebus habitis pro derelictis, præscriptionis, &c. ut sup. est habitum. Quare sententiam istam probabilissimam esse, & tutissimam praxi negare non possumus; consequenter eam Confessarii tutissimè pœnitentibus suis perditarum rerum inventoribus consulere posse, maximè si pauperes sint, eosque cum inventis rebus relinquere, suprà jacta diligentiâ debita supposita.

LECTIO VIII.

De acquisitione dominii per præscriptionem, vel usucapionem.

118 *Præscriptio* (prout de ea hîc loquimur) exceptio illa est, quæ rei domino vendicanti rem suam ab alio opponitur ratione temporis à Lege præscripti, conditionumque ad id requisitarum (de quibus infra) possessam, vel est acquisitio dominii, sive alieni juris, aut realis, sive personalis præscriptio per continuationem temporis Lege definiti, requisitasque alias conditiones; sicque brevius, & compendiosè definitur ab aliis, dicendo quod est *acquisitio dominii, & juris alieni peremptio cum continuatione possessionis tempore à lege præscripto*, cum qua definitione illa concordat quæ L. 3. ff. de usucapion. pro usucapione confertur ibi: *Usucapio est acquisitio, vel adjectio dominii per continuationem possessionis temporis Lege definiti*: (usucapioque dicitur, sive vocatur, quia per usum aliquid ut suum capitur.) Et per ly *acquisitio dominii* juris alterius elisio subintelligitur etiam, per quam scilicet jus similiter acquiritur aliquod, quod antea competebat alteri. ¶ Et licèt aliqui inter præscriptionem, & usucapionem illam distinctionem apponant dicendo quod prima sit immobilium rerum, ut vineæ, agri, &c. secunda vero mobilium, uti sunt vestes, libri, pecora, &c. hæc tamen distinctio rejicitur, nam usucapio quandoque etiam est immobilium rerum, uti clarè constat ex Instit. de usucap. in princip. uti bene adnotarunt *Salmant. sup. P. 9 num. 99.* proindeque meliùs alii distinguunt, dicendo quòd usucapio propriè tantùm rebus corporalibus convenit, præscriptio verò tam corporalibus, quàm incorporalibus, ut juribus, &c. Unde præscriptio latiùs patet, quàm usucapio, omnisque præscriptio est usucapio, non tamen è contrà, sed utraque pro eodem communiter desumitur hodie, ac ut nomina habentur synonyma, sicque de utriusque sermo hic permistus erit.

119 Præscriptionis, sive usucapionis Jus humano, tam Civili, quàm Canonico introductum fuit, id quod fuit justissimè factum; & ad introductionem beneficii istius (quod quidem est maximum) non defuerunt justæ, & rationabiles causæ, quarum una fuit publica, & communis utilitas, pax, & tranquillitas publica,

publica, uti expressè habetur L. 1. ff. de usucap. ubi sic: *Bona publica introducta est usucapio, nè diu, & ferè semper quarundam rerum incerta essent dominia.* Et equidem ex eo, quod quis rem istam, vel illam emat, &c. non statim sequitur rem esse suam, & idem, si res legata, donata vel sit alicui, potest enim esse furtiva, atque adeò, si ille, qui mihi rem venditione, donatione, legato tradidit, dominus talis rei non erat, non me illius dominum constituere potuit, id quod est juxta Regul. 79. Juris in 6 dicentem: *Nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur.* Quo circa nisi Lex ob diuturnam possessionem bona fide habitam, justoque titulo comparatam, illius rei expressè mihi attribueret, nunquam de hoc certus, neque securus essem, semper nanque timere possem nè postea talis rei dominus appareat, probetque talem à se, vel à parentibus suis injustè fuisse ablatam, remque talem sibi vendicet, unde quotidie ferè innumeræ orirentur lites circa rerum proprietates, & ut vitarentur, ac in Republica qualibet pax, & tranquillitas conservaretur, idcirco præscriptionis, seu usucapionis beneficium fuit introductum.

120 Causa altera fuit, ut hac ratione, negligentia, ac desidia hominum res, juraque sua prosequi negligentium, vel acuatur, vel puniatur, ut sic non segnes, negligentesque essent in rebus, juribusque suis tuendis, & conservandis, id quod ex multis Juribus constat. Unde patet præscriptionis Legem justissimam esse, cùm respiciat commune bonum, per eamque, requisitis conditionibus assignandis stantibus, legitimè dominium, non solùm in foro externo, sed etiam in conscientiæ foro transferri de uno ad alterum ita taliter, quòd, si præscriptio cujusque rei legitimè sit completa, post modum rei possessor ad restitutionem non teneatur, etiam si postea certò, & evidenter cognoscat rem fuisse alienam, & etiam si proprius, verusque dominus rei appareat, certò, evidenterque probet, & demonstret talem suam esse, vel fuisse, id omne, quod communissimum, passimque tritum est inter DD. de re hac scribentes.

121 Hìc quæri ab aliquibus solet an, si quis præscriptam jam rem legitimam habens, vel usucaptam, & postea pristino dòmino repetenti, nihil excipiens, ei eam præbeat ob ignorantiam juris, quam habet; poterit postea juris scientiam habens, rem eandem, vel in æquivalenti, tanquam indebitè restitutam, vel datam, repetere? Respondeturque affirmativè. Ratio est: quia illa res per præscriptionem, vel usucapionem legitimam jam facta est sua, ipseque proprius, verusque ejus est dominus, minimè verò ille alius dominus pristinus; cùm ergo per errorem, vel ignorantiam ei fuisset præstita, optimè potest, rei scientiâ habita, iterum eam ab eo auferre eo meliori modo, quo fieri possit, juris nanque ignorantia, & si non excuset, dum de acquirendo agitur, excusat tamen, dum agitur de damno jam rei acquisitæ; constat autem per præscriptionem, seu usucapionem dominium rei plenum transferri in præscribentem, & usucapientem, secundùm quod in Jure decernitur: qui ergo præscriptione, vel usucapione jam plenè acquisita per ignorantiam juris pristino domino rem restituit, postea certificatus de jure, eam tanquam naturaliter, & civiliter indebitam optimè condicere, & repetere potest, *juxta tit. ff. & Cod. de condictione indebiti.* Legatur Layman lib. 3 cap. 8. num. 23. ¶ Hìcque communiter notatur quod Judex ex officio repellere debet Actorem, contra quem præscriptum est, & si præscribens Reus conventus nihil excipiat.

SUBLECTIO I.

De conditionibus ad legitimam præscriptionem necessariò requisitis, & primò circa condit. res apta, & titulus justus.

122 AD hoc ut res aliqua præscribi, vel usucapi legitimè possit, conditiones quatuor necessariò sunt requisitæ, quarum prima est, ut res præscribenda, vel usucapienda de se *apta sit* usucapi, sive præscribi. ¶ Secunda quod adsit *bona fides*, sive credulitas, qua quis prudenter sibi persuadeat rem, quam possidet, esse suam, vel saltem alienam esse inculpabiliter nesciat. ¶ Tertia, quod adsit *justus titulus*, id est, verus, vel præsumptus. ¶ Quarta, quod rei possessio adsit. ¶ Quinta, quod sit tempore legitimè continuata, quæ omnes conditiones sequentibus clauduntur in versibus.

Non usu capies, nisi sint tibi tatia quinque;
Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus,
Possideas justè completo tempore Legis.

De quibus conditionibus omnibus tractant DD de Dominio agentes, & de quibus etiam hìc, estò calamo brevi, oportet & nos aliquid dicere. Itaque

123 Prima ad præscriptionem legitimam necessaria conditio est, quod res, quæ præscribi valet, *sit res apta* præscribi, id est, quod talis sit, ut per aliquam Legem, vel ob specialem aliquam rationem præscriptionem dari de illa non sit prohibitum, sive permissum. Et hinc de rebus furtivis, aut vi possessis nullatenus à furantibus, vel rapientibus dari potest præscriptio, maximè cùm in illis titulus justus, bonaque fides desint; id quod ita decernitur §. *Furtiva, Instit. de usucapion.* ubi sic dicitur: *Furtiva*

tivas res, & quæ vi possessa sunt, non possunt usucapi, id est, à fure, vel rapiente, nam à tertio alio, qui à fure, aut raptore eas bona fide, emptione, donatione, legato, &c. accepit, bene præscribi possunt, si ad id longum tempus adsit, nempe annorum triginta, uti communiter DD. tenent, & probant ex *L. Sicut in rem, Cod. de præscription* 30. *vel* 40 *annorum*. Pro quo legantur Salmant. sup. num. 119. ad 122. pariter etiam §. *Res Fisci, Instit. de usucap.* habetur quòd res Fisci usucapi non potest, & tamen, si jam incorporata sit, annis quadraginta præscribitur, vel usucapitur, juxta *L. Omnes, Cod. de præscript.* 30. *vel* 40. *annorum*. Lugo tamen tom. 1. de Just. Disp. 7. Sect. 8. à num. 183. docet, & probat res furtivas nullo unquam tempore præscribi posse ab aliquo.

124 Similiter præscribi nunquam ea possunt, quæ Divino Jure competunt alicui, uti Papæ jurisdictio ¶ Idem de rebus sacris, & Ecclesiasticis, uti Calices, Monasteria, Ecclesiæ Decimæ, jurisdictio in personas, vel in bona Ecclesiastica, &c. juxta cap. *Cum sanctæ extra de præscript.* Hæc enim præscribi non possunt, maximè à personis laicis, cùm talium rerum sint incapaces, bene tamen à laicis jus patronatûs præscribi valet, cùm hujus juris sint capaces. ¶ Deindè homo liber nullo unquam tempore præscribi valet. ¶ Neque etiam res publicæ, publicisque usibus deputatæ, uti publica via, pons, fons, forum, & hujusmodi.

Titulus justus.

125 CIrca conditionem *Titulus justus* dicitur quod ad legitimam præscriptionem *titulus justus* necessariò requiritur, qui quidem non necessariò debet esse *verus*, quodque à parte rei subsistat, (dato nanque titulo vero, traditione, possessioneque rei habita, talis rei verè transfertur dominium, quin opus sit præscriptione uti) sed satis, superabundeque est, quod sit rationabiliter præsumptus, vel putativus, in præsentique nomine *tituli* intelligitur quælibet causa de se habilis ad transferendum dominium, uti sunt donatio, emptio, transactio, hæreditas, legatum, &c. quod autem justus titulus ad præscribendum necessariò requiratur, constat ex cap. *Si diligenti de præscript. L. Celsus, ff. de usucap* docetque communis. ¶ Sed communiter notatur quod dum dicitur quod *titulus justus* est necessarius ad præscriptionem, intelligi debet *regulariter*, sive ad præscribendum *tempore ordinario*, nempe per annos decem, viginti, vel infra, ad præscribendum nanque tempore extraordinario, sive longo, putà per possessionem annorum triginta in aliquibus rebus, aut longissimo, putà per possessionem annorum centum rebus in aliis, de quibus infra, satis est rei possessio per tempus illud, quin necessarius sit alius titulus; tunc enim ipsa rei possessio cum bona fide ab initio possessionis continuata ad rectè præscribendum verus, & justus est titulus, multoties nanque inter res suas multa habet homo, quin sciat quo titulo, (id quod frequèter contingit in bonis à patribus filiis relictis, maximè mercatoribus) sæpeque numero oblivisciturtituli, quo res possidetur; an scilicet possessa sit ex contractu emptionis, & venditionis, nunquid verò ex legato, donatione, hæreditate, &c. Legantur *Salmant. sup. n.* 103. *Layman lib.* 3. *Tract* 1. *cap.* 8. *Lugo ubi sup. Sect.* 2. *Lessius lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 12.

SUBLECTIO II.

Circa conditionem Bona fides.

126 B*Onam fidem* maximè necessariam esse in rem possidente, ut rem possessam legitimè, justèque præscribere queat, res est manifesta, indubia, & inconcussa apud omnes, constatque ex Regul. 2. in 6. ac ex cap. final. de præscript ubi sic legitur: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica, quàm Civilis, cùm generaliter sit omni constitutioni, & consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari, unde oportet ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam*, doctrinaque est Div. Thom. qui legendus Quodlibet. 12. Art. 24. in corp. per quod plures Civiles Leges Canonico Jure fuerunt correctæ, statuentes olim ut præscriptio triginta, vel quadraginta annorum, etiam cum mala fide, legitima esset, quas Leges Angelicus Doctor ubi proximè ad 1. *Tyrannicas* vocat per hæc verba: *Dicendum quòd Leges tales tyrannicæ sunt, & non absolvunt à conscientia, sed à foro judiciali, & violentiâ*. Quare ad præscriptionem legitimam requiritur bona fides *Theologica*, ut scilicet quòd quis credat se sine peccato mortali possidere, & etiam *Civiliter*, id est, quod tali possessioni Leges non resistant, nanque ubi Lex usucapionem inhibet, nihil usucapienti bona fides prodest, ait Pomponius L. 24. ff. de usucapion. ¶ Bona autem fide possidere ille dicitur, qui vel credit rem à se possessam esse suam, aut nescit certò alienam esse. Mala verò fide possidere dicitur ille, qui certò scit, vel certò credit rem esse alienam, aut non scit, non vel judicat esse suam, aut culpabiliter utrumque ignorat; quorum terminorum intelligentia ex dicendis magis constabit. ¶ Dictum est

fine

sine peccato mortali, nam, stante solo veniali peccato, cum eo præscribi posse docetur, & probatur *apud Salmant. sup. num.* 109. ubi omnino legendi, & colligitur ex cit. cap fin. verbis ab illis, *quæ absque peccato mortali non potest observari.*

127 Sed tamen bona fide (cum cæteris simul conditionibus) habita, semper, & in omni eventu, in uno, & altero foro legitimè præscribere potest, de factoque præscribit, & usucapit, verumque dominium rei acquirit ita taliter, ut si, postquam legitimum præscriptionis tempus transactum, certò sciat rem alienam esse, vel rei dominus, ejus vel hæres adveniat, ei rem reddere non teneatur, nec ad hoc ullo jure possit constringi; legitima nanque præscriptio in utroque foro dominium confert, ut tenent unanimiter omnes, & liquidò constat ex hactenus dictis, estque res expressa in Div. Thom. ubi sup. ubi sic: *Dicendum quòd, si quis præscribit bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiam si sciat alienum fuisse post præscriptionem, quia Lex potest aliquem pro peccato, & negligentia punire in re sua, & illam alteri dare, & concedere, &c.* ¶ Sed à doctrina sub hoc num. habita excipe casum, in quo prior rei dominus per Judicem in integrum restituatur Pro quo 3. *P. Tract.* 18. *cap.* 2. *L.* 3. *Subtect.* 2. legantur ea, quæ de Restitutione in integrum ibi tradidimus. Pro quo etiam, & pro hîc dictis legantur *Salmant. sup. P.* 9. § 2. *á n.* 110. *ad* 112.

128 Ignorantiam facti bonam fidem ad præscribendum non tollere, bene tamen ignorantiam Juris, constat apertè *ex L.* 4. *ff. de jur. & facti ignorantia* ibi: *Juris ignorantia in usucapionibus negatur prodesse, facti verò ignorantia prodesse constat*, resque hæc in *L.* 2. *ff. pro emptore* ita exemplificatur: *Si á pupillo emas sine Tutoris auctoritate, quem puberem esse putas, dicimus usucapionem sequi ::: quòd si scias pupillum esse, putes tamen pupillis licere res suas sine Tutoris auctoritate administrare, non capies usu, quia juris error nulli prodest.* Et hoc est clarum quo ad *ignorantiam facti*, docetque communis.

129 *Quo ad ignorantiam tamen juris* variant DD. quorum plures dicunt quod ignorantia Juris clari in utroque foro præscriptionem omnino impedit; (secus si ignorantia fuerit circa Jus dubium, ex eo, quod circa jus probabiles sint opiniones utrinque) excipiunt tamen primò quando talis ignorantia Juris clari, etiam civiliter, merito inculpata censetur, qualisque toleratur, ut in Militibus, minoribus, rusticis, mulieribus, & similibus, consultoris non habentibus copiam; in talibus nanque, aiunt, mala non præsumitur fides, & si cum errore clari Juris procedant. ¶ Secundò excipiunt præscriptiones illas, in quibus absque titulo valet præscribi, uti est præscriptio annorum triginta, eo quod Jura de ordinaria præscriptione duntaxat loquuntur. Et ita plures apud Salmant. citandos.

130 Plures verò alii contrarium resolvunt, & dicunt quod, licèt *juris clari inculpata ignorantia* præscriptioni officere possit, non tamen obesse ei valet in conscientiæ foro, quodque in conscientiæ foro omnis ignorantia invincibilis, sive facti, sive Juris, etiam clari, malam fidem omnino excludit, consequenterque cum omni tali ignorantia optimè posse præscribi. Ratio est: nam Leges in tantum dicunt cum ignorantia Juris præscribi non posse, in quantum præsumunt bonam fidem componi, vel stare non posse cum illa, & hoc, nè in exteruo foro locus fallaciis, & fraudibus detur; constat autem quod quando forum externum falsæ præsumptioni innititur, illi internum forum conformari non tenetur, ut est quid passim tritum, constatque ex dictis à nobis, ubi de Legibus: si in interno igitur foro nullam subesse fallaciam constet, & cum ignorantia invincibili Juris verè processisse, tunc talis ignorantia usucapioni, vel præscriptioni obesse non potest. Et ita cum aliis *Salmant. qui legendi á n.* 115. *ad* 118. *ubi suprá.*

131 Dubium post rei possessionem ortum non tollit bonam fidem ad præscriptionem necessariò requisitam, bene tamen dubium habitum ante rei possessionem, quod est dicere quod ille, qui post inchoatam rei possessionem dubitare incipit utrùm res jam à se possessa sua sit, an verò aliena, iste talis bonam fidem habere dicitur, verèque illam habet, licitèque possessionem continuare potest usque dum præscribat, dummodo interim ad cognoscendum an res sit aliena debitam diligentiam adhibeat; ille verò, qui antecedenter ad rei possessionem, vel ab initio, sive principio ipsius possessionis dubium habuit, vel dubitare incepit an res esset aliena, malam, nonque bonam fidem habere dicitur, & habet, sicque, tali dubio stante, licitè possidere non valet, neque præscriptionem inchoare, quandiu manet dubitatio illa, & ratio utriûsque ea est: nam juxta Regul. 65. Juris in 6. *in dubiis melior est possidentis conditio*; sed pro illo, qui bona fide possidere incepit, eique postea subortum fuit dubium, re vera stat possessio; secus verò pro illo, qui ante rei possessionem, aut in initio, vel principio possessionis rei dubium habuit: primus ergo ille bonam fidem habet, illam continuare potest, quin tale dubium interrumpat possessionem, neque præscriptioni officiat, cujus contrarium dicitur, dicique debet de illo secundo. Communis, cum multis & *Salmant. legendi*

legendi sup. num. 113. & 114.

SUBLECTIO III.

Circa conditionem temporis.

132 TAndem ad legitimam præscriptionem rei possessione, bona fide suppositâ, continuatio possessionis per tempus legitimum Regibus vel definitum, necessario omnino requiritur, pro quo advertendum primò aliam esse præscriptionem temporis ordinarii, quo ad res ab antecessore bonæ fidei acquisitas, (de qua hic sermo) aliam esse præscriptionem temporis extraordinarii quo ad res à malæ fidei possessore acquisitas, de quibus jam mentionem fecimus *sup. num.* 123. & de quibus legi poterunt *Salmant. sup. num.* 119. *ad* 122. ¶ Secundò aliam esse præscriptionem longi temporis, nempe decem annorum inter præsentes, viginti autem inter absentes; aliam temporis longissimi, videlicet triginta, aut quadraginta annorum; aliam temporis plusquam longissimi, nimirum 100. vel amplius annorum, aliam temporis immemorabilis, eam videlicet, cujus nulla habetur memoria. ¶ Tertiò præsentes quo ad propositum eos dici, qui in eadem commorantur Provincia, absentes verò qui in diversis Regionibus habitant, & juxta *Lugonem de Just. Disp.* 6. *num.* 67. id, quod de diversis Provinciis dictum est, dicitur etiam de diversis territoriis, proprium suum Gubernatorem habentibus, qui soli Principi, vel Senatui subest, juxta quem dicendi modum illi præsentes esse dicuntur, qui in eodem territorio habitant, licèt non in eadem Civitate, vel loco, absentes verò qui in territoriis commorantur diversis. ¶ Et juxta *Authent. quòd si quis, Cod. de præscript. longi temporis* ab aliquibus Juris Consultis etiam additur quod, si quis partim sit præsens, partim verò absens, absentiæ tempus duplicari debet ita, ut supra decennium tot adjiciantur anni, quot annis ex decennio fuit absens, atque adeo si quis per octo annos fuit præsens, & per duos annos absens, duo hi absentiæ anni duplicandi erunt, adhucque duo addendi taliter, quod præscriptio hæc ante annos duodecim non compleatur. ¶ Quartò inter res mobiles, & immobiles sic distinguendum, quod scilicet res *mobiles* eæ sunt, quæ de loco ad locum moveri possunt, uti pecunia, vestis, navis, animalia, &c. *immobiles* verò eæ, quæ à loco moveri non possunt, uti sunt domus, prædia, agri, &c. ¶ Immobilium nomine comprehenduntur & etiam *jura*, & *actiones ad immobilia* (non verò actiones ad mobilia, actio namque ad certæ pecuniæ debitum res mobilis dicitur, sicut res mobilis est pecunia ipsa.) ¶ Insuper sub *immobilium nomine* Beneficia veniunt, & etiam census, redditus, jus patronatûs, ususfructus, servitutes prædiorum, & hujusmodi, quippe omnia hæc fixa permanent, ac instar immobilium fructum suum, commoditatemque secum afferunt. ¶ Quintò tandem quo ad res longissimo tempore præscribendas videndum, vel attendendum est an cum, vel sine titulo possideantur. ¶ Item an res mobiles sint, an verò immobiles. ¶ Item an res privati alicujus sint hominis, an autem Communitatis, Ecclesiæ, vel Monasterii, Principis, Fisci, quibus omnibus sic adnotatis,

133 Dicitur primò quod ad præscribendum cum titulo, bonaque fide res mobiles adversùs quemlibet, trium annorum spatium, seu tempus requiritur inter præsentes, annorum autem quatuor inter absentes. ¶ Dictum est *adversùs quemlibet*, ut intelligas id verum etiam habere non solùm respectu cujuslibet hominis particularis, sed etiam respectu bonorum cujuslibet Ecclesiæ (si Romanam Ecclesiam excipias) Constat *ex* §. 1. *Instit. de usucap. & L unica, Cod. de usucap. & ex Authent. quas actiones, Cod. de Sacrosanct. Ecclesiis*, ubi sic legitur: *Usucapione triennii, vel quadriennii præscriptione in suo robore durantibus, sola Romana Ecclesiâ gaudente centum annorum spatio, vel privilegio;* unde patet contra Romanam Ecclesiam solam, sive ejus bona immobilia sint, sive mobilia, (quia Authentica dicta generaliter, ac sine distinctione mobilium, sive immobilium loquitur) nisi spatio centum annorum præscribi non posse, bene autem contra alias particulares Ecclesias. ¶ Excipe & etiam res pupillorum, sive mobiles, aut immobiles, nam *juxta L. Sicut in rem, Cod. de præscript triginta annorum*, contra horum bona nullo tempore, dum pupilli sunt, præscriptio aliqua datur. ¶ Ad præscribendum autem contra minorum bona, qui quidem vigesimum quintum ætatis annum non expleverunt, extraordinarium tempus, scilicet triginta annorum, inter præsentes, & quadraginta inter absentes requiritur, *juxta L. ult. Cod. in quibus causis.*

134 Secundò dicitur ad cum titulo immobilia privatorum bona præscribenda requiritur spatium decem annorum inter præsentes, annorum autem viginti inter absentes, absque titulo autem triginta annorum spatium utrobique requiritur, cujus rei prima pars expressè habetur dicto §. 1. *Instit. de usucap.* Secunda autem ex cit. Leg. *Sicut in rem.* ¶ Ad præscribenda verò immobilia bona contra Ecclesiam, Monasterium, vel Hospitale, contra & pias alias causas requiruntur triginta anni inter præsentes, & quadraginta inter absentes, uti

constat

constat ex cit. Authent. *quas actiones*, ac ex Juribus aliis. Sed

135 Excipiuntur primò Ecclesia Romana, ut sup. est habitum, cujus bona tam mobilia, quàm immobilia nisi per spatium centum annorum non præscribuntur. ¶ Secundò bona ea, quæ Civitatibus legata, donata, vel vendita fuerunt, quæ etiam centum annos requirunt, vel exigunt ad hoc, ut præscribi queant. ¶ Tertiò immobilia bona quorundam Monasteriorum, & Religionum, (quo privilegio cæteræ Religiones, quæ in privilegiis participant, gaudent) quæ, nisi post sexaginta annos, præscribi non possunt, uti cum aliis docent legendi Salmant. sup. num. 104. vers. *quibusdam autem.* ¶ Ludovic. Engel. (post alios) in Colleg. Juris Canon. tit. de præscript. asserit. (teste Anacleto, Reiffenstuel in sua Theolog. Moral. Tract. 7. Disp. 6. Q. 3 num. 26. ad fin. fol. mihi 186 Edit Venetâ anno 1718.) Ordini Cisterciensium, nec non & Ordinibus Mendicantibus, primùm in Hispania, & deinde per communicationem in superiori Germania, à diversis Pontificibus concessam esse centennariam præscriptionem. Et circa hoc legatur *Bullar. nostrum Carmelitan. in Mare magno Xysti Quarti* 1. *P. toto n.* 2. *fol. mihi* 202. *junctis foliis* 127. *num.* 75. *fol.* 214. *num.* 13. *ac fol.* 216. *num.* 2.

136 Ex dictis constat quod ad hoc ut legitima præscriptio detur, dari debet cum bona fide non interrupta; sed continuata possessio, consequenterque requiritur quod possessor ante tempus consummatum pro præscriptione à Jure petitum nunquam habeat malam fidem, sive conscientiam rei alienæ, id est, scientiam alienam esse rem, quam possidet, id quod expressè constat ex cit. *cap. fin. de præscript* ubi petitur quod *in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam*, constatque proinde ex Div August. lib. *de Fide, & Operib.* cap. 7. referturque in Jure cap. Si virgo 34. Q. 1. ubi sic: *Prædictum tandiu unusquisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quandiu possidere se ignorat alienum; cum verò sciverit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc mala fidei perhibebitur, tunc justè injustus vocatur*: sic ibi, & quidem perbellè, eleganterque dictum, omnia, quæ dici possunt de re ista, complectens.

137 Quapropter interrumpi bona fides dicitur, simul & præscriptio cessat semper quod mala fides advenit, antequam tempus præsumptionis transeat; dicitur & etiam quòd interrumpitur, si possessio amittatur. Item si possessori lis moveatur, cursus præscriptionis interrumpitur, vel vocabulo alio tunc dormit ita taliter, quod, si alter litem deferat, vel succumbat in ea, præscriptio tunc interrupta non censetur, & etiam si animo solùm præscriptionem interrumpendi litem moverit, uti habetur *in Glos. cap. Placuit*, §. *Potest* 16. Q. 3. præscriptionis cursus dormire dicitur etiam, quando impedimentum aliquod subest, quo sublato denuo præscriptio currit, lapsuque prioris temporis continuatur; uti si tempore belli, aut pestis jus non dicatur, si Ecclesia Episcopo, vel Rectore, qui possit jus dicere, careat, vel si habeat, inutilis tamen sit ad agendum, & item, si is, contra quem præscribitur, agere non possit, ut filius quo ad bona adventitia, & uxor quo ad bona dotalia; & ita cum aliis *Salmant. sup. num.* 106. & passim alii.

138 Bonam fidem antecessoris possessoris prodesse etiam bonæ fidei ejus successoris, huicque adjici, & continuari, quo ad legitimam præscriptionem, communiter resolvitur, constatque *ex L. Dolia, §. Enim, qui, ff. de contrahend. empt.* pone quod Petrus iniquè hoc, vel illud alienum habet, id quod titulo legati, donationis, vel emptionis transtulit Francisco, qui judicans illud verè esse Petri, libenter bona fide accepit, & rursus Franciscus idmet ipsum legavit, donavit, vel vendidit Paulo, qui etiam bona fide donatum, vel emptum accepit, tunc, casus, bona fides Franciscì adjicitur bonæ fidei Pauli, cum illaque continuatur ad hoc ut Paulus, præscriptionis tempore transacto, legitimè præscribere possit. Et idem est in successore aliorum jurium, & immunitatum, atque adeò indubio succedens, fidem bonam possessorum priorum justè præsumere potest, juxta regul. 14 Juris in 6. qua dicitur *eum, qui in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere.*

CAPUT III.

De Dominio, quod apud Religiosos potest, vel non esse potest.

CUm Tract. in hoc de Dominio faciamus verba, non est cur de Religiosorum Dominio (ubi adest) verbum aliquod, & si breve, non vocemus ad chartam, & quia Religiosorum dominium, sicut & ipsi, à secularium dominio diversissimum exiat, ideo merito segregavimus unum ab altero, ac pro uno, & altero à nobis diversa constructa sunt capita: non enim religiosa dominia (ea, quæ sunt) cum secularium dominiis commista esse convenit, nè eorum putridis afficiantur, sicut Religiosi ipsi nullatenus cum secularibus vivere, commisti vel esse debent, sed potiùs prorsùs ab ipsis semoti, atque segregati, nè tineis imbuantur, & corrumpentur eorum. In hoc ergo capite de religioso Dominio agendo, pro eo sit

Le-

LECTIO I.

De Religiosorum Dominio in communi, sive quod ii Monasteriis, seu Religiosorum Communitatibus haberi possit, vel solet.

1 IN re hac illud omnino certum, inconcussum, passimque tritum apud AA. de re hac scribentes, non eandem apud Religiones omnes paupertatem esse, sed aliam esse paupertatem Clericorum Regularium, aliam Religiosorum Monachorum, aliam Mendicantium, aliam non Mendicantium, ac Militarium aliam. Rursus alias esse Religiones incapaces cujuscunque dominii, tam in communi, quàm in particulari, uti Minores de Observantia, & Capucini, qui ex *voto* effecti sunt incapaces omnis dominii directi, & utilis, tam proprietatis, quàm usûs juris tam in communi, quàm in particulari, solo simplici usu facti contenti, ipsoque dependente à voluntate dantium, vel Summi Pastoris, qui dominium rerum ipsis concessarum in se, Sedemque Apostolicam assumpsit.

Aliàs verò capaces dominium habendi in communi, licèt non in particulari, quales sunt reliqui Ordines præter enumeratos, & harum Religionum aliæ capaces sunt possidendi quæcunque bona in communi tam mobilia, ut annuos redditus, quàm immobilia, quæ radices dicuntur, putà domus, prædia, vineta, &c. uti sunt omnes; præter Minores, Capucinos, & nostram Excalceatam Carmelitanam, quo ad omnes domus, & Collegia, & Societas quo ad domus professas, non quo ad Collegia; aliæ sunt capaces possidendi annuos redditus perpetuos, non quidem in stabilibus bonis, sed in censibus, juribus, &c. uti Collegia nostra, in quo (inter plura alia) Religio nostra à Religione Patrum Societatis discordat, hæc enim, licèt in professis domibus capax non sit annuorum reddituum, & possessionum, sicut neque Monasteria nostra, illius tamen Collegia non solùm annuos redditus, sed etiam stabilia bona possidere possunt; circa hæc legendi sunt *Salmant. tom.* 3. *Tract.* 12. *de Dominio, cap.* 2. *Punct.* 12.

2 Cæterùm circa Religiones eas, quæ verum dominium habere possunt, de factoque habent, necessariò sciendum venit tale dominium plenum non esse, neque perfectum, & hujus ratio est in promptu: nam dominium plenum, & perfectum verum jus importat, & dicit in tale dominium habente disponendi de re sua, tanquam sua, in quoscunque sibi placitos usus, consequenterque independenter ab alio; sed nullus Religionum Prælatus, quantumcunque Superior, per se solum, neque ipse simul cum cæteris Religiosis, vel Communitate, neque Religiosi, vel Communitas cum ipso de bonis, & redditibus Monasterii tanquam suis disponere valent in quoscunque sibi placitos usus, independenter à circumstantiis, & juribus alii: ergo, &c. Minor probatur, nam cætera constant: quia, ut quid commune est, res immobiles, vel mobiles pretiosas permanentes licitè alienare non possunt, nisi de licentia Summi Pontificis, nec aliter, quàm ad utilitatem Monasterii, neque pariter bona, vel redditus administrare, vel dispensare, nisi ad debitos fines, ad quos bona illa Monasterio fundata, oblata, donata, & acquisita censentur, putà ad Monasterii, & Religiosorum conservationem, ad Religiosorum sustentationem, ad de superfluo subsidium pauperibus erogandum, ac ad alias causas pias ex Juris concessione: ergo, &c.

SUBLECTIO.

Multa inferuntur ex doctrina tradita.

3 EX doctrina tradita sequitur primò Monasterium, vel Religionem (ex illis, quæ dominii sunt capaces) hæreditario jure succedere posse in bonis Religiosi, si ipse de illis ante Professionem non disposuit, & hoc absque ulla actione talis Religiosi professi; constat ex cap. *Quia ingredientibus* 19. *Q.* 3. *Authent. Si qua mulier, Authent. Ingressi, Cod. de sacrosanct. Eccles.* Unde Professione sequuta, & Religiosis ante Professionem de suis non disponentibus bonis, (id, quod toto hoc cap de Religiosis dicitur, de Monialibus etiam intelligendum venit. Moniales autem nostras verum in communi dominium habere, consequenterque successionis hæreditariæ esse capaces patet, tum ex quotidiana praxi, tum quia privilegio Trident. Sess. 25 cap. 3. de Reformat. non renuntiarunt, uti à nobis est factum) statim Religio ipsa, vel Monasterium ad succedendum hæreditario jure intrat in omnibus bonis, & etiam in omnibus actionibus professi. ¶ Itidem in usufructu, ejusque dominio pro tota vita ipsius Religiosi. ¶ Item in bonis castrensibus, quasi castrensibus, ac etiam in adventitiis quo ad proprietatem in una sententia, & quo ad usumfructum etiam in sententia alia. ¶ Item in jure patronatûs, & in jure nominandi ad emphyteusim. ¶ Sunt & etiam dictæ Religiones capaces cujuscunque legati, vel dominationis, sive rei mobilis, aut immobilis; id omne, quod commune est apud DD. Legantur *Sanch. lib.* 7. *Sum. cap.* 13 *à num.* 48. *à Spiritu Sancto in suo Regular Tract.* 3. *Disp.* 4 *à n.* 35. *ac Salmant. sup. cap.* 2. *P.* 12. §. 1. *num.* 166.

4 Se-

4 Secundò sequitur, sive infertur prædictas Religiones (aut earum Monasteria) optimè succedere posse, de factoque succedere in Maioratibus, quos Religiosi, vel ante Professionem possidebant, sive ad eos post Professionem religiosam deveniunt, consequenterque dictæ Religiones, earum vel Monasteria dictorum Maioratuum proprietatem, ac reddit⁹ possident dum vivit ipse Religiosus. ¶ Sed excipitur casus, in quo *tacitè*, vel *expressè* in fundatione Maioratûs ab ejus successione excludantur Religiosi. Tunc autem eos excludi *tacitè* dicitur, quando in fundatione clausulæ conditiones vel apponuntur aliquæ cum religioso statu pugnantes; veluti si Maioratus sit fundatus cum jurisdictione temporali alicujus oppidi, vel cum honorifico titulo Ducis, Marchionis, vel Comitis, aut si fundator expressit se instituere illud ad familiam suam conservandam, aut cum onere portandi arma, &c. tunc enim dicitur quod nec Religiosus ipse, nec ejus Religio in tali Maioratu succedit, sed quod transit ad successorem alium, sive ad sequentem vocatum; & ita cum aliis *Salmant. sup. num.* 167.

5 Infertur, vel sequitur tertiò hæreditatem, vel legatum Religioso relictum non ad ipsum Religiosum, sed ad Religionem, vel Monasterium (supposito quòd illorum est capax) immediatè pertinere, consequenterque Monasterium ipsa adire debere, illorumque dominium possidere. ¶ Ex quo (in una sententia, secus in alia) fit quod, si Religiosus post delatam sibi hæreditatem, vel legatum, ante additionem illius moriatur, tunc Monasterium hæreditatem ipsam, vel legatum adire valet. ¶ Sed quid, si legatum relictum fuerit Religioso cum clausula, vel sub conditione, ut illud ipse independenter à Superioris voluntate possideat? Dicitur quod tunc, si testator tam commoditatem legati, quàm proprietatem, & dominium ejus Religioso relinquat, probabile est valere legatum, & Monasterio acquiri, quia illa conditio ut turpis à legato rejicitur, & illud non vitiat; & etiam probabilius esse esse eaducum, & nullum. ¶ Si autem testator commoditatem Religioso, & dominium Monasterio relinquat, (id quod præsumendum semper, nisi expressè contrarium constet) ea tamen conditione, ut Superior illius commoditatem habere non possit, tunc talis conditio ut turpis rejicitur, ac proinde legatum subsistit. ¶ Si verò testator legatum Superioris voluntati relinquat subjectum, hac tamen pœnâ addita, ut, si Superior commoditatem, & usum subdito neget, cesset legatum, & ad extraneum transeat, valet legatum cessat tamen, ad substitutumque proinde transit, si Superior illius usum, & commoditatem subdito auferre velit. *Salmant.* cum aliis legendi *sup. num.* 168. & 169. legatur etiam *Diana Coord. tom.* 7. *Tract.* 1. *Resol.* 231. & *Donat. tom.* 4. *Tract. Quæst.* 39.

6 Quarto infertur, sive sequitur sacram, Religiosissimam, observantissimam, ac Illustrissimam Minorum, ac Capucinorum Familiam, sive Familias capacem, capaces vel non esse legati alicujus rei immobilis, prout immobilis est, seu quatenus immobilis in se perseverat, secus autem, si mobilis fiat, sive vendatur, ejusque pretium in eorum commodum cedat, (id quod semper præsumi potest, & debet, dum non constat de opposito) nam tunc tale pretium recipere constat *ex Clement. Exivit de verbor. significat.* ¶ Tale tamen legatum à dictis Fratribus vendi non valet, cùm illius dominium non habeant, sed solùm à defuncti hærede, ipsoque in hoc negligente, ab exequutoribus testamenti, qui si id facere omittant, & de eo semel, & iterum moniti non curent, tum ab Episcopo, vel seculari Judice, ad id requisito, vendi debet, & pretium ejus in dictorum Fratrum commodum, ac utilitatem converti. Cæterùm quandiu non venditur, illius fructus ad hæredem pertinent, qui ante venditionem ejus dominium habet. ¶ Incapaces tamen omnino sunt, ut instituti hæredes cujuscunque rei, tam immobilis, quàm mobilis, (neque rebus in his ab intestatore cedere queunt) idque verum, etiam casu, quo hæredes constituantur cum clausula, ut hæreditas vendatur, in ipsorumque utilitatem pretium cedat, proindeque tale pretium sine præjudicio voti paupertatis accipere nequeunt. ¶ Imò neque eorum Ecclesiæ, aut Sacristiæ hæredes instituti valent, aliàs constitutio illis hæreditariam successionem negans, omnino tolleretur de medio, cùm testator tunc, casus, illa hæreditatem relinquere optans, nomine Fratrum, vel Conventûs omisso, Ecclesiæ, vel Sacristiæ nomine uti posset. ¶ Eorum tamen Monasteria hæredes, vel legatarii instituti possunt rei alicujus immobilis, quæ ipsorum Religiosorum sustentationi necessaria non est, quæque incertam mendicitatem non excludat, sed quæ necessaria est ad cultum Divinum, habitationem, vel honestam recreationem, ut domus, Ecclesia, hortus, vinea, ut inde olera, uvas, &c. accipiant, ad comedendum, non tamen ut necessarium vinum, &c. vendant, conducant vel hortum. Quæ omnia reperies *apud Cordub. in Regul. Div. Francisci, cap.* 6. *Q.* 10. *P.* 2. & *Q.* 11. *P.* 3. & 1. *Sanch. lib.* 7. *Sum. cap.* 26. *num.* 19. & *cap.* 28. *num.* 11. *Lugo de Just. tom.* 1. *Disp.* 3. *Sect.* 5. *num.* 11. & 98. quos, & alios citant, & sequuntur *Salmant. sup. legendi à num.* 170. *ad* 172.

7 Insuper non solùm non possunt prædicti religiosissimi Patres immobilium bonorum legata recipere, sed nec etiam annuos redditus per modum legati, vel hæreditatis continere valent; id quod si factum fuerit, legatum erit caducum, ad competentesque illico transibit hæredes. ¶ Sed excipitur, nisi census, vel annui redditus ea lege legentur, ut vendantur, & in æstimatione ab ipsis recipiantur: (id quod præsumi debet, nisi clarè contrarium constet) nam tunc tale legatum valere docet *Sanch. sup num. 33. qui ibi num. 36. & 37.* idem (ait) esse dicendum, si pro vita alicujus particularis Religiosi relinquatur legatum annuos redditus invendibiles continens. ¶ Sed hujus oppositum cum N. à Spiritu Sancto, multisque aliis ut quid probabilius tenent *Salmant. sup. num. 174.* notantes *num. 175.* quod, quando dicitur non posse prædictos Fratres annuos redditus per modum hæreditatis, vel legati recipere, intelligi debet de annuis redditibus pro sustentatione Religiosorum relictis, per quos eorum mendicitas, strictissimaque paupertas labefactatur; si verò testator gravet hæredem, vel legatarium, ut singulis annis prædictis Fratribus largiatur talem, vel talem moderatam summam pro expensis necessariis ad Divinum cultum, vel ad Ecclesiæ fabricam, aut etiam ad libros comparandos, valebit legatum. *Sanch. sup. num. 45. & cap. 24. num. 42.* tenentque cum *Palao, & Lugo Salmant. sup.* ¶ Sed quid, si dicti redditus prædictis Fratribus relinquantur veluti stipendia pro Missis, vel pro infirmis curandis? Variant DD. dicentibus aliis tale legatum esse nullum, validum sed esse aliis. Legatur *N. à Spiritu Sancto Tract. 3. Disp. 4. Sect. 1. num. 55. legantur & Salmant. sup. n. 176.*

8 De mobilibus autem rebus, vel bonis loquendo, præfatos religiosissimos Patres incapaces non esse, sed harum rerum quodcunque legatum recipere posse, uti tritici, vini, olei, pecuniæ, &c. quibus eorum necessitatibus subveniatur, communiter asseritur, constatque ex cit. *Clement. Exivit*, in qua tamen §. *Cupientes* verl. *nec licet eis*, cavetur nè in magna quantitate fiant, vel nè fiant in fraudem, ad relinquendam hæreditatem sub titulo legati, nam in tali casu, licèt non irritetur legatum, & cassatum eat, neque hæres ab eo solvendo liberetur, illud tamen ita amplum recipere prohibentur Fratres, ex eo tamen, & ex similibus legatis aliquid recipere valent, teneturque hæres tantum illis dare, quantum imminens necessitas postulat, & nihil amplius, nisi nova alia superveniat necessitas, quo casu legati residuum solvendum erit; cum aliis *à Spiritu Sancto sup. num. 57.* cum eo *Lugo, & Pelizar. Salmant. sup. n. 173.*

9 Sacra autem Societatis Religio professis in suis domibus omnibus, sicut & nostra Excalceata Carmelitana suis in Monasteriis omnibus in nulla hæreditate ab intestato succedere possunt; de quo quoad nos legatur Constit. nostra 1. P. cap. 7. id tamen non tollit posse hæredes, vel legatarios instituì cujuscunque rei mobilis, vel etiam immobilis, quæ per venditionem mobilis reddi possit, clausulamque non habeat, quod nunquam vendatur. Si namque res immobilis relicta mobilis reddi non valeat, tunc legatum talis rei erit caducum, & ad competentes transibit hæredes; ex quo patet non posse succedere in jure nominandi ad emphyteusim in jure patronatûs, in usufructu, in Maioratu, &c (bene tamen Monales nostræ) succedere tamen possunt in hæreditate, vel legato rei immobilis, quæ necessaria est ad consuetam habitationem, uti sunt domus, hortus, vineæ ad sustentationem propriam, non tamen ut locentur, vel earum fructus vendantur. ¶ Et si non occurrat opportunitas aptandæ habitationis, tunc infra decennium conservari poterunt, per idque tempus possideri redditus earum, tempore quo transacto, alienari debent. Non tamen ad earum alienationem requiritur solennitas ea, quæ ad alienationem Ecclesiasticarum rerum à Jure exigitur. ¶ Poterunt & etiam Conventus nostri eleemosynam habere perpetuam, & annualem, vel alios annuos redditus ratione fundationis patronatûs, Capellæ, anniversarii, orationis, vel alterius exercitii religiosi, & hoc etiam si ex hæreditate, sive legato ipsis relinquantur, sed semper servatis servandis, prout stabilitur in cit. Constitutione nostra, quæ legenda, sunt & etiam legendi *Salmant. sup à n. 177. ad 179.*

10 Deinde Religiones illæ, quæ annuos redditus habere nequeunt, esto legata, & usufructus per longum tempus recipere nequeant, bene tamen per spatium annorum decem, idem quod de legatis relictis pro vita alicujus Religiosi, quæ moraliter ad multum tempus judicatur extendi, horum enim legatorum dominium habent, (sunt enim in communi dominii capaces) eaque vendere possunt, & pretium in utilitatem Conventûs convertere, ac proinde omnia legata, & bona illis relicta eis tradi debent cum omnibus fructibus antea ab hæredibus perceptis. ¶ Item, si testator hæreditatem, vel legatum aliquod relinquat alicui cum onere, & obligatione dandi per singulos annos nostris, vel aliis Conventibus incapacibus habendi annuos redditus tunc casus, tenetur hæres, vel legatarius ad illos ipsis reddendos, talesque Conventus hujusmodi annuos redditus recipere possunt. ¶ Item capaces sunt Religiones hujusmodi recipiendi legatos,

& an-

& annuos redditus in perpetuum pro Ecclesiæ fabrica, pro cultu Divino, pro libris emendis, pro infirmis curandis. Legantur *N. à Spiritu Sancto sup. n.* 50. 54. 55. *&* 62. *ac Salmant. sup. n.* 180. *&* 181.

11 Inter multa, quæ ex dictis constant, Religiones aliquas possessiones, radices, & alia bona tam mobilia, quàm immobilia habere posse, eorumque verum, & absolutum dominium habere. Constat etiam titulo, vel causâ anniversarii, orationis, vel alterius exercitii spiritualis aliquid Religiosis relinqui, conferrique posse; id quod omne adeò est verum, ut contrarium in Constantiensi Concilio Sess. 45. anno 1418. damnatum extet, ibi enim inter plures Propos. alias Joan. Wicleff, quas præfatum Concilium damnationis fulmine contrivit, habentur sequentes, præter eas, quas dedimus *sup. cap. 2. L. 3. n.* 41.

☞ Prima (& in ordine 10.) *Contra Scripturam sacram est, quòd viri Ecclesiastici habeant possessiones.* Hæc ibi quo ad Regularium, & omnium Ecclesiasticorum possessiones, & hoc ☞ ibid. 2. quo ad orationes: *Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.* Et hæc est 25. in ordine. Omnia hæc, & pestifera alia porcus ille, ejusque os diabolicum protulit.

LECTIO II.

Utrùm particulares Religiosi dominium aliquod, vel alicujus rei habere valeant?

PRæcedenti Lectione de Dominio in communi Regularium egimus, in hac, & sequentibus de particularium Religiosorum Dominio (si quod est, aut esse potest) agendum venit, id quod, si nostra nos non fallit imago, fortè erit in consolatione multorum, eorum nanque multi sunt, qui (quia ignorantes) operari desinunt, quia putant in operando contra paupertatis votum adesse peccatum, cùm illius nec umbra multoties adsit; alii autem sunt, qui scrupulizantes de eo, & dubitantes, operationes mandant ad praxim, in quo, si dubium prudenter, rationabiliterque non deponant, re vera peccant, non peccare potentes, si scirent id quod sciri debet, moraliaque res bene calerent, pro quibus Lectione hac, & sequentibus aliqua dabimus. Itaque

12 Dicitur quod nullus Religiosus solenniter professus à supremo usque ad infimum, quicunque sit ille, dominium aliquod alicujus rei temporalis, id est, quæ pretio, pecuniâve sit æstimabilis, in particulari habere potest ita, ut omnino liber, & independenter ab alio de illa pro libito disponere possit, quodque quilibet Religiosus solenniter professus per solenne paupertatis votum omnino factus est incapax habendi dominium cujusvis rei temporalis pretio, vel pecuniâ æstimabilis. Est communis, & omnium, expresseque constat ex cap. *Non dicatis* 12. Q. 1. ubi sic: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia*, & ex cap. *Cùm ad Monasterium* de statu Monachor. ubi Innocentius Tertius sic fatur.

13 *Prohibemus quoque in virtute obedientiæ, & sub obtestatione Divini judicii ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat :: quòd si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod B. Gregorius narrat in Dialogo se fecisse*, & tandem in fine ita concludit: *Nec æstimet Abbas quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monachorum dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia Castitatis, adeò est annexa Regulæ Monachi, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam dare.* Sic ibi, & alibi, concordatque Concil. Trident. Sess. 25. cap. 2. de Regularibus, ubi sic: *Nemini igitur Regularium, tam virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia, sive mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventûs possidere, vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam, &c.*¶ Et ratio idmetipsum suadet: nam Religiosus per solenne paupertatis votum dominium proprietatis omne à se abdicavit, per illudque se se reddidit, & pro se in particulari omnis dominii, & proprietatis rei temporalis pretio æstimabilis omnino incapacem, atque adeò nullus Religiosus, etiam supremus omnium Prælatus, facultatem ullam habet utendi aliqua re ex voluntate propria independenter à voluntate Superioris; nam & si supremus solenne votum paupertatis habet, (sicut quilibet alius particularis) ratione cujus voti proprietatis dominium non habet, nec habere valet erit ad id autem, & est superior; respectu personæ Generalis Diffinitorium generale, aut generale Capitulum, aut Papa, à quorum uno Prælatus supremus, seu Generalis ad temporalibus rebus utendum, putà ad donandum facultatem, sive licentiam saltem præsumptam habere debet, id quod addimus certa de causa; non enim, ex eo quod Generalis ad dandum, vel expendendum, pro libito suo facultatem habet.

14 Ex dictis patet solenne paupertatis votum in solenni Professione Religionis emissum privare omnino hominem dominio, &

proprietate omnium temporalium rerum, quæ pretio æstimantur, tam habitarum, quàm acquirendarum, tam radicali, & in actu primo, quàm actuali, id est, omni faculate, tam validè, quàm licitè disponendi de aliquibus rebus ut suis, aut de aliis à se acquirendis, quocunque titulo sint acquisitæ. ¶ Sed maxima inter DD est difficultas, à quo Jure tale quid proveniat? Quorum plures probabiliter dicunt id à solo positivo Ecclesiastico Jure descendere, non autem à Divino, & naturali, & ita cum multis *Tannerus hic Disp. 4. Q. 1. Dub. 4. Lugo Disp. 3. Sect. 4. num 75.* & alii, idque probant, tum *ex Div. Thom. in 4. Dist. 38. Q. 1. Art. 4. Quæst. 1. ad 3.* tum ratione sic: nam votum solenne, & simplex in ratione voti, naturalisque obligationis, omnino sunt ejusdem rationis essentialiter; sed votum simplex paupertatis in Religiosis non privat dominio radicali, imò nec facultate actuali disponendi validè; quod ergo solenne paupertatis votum omni prorsus dominio rerum, omnique facultate actuali disponendi validè de temporalibus rebus privet, non ex ipsius voti natura, non ex Divino, & naturali, sed solùm ex Ecclesiastico positivo Jure provenit. Probatur minor, in qua solùm difficultas adesse videtur: nam illi, qui in Societate, finito probationis biennio, (& idem de nostris Donatis) profitentur, emittendo tria substantialia vota, (quæ quidem vota simplicia sunt, & non solennia) facti sunt verè, ac propriè Religiosi, ut videre est in Bulla Gregor. XIII. incipiente *Ascendente Domino* anno 1584. edita, habitaque in Bullar. Roman. Constit. 89. dicti Pontificis; sed tale votum paupertatis simplex à talibus Religiosis Societatis emissum eos radicali dominio rerum temporalium non privat, imò neque facultate actuali validè disponendi de illis, prout sibi magis placuerit, (esto illicitè procedant, si independenter à Superioribus suis id fecerint) ut videre est *apud Laymann lib. 4. Tract. 5. cap. 7 num. 3. Sanch. lib. 7. Moral. cap* 18. & apud alios ejusdem Societatis, & cum aliis *Diana Coord. tom 3 Tract. 1. Resol 78.* tenet ergo minor; atque adeò in hac sententia poterit Papa in voto solenni paupertatis dispensare, cùm sit ejusdem rationis, ac simplex votum, in quo Pontifex dispensare valet, sicut dispensat in simplici Castitatis voto. Hæc hujus sententiæ præcipua sunt fundamenta.

15 Sed plures, gravissimique alii DD. contrarium docent, suntque omnes illi, qui asserunt per Professionem vota simplicia, & vota solennia distingui essentialiter, & ab intrinseco ex natura rei Divino, naturalique Jure ita taliter, quod nullus hominum, etiam Papa, in votis solennibus dispensare ullo modo valeat casu in aliquo, etiam si sit ob communem utilitatem, & necessitatem totius unius Regni, neque facere quod ille, qui per solenne votum Professionis factus est Religiosus completè, desinat esse Religiosus (cujus contrarium alii dicunt, asserentes quod esto Papa facere nequeat quod Monachus, manente Monacho, matrimonium ducat, facere tamen potest ex Monacho non Monachum, ut nubere queat.) Et ita tenent plurimi, quos citant, & sequuntur sapientissimi nostri *Salmant. Scholastici tom. 8. Tract 2. Disp. 1. Dub. 4. & Dub. 7.* ubi sunt utrobique legendi, nam ad rem plura trahunt ad satietatem. Et

16 Pro hac parte facit, facere vel videtur primò illud sup adductum cap. *Cum ad Monasterium*, ubi sic legimus: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia Castitatis, adeò est annexa Regulæ Monachi, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam dare*, id quod si verum, ex eo deduci videtur solenne paupertatis votum non ex humano positivo Jure, sed ex Divino, & naturali descendere. Secundò videtur & etiam facere doctrina *Div. Thom.* (qui omnino legendus) 22. *Q.* 88 *Art.* 11. ubi inter alia ibi mirabiliter dicta ita profert: *In voto solennizato per Professionem Religionis non potest per Ecclesiam dispensari*, & iterum ibi: *Papa non potest facere quòd ille, qui professus est* (*intellige solenniter*) *Religionem, non sit Religiosus, licèt quidam juristæ ignorantes contrarium dicant.* Legatur etiam ad 1. & ad 4. & ut melius fiat, per articulum totum, & etiam locis adductis *à Salmant. sup. cit. in locis*; simul & ipsi *Salmant.* legi debent, videtur & facere id, quod datum est 1. *P. Tract. 3. cap. 8. Lect. 3. num.* 17. ¶ Facere similiter potest hoc, quod est dicere quod in voto solenni duplex solennitas datur, una accidentalis, & cæremonialis, quæ consistit in illo ritu, modo, ac benedictione, cum quibus exteriùs fit, & exhibetur, & hæc ab Ecclesia est inventa, ex ejusque sola Constitutione procedit, conditioque est, sine qua non, ut teneat; altera verò essentialis, quæ consistit in absoluta, & totali Religiosi traditione in manibus Superioris loco Dei acceptantis, facta ad observanda ea, quæ promittuntur, & hæc obligat absolutè Jure Divino, & naturali, sicque à Papa indispensabilis extat. Ex his, quæ Lect.one hac sunt exarata, non pauca deduci possent, sed id quo ad eorum aliqua infra aptiùs fiet.

LE-

LECTIO III.

An, & quarum rerum dominii Religioſi in particulari ſint, vel reddantur capaces?

DUm ſuprà dictum eſt nullum Religioſum ſolenniter profeſſum dominii alicujus rei temporalis, æſtimabilis pretio eſſe capacem, datum eſt intelligi alicujus rei eſſe capacem verum dominium habere, id quod hîc videndum, ubi etiam adjungendum erit aliquid aliud, adjungique poterunt etiam ea, quæ dantur 5. hujus Breviarii Parte (quæ tota eſt de religioſo ſtatu) Tract. 33. cap. 1.

17 Quo ad hoc, quod hujus Lectionis titulo poſitum extat, dicitur quod, licèt Religioſi ſolenniter profeſſi (de quibus Tract. in hoc præcipuus ſermo, & id quod dictum eſt, & dicendum de Religioſis, etiam de Monialibus intelligendum, nam utrobique ratio, motivum, & diſpoſitio eſt eadem) bonorum temporalium, quæ pretio æſtimantur, dominium nullatenus habere poſſint, ſicut neque eorum proprietatem, & uſumfructum in particulari; bonorum tamen ſpiritualium, & quæ pretio non comparantur, ſive non ſunt æſtimabilia pretio, re vera in particulari eorum quilibet dominium, & proprietatem habere poteſt. Eſt vera, communis, & omnium, ac ex hîc dicendis conſtabit. Et

18 Ex data doctrina, vel reſolutione ſequitur primò quemlibet particularem Religioſum verum dominium, proprietatemque honoris ſui, & famæ habere, id quod eſt *Div. Thom.* 22 *Q.* 186. *Art.* 7 *ad* 4. id quod etiam commune, & id quod conſtat ex dictis 3 *P. Tract.* 22. *c* 2. *Lect.* 1. conſequenterque jus habet ad eam tuendam independenter à ſuis Superioribus, (modo tamen ſemper licito) quin Prælatus ullus eum in honore, aut fama offendere poſſit, id quod ſi fecerit aliquis, contra eum juſtè ſe opponere poſſit, ſeque tueri, graviterque peccabit quicunque, & ſi ſupremus Superior, ſi injuſtè eum in honore, vel fama graviter offenderit, in quo nulli dubium prudens adeſſe poterit. Legantur ea, quæ adduximus, ubi nuper.

19 Secundò ſequitur quemlibet particularem Religioſum Beneficiarium dominium, aut quaſi dominium habere ſuorum Beneficiorum, poſſeque agere nomine proprio ad eorum dominium obtinendum, & poſſeſſionem recuperandam, & etiam agere poſſe ſuper jure eligendi ſibi competente. ¶ Item ſuper jure manendi, commorandi, ſive vivendi in tali, vel tali Monaſterio, vel tali officio, quod ſibi ex electione, vel aliter de jure competit, quia Religioſi per paupertatis votum non renuntiant ſpiritualibus rebus, bonis, neque utilitatibus, aut honoribus, quæ ſibimetipſis debentur. Ex *Div. Thom.* probat *Leſſius lib.* 2. *cap.* 4. *Dub.* 5. *num.* 26. cum coque *Salmant. Moral. ſup. Tract.* 12. *cap.* 2. *n.* 193.

20 Sed ambigitur cui acquirat Religioſus, qui legitimè eſt Parochus factus extra Monaſterium, aut extra Monaſterium Eccleſiaſticum Beneficium legitimè obtinet, extraque Monaſterium vivit? Dicitur quod Religioſus ille, qui authoritate Epiſcopi cum conſenſu Prælati ipſius Religioſi parochiale, vel aliud Beneficium Eccleſiaſticum obtinet, & poſſidet, plenam adminiſtrationem reddituum Beneficii habet, conſequenterque Beneficii redditus ad ſuam congruam ſuſtentationem, & ad pias cauſas tantùm pro libito expendere poteſt, facultate ad id ipſi à Jure Canonico data, & habita; ex ipſo nanque Jure talis eſt Beneficii inſtitutio, ut jus adminiſtrandi redditus tribuat ad neceſſarios, & pios uſus, generaliſque regula eſt, ut Beneficiarius Regularis (ſeclusa ſola proprietate, ſive dominio pleno) ita de fructibus ſui Beneficii diſponere poſſit, ſicut poteſt quilibet alius Beneficiarius ſecularis. Cum multis *Layman lib* 4. *Tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 17. ¶ Poſt mortem tamen dicti Parochi, vel Beneficiarii Regularis fructus, qui ſuperſunt, de Jure pertinent ad Eccleſiam, ſive Beneficium, cui ſervivit, non verò ad proprium ipſius Religioſi Monaſterium ex cap. *Nemo pro cujuslibet* 16. Q 1. ¶ Illud verò omne, quod præfatus Religioſus extra Monaſterium alunde acquiſivit, putà ex hæreditate, legato, donationibus, eleemoſynis, propria induſtriâ, ſicut & ex parochialibus functionibus, nempe pro Sacris faciendis, confeſſionibus, nuptiis adminiſtrandis, &c. Monaſterio ipſius Religioſi acquiritur, ſi dominii, & proprietatis ſit capax, nanque tunc illa communis, latiſque trita regula valet: *Quidquid Monachus acquirit, Monaſterio ſuo acquirit*, docentque Layman ſup. num. 18. Leſſius lib. 2. cap. 4. Dub. 11. num. 29. & communis.

21 Et idem, quod nuper dictum eſt de Religioſo Parocho, vel Beneficiario, dicitur etiam (quidquid apud citandos alii dicant) de Religioſo ad Epiſcopatum, aut Cardinalatum evecto: Religioſus enim per hoc, quod ſit Epiſcopus factus, (idem de Religioſo Cardinale facto) non deſinit eſſe Religioſus, ſicque ad habitum ſuæ Religionis portandum adſtringitur: factus ergo Epiſcopus re vera paupertatis adſtringitur voto, de cujus ratione eſt nullum dominium, nullam alicujus rei temporalis pretio æſtimabilis proprietatem habere: idem ergo de eo dicendum, ac dictum eſt, & communiter dicitur de quocunque alio Religioſo

ligioso Parocho, Beneficiario vel facto. Ita cum *Div. Thom.* 22. *Q.* 185. *Art.* 8. *ad* 3. & cum multis aliis *Salmant. sup. omnino legendis num.* 159. *ad* 161. *P.* 11. §. 3. docent & plures alii *apud Dian. Coordinat. tom.* 7. *Tract.* 1. *Resol.* 26. *&* 27. *ac tom.* 3. *Tract.* 2. *Resol.* 66. *& tom.* 4. *Tract.* 7. *Resol.* 26. *ac ibid. Tract.* 8. *Resol.* 106 *& tom* 6. *Tract.* 7. *Resol.* 9 *ac tom.* 9. *Tract.* 7. *Resol.* 84. *&* 85. unde patet Episcopos, & Cardinales Religiosos de bonis patrimonialibus, ac ex industria acquisitis testari non posse, quippe hoc proprium illius est, qui verum, & absolutum aliquarum rerum dominium, proprietatemque habet, quo quilibet Religiosus, quicunque sit ille, caret.

22 Sequitur tertiò quemcunque Religiosum licitè, & validè accipere, retinere, dare, &c. posse Reliquias quascunque Sanctorum, Agnos Dei, &c. absque alicujus Prælati licentia, & absque violatione voti paupertatis, quia *nihil* horum est pretio æstimabile, esto maximi sit valoris. Est vera, certa, & communissima. Legatur *N. Lezana tom.* 1. *cap.* 6 *num.* 4. *á Spiritu Sancto in suo Regularium Tract.* 3. *Disp.* 4. *num.* 153. cum quibus *Salmant. sup. num.* 193. *ex á Spiritu Sancto ibid.* addentes ad accipiendum, retinendum, dandum Medalias, Imagines, Camandulas, Grana benedicta, Cruces, & hujusmodi, Prælati licentiam, saltem tacitam, vel præsumptam, requiri, tuncque tacitam rationabiliter licentiam dari, quando Religiosus hæc omnia, aut eorum aliquid emit, & retinet, ad ea inter Ordinis benefactores, & amicos suos distribuendum; nam tunc solùm quo ad modum, & non quo ad substantiam invitus judicatur Prælatus, nisi ad prudentis viri arbitrium in magna sint quantitate.

23 Quartò sequitur Religiosos verè, propriè, & absolutè esse dominos, verum, absolutum, & proprium dominium, proprietatem, & administrationem habere in omnia, & singula sua manu scripta ita, ut de illis disponere queant, prout sibi magis placuerit, putà dare, scindere, comburere, mortis causâ donare, & verbo uno de eis ita disponere quilibet, ac si Religiosus non esset, sed purus, & merus secularis (& ea sub clavi claudere, subserare vel valet, nè illa furentur ab illis, & idem respectu Reliquiarum, ac aliarum rerum, quæ temporali non æstimantur pretio, nam respectu harum omnium rerum non tanquam Religiosum se habet, neque ut talis reputari debet.) Ex quo evidenter sequitur mortaliter peccare Religiosum cum (& si sit Prælatus, etiam Generalis) contra justitiam, restituendique onere, qui ab altero sua manuscripta furatur, vel in se, vel in alio, id est, illa transcribendo, & hoc non solùm ob gravem pœnam, & cordis afflictionem, quam in eo rerum domino causat, sed etiam ob grave damnum, quod tali rerum domino, scilicet Religioso, causat, & præstat, & ob æstimationem, qua manu sua scripta habet. Neque talis Religiosus latro talibus furatis manu scriptis, aut ejus transumptis ullo modo, in eventu aliquo, licitè uti potest ob datam rationem. Neque contra illud: *Et ea sub clavi* ullo modo obstat Lex nostra 1. P. cap. 7. n. 5. ubi clavium usus cuilibet prohibitus extat, dicta nanque Lex non loquitur, nec loqui potest de dictis rebus, quæ sub absolutum dominium, & dispositionè omnino liberam Religiosi omnino cadunt, & independenter ab alio, & contraria intelligentia est penitus sinistra, arenaria, & idea Platonica, ac sine fundamento solido.

24 Dictum est, *& si sit Prælatus, etiam Generalis*, sed excipe, nisi in casu, quo ad auferenda Religiosi scripta justa, rationabilisque causa detur, vel adsit, quæ tunc solùm erit in casu, quo Religiosi scripta in grave Religionis detrimentum cedant, aut fortè ipsius solius Religiosi, continerent vel doctrinas hæreticas, falsas, scandalosas, &c. in his enim eventibus optimè posset Prælatus, imò & deberet, manu scripta, etiam reluctante Religioso, ab eo auferre: licèt nanque nemo alterius gladium, & hujusmodi ab eo justè auferre possit, bene tamen quando gladii dominus eo semetipsum, vel alios occidere, mutilareve tentat. Communis, *á Spiritu Sancto sup. num.* 234. cum multis aliis *Salmant. sup. num.* 195. sed circa manu scripta legendus est *Illustriss. Caramuel in Regul. Divi Benedicti Disp.* 59 *Resol.* 3. & etiam *Corollar.* 1. *n.* 842. Sed

25 Notandum hic diligentissimè venit Religiosos, non solùm veros, & absolutos esse dominos suorum omnium manu scriptorum pro *formali*, sed etiam pro *materiali*, id est, prout dicunt atramentum, papyrum, vel chartam, hæc enim omnia, licet magni sint valoris, eò quòd sunt volumina multa, tot, & ac plus, quot Domini Abulensis, &c. fuerunt, ad Religiosum Auctorem, pertinent etiam quo ad dominium, & proprietatem, licèt indirectè, ita ut ratione materiæ nullatenus Prælatus ullus talia manu scripta à subdito suo licitè, & sine restitutionis onere auferre possit. Pro quo non parum facit id, quod datum est sup. cap. 2. Lect. 7. num. 93. vers. *præterea*, facereque fortè poterunt infra ponenda cap. 4 num. 59. & Tract. 17. Lect. 6. cap. 1 num. 127. vers. *si quis in altena tabula*. Et quod manu scripta, etiam pro *materiali* ad Religiosum pertineant, probat *Illustriss Caramuel sup. num.* 838. quia ad illa extenditur dominium indirectè,

quibus

quibus dominium directum ad ſui conſervationem indiget; ſed talis idea (id eſt, manu ſcripta) pro *formali* atramento, papyro, ſeu chartâ, pro ſui conſervatione indiget, ut de ſe liquet, qui igitur in ideas hujuſmodi, ſeu manu ſcripta, directum dominium habet in atramentum, papyrum, vel chartam habebit etiam in directum dominium; ſicut quia Petrus, putà, & non alius, habet dominium directum in ſua vita quo ad conſervationem illius, ſi aliquando contingeret vitam ſuam conſervare cum non poſſe ſine rebus, vel cibis ad Paulum pertinentibus, rebus in illis, & cibis re vera indirectum haberet dominium, tuncque, caſus, eos à Paulo ſine peccato poſſet auferre, ſic ſimiliter in caſu noſtro, ſi ideæ illæ, ſive manu ſcripta pro *formali* ſine atramento, & charta ſubſiſtere poſſent, Monachus in atramentum, & chartam indirectum non haberet dominium: at ſine illis ſubſiſtere nequeunt, Auctor ergo, qui in illas ideas, ſeu manu ſcripta directum jus habet, opus eſt ut in atramentum, & chartam indirectum jus, & dominium habeat. ¶ Id, quod etiam exendit ad ornamentum Reliquiæ, Agnus Dei, & hujuſmodi, quando tale ornamentum neceſſarium eſt, ut Reliquiæ, &c. habeatur, retineatur, & conſervetur decenter; eo enim ipſo, quod Religioſus ſit dominus Reliquiarum, &c. eſt de conſequenti indirectè dominus eorum omnium, quæ neceſſaria ſunt, ut tales à ſe poſſeſſæ Reliquiæ decenter ornentur, habeantur, conſerventur, atque venerentur.

26 Sed adhuc circa manu ſcripta pro aliquibus ex noſtris Prælatis adnotare debemus quòd, ſi eorum quis codices, ſive manu ſcripta alicujus ſubditi ſui decedentis ſibi abroget, vel alteri Religioſo, aut extero condonet, mortaliter peccat contra Juſtitiam commutativam, quæ ad reſtituendum obligat, eſtque ratio: nam Lex noſtra 2. P. cap. 5. num. 6. ita de dictis codicibus, ſive manu ſcriptis alloquitur: *Religioſorum decentium codices ordinamus, ut in communi Bibliotheca illius Conventûs, ubi deceſſerint, collocentur, neque eos poſſit ſibi, neque alteri Prælatus, nec alius applicare*: peccabit ergo mortaliter Prælatus, vel alius, qui in contrarium operatur, patet conſequentia, tum quia licèt Lex noſtra in conſcientia non obliget, (id, per quod falluntur non pauci) in conſcientia tamen obligat, & mortaliter in materia gravi, ac cum onere reſtitutionis, Lex illa, præceptum vel illud *de Non furtum facies*, ſed Lex illa noſtra codices, vel manu ſcripta (quæ res graves ſunt, maximæque æſtimationis) Religioſorum dentium (ſuppoſito quòd ipſi illa in vita ſua alicui non donent) Bibliothecæ applicat, illius, ſicut & Conventûs bonum commune facit, inhibetque Prælato ut neque ſibi, neque alteri illa applicet; ſi igitur Prælatus aliquis contrarium fecerit, re vera mortaliter contra commutativam Juſtitiam peccabit, conſequenterque ad reſtitutionem tenebitur, quia verè, & realiter verum, & in re gravi furtum facit, non minus, quàm ſi rem pretioſam, vel gravem ſurriperet alteri. ¶ Tum quia gratis dato quod dicta applicatio facta non eſſet à Lege, adhuc mortaliter peccaret Prælatus cum reſtitutionis onere, ſi ſupradictos codices, vel manu ſcripta ſibi applicaret, alteri vel donaret, nam bona illa magnæ ſunt æſtimationis, uti ſupponitur, & *quidquid Monachus acquirit, Monaſterio acquirit*, non vero Monaſterii Prælato: bona ergo illa Religioſi decedentis in communi cumulo bonorum Monaſterii intrant, & cadunt, ſuntque propria Monaſterii bona, in illique Monaſterium ſuccedit, tanquam proprius, naturalis, & legitimus hæres: non ergo Prælatus ea ſibi, vel alteri, tanquam ſi ſua eſſent, eorumque dominium haberet, ullo modo applicare, donando, &c. poteſt: ergo, &c. Et idem, quod dictum eſt de manu ſcriptis, tenet etiam, & potiori ratione de Reliquiis. ¶ Dictum eſt: *Suppoſito quòd ipſi illa in vita ſua alicui non donent*, nam quod bona Religioſorum ſua manu ſcripta, ſicut & Reliquias, cui voluerint, in vita, & cauſâ mortis donare poſſe, quid dubium eſt, & ex dictis conſtat. Hæc ita poſuimus, ut Prælati aliqui in re tanta aperiant oculos, & ne alicujus jus ſibi abrogent.

SUBJECTIO.

Proſequitur materia præcedens.

27 SEquitur quintò quòd, ſi in Religione, in qua Religioſus Profeſſionem emiſit, ſtatutum non detur, (uti apud nos Excalceatos Carmelitas datur 1. P. Legum noſtrarum cap. 10. num. 7.) ut Religioſus celebret pro intentione Prælati, ſive pro Monaſterii oneribus, & idem in Religionibus aliis diebus in illis, quibus Sacrificii applicatio eſt cuilibet libera, poterit Religioſus pro amico, vel alio quocunque Miſſas celebrare, tamet ſi ſciat eum pro Miſſis illis ſtipendium, eleemoſynam vel accipere, eo quòd totum, quod tunc amico, vel alteri dat, quid eſt, cujus dominium eſt apud ipſum Religioſum dicentem Miſſas, & quod ab amico, vel alio ſtipendium accipiatur, eſt mere per accidens reſpectu ipſius Religioſi. Ita cum aliis *Salmant. ſup. cap. 2. P. 12. §. 4. num. 196. Diana Coordinat. tom. 7. Tract. 3. Reſol. 27. & alii.* Sed

28 Quid, ſi ipſe Religioſus prædictarum Miſſa-

Missarum stipendia recipiat, poterit nec ne stipendia talia amico, patri, matri, fratri, aut alteri, cui sibi placuerit, impertire? Respondetur sub distinctione, vel enim, quando illa recipit, recipit cum intentione ea sibi retinendi, aut cum intentione illa impertiendi amico, vel patri, &c. si primum, Monasterio acquirit, consequenterque alteri illa donare non valet; si secundum, amico, &c. illa conferre valet, ea enim intentio non sibi, sed amico, acquirendi, facit quòd Monachus sibi non acquirat, vel Monasterio, consequenterque quod illa amico tribuere queat. Sed de hoc iterum infra.

29 Quod si Petro tot regales pro tot Missis offerenti Religiosus respondeat: Ego pro te gratis tot Sacrificia offeram, sub hac tamen conditione, quòd stipendium istud, quod non accepto, tali amico meo des gratis? Respondet *Caramuel sup. num.* 882. quòd talis Religiosus bene, licitèque, ac sine voti paupertatis fractione procedit. ¶ Sed contrarium videtur esse dicendum, nam conditio illa ad stipendium illud amico dandum, petentem Sacrificia constringit, id quod idem valere videtur, ac si Religiosus Sacrificia faciens, tale sibi stipendium acciperet, & ex se ad amicum transiret, id quod contra paupertatis votum esset. ¶ Quare melius videtur dicendum quòd bene, & licitè procederet dictus Religiosus, si dictam conditionem non apponeret, sed solùm peteret, & supplicaret, ut tale stipendium amico, vel consanguineo daretur, nam tunc nullatenus stipendii ulla acceptatio datur, & acceptatione ex parte Religiosi semota, nullatenus datur rei acquisitio, hacque non stante, non stat voti fractio; & ita cum *Peyrin. Fagund Villalob. Layman, Filiuc. Nald. Bossio, à Sancto Fausto, Suar Rodrig multis, & aliis Diana sup. Resol.* 8.

Sed, quia Lex nostra Carmelitana 1. P. cap. 4. num. 5 ita decernit: *Sacerdotes omnes, nisi urgenti, inevitabilique causâ impediti, Sacrum quotidie devotè, debitaque cum puritate faciant sub pœna jejunii panis, & aquæ, sine licentia Prioris omittentibus.* Petes an, si in die Natalis Domini, quo tres Missæ ex privilegio dicuntur, Missâ una jam celebrata, Religiosus duas alias aliqua de causa omittat, teneatur pro duabus illis Missis omissis stipendia Prælato conferre, illa quærendo à patre, matre, amico, vel alio; de hoc olim à quodam minus docto, Religioso nostro fuimus interrogati; & responsum fuit negativum, quia Lex nostra non obligat, nisi ad unicum Sacrificium in die, & dicere tres in die Natalis Domini est privilegium, non quidem Religioni specificè concessum, sed cuilibet singulari Sacerdoti, etiam seculari, & quilibet privilegio sibi concesso cedere potest, eoque non uti: non ergo ille, qui ob causam, dicta una Missâ, duas alias die illo omisit, (& idem est, si omnino voluntariè omitteret illas) quærere ab aliquo duarum illarum stipendia tenetur, ut ea Prælato suo tradat, cùm Lex per primum illud Sacrificium jam sit satisfacta.

Imò dicendum videtur quod, si Religiosus noster, prima eo die, Missâ dicta, ac pro intentione Prælati, vel obligationibus Monasterii applicata, duas alias celebret, & nullo pro eis stipendio accepto, pro patre, & matre, amico, & aliis applicet, non malè, sed bene facit ob datam rationem, eo nanque die dicere tres est privilegium, quo quilibet Sacerdos secularis, vel Regularis uti, & non uti potest, & dicta una satisfactum est Legi, sicut Capellanus ad quotidie celebrandum adstrictus, unam dicendo, obligationi suæ satisfacit, & si duas alias omittat, vel eas dicendo pro aliis applicet etiam stipendio accepto) cap. 4 num. 5. ubi præcipitur quòd *Sacerdotes omnes::: Sacrum quotidie: : facient*, & aliunde talis Religiosus non it contra Legem ejusdem 1. P. cap. 10. num. 7. ubi dicitur quòd *nullus Religiosus pro se, aut aliis personis, sed tantùm pro suo Conventu, Missarum eleemosynam recipiat*; quippe, ut supponitur, ipse nullum pro se, vel pro aliis stipendium, vel eleemosynam recipit: non apparet ergo, unde duas illas Missas pro parentibus suis, amicis, & aliis applicare tutò non possit; (omittimus alia) quòd si Prior pro duabus illis Missis stipendia accipiat, sibi imputet, cùm Leges suas scire teneatur, easque ultra id, quod ipsæ sonant, extendere non debeat, nec possit. ¶ Quid autem circa stipendia Missarum Sacerdotes itinerantes nostri facere possint, sive itinerentur ex licentia Prioris, vel alterius Superioris? Ipsi in dicta Lege cap. 10. num. 7. sibi videant. Si autem ob hæc Prior aliquis contra nos se opponat patientiam habendo respondebimus quòd *amicus Plato, sed magis amica veritas*, vel quod infringat fundamenta posita.

30 Sextò sequitur Religiosos verum dominium habere super omnibus suis operibus piis, & exercitiis spiritualibus, ut jejunandi, se verberandi, orandi, prædicandi, docendi, legendi, & hujusmodi: horum enim omnium quilibet Religiosus verus est dominus, & omnium actionum piarum, naturalium, & supernaturalium, ac actionum internarum, nihil enim horum sub votum paupertatis cadit, consequenterque contra illud non agit qui contra præceptum Prælati talia exercitia in alterius obsequium exhibet, & si alius eleemosynas pro illis recipere non ignoret. *Salmant.* ubi proximè, *Caramuel sup. n.* 852. & 853.

31 Sequitur septimò Religiosos Choristas (quod idem de Monialibus) ita naturalium

actio-

actionum ſuarum eſſe dominos, ut ſuprà tetigimus, ut eas abſque licentia Prælati in obſequium amici, aut alterius cujuſque exhibere poſſint, proindeque artefacta, reſque alias curioſas, veluti laminas, picturas, & hujuſmodi efficere poſſe, animo illas donandi quibus placuerit, dum amicus, vel extraneus, cui rem operaturus eſt, operis materiam dederit pro re ſibi facienda, putà aurum, argentum, ſericum, colores, &c. (Si nanque materiam à Monaſterii bonis recipiat ſine Prælati expreſſa, tacita ſaltem, vel præſumpta, licentia, peccabit contra paupertatis votum graviter, vel leviter, juxta quantitatem materiæ ablatæ.) Et id verum eſſe dicitur, licèt Religioſus Superioris præceptum habeat de non exercendis talibus operibus pro extraneis, nam tunc ſolùm contra obedientiam fortè peccabit, minimè verò contra paupertatis votum. *Caramuel ſup. num.* 861. *Lugo tom.* 1. *Diſp.* 3. *num.* 149. *à Spiritu Sancto ſup. Diſp.* 4. *num.* 252. cum quibus, & aliis *Salmant. ſup. num.* 199. legatur *Diana ſup. Reſol.* 9. & 10.

32 Dictum eſt *Religioſos Choriſtas*, nam loquendo de ſolenniter profeſſis, qui Choriſtæ non ſunt, ſed ſolùm Donati, Converſi, ſeu qui ex vi Profeſſionis ſuæ ſolùm ad actiones vitæ activæ directè tenentur, uti ſunt noſtri Donati, & Fratres Laici, eos opera ſua in alterius obſequium ſine Prælati licentia applicare non poſſe, ſed omnia ab ipſo facta Monaſterii eſſe, docent *Salmant. ſup num.* 198. in caſu, quo illa opera fiant horis in illis, quibus Religioſus pro Monaſterio elaborare tenetur; ſed excipiunt unam, vel alteram horam laboris, qua, vel quibus dicunt pro extraneis elaborare poſſe. Excipiunt & etiam artefacta in diebus feſti (quidquid ſit an licitè, vel illicitè fiant) à talibus Religioſis pro amicis, vel aliis elaborata. Legantur.

33 Octavò ſequitur quòd ſtando in illa ſententia, quæ aſſerit in rebus unico actu conſumptibilibus dominium non diſtingui ab uſu, (ſicque proinde Religioſum harum rerum uſum habentem dominium etiam habere) id quod jam ſup. tetigimus, & id quod eſt probabiliter dictum, ut videre eſt *apud Salmant. Tract.* 12. *cap.* 2. *P.* 3. *num.* 23. *ad* 26. *apud Lugonem de Juſt. Diſp.* 2. *Sect.* 3. *Tract.* 43. *apud Caramuelem ſup. n.* 871. & apud alios; poterit Religioſus, talium rerum à ſuo Superiori jam uſum habens, ſine alia ſui Superioris licentia, quin contra votum paupertatis eat, elargiri rationem ſuam, ſive pictantiam pauperi, amico, vel cui voluerit, tenent, tenereque debent omnes illi, qui pro dicta illa ſententia militant. Ratio eſt: quia jam acquiſivit in hujuſmodi pictantiam verum dominium, ſeu quaſi dominium, cùm ipſi jam uſus fuerit conceſſus, qui non diſtinguitur ab ipſo Dominio; quòd ſi aliquis hujuſmodi rem in illicitos expenderit uſus, viderit ipſe cui præcepto, Legi, vel voto contravenerit, nunquam tamen in illa ſententia ſtando contra virtutem, vel votum paupertatis delinquet. ¶ Et ſi contra expreſſam voluntatem Prælati pictantiam ſuam expenderit, tantùm contra obedientiam peccabit, & hoc maximè, ſi id in Regula habeat. Et hoc, quando determinata, ſignata vel portio Monacho datur; ſi autem non ita, ſed ponantur cibi communes in menſa, ut unuſquiſque comedat quid ſibi placuerit, ſeu quod voluerit, adhuc dicitur poſſe Monachum aliquid, quod aliàs comederet, accipere, & id amico, famulo, vel pauperi mittere. Legatur Lumblinus in Sum. verb. *Monachus*, num. 19. ubi ait quod Monachus eſt dominus illius portionis, quæ eſt ante eum poſita in menſa, unde illam dare poteſt cui voluerit, & etiam ludo exponere. Legatur & etiam *Diana* (apud quem alii) *ubi ſup. Reſol.* 13. ſed nos pro contraria ſententia ſtamus. Legatur *Donatus tom.* 1. *Tract.* 15. *Q.* 24. ubi in tali caſu Religioſum à peccato excuſat ſolùm, vel ratione parvitatis materiæ, aut conſuetudinis legitimè præſcriptæ, vel ex præſumpta, rationabilique licentia Prælati.

LECTIO IV.

De Religioſorum peculio, occaſione cujus vocantur ad punctum concernentia alia.

34 SErmo hic non eſt de peculio bonorum mobilium, hoc enim nemo dubitat poſſe Superiores concedere ſubditis ad uſus neceſſarios, & etiam ad opera pia, ut veſtes, libros, hanc, vel illam ſupellectilem, quæ paupertatis ſtatui conveniat, omnique ſuperfluo careat, ut ait Tridentina Synodus Seſſ. 25. de Regular. cap. 2. nec non aliquam quantitatem pecuniæ, & id eſſe communem DD. ſententiam aiunt *Leſſ. de Juſt. lib.* 2. *cap.* 4. *Dub.* 5. *n.* 33. *Sanch. Decal. lib.* 7. *cap.* 22. *n.* 1.

Eſt ſermo de peculio, prout ſtabilia, ſive immobilia bona includit, importat, & dicit, uti ſunt annui redditus, cenſus vitalitii, &c. ad honeſtos, & pios uſus, ac de hoc loquendo, non eſt ſermo de peculio, quod ſuo nomine, & omnino independenter à Superiore à Religioſis poſſideretur, poſſideri vel poſſit, quia hoc eſſet verum dominium habere, eſſeque proprietarium, quod prorſus repugnat religioſo ſtatui, cum eoque ſtare non valet, id quod ita verum eſt, ut neque de licentia Papæ tale peculium haberi, dari vel queat, tum quia id eſſet Religioſum proprietarium facere, ut

probatur in cap. *Cùm ad Monasterium*, & ibi Glos. de statu Monachi; tum quia dare licentiam irrevocabilem virtualiter esset in paupertatis voto dispensare, id quod nullus Superior humanus facere potest, per votum nanque paupertatis solenne quilibet Religiosus dominii omnino se incapax reddidit ita, ut in cap. *Monachi, & Abbates* 12. Q. 2. cap. ult. dicatur quòd, si quis Professionem non aliter emittat, nisi conditione appositâ, ut liceat ipsi habere proprium independenter à Prælati dispositione, ipso Jure talis Professio irrita, & nulla reddatur. Legatur *Sanch. sup. cap* 17. *n.* 28.

35 Sermo itaque est de peculio ad nutum Superioris amovibili, sive revocabili, nonque termo an id ex communi Jure, & ante Concil. Trident licuerit, nam hoc communis est DD. sententia, colligiturque ex cit. cap. *Cùm ad Monasterium*. Circa quod legantur *Salmant. sup. P.* 12. §. 4. *num.* 200. *Sanch. cit. cap.* 17. *num.* 5. *Suar. de Relig. tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 3. & infra citandi. Et id ipsamet ratio suadet: nam, sicut servus, sive mancipium, licèt proprium habere non possit, ex permissione dòmini tamen expressa, vel tacita peculium habere potest; *L.* 4. *Cod. de Manumissis, & L. Quam Tuberonis, ff. de peculiis*, sic etiam Monachus de licentia sui Abbatis, & ita Panormitan. in cap. *Nisi essent, num.* 12. *de Prabend. & Dignit.* Unde tota difficultas est post Concil. Trident. Sess. 25. cap. 2. de Regular. an nimirum post illud liceat Regularibus hoc peculii genus ex suorum Superiorum licentia habere, sive nunquid Superiores Regulares, & quinam hoc peculii genus subditis suis licitè concedere valeant? Et peculii nomine intelligimus, ut dicebamus, annuos redditus, census vitalitios, aliam vel retentionem bonorum immobilium ad nutum Superioris amovibilem. In quo sen su variant, & inter se acriter pugnant DD. Sed

36 Nos alibi quodam speciali Tract. cujus titulus *de Paupertate religiosa*, pro affirmativa sententia stetimus, modòque stamus, in qua dicitur licitum esse Superioribus adhuc hodie post Concil. Trident. subditis suis præfatum dependens peculium concedere, illîusque concessione legitimè facta, licitum Religiosis eo uti Religionibus illis, in quibus contrarium expressum non sit statutum; id quod ita verum videtur, ut illud tanquam quid certum, multis à se congestis, supponat *N. á Spiritu Sancto in suis eruditis Consultis Consult.* 50. quod legendum per totum; ibi enim agendo de quodam legato cuidam Moniali relicto, resolvit, & probat Superiores illîus ei ad ponendum illud ad vitalitium censum licentiam, & facultatem concedere posse; pro hacque nostra sententia stat cum multis *Thom. Hurtad. tom.* 2. *Moral. Tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 798. *&* 819. quem citat, & alios *á Spiritu Sancto sup. stat insuper Diana de Relo tom.* 7. *Tract.* 3. *Resol.* 28. *adducens Peyrin. Fagund. Villalob. Tamer. Fabrum, Riccium, Cened. Navar. Grafium, Emmanuelem, Sá, Sanch. Miranda*, tenent & alii plures, & est id, quod tempestate hac maximè inter Moniales aliquarum Religionum habetur in praxi, earum non paucæ annuos suos redditus (vel vulgò *tenças*) ad suos licitos usus habentes. Et

37 Probatur ratione hac: (missis aliis) quia peculium habere in rebus mobilibus, aut immobilibus, auferibile tamen ad nutum Superioris, ex vi cujus, & non auctoritate propria de illo Religiosus disponit, non est habere aliquam proprietatem, aut dominium, atque ita non opponitur substantialiter paupertatis voto, quo omne dominium, proprietatemque omnem abdicamus; & sic ex vi talis voti non abrenuntiamus peculium, consequenterque illud habere possumus, præparationem animi habentes ad acceptandam illîus revocationem quando Superior voluerit, eoque uti pro necessitatibus, & indigentiis secundùm personæ decentiam, statum, & consuetudinem Religionis, & nunquam ad profanas res, vel illicitas, Jusque antiquum id concedens per clausulam illam *Nemini liceat, & Nec deinceps liceat Superioribus, &c.* Concil. Trident Sess. 25. cap. 2. revocatum non esse docent, & probant sup. cit. qui legendi, legendus & etiam *Tambur. de Jure Abbat. tom.* 2. *Disp.* 22. *Q.* 5. *n.* 7. *Vasq. Opusc. de Redditib. cap.* 3. *Dub.* 2. *num.* 15. *á Spiritu Sancto sup. num.* 3. *Navar. Commentar.* 2. *de Regular. n.* 18. *Sanch. lib.* 7. *Moral. cap.* 22. *n.* 11. Et,

Licèt *Salmant.* pro contraria sententia stare videantur, re vera stant pro sententia nostra, saltem ex parte, quatenus ubi proximè *num.* 203. admittunt consuetudinem ferè omnium Religiosorum non reformatorum prævaluisse adversùs prædictam Trident. Legem, *præcipuè* (aiunt) *in Monialium Conventibus, in quibus ex licentia Superiorum particularibus conceditur annuos reditus habere, & mobilium bonorum administrationem ad usus pios, licitos, & necessarios, & ex hac consuetudine licet singulis Religiosis ex consensu Superiorum illa habere bona, ut sibi prospiciant, & in usus honestos expendant, &c.*

38 Dicta licentia peculium habendi semel concessa, si ad tempus concessa fuerit, eo transacto, à Superiore succedente renovari debet; sed, si Superior videat concessionis tempus jam esse transactum, & tacuerit, videtur licentiam extendere, & ampliare: si autem Superior licentiam peculium habendi ad tempus non tribuit, sed absolutè subdito tribuit licentiam liberè administrandi quidquid sibi à parenti-

bus,

bus, amicis, vel titulo ſpecialis donationis, aut eleemoſynæ ſibi expreſsè conceſſæ, nullatenus neceſſarium eſt à Superiore ſuccedente talem renovare licentiam, ſed tunc Prior ſemper exiſtit, donec expreſsè removeatur non minus, quàm licentia, quam Superior Religioſo concedit, ut confeſſiones exaudire queat, vel ut ipſe Confeſſarium eligat, hæc enim etiam poſt concedentis mortem durat, & perſeverat, ac etiam poſt quam ab officio eſt amotus, prout communis docet; idque extendi debet ad quamcunque aliam licentiam, & gratiam alicui conceſſam, gratia enim, ſive licentia nullatenus morte concedentis, aut ejus amotione ab officio expirat. Legatur Thom. Hurtad. ſup. cap. 8. Sect 11. Naldus in Sum. verb. *Licentia*, num 6. Gutierr. lib. 2. Quæſt. Canonic. cap. 17 num. 7. Sayrus tom 1. Theſauri lib 7 cap. 14. num. 7. & Navarrus lib. 1. Concil. tit. de Privil. Concil. 6.

39 Circa Superiorem, qui ſubdito, vel ſubditis ſuis peculium concedere valet, communiter dicitur id facere poſſe Summum Pontificem, quia eſt primus omnium Regularium Paſtor, & Rector, ſubindeque cuilibet Religioſo profeſſo peculium, & redditus annuos concedere poteſt, ſive in Penſionibus, aut in Beneficiis, ſive in adminiſtratione, vel in uſufructu rei immobilis ita, ut de fructibus ad libitum diſponere poſſit. Sic plurimi. Legatur *Hurtad. ſup. Sect.* 4. ¶ Deinde facultatem peculium concedendi habere dicuntur omnes ſuperiores Prælati, nempe Capitulum generale, Provinciale, Generales, Provinciales, & quilibet immediatus Prælatus; (ſub cujus nomine etiam Abbatiſſa venit, juxta plures, graviſſimoſque DD. pro quo ſatis eſt legere Villalob. tom. 2. Tract. 33. num. 2. verſ. *es, que la Abbadeſſa dá licencia a la Monja*; Torrecilla tom. 1. *de las Conſultas* Tract. 3. Conſulta 4. n. 16 verſ. *probable opinion es, que la Religioſa, que poſſue algun peculio, &c.* Salmant. Tract. 13. cap. 6. num. 77. verſ. *Deinde Abbatiſſa*, & juxta alios) & ita cum multis Hurtad. ſup. Sect. 7. pro eoque facit doctrina Sanch. tom. 2. Sum. lib. 5. cap. 3. num. 8. ¶ Utrùm autem Religioſus peculium habens, vel licentiam ad aliquid expendendum, ſi expendat in ludo, vel in aliis uſibus illicitis, venereis, ac turpibus, lucrator, vel accipiens reſtituere teneatur? Eſt ſententia pro utraque parte probabilis, negativaque multùm probabilis, quam acerrimè tuetur *Hurtad. ſup. Sect.* 87. qui legendus etiam *Sect.* 85.

40 Ad hoc, ut Superior ſubdito ſuo peculium concedere queat, aliqua juſta, rationabilis, honeſtaque cauſa ſemper dari debet. Eſt enim Superior ſolùm adminiſtrator, & non dominus rerum Monaſterii, & quidquid Monachus habet, ad Monaſterium pertinet, conſequenterque ut à Prælato licitè ſubdito concedatur facultas ad aliquid expendendum, debet honeſta, juſta, rationabilis, ſufficienſque cauſa dari. Sed

41 Quænam ſit hæc cauſa petes? Dicitur *ex Hurtad.* & communi multiplicem eſſe, vel eſſe poſſe, quarum prima eſt, ſi Conventus neceſſaria Religioſo dare non poſſit, tunc enim à Prælato licitè peculium Religioſo ſubdito concedi poteſt ad victum, & veſtitum, libros ſpirituales pro ſui conſolatione, & alios ad docendum, & prædicandum. ¶ Secunda, ſi Religioſus aliquis multa Monaſterio ſua comparavit arte, aut aliter, in illud autem multa bona contulit, æquum, juſtumque eſt ut plura ei, quàm aliis concedantur in ſuos honeſtos uſus, eleemoſynas, pios & alios faciendos uſus ¶ Tertia, ſi Religioſus literis, doctrinâ, famâque ſua publica glorioſum nomen in Religionis honorem acquiſierit, etiam juſtum, & æquum eſt ut huic aliquid concedatur, ut in honeſtos uſus poſſit conſumere illud. Legatur *Torrecilla cit. Conſult.* 4. ubi de peculiis agit.

Itidem quarta quando Religioſus extra Monaſterium juſto titulo degit, puta ad ſuſtentandos parentes, ſorores ſuas juvandas, aut in matrimonio collocandas, & hujuſmodi, vel ad inſerviendum Reipublicæ ſuo miniſterio, doctrinâ vel ſua. ¶ Quinta, ſi officialis ſit publicus, ſalarium ei aſſignari valet, quod ſit loco peculii à Superiore amovibile. ¶ Sexta, ſi fœmina, aut vir divitiis abundans Religionem profiteri nequeant, niſi peculio aliquo ſibi reſervato, id quod ſæpe numero vidimus exequutum, hodieque praxi mandatur, & frequentiùs inter Moniales. ¶ Septima ratione conſuetudinis in Religione jam introductæ, atque præſcriptæ. ¶ Octava juſta cauſa eſſet dividendi inter ſingulos Monachos Monaſterii redditus, certam cuilibet deſignando portionem per ſe adminiſtrandam, id quod quoddam eſt peculii genus, quando ſcilicet Religioſi communes res prodigè, & ſuperfluè expendunt, ac ideo certam pecuniæ quantitatem illis deſtinare oportet ad hoc, ut cum diligentia maiori de ea curent, eamque ſervent, nè ſibi neceſſaria deficiant, vel quando inter Religioſos oriuntur diſcordiæ, invidiæ, & murmurationes ex communi victu, & veſtitu, eo quòd illa eis parca videntur. *Navar. Commentar. 3. de Regular. num 29. Sanch. lib. 7. Decal. cap. 22. n. 23. & alii.*

42 Addit *Navar. Comment. 2. de Regular. num.* 25. prudentis viri arbitrio relinquendum eſſe judicare quænam ſit cauſa concedendi hujuſmodi licentiam peculium habendi, nam

quæ in Jure determinata non sunt, prudentum arbitrio determinari debent juxta *L. 1. ff. de jure deliberandi*, *cap. de Cauſis extra de offic. judic. delegat.* concordantque *Suar. tom. 3 de Relig. lib. 8. cap. 15. num. 4. Sanch. cit. cap. 22. num. 20.* qui etiam legendus *tom. 2. lib. 5. cap. 4. num. 20. & Hurtado ſuprà.*

43 Petes an, ſi Superior ſine juſta cauſa, vel ſine ulla cauſa ſubdito ſuo peculium concedat, (& idem eſt de re alia) tutus ſit ſubditus in conſcientia peculium retinendo, eoque utendo? Affirmativè reſolvitur, ſicque in univerſum reſolvitur quod, ſi Pontifex, alius vel Superior diſpenſare potens, vel licentiam concedere, peculium (rem vel aliam) Religioſo concedat, abſque juſta cauſa diſpenſando in Lege (uti poteſt, uti de Legibus dedimus, docetque communis, cum multiſque *Salmant. de Legib. cap. 5. P. 6.* & ſi Pontifex ſaltem venialiter peccet, ſicut & quilibet alius Superior, vel Legislator, de quo legendi *Salmant ſup n. 63.*) tamen diſpenſatio valida eſt, & ſubditus licitè, tutaque conſcientiâ tali diſpenſatione optimè uti poteſt; pro quo legantur *Azor lib. 5. Inſtit. Moral. tom. 1. cap. 15. Q. 3. Aragon. 22. Q. 89. Art. 9. ad fin. Hurtad. ſup. Sect. 10. Salmant. ſup. n. 69.* Sed

44 Ex *Hurtado ſup. Sect. 12. n. 859.* ſummopere notandum venit quod, ſi Communitas, vel ejus Superior de veſtitu nihil Religioſis tribuat, & de victu parum, aut ferè nihil, ſed ſolummodo communem domum, ut ſit in Communitatibus Monialium quàm plurimis, exiſtimo, aut ille, non ſolùm poſſe Superiorem illis concedere peculium, ſed & id concedendum teneri, & ſemel conceſſum non poſſe illud tollere, neque ſubditum teneri pati quòd ſibi tollatur, niſi Superior aliunde ſibi neceſſaria tribuat; doctrina hæc ex *Hurtado*, qui pro ſe plures adducit, ſuntque plures alii, pro eoque facit illud, quod ex aliis *apud Salmant. ſup. Tract 12. P. 12. num. 204.* adducitur, nempe: *Neque enim tenetur ſubditus demittere peculium, Superiore jubente, niſi ſufficienti ratione conſtaret illi ex communi pœna ſibi profectum fore.*

45 Petes an Superiores ſubditis ſuis neceſſaria non miniſtrantes, hinceque occaſionem dantes ut peculia ſubditis permittantur, ſibi vel ipſi neceſſaria quærant, mortaliter peccent? Dicitur quòd, ſi Prælatus ſit Communitatum earum, in quibus à tempore longo jam eſt introductum quòd Religioſis profeſſis commune ſit refectorium, quòdque veſtuarium externus, & internus certis temporibus per ſingulos annos, hoc, vel illud duntaxat, nihilque amplius ſingulis detur, neque oleum ad lucernam, &c. & itidem quando ſunt infirmi, ad communem infirmorum deferuntur locum, cubiculis vel in ſuis curantur, ubi illis nihil aliud confertur, niſi ſolum id, quod jam extat in uſu, putà unam gallinam infirmitatis initio, ubique multories mittere degunt ſine ſolatio, & ſine deliciis licitis, & aliis, quæ & ſi ſanis ſuperflua eſſent, non tamen infirmis; talis Prælatus, qua talis, non peccat mortaliter, quia ſubdito ſuo, vel ſubditis ſuis neceſſaria tribuit ſecundùm id, quod in ſua Communitate, vel Religione jam eſt introductum, & idem, ſi non omnia neceſſaria tribuat, eo quòd Monaſterium pauperrimum eſt, nonque habet unde, quare dictos Superiores licitè ſubditis ſuis concedere poſſe ut peculium aliquod habeant, ut ſic ſuis neceſſitatibus ſuccurrere, ſubvenireve poſſint, illiſque ad alia licita uti, communiter reſolvitur.

46 Si vero Prælatus ſit ex Religionibus, Monaſteriis, & Communitatibus illis, in quibus obligatio adeſt tribuendi omnia neceſſaria ſingulis Religioſis quo ad uſum, tam in infirmitatibus, quam in ſalute, tam quo ad victum, quàm quo ad veſtitum, tam quo ad libros neceſſarios pro cujuſcunque Religioſi qualitate, officio, exercitio, &c. etiam & pro faciendo itinere, talis Superior ſubditis ſuis neceſſaria non tribuens, quia eleemoſynas, vel annuos redditus Monaſterii expendit, vel in ſuperfluo domûs ædificio, erigendo turres, pingendo parietes, & hujuſmodi, aut in paramentis Eccleſiæ non neceſſariis, nonque à Lege petitis, vel quia plures perſonas ſuſtentat, quàm poteſt, ſuſtentareque debet, &c. talis iſte Superior mortaliter peccat, occaſionem præſtans ut amittatur obſervantiæ rigor, inducenſque ut in Religione introducantur abuſus, ſicque proinde Superior ſubditis peculium concedens, ut de neceſſariis ſibi ſubveniant, abs dubio mortaliter peccat, cùm cauſa ſit ut tam antiqua, & ſancta obſervantia tepeſcat, hinc inde paulatim decidat, funditus evertatur, Legeſque de omnibus in communi, ac de communi vivendo amittantur, nonque debiti, & indecentes introducantur abuſus. Legatur *Hurtadus ſup. Sect. 12. & Alveres tom. 2 de vita ſpirituali, lib. 5. Part. 1. cap 14.* ubi enim abundantia deficit, non bona poteſt ſtare obſervantia, ubi ſubditis neceſſaria non dantur, natura ſibi neceſſaria quærit; unde provenit ſubditos ſuos abſconditas pecunias, &c. habere, ut neceſſitatibus ſuis promptè ſubveniant ſemper quòd occurrerit neceſſitas ipſa, eo quòd viderit Prælatos in munere, & officio ſuo deficere, neceſſitatibus ſubditorum omnibus non ſuccurrendo, prout debent, tenenturque ex juſtitia. Et quis cauſa relaxationis iſtius, niſi Prælatus, qui de neceſſariis ſubditorum non curat? Peccat ergo mortaliter talis miſer Prælatus,

latus, occaſionem, cauſamque dando ut hæc, & ſimilia contingant, relaxationemque ſic introducendo in Ordine, pro quo vel in Purgatorio, aut in Inferno ſuas pœnas luet. Lege infra *cap. 4 n. 5. & in 5. P. Tract. 32. cap. 3. n. 61.*

SUBLECTIO.

Ad præcedentem rem concernentia alia trahuntur.

47 EX dictis in hac Lectione ſup. deduces primò probabile valde eſſe licere Superioribus Regularibus, ſibique ſubditis Religioſis aliquando Eccleſiam aliquam, & Villam ſibi junctam tradere cum horto, & aliis ad eam pertinentibus, ad vitam, ſeu ad nutum amovibilem, ea conditione, pacto, vel lege, ut quotannis certam penſionem Monaſterio tradant, cæteros & redditus annuos, cæteraque relinquantur ſibi, idque ſolis in illis Ordinibus, quibus de hoc praxis extat, ſive habetur in uſu. Reſolutionem probat ipſa praxis, quam ſervatam diverſis in Regnibus non ſemel vidimus, & experti ſuimus, eſtque expreſſa reſolutio Navarri in cap. *Non dicatis*, quam multis rationibus probat, noſque eas omittimus, quia praxis ipſa per ſe ſolam eſt probatio ſufficiens.

48 Neque contra dictum aliquid obſtat Decretum Concil. Trident. Seſſ. 25. de Regular. cap. 2. ubi ſic decernitur: *Non liceat deinceps Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commodum*, quia hoc intelligitur, intelligique debet de adminiſtrationibus perpetuis, & de his, quæ ſine conſenſu, & voluntate Prælati habentur, ſecundùm quod plures id explicant, non verò de illis, quæ ad nutum ſunt amovibiles, quæ præter alios eſt reſponſio Navarri. Vide *Manuale Prælatorum de Miranda, Q. 28. Art. 7. per totum.*

49 Secundò deduces quòd, ſi in aliqua Religione eſt uſus, & conſuetudo longeva, ut, ſcientibus, nonque contradicentibus Prælatis, cùm poſſint, Religioſi aliquid ad uſum ſuum habeant, tunc hujuſmodi Religioſi illa apud ſe habendo nullatenus contra paupertatis votum peccabunt, eo quòd tunc, caſus, expreſsè, vel tacitè conſentiunt Prælati; ſic tenent multi *apud N. á Spiritu Sancto in ſuo Regular tom. 3. Diſp. 4. Sect. 2. num. 88 Salmant. dicto P 12. §. 3. num. 184.* ¶ Et hinc liquet quomodo multæ Moniales, multi & etiam Religioſi docti, graves, benemeriti, Prælati obſervantiſſimi habere poſſint (ſicut de facto habent) peculium, & annuos redditus, vaſa aurea, argentea, anulos, catenas, Medalias, margaritas, veſtes ſericas, tapetes pretioſos, Imagines, & picturas magni valoris, laminas, ſcrinia, reſque alias pretioſas, quarum non paucas inſpeximus in cellulis aliquorum Religioſorum non reformatorum, id quod in tot viris doctiſſimis, & graviſſimis difficile, ac arduum eſt condemnare, tanquam quid contra votum paupertatis, & ob hanc eandem rationem non peccabunt dictæ Moniales, ac Religioſi Religionum dictarum, dando, accipiendo, vel utendo, juxta ſuæ Religionis morem. Legantur *Sanch. lib. 7. Sum. cap. 19. num. 7. á Spiritu Sancto ſup. num 68 ac Salmant. cit. in n. 184.*

50 Deduces tertiò quòd, cùm noſtrorum Religioſorum paupertas ſtrictiſſima ſit eo quòd neque ex lege, nec ex conſuetudine uſum alicujus rei, eſto minimæ, ſibi applicare queunt, neque ſibi retinere, ſive ſubditus ſit, aut Prælatus, ſive in Monaſterio ſit, vel extra, ſed omnia à Prælato illis applicantur juxta indigentiam cujuslibet, inde ſit aliter diſcurrendum eſſe de noſtris, quàm de illis, qui adeò ſtrictam non habent, nec obſervant paupertatem; quare, licèt aliarum Religionum Religioſi ob voluntatem tacitam, vel præſumptam Superiorum ſuorum poſſint ſibi ad expenſas proprias aliquid acquirere ratione lectionis, ſermonis, conſulti, & hujuſmodi, ſecus autem Religioſi noſtri, ſed omnia, & ſingula bona, quæ noſtrates acquirunt, ſive ratione prædicationis, lectionis, conſulti, Sacrificii, vel alio titulo, ſtatim acquiruntur Monaſterio, & Communitati, eique ſtatim tradi debent, ac cum aliis Monaſterii bonis incorporari, & hoc ſive res ſint pecuniæ, aut res comeſtibiles, ſive poculenta, vel quæcunque alia. *A Spiritu Sancto ſup. num. 69. & 70. Salmant. ſup. cit. num. 184.*

51 Quartò deduces poſſe quemlibet Religioſum cum licentia ſui Prælati de illis bonis, quæ habet ad uſum, per donationem cauſâ mortis diſponere, (licèt teſtamentum concedere nequeat) dummodo talis donatio ſit moderata, & ſtatu pro ſuo proportionata, non enim in hoc repugnantia ulla apparet: cùm nanque Religioſus in vita ſua de ſui Prælati licentia ex his, quæ habet ad uſum, aliquid alteri tribuere valeat, non eſt ratio, cur hoc ex cauſa mortis efficere non valeat, Prælati licentiâ ſuppoſita, & maximè cùm nullum appareat Jus hoc prohibens. ¶ Quòd ſi Religioſus tempore mortis ore, ſcripto, vel nutu Prælato ſuo voluntatem ſuam declaret, eumque roget ut his, vel illis Religioſis res ſuas, vel illas, quibus utebatur, poſt ſuam mortem impertiatur, & Prælatus ipſe annuat, & ita facturum expreſsè promittat, nullatenus promiſſionem talem adimplere tenetur, etiam ſi res extraneis elar-

elargiendæ essent, in sententia probabili, licèt etiam contrarium in hoc casu sit probabile etiam, quatenus asseritur Prælatum tunc, casus, non manere obligatum *civiliter* ad adimplendam promissionem, bene tamen *naturaliter* in conscientia, & coram Deo obligatum manere, sicut dominus potest suo servo naturaliter obligari. Legantur *Sanch. lib. 7. Sum. cap. 8. num. 18. Pellizar. Tract. 4. cap. 2. num. 207. à Spiritu Sancto sup. num. 236. & 239 Salmant. sup. num. 187. & 189.* legatur *Diana cit. Tract. 3. Resol. 65.* ¶ Si res tamen sint spirituales, putà Reliquiæ, manu scripta, &c. has posse Religiosum relinquere cui, vel quibus ipse maluerit, tenerique Prælatum eas conferre, & si de eis non disponat, esse Monasterii, neque posse licitè Prælatum eas sibi, aut alteri applicare, jam satis constat ex dictis.

52 Quintò deducitur quòd, cùm id omne, quod Monachus acquirit sive industriâ sua, aut hæreditate, legato, donatione, &c. Monasterio acquirat, si Monachus, Religiosus vel aliquis ex una Religione, vel Monasterio ad aliam, vel aliud tranſeat, uti si Religiosus Societatis tranſeat ad Carmelitanam, ea omnia, quæcunque illa sint, ab eo ante transitum acquisita ad primum Ordinem pertinent, tam quo ad usum fructum, quàm quo ad proprietatem. (Et hoc non attentis statutis cujuslibet Religionis, illis nanque attentis pro illis standum erit.) Et idem dicitur de Monialium transitu de uno in alium Ordinem, vel Monasterium, de quibus dicitur quòd non debent secum dotem afferre, quam ad primum Monasterium attulerunt, sicut neque peculium proprium, si quod habebant, nisi Abbatissa prioris Monasterii annuerit, quòd si transitus fiat ad instantiam prioris Monasterii, idque in ejus utilitatem cedat, tunc istud obligabitur ad elargienda Monali translatæ alimenta necessaria. Et ita *Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 4 Lugo Disp. 3. num. 227.* cum quibus *Salmant. sup. P. 12. §. 5. num. 205. & 206.* & est legendus *Mirandalin suo Manuali Prælatorum, Q. 3. Art. 24. Conclus. 2.*

53 Secundò deduces Religiosum apostatam, & fugitivum omnia, quæcunque acquirit, Monasterio suo acquirere non minus, quàm quilibet alius Religiosus, fuga enim eum extra religiosum statum non extrahit, & hoc verum est non solùm de acquisitis per ejus industriam, sed etiam per donationem, legatum, hæreditatem, vel aliter in casu, quo Monasterium legati, vel hæreditatis sit capax, sin minus, tunc succedunt hæredes ab intestato testatoris relinquentis hæreditatem Religioso tali. ¶ Et si talis apostata, vel fugitivus in alia Religione, vel Monasterio illegitimè se collocet, adhuc priori suo Monasterio acquirit, si Prælatus posterioris Monasterii conscius sit talis illegitimitatis, nisi fortè aliquid contemplatione illius Religionis, vel Monasterii recipiat, hoc enim illi videtur acquirere, quia tunc non illi, sed solùm Religioni, vel Monasterio donatum, vel legatum videtur; si autem posterior Ordo, in quem fugitivus se contulit, bona fide eum recipiat, illi acquirit in primis ea, quæ talis Ordinis, vel Monasterii, in quo tunc est, contemplatione acquisivit, deinde ea, quæ acquisivit, & acquirit, dum ibi existit, ex solis rebus posterioris Monasterii, vel ex illis simul cum suis operibus, quia hæc omnia etiam servus acquirit domino putativo bona fide possidenti servum: *L. Homo liber, & L. Si servus, ff. de acquirend. rer. domin.* quæ verò ex solis suis operibus, & quæ per donationem contemplatione ejus factam acquirit, priori Monasterio acquirit, quia etiam hæc servus non putativo, sed vero domino acquirit. Argumento *L. Per servum, ff. de usu, & habitat.* legantur Sanch. lib. 7 Sum. cap 33. à num. 10. Lugo Disp. 3. Sect. 11. n. 136. & 235. Salmant. sup. n. 208.

54 Deduces septimo Religiosum justè, ac legitimè expulsum proprietatem, ac dominium omnium à se acquisitorum, quomodolibet ab eo sint acquisita, Monasterio, à quo expulsus est, acquirere, (quidquid aliqui in contrarium immeritò dicant) nisi post expulsionem ad aliquem Episcopatum, vel Beneficium assumptus, evectusve fuerit, nam tunc omnia, quæ acquirit, Ecclesiæ accedunt. Et quòd Monasterio acquirat, manifestum esse videtur, nam ex eo, quòd Monasterium ut inutilem, & cæteris nocivum cum expellat, non infertur bona ab eo acquisita abjicere, quia hæc non sibi nocumentum, sed potiùs utilitatem valent afferre. Eò vel maximè, quia ex Jure communi omnia bona Religiosi applicantur, applicataque sunt Religioni; cùm igitur expulsus ab hac regula non eximatur, debet enim omnia Religioni acquirere quo ad dominium, & proprietatem. Ipse tamen, dum vivit, talium bonorum administrationem habet ex concessione veri dòmini proprietarii, licèt non ad usus superfluos, & profanos, sed solùm ad honestos, & licitos. Si verò ipse in illicitos usus insumpserit aliquid, tam ipse, quàm recipiens ad restitutionem tenentur in una sententia, secus in alia, quæ dicit illicitè talem Religiosum procedere, recipientem tamen ab eo ad restitutionem non manere obligatum, eo quòd hoc jam in usu extat receptum. Legantur *Salmant. sup. n. 209. & seq.*

55 Petes an Monasterium ex delicto Religiosi, vel ex ejus contractibus obligatum maneat? Negativè resolvitur quo ad delictum, sed exci-

excipitur casus, in quo ex Religiosi delicto Monasterium ditius efficiatur, uti ex furto, &c. & etiam casus, quo Religiosus peculium aliquod habeat, quo casu dicitur Religiosum ipsum ex tali peculio satisfacere teneri damnum omne à se factum, ac in ejus defectum Monasterium ex peculio ejusdem Religiosi. ¶ Quòd si Religiosus peculium non habeat, tunc tenebitur ipse per supererogationis opera, labores, ac industrias suas, si Prælatus ad hunc effectum operationes, & operas suas liberas ei relinquat, ad quod non tenetur, satisfacere. Legantur *Salmant. sup* § 6. *n.* 211.

56 Quo ad contractus dicitur quòd, si contractus celebrati fuerunt ante Religionis ingressum, & Monasterium aliqua bona cum ipso Religioso accepit, ultra sustentationem anni Novitiatûs tenetur Monasterium juxta bona recepta, non minus, quàm hæres, qui hæreditatem admisit, ad defuncti onera tenetur. ¶ Dictum est *juxta bona recepta*, nam ultra illa bona ad nihil Monasterium teneri, etiam si postea industriâ, aut aliter multa bona Monasterio acquirantur, probabiliter resolvitur. ¶ Si verò contractus celebrati fuerunt post Professionem solennem ipsius Religiosi, idque factum fuit ex licentia expressa, vel tacita Communitatis, tunc communitas, sive Monasterium pro illis stare tenebitur. Et

57 Hin resolvitur teneri Monasterium solvere mutuum à Prælato receptum ex intentione expendendi illud in Monasterii utilitatem, tametsi postea mutato animo receptum mutuum malè Prælatus expendat. ¶ Item, si Religiosus ex legitima licentia extra Monasterium ambulet, vel commoretur, ibique mutuum pro necessariis ad suam congruam, decentemque sustentationem, viaticum, curationem, & hujusmodi recipiat, illud totum Monasterium solvere tenetur, nam ad hoc fuit ibi tacitus consensus, eo quòd qui concedit licentiam Religioso deambulandi, aut commorandi extra Monasterium, etiam concedit facultatem ad omnia, quæ ipsi secundùm conditionem sui statûs, dignitatis, &c. sunt necessaria; unde, cùm Prælati nostri Religiosis illis, qui de Monasterio uno transmutantur ad aliud, tanquam conventuales, teneantur omnia eis necessaria pro omnibus expensis itineris conferre, si acciderit Prælatum aliquem non tantum, quantum satis conferre; & etiam in casu, quo Religiosus in itinere infirmitate aliqua gravetur, &c. ad omnes expensas tenetur Monasterium illud, à quo talis Religiosus ad aliud fuit egressus, cùm Monasterii hujus conventualis reputetur adhuc, donec ad aliud Monasterium accedat. ¶ Utrùm autem, si Religiosus aliquis contractum aliquem fecrit sine expressa, vel tacita licentia sui Prælati, maneat obligatus? Est sententia pro utraque parte probabilis. Tu circa hæc, quæ sub hunc, & duos præcedentes num. cadunt, lege *Salmant. sup. cit.* §. 6.

CAPUT IV.

De violatione religiosi Dominii per ipsosmet Religiosos facta, quod proprie est agere de violatione voti paupertatis.

CUm per paupertatis votum quilibet Religiosus cujuslibet rei temporalis, & pretio æstimabilis dominium à se abdicatum habeat, nullamque rem pretio æstimabilem nomine proprio possidere valeat, neque sibi acquirere, eo quòd *quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirit*, evidenter fit inde Religiosum professum furti Reum existere, contraque paupertatis votum deficere graviter, vel leviter, materiæ tantitate attenta, si sine expressa, tacita, vel præsumpta sui Superioris licentia aliquid insumat, accipiat, retineat sibi, donet, distrahat, &c. quia rem alienam, sive non particulariter suam usurpat, illiusque usum sine licentia dòmini, qualis Communitas, neque ejus Procuratoris, qualis Prælatus, est vel alius nomine ejus: imò contra ejus voluntatem accipit, retinet, expendit, ea utitur, &c. id, quod planè est in voto paupertatis deficere: unde circa hoc cap. in hoc aliquid dicendum venit. Et licèt aliqui de re hac Tract. de Restitut. tractent, nobis autem de ea hîc agere placuit, ut Religiosus quilibet quid circa paupertatis votum sibi liceat, vel non, quasi conjunctim reperiat: visis ergo, & suppositis illis, quæ cap. præcedenti posuimus, fit

LECTIO I.

Qualiter quilibet particularis Religiosus peccet, vel non, aliquid de communibus Monasterii bonis sibi accipiendo, eoque nomine proprio utendo absque Prælati licentia legitima?

1 NOnex eo, quòd Religiosi Monasteriis acquirant, quòdque Monasteria bona communia habeant, sicque proinde omnia sint omnium Religiosorum, sequitur, sequi vel potest quòd quilibet Religiosus particularis ex communibus bonis pro libito suo, & sine Superioris licentia expressa, tacita, vel præsumpta, quidquid sibi placuerit, sibi, vel aliis accipere potest, (in quo Religiosi, qui valde ignorantes, falluntur non pauci, dicentes: Comedamus, & bibamus, &c nam dum omnia sunt communia, eorum quòdlibet cujus-

cujuslibet est proprium) nam, licèt omnia jure communia sint, non tamen particularis quilibet eorum aliquid sibi, vel aliis pro libito suo, & sine Superioris alicujus licentia applicare licitè valet, religiosa nanque Sancta, nunquamque satis laudata, semperque laudanda paupertas, religiosaque obligatio ex voto paupertatis orta terminis his tribus complectitur. Primo, ut Religiosus quilibet *Monasterii rebus tanquam non suis utatur*, sive tanquam eorum verus non dominus, sed solùm purus, meruſque usuarius. ¶ Secundo, (id, quod ex illo primo sequitur) *ut rebus illis de rationabili Superioris sui voluntate utatur.* ¶ Tertio denique, ut *intra terminos licitè, & honestè rebus sibi ad usum concessis utatur*, atque etiam juxta modos in Regula, vel Constitutionibus cujusvis Religionis contentos, & expressos, putà moderatè, nonque excessivè, non superfluis, curiosis, pretiosis utendo ultra id, quod in Regula, aut Constitutionibus continetur, sive jam præscriptus usus permittit; in quibus si Religiosus deficiat, abs dubio contra paupertatis votum peccabit, & hoc est id, quod hîc videndum.

2 Dicitur ergo quòd quilibet Religiosus contra paupertatis votum mortaliter peccat, si ex communi penu Monasterii notabile aliquid adhuc ad suum usum abstulerit, sive subtraxerit sine licentia saltem præsumpta, vel tacita sui Prælati, aut si absque simili licentia aliquid ex bonis sibi ad usum concessis ob culpam, vel negligentiam latam, quæ dolo æquiparatur, amittat, aut destruat, quia id omne proprius dominii est actus, quo Religiosus omnino caret. Est communis omnium, & ex dictis constat. ¶ Idem omnino dicitur de Monasterii Procuratoribus, Administratoribus, Officialibus, &c. qui rerum Monasterii curam habent, si res quæcunque gravis ex eorum culpa amittatur, sive detineatur, aliquam vel ipsi, domestico, aut extero largiantur, vel expendant aliter, quàm Ordinis Regula, sive Constitutio, vel consuetudo longæva, vel Superioris voluntas permittat: nam, ut *Div. Thom. 22. Q. 32. Art.* 8. angelicè, perbellèque adnotavit, *oportet quòd ea, in quibus inferior Superiori subjicitur, dispenset non aliter, quàm ei sit à Superiore commissum.*

Sed quo ad officiales, cùm in Carmelitana Regula nostra cap. *De non habendo proprium* dicatur: *Nullus Fratrum sibi aliquid proprium esse dicat, sed sint vobis omnia communia, & distribuantur unicuique per manum Prioris, vel per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, prout cuique opus erit, inspectis etatibus, & necessitatibus singulorum*, adnotandum venit quòd, si aliquis ex Fratribus nostris ad Monasterii Officialem accesserit, eique petat aliquid, illico sine repugnantia ulla ei potest, & dare debet, si habet, tum quia supponere prudenter debet quòd talis Frater sine Prælati licentia ad petendum nullo modo accedit, (nisi Religiosus malæ sit indolis, & relaxatus, nonque boni nominis, &c.) tum quia Regula dicit *per manum Prioris, vel per Fratrem, &c* & dicta dictio *vel* hîc disjunctiva est, non solùm quò ad verba, sed etiam quo ad effectum, quòdque disjunctiva sit, nonque copulativa ex sui natura, patet, & de quo legendus *Barbosa de Diction. usu frequent. Dictione* 415. *fol. mihi* 106. quare, licèt semper necessaria sit licentia Prioris, ut quis licitè communibus rebus utatur, facultas tamen dandi talem licentiam de primario est in Priore, de secundario autem in Monasterii Ministro, vel Officiale, quem Prior ad res custodiendas, ac distribuendas apposuit, dispensatoremque fidelem constituit. Et hunc sensum habere videtur dictio illa *vel* Regulæ, & etiam *Legis* 1. *P. cap.* 7. *num.* 1. quin contra hoc obstare videatur illud Legis: *Ab ipso igitur Prælato omnia concedi debent*, nam à Prælato concedi dicitur id, quod ab Officiale conceditur, distribuitur, vel datur, eo quòd ab ipso Prælato constitutus est ad distribuenda, vel danda necessaria Fratribus, consequenterque imbibita est, tacità vel, aut præsumpta licentia extat, aliàs dictio *vel* in Regula, simul & Lege apposita superflua foret. ¶ Quòd si Prælatus Officiali jubeat quòd nihil, aut hoc, vel illud alicui conferat, nisi dicat se habere expressam licentiam Prælati ad id exigendum, tunc Officialis jussui Prælati omnino stare tenebitur, sicut Vicarius Episcopi id conferre non valet, quod ei Episcopus vetuit, à seque concedendum sibi reservavit.

3 Cùm omnia Monasterii bona communia sint, & ex illis quilibet particularis Religiosus de necessariis sibi provideri debeat, si contingat quòd Prælatus, vel quia non potest, aut quia malevolus, malæ indolis, miser, &c. subditis suis, vel eorum alicui necessaria deneget ad victum, vestitum, curationem, iter, &c. secundùm quod extat in Lege, aut consuetudine in tali Religione recepta, & attenta conditione, ac dignitate, Religiosi indigentis utique licitè, & sine voti paupertatis fractione poterit Religiosus indigens clam sibi necessaria accipere sine licentia sui immediati Prælati, imò & eo invito, tam à bonis Conventûs, quàm ex bonis à secularibus donatis, aut mutuò datis, id quod verum de omnibus omnium Religionum Religiosis, nemine dempto. Et in promptu resolutionis hujus est ratio, tum quia Superior subditis suis sibi necessaria ex justitia dare tenetur, atque adeò, si ea sit dare potens, &

non

non faciat, iniquiſſimè agit; unde ſubditis ſibi licet aliunde providere, tuncque, caſus, Superior irrationabiliter invitus cenſetur, & ſubditus jure ſuo utitur, tum quia, licèt immediatus Prælatus id deneget, tunc intrat ipſamet Religio, vel Papa tali Religioſo licentiam concedendo, & de facto illi tacitè licentiam concedit, cùm Prælatis præcipiat ut Religioſis omnibus neceſſitatibus ſuis provideant omnibus, in quo tacitè cuilibet licentiam concedit ad de neceſſariis ſibi providendum, quando Superior vel negligit id facere, aut ideo certè non facit, quia non poteſt. Eſt communiſſima, cum multiſque docet *á Spiritu Sancto in ſuo Regular. Tract.* 3 *Diſp.* 4. *Sect.* 3. *num.* 131. cum eo, multis & aliis *Salmant. tom.* 3. *Tract.* 13. *cap.* 6. *P. num.* 3. *Fragoſo* 2. *P. lib.* 11. *Diſp.* 24. §. 11. *num.* 24. & de quo vide etiam *in* 5. *huius Breviarii Parte Tract.* 32. *cap.* 3. *Lect.* 5. *á num.* 61. Sed

4 Circa proximè dicta eſt valde notandum quòd dum dicimus poſſe ſubditum, quando ipſi Prælatus neceſſaria denegat, clam ex bonis Conventûs ſibi providere, non debet intelligi quòd licitè poſſit ingrediendo aliorum Religioſorum cellulas ex eis clam ſibi furripere ea, quæ quilibet particularis Religioſus ad uſum particularem ſuum habet, à Prælato ſuo conceſſum, (excipe neceſſitatem extremam) hoc enim valde à ratione alienum eſſet, eo quòd particularis Religioſus culpam non habet, ut mihi, vel tibi Prælatus iniquè neceſſaria neget, nonque tribuat, & aliàs juſtum jus habet utendi rebus, quas ad uſum habet, & eſt iniquè agere hoc jus illi debitum jam habitum, & poſſeſſum ab eo auferre. ¶ Eo vel maximè, quia hoc eſſet murmurationi locum dare, Religioſorum animos perturbare, occaſionem, ſive cauſam ad judicia temeraria ſeminare, vel ea in medium excitare, ac inter Religioſos diſcordiæ ſemina ſupplantare, pacem de medio eradicare, religioſamque obſervantiam, ac paupertatem religioſam funditus evertere, ex quibus omnibus non minora abſurda ſequerentur alia, videlicet inimicitiæ perpetuæ, & fortè Clerici percuſſio, &c. non ergo licitum unquam erit Religioſo, cui Superior in neceſſariis deficit, aliorum Religioſorum ingredi cellulas, clamque ab eis ea, quæ licitè ad ſuum uſum habent, auferre; ſed poſſunt ex communi penu quidquid neceſſarium ſit ſibi tollere, viam vel licitam quærere aliam, decentique modo alio ſibi proſpicere, quem tandem ſi non valeant detegere, tunc ea, quæ ad uſum proprium Superior habet, ſatius erit ab eo auferre, ut ſic ipſe oculos aperiat, ſuorumque ſubditorum neceſſitatibus ſuccurrere diſcat. Vide infra dicenda num. 7.

5 Ex quo manifeſtè infertur peccare mortaliter Superiorem illum, qui vel ex Conſtitutionibus, aut ex conſuetudine Religionis omnia ſubditis neceſſaria pro victu, veſtitu, infirmitate, itinere, &c. impertiri tenetur, ſi in hoc negligenter ſe gerat, & ſubditis neceſſaria non tribuat, potens; dat quippe occaſionem, ut quilibet per ſemetipſum, quidquid ſibi neceſſarium eſt, quærat, id quod, ultra quòd in maximum Religionis dedecus cedit, via eſt, amplamque relaxationi aperit portam, ingreſſumque dat, ut obſervantiæ rigor tepeſcat, & omittatur, aut indecentes introducantur abuſus: Superior igitur talis mortaliter peccat, in maloque ſtatu extat dum negligentiam illam non corrigit. Lege *ſup. cap.* 3. *Lect.* 4. *n.* 46.

6 Deinde dicitur quod, licèt probabilius ſit contra paupertatis votum peccare Religioſum eum, qui ab amico, vel alio extraneo pecunias, libros magni valoris, aliam vel rem pretioſam recipit, ea tamen conditione, ut earum rerum dominium ſemper apud amicum, ſive extraneum maneat, & earum uſus ſit apud Religioſum; probabile tamen eſt dictum Religioſum contra paupertatis votum in illo caſu non ire, tutòque in tali caſu re ea uti poſſe abſque Prælati licentia ulla. Ita cum *Souſa*, *Sanch. & Fauſto Illuſtriſſ. Caramuel in Regula S. Benedicti*, *Diſp.* 35 *num.* 883. illamque probabilem vocat, & ut talem ſequitur *á Spiritu Sancto ſup. Sect.* 4 *num.* 271. docetur, & probatur *apud Torrecillam tom.* 1. *Sum. Tract.* 3. *Diſp.* 2. *cap.* 4. *Sect.* 8. qui omnino legendus *á num.* 45. *ad* 73. eſtque inſuper legendus *Diana Coordinat. tom.* 7. *Tract.* 3. *Reſol.* 25 *ad* 27. legantur præterea *Salmant. ſup cit. cap.* 6. *P.* 2. *n.* 13. *&* 14 nonque à mente noſtra diſcordat.

7 Contra paupertatis votum non peccare Religioſum, qui ab amico, vel ab aliquo alio pecunias accipit in eleemoſynas nomine dantis diſtribuendas electurum pauperes, vel perſonas pro arbitrio ipſius Religioſi, eo quòd non accipit dominium, nec uſum, ſed ſolùm eſt merum inſtrumentum cauſæ principalis, in charitatis actum cooperans. Et ita expreſsè docet *Sanch. in Decal tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 30. *num.* 4. *Dian. ſup. Reſol.* 29. cum aliis *Caramuel ſup. Reſol.* 9. *á Spiritu Sancto ſup. num.* 208. & eſt communis. ¶ Idem & potiori ratione dicitur de Religioſo, qui pecunias, vel alias res ab aliquo ſibi oblatas accipere nolit, ſed manifeſtet donanti ſe ejus nomine aliis eas daturum, quia tunc Religioſus nihil ſibi accipit, neque ſuo proprio nomine aliquid donat, ſed alius per ipſum, tanquam per inſtrumentum, vel miniſtrum. ¶ Et idem, ſi ſine Prælati licentia ab amico pecuniam accipiat, non quidem ſibi, ſed ad dandam, putà meretrici, cùm non no-

mine proprio, sed nomine dantis eroget illam. ¶ Idem de Religioso, cui ab amico, vel quolibet alio pecuniæ, vel aliæ res offeruntur contemplatione Religiosi ipsius, non verò Religionis, ipseque Religiosus rem oblatam accipiat, exteriùs significans sibi illam recipere, cùm tamen talem animum, & intentionem sibi rem recipiendi non habeat, sed solùm ut eam elargiatur tertiæ personæ nomine amici eam donantis, quia tunc eam pecuniam, &c. ut propriam non accipit, nec sibi, licèt donans ita judicet, nec eam ut propriam donat, sed eam accipit nomine eam dantis dandam, & distribuendam. (Id, quod est subterfugium egregium, atque dexteritas maxima ad hoc ut Religiosus quilibet sine fractione voti multa recipiat; non quidem animo sibi ea applicandi, sed solùm aliis donantis nomine danda.) Et ita plures, gravissimique DD. inter quos Sanch. sup. num. 4. à Spiritu Sancto sup. n. 211. Salmant. sup. P. 3. n. 23. verſ. *Imò, si offerenti.*

8 *Deinde* contra paupertatis votum Religiosum eum non peccare dicitur, qui pecunias, res vel alias sine Prælati licentia à seculari aliquo recepit, ut eam, vel eas Superiori suo tradat, id quod indubium. ¶ Item non peccare, si aliquid ab aliquo exigat, non animo recipiendi, nisi prius licentiâ petita, & obtenta, id quod etiam indubium. ¶ Item non peccare, & si rem ab alio donatam accipiat animo non ea utendi, nisi prius licentiâ petita; sed quia prudenter timet ob hoc, vel ob illud ab immediato Prælato fore sibi denegandam licentiam, vult à Superiore petere illam, vel fortè expectare immediatum successorem, qui melioris sit indolis, qui proximè est successurus, maximè cùm Superiores in officiorum suorum ingressum benigniores, & liberaliores se ostendere soleant. Et ita cum aliis *Salmant. legendi sup. P. 2. num. 15.*

SUBLECTIO.

Prosequitur materia præcedens.

9 ULterius contra paupertatis votum non peccare dicitur qui absque Prælati licentia ab amico, vel ab alio pecunias, aut aliud petit, ad illas apud se quasi in depositato habendas, vel amicum ipsum roget ut eas apud alium in depositato deponat, apud deponentem dominio manente, eas vel Religiosus ipse tanquam in depositato apud se retineat, atque abscondat, animo non illis utendi antequam à Superiore licentiam obtineat, sed res commodè vult ad manus habere, ut cùm licentiam petierit, illis uti queat, quia Religiosus ipse tales res solùm in custodiam accipit, ut ipse suo tempore eis habita licentiâ utatur, in quo nullatenus paupertatis votum infringitur, quia non recipit talium rerum dominium, cùm supponatur apud secularem manere, nec usum, quia illis rebus uti non vult sine debita licentia Prælati. Cum multis *Salmant. sup. num. 16.* ex aliis addentes id verum esse, tametsi donans transferendi dominium animo donet, accipiendique animum Religiosus non habeat, quia dum ipse dominium non acceptat, apud alium permanet, id quod etiam adnotari studiosè debet. Legatur *à Spiritu Sancto sup. num. 105. ad 130. & Vidal tit de Paupertate, n. 49. Diana sup. Resol. 18. ac 19. & 66. Torrecilla sup. n. 39. ad 69.*

10 Et hoc verum esse dicitur *apud Pelizar. Tract. 4. cap. 2 num 312. quem à Spiritu Sancto libenter sequitur sup. Sect. 2. num. 119.* non solùm in casu, quo Religiosus apud se habeat præfatam pecuniam per modum depositi, sive custodiæ, sed etiam si absolutè eam apud se habeat, & retineat, & à Superiore abscondat ad subveniendum indigentiis suis, quando oportuerit, si certa ductus experientiâ noverit se de facto à Prælato non provisurum iri, quando hic indiguerit, cùm tamen non rari casus indigentiæ ei evenire soleant, reque vera sint eventuri. ¶ Et hoc, etiam si detur præceptum sub mortali obligans, nè Religiosi pecunias in depositato habeant sive intra, aut extra Monasterium, sive apud se, vel apud alium, sed quòd omnes pecuniæ, si quæ fuerint, reponantur in arca communi, depositario communi Monasterii, vel Prælato tradantur, cujus resolutionis ea datur ratio: quia in hoc casu, debitis circunstantiis attentis, censetur subditum illas pecunias habere, easque expendere, sive insumere ex licentia superioris Prælati casu, quo prohibitio illa facta sit ab inferiori Prælato; quòd si facta sit à Provinciali, tunc de licentia Generalis operari censetur, & si ab hoc fuerit illa prohibitio posita, tunc ad operandum licentiam supremi Prælati, nempe Summi Pastoris adesse, & si tandem ab hoc fuerit illa prohibitio facta, tunc recurrendum esse ad Jus naturale, quod dictat licitum esse unicuique in necessariis sibi providere, quod Jus naturale cuicunque humano Juri abs dubio prævalet; sic apud citatos, & apud alios, quæ doctrina, & si sana, veraque videatur, id quod alii dijudicent, sentimus tamen non apud Religiosos omnes detegendam esse, cùm multi falsò apprehendant multa sibi necessaria esse. Et ex his

11 Colligit primò *N. à Spiritu Sancto sup. num 120.* licitè posse Religiosum (in contrarium præcepto non dato) apud se retinere *syngraphum capsoriam* ab amico oblatam animo non exigen-

exigendi pecunias ex ea debitas sine Superioris licentia, eo quòd illam tanquam in depositu, sive custodia apud se habeat. ¶ Secundo colligit posse paulatim petere pecuniam debitæ syngraphæ juxta suas necessitates postulando licentiam pro illa tantùm parte, qua indiget, relicto dominio quo ad alias portiones in eo, qui syngraphum concessit, citatque *Pelizar. sup. Sect. 4. num. 298.* ¶ Colligit tertiò Religiosum apud se licite alterius pecuniam retinere posse (præcepto secluso) tanquam in depositu, inscio Superiore, citatque plures. ¶ Quartò colligit retinentem pecuniam apud alterum tanquam in depositu (Superiore inscio, secluso præcepto) contra votum paupertatis non ire, dum non habet intentionem dominium acquirendi, vel possessionem, aut usum, sive Juris, sive facti, independenter omnino à voluntate Prælati, citatque alios; notatque hæc omnia Religiosis nostris prohibita esse *cap 7. num. 2. & 8.* sed Leges Constitutionum nostrarum solùm obligant ad pœnam, & nullo modo ad culpam, nisi adsit præceptum, quod de re præsenti non datur.

12 Probabile est (& etiam contrarium probabile) paupertatis votum Religiosum eum non frangere, qui ex pecuniis ab amicis petitis libros, res vel alias ad usum emit absque expressa licentia Prælati, dummodo libros, & res ita emptas in cella, cubiculo vel suo palam, & patenter exponat ita, ut illas Superior cernere possit, & auferre, si velit, estque ratio: quia talis Religiosus ita operans non sibi, sed solùm Monasterio acquirit, ad quod Generalis licentia prudenter præsumitur. ¶ Et etiam, quia omnia hæc patenter exponens voluntati, ac determinationi Prælati exponit, ac subjicit. Et licèt usum applicet sibi, interim dum Superior non visitat cellulas, regulariter id non est mortale peccatum, quia licentia præsumpta, vel tacita adesse censetur ob beneficium Monasterio factum, scilicet, in res Monasterio acquirendo. Hanc cum aliis tenet N. à Spiritu Sancto respectu omnium Religiosorum sup. num. 137 & 138. vers. *Imò sufficit ad excusandum*, tenent & alii apud Salmant. sup. P. 2. num. 17. tenet & cum Caramuele, & Machado Diana dicto Tract. 3. Resol. 24 §. *Sed licèt* legendus à Resol. 21. docent & alii apud Torrecillam ubi sup. cap. 4. Sect. 8. num. 70. ipseque eam valde probabilem sentit, quatenus sic profert: *Digo lo 1. que la parte negativa es bastantemente probable.* Et

13 Sententia hæc maximè verum habere videtur quo ad nos Carmelitas Excalceatos, quia apud nos est Constitutio sequentia determinans: *Porrò ad perfectiorem extirpationem vitii proprietatis strictè præcipimus Prioribus, Vicariis, aliisve Superioribus immediatis, ut ad minus bis per singulos annos sub pœna privationis ab officio per quindecim dies Religionum omnium cellas, codices, vestes, supellectilia que omnia visitent, atque examinent, superfluaque, inutilia, ac minus necessaria, secundùm strictissimam paupertatem, quam profitemur, omnino auferant, aut si opus fuerit, de necessariis provideant, teneanturque tunc omnes professi, & quoties à Superioribus fuerint requisiti, eis ostendere, in eorumque voluntate resignare quidquid in cellis, vel aliis habent; qui vero Prælatis aliquid celaverit, ut proprietarius puniatur juxta suum defectum.* Sic Constitutio nostra 1. P. cap. 7. num. 9 Et ultra hoc Provincialis semel in anno cellas, ac Religiosorum omnium supellectilia visitat; unde, cùm visitatio hæc ter per singulos annos indefectibiliter fiat, omniaque in præfata Constitutione serventur ad unguem, clarè fit inde quòd præfata sententia maximè verificetur respectu nostrorum, quàm aliorum, qui cellulas sub clave habent, & quorum cellæ non visitantur ita frequenter, à superfluisque non expurgantur. Legatur *à Spiritu Sancto à n. 131. ad 151.* ubi pro re hac alia habet.

14 Contra paupertatis votum Religiosum eum peccare, qui rem aliquam apud se habitam, sive cum licentia debita, aut sine illa Superiori visitandi cellas artificiosè abscondit quo ad rei substantiam, id est, nè à Superiore res auferatur, communiter resolvitur. ¶ Secus verò, si non quo ad substantiam, sed quo ad modum in eo se habeat, id est, quando talem rem occultat pro verecundia, nè scilicet Prælatus sciat à se illam clanculo, & sine licentia expressa fuisse receptam, & ut sic reprehensionem Prælati evitet, suam vel confusionem ex illo modo retinendi rem oriundam, est tamen ipse de se paratus Prælato tradere eam, minimèque retinere, quando intelliget Prælatum minimè eam concessurum fore; (si enim ad id paratus non sit, eum esse in malo statu resolvitur) ita citandi, à quibus notatur primò quòd tunc Religiosus dicetur ad tradendam eam suo Prælato non esse paratus, quòdque proinde contra paupertatis votum operatur, quando jussus virtute obedientiæ manifestare recusat, remque non patefacit. ¶ Secundò adhuc Superiore jubente, non teneri Religiosum bona sibi concessa, & pro quibus jam licentiam habet obtentam demittere, nisi alia ratione constet ex communi penu sibi in necessitatibus suis consultum iri. ¶ Tertiò non teneri Superiori obedire, si ei jam sibi bona permissa ut sibi retineat Superior auferat. ¶ Quartò non peccare mortaliter Religiosum, qui hinc ad mensem est iter acturus, vel ad mensem extra Conventum commoraturus, si artificioso modo in proprio cubiculo res suas occultet, sive extra apud secu-

secularem, vel alii Religioso custodiendas tradat, non quidem quia timeat quòd eas Prælatus auferat, sed nè ab aliis, sive Religiosis, aut extraneis surripiantur. ¶ Et idem de Religioso, qui rem habitam de licentia superioris Prælati inferiori Prælato occultat, nè fortè ille id ægrè ferat, & curet (prout assolet) ei illam per superiorem Prælatum auferre; circa hæc legantur *Salmant. sup. n.* 118. *ad* 120. *ac à Spiritu Sancto sup. Tract.* 3. *Disp.* 4. *Sect.* 2. *num.* 124. *ad* 130.

15 Dicitur & etiam neque contra paupertatis votum (nec contra charitatem, causâ aliqua ad id stante honesta) peccare, sed licitè procedere Religiosum cum, qui non acceptat, sed repudiat donna, munuscula, quodcunque vel aliud, quod ab aliquo alio sibi offertur, defertur, mittitur, ac donatur, & etiam si non accipiat, sed avertat quòd legatarius, vel hæres instituatur ab aliquo. ¶ Et quod non acceptans, sed repudians id, quod offertur, &c. sibi ab aliquo non peccat, probatur: quia votum paupertatis læditur per actum positivum acceptandi absque licentia, non verò per non acceptandi negativum actum, quinimo (ait *Fragosus* 2. *P. lib.* 11. *Disp.* 24. §. 11. *num.* 18.) magis, ac magis observatur votum, dum abstinetur ab ipsa acceptatione: nam, sicut accipere, inconsulto Superiore inicio, est contra votum, sic etiam accipere nolle est pro voto, tum quia licitum est Religioso adhuc ex sibi à Superiore concessis aliqua absque Prælati licentia, & facultate relinquere: multò ergo magis licebit non dum acquisita ipsius paupertatis amore relinquere, per quod ad illud delegato, vel hæreditate patet.

16 Quòd autem contra charitatem non peccet clarum etiam videtur, & sic probari videtur: quia eo fine Religioso munuscula illa mitti solent, ut Religiosus ipse solus de sui Superioris licentia in utilitatem propriam illis utatur, & non ut ea in utilitatem Monasterii cedant; cùm igitur hæc sit intentio, & finis donantis, & mittentis, eaque tali mandantis intentione suppositа in Monasterii utilitatem non cedant, neque Monasterium in rebus missis jus aliquod habeat ante Religiosi acceptationem, (id quod est indubium, vel certum) inde fit quòd Religiosus non acceptans sibi munuscula, &c. missa, contra charitatem non peccat, atque adeò licitè potest acceptationem repudiare, nonque acceptare quidquid sibi fuerit oblatum, vel missum, aut ob paupertatis amorem, vel quia experientiâ ductus Prælatus omnia in se munuscula absorbet, parum, vel nihil Religioso relinquens, aut donans, vel ob aliquam aliam causam honestam.

17 Contra charitatem tamen peccabit, si sine justa, & rationabili causa impedierit nè aliquis rem aliquam Monasterio mittat, elargiatur, vel offerat, id quod ex ipsis terminis patet, cùm hoc donum non ipsi Religioso, sed Monasterio elargiretur, si ipse non foret. ¶ Dictum est: *Sine justa, & rationabili causa*, hac nanque stante licitè, & quandoque meritoriè poterit Religiosus testatorem, vel alium volentem Monasterio aliquod, puta legatum, vel hæreditatem dare, vel relinquere, monere ut non Monasterio, sed aliis donet, vel relinquat, eumque sine fraude, vel dolo rogare, petere, vel suadere, ut ita se habeat, & ad hoc justissima dari potest causa, uti si testator, vel donans fratres, (præcipuè sorores) vel alios propinquos, sibi vel in sanguine conjunctos necessitatibus pressos haberet, tunc enim testatorem suadere (omni fraude, & dolo semoto) ut his, nonque Monasterio bona sua donaret, sive relinqueret; optimum, sanctissimumque consilium esset, Religiosusque hæc ita suadens nullatenus illicitè procederet. ¶ Illicitè tamen procederet, si remitteret id, quod jam sibi de facto est debitum, quia hoc proprie dominium habentis est actus, quo quilibet Religiosus omnino caret, sicque communiter ut certum resolvitur post testatoris mortem legatum, vel hæreditatem relinquentis Monacho, eam Monachum nullatenus remittere posse, legatum vel, aut hæreditatem repudiare, eo quòd à momento mortis testatoris statim Monasterio legatum, vel hæreditas acquiritur, si hujus rei est capax, ita taliter, quòd legatum, vel hæreditatem adire valet absque eo, quòd hujus Religiosus notitiam habeat, & absque ejus consensu, & etiam si Religiosus ipse post testatoris mortem, & antequam à Monasterio adeatur hæreditas, sive legatum moriatur. Legantur *Salmant. sup. P.* 3. *num.* 22. *à Spiritu Sancto sup. Sect.* 3. *num.* 201. *ad* 206. *ac Fragoso ubi sup.* Ad Lectionem hanc aliqua alia pertinent, quæ ex infra ponendis patebunt.

LECTIO II.

Quando Religiosi dando, & expendendo absque Superioris licentia contra paupertatis votum operentur, & peccent, vel non?

18 Circa præsentem rem, de qua Lectionis hujus titulus fatur, (sicut & etiam circa infra ponenda) duplex Pontificum est Bulla, (præter ea, quæ de communi Jure habentur) altera Clementis 8. quæ incipit: *Religiosæ Congregationes*, cujusque titulus est *de largitione munerū Regularibus interdicta*, in qua sub gravibus pœnis prohibet Pontifex Religiosos utriúsque sexûs munera aliqua quomodolibet elar-

elargiri, acceptare, &c. sive de bonis in particulari, vel Communitatis, nisi sub certis strictissimis Juris solennitatibus; & consimilis altera Urbani VIII. quæ incipit: *Super á sacra Congregatione*, quæ ambæ conscriptæ ad unguem habentur apud Donatum tom. 1. Tract. 15. initio; sed quia de duabus his Bullis sua non parva concertatio est inter DD. an sint, vel non usu receptæ, an obligent in conscientia, vel non, uti videre est apud eundem Donatum ibid. Q. 10. fol. mihi 382. apud à Spiritu Sancto sup. Disp. 4. Sect. 4. num. 233. Salmant. sup. P. 1. num. 10. ubi sic habent: *Veruntamen dictæ Constitutiones Clement. VIII. & Urbani VIII. vel receptæ non sunt, saltem in Hispania, vel si quando fuerunt receptæ, iam dissuetudine sunt infirmatæ, prævalente contra illas opposita consuetudine.* Hæc ipsi ibi, apud quos pro hac parte sunt plures alii, & apud Dian. sup. Resol. 1 merito de duabus his Bullis, vel Constitutionibus non est hîc curandum, nec quo ad pœnas stabilitas in illis, nec quo ad aliud, ad quid enim curandum de illis, si plurimi, gravissimi, classicique DD. sint, qui dicant eas non obligare, neque ullam vim facere, sicque se habere quo ad obligandum, saltem apud nos Hispanos, ac si non exhibitæ essent? Sicque solùm de pœnis ex communi Jure contra Religiosos proprietarios (suorum particularium Statutorum pœnis suppositis) hîc aliquid dicendum erit.

19 Tres sunt pœnæ in communi Jure statutæ (prætermissis pœnis, quas ex particularibus Statutis quælibet sibi Religio habet, id quod apud nos, seu pro nostratibus videndum est 1. P. Constit. nostrarum cap. 7. num. 10.) contra proprietarios Religiosos, quarum una habetur in Trident. Sess. 25. cap. 2. de Regularib. & est privatio vocis activæ, & passivæ per biennium, quòdque secundùm Constitutiones suas puniatur, hujusmodi tamen pœna non incurritur, nisi post sententiam Judicis, ut ipsius Trident. verba indicant, de quo legendus Donatus sup. Q. 25. ¶ Altera habetur in cap *Cùm ad Monasterium* de statu Monachorum, & est, quòd Religiosus proprietarius à Monasterio expellatur; sed hoc Jus jam revocatum, vel correctum extat per Decretum Urbani VIII. editum 21. Septembris anno 1624. ubi loquendo de Ejectis, & Apostatis §. 2. ait: *In posterum á Religione nullus legitimè professus exire possit, nisi sit verè incorrigibilis*, quod novissimè confirmavit, & approbavit Innocent. XII. Decreto suo, quod incipit: *Instantibus Procuratoribus generalibus*, cujus titulus est *de ejectis*, & *ejiciendis* editum, & publicatum Romæ die 24. Julii anno Dòmini 1694. ¶ Altera demum est, ut si tempore mortis propriam quis habere pecuniam reperiatur, in loco sacro sepeliri non possit, sed quòd in sterquilinio saltem cum parte pecuniæ à se possessæ sepeliatur, cap. *Monachi de statu Monach.* cap. *Cùm ad Monasterium*, quòdque si in sacro loco jam sepultus fuerit, exhumari debet, & abjici, si absque magno scandalo id fieri queat, cap. *Super quadam eod. tit.* Sed

20 Circa hanc ultimam pœnam omnino necessariò adnotandum venit quod ad hoc, ut talis pœna proprietario applicetur, omnino necessum est prius Religiosum monere, ut pecuniam à se demittat, vel quòd ipse probet se ipsum ex licentia expressa, vel tacita Superioris habere vel in depósito, aliove modo sine voti fractione, quòd si post dictam monitionem, & illud non probando, pecuniam demittere noluerit, certòque aliunde constet quòd talis Religiosus impœnitens, & obstinatus decessit, (id quod temporibus his rarò continget) tunc hujusmodi pœna applicanda erit, nisi super eo Superioris dispensatio interveniat. Circa hoc legantur *Salmant. sup. num. 7. & 8. Villalob. in Sum. tom. 2. Tract. 31. Diffic. 3. num 6. Diana sup. Resol. 67.* apud quos reperies (& est communis) quòd Ecclesiastica sepulturâ privandus non est Monachus, seu Religiosus, qui cum divitiarum marsupio in cella inventus est mortuus, quia poterat ad id sui Superioris habere licentiam, saltem in voce, vel si in scriptis, hæc fuit deperdita, vel poterat illud esse alterius depósitum, poterat vel esse restitutio, quam per semetipsum faciendam sibi tradidit pœnitens, &c. Et hoc est id, quod praxi servari debet, quia nullus damnandus est ad pœnam luendam, nisi priùs certò probetur, & constet de delicto à se commisso, neque puniendus nisi Reum esse certò probetur. His sic cognitis,

21 Dicitur primò proprietarium non esse, neque contra paupertatis votum peccare Religiosum, qui accipit, vel donat ea, quæ in sua Religione, videntibus, nonque contradicentibus Prælatis, contradicere potentibus, communiter dari, & accipi solent, tametsi in quantitate magna, vel magni valoris sint dona, & hoc, sive sint de communibus Conventûs, aut Monasterii bonis, sive de bonis ipsi applicatis. Ratio est: nam eo ipso, quòd Prælati videant, & cùm possint, non se opponant, & contradicant, licentiam censentur concedere. Communis. Legantur *Sanch. Decal. lib. 7. cap. 19. num. 7. á Spiritu Sancto sup. Sect. 4. num. 230. 231. & 365. ac Salmant. sup. P. 3. n. 25.*

22 Secundò proprietarium non esse, neque contra votum paupertatis facere Religiosum eum, qui ex bonis ad usum concessis donationes aliquas remuneratorias faceret. Ratio est: nam tales donationes sunt quodammodo

solutiones debiti, rationique est valde conforme ut Religiosus, qui intra Monasterium, vel extra illud ab aliquo beneficium, favorem, vel gratiam accepit, erga suum benefactorem se etiam gratum ostendat. ¶ Quinimo hoc in Monasterii utilitatem communiter cedit, cùm propter hoc inclinentur multoties benefactores particularis illius in commune Monasterii bonum, ad Monasterium vel totum amorem suum convertant. ¶ Eo vel maximè, quia naturalis ipsamet ratio dictat quòd quilibet erga suum benefactorem se gratum ostendat, uti ipsamet animalia bruta nos edocent, remuneratoriæ donationes hæ in Religiosis nullatenus Prælatis displicere debent, nec valent, quod si id displicuerit, irrationabiliter operantur, & ita cum *Villalob. & Roariguez Salmant. sup. num.* 24. & iterum cum multis aliis *ibid. P. 7. n.* 92. qui sunt utrobique legendi.

23 Tertio contra paupertatis votum non operatur, neque proprietarius extat Religiosus ille, cui certa, determinataque quantitas à Prælato, vel Monasterio assignatur ad usum, victum, vestitum, curationem, iter agendum, & hujusmodi, ita ut nihil amplius Prælatus, vel Monasterium ei dare teneatur, nec subditus ipse rationem reddere Prælato, si ipse eleemosynas faciat, donet, &c. ex his, quæ sibi sunt tradita, & quæ sibi supersunt, atque conservat, parcè vivendo, ex debitis ventri subtrahendo aliqua, vel quia à secularibus in itinere, aut alibi invitatur ad mensam, sumptibus aut à se faciendis aliter parcit. Ratio est: nam ea lege, vel pacto saltem implicito quantitas illa à Superioribus assignari censetur, ut siquid defuerit, per se, & pro se quærant, vel parciùs vivendo sanctam patientiam habeant, atque pro Domino sufferant, qui pro illis esurivit etiam, & siquid subtraxerint, in pios, ac honestos usus illud impendant. ¶ Et idem, ac potiori ratione, si Religiosis ea omnia, quæ sibi sunt necessaria, non dentur, sed vel nihil, vel sola pars detur, & quod reliquum est, ut sibi quærant relinquitur, (uti apud Moniales hodie communiter accidit) tunc enim etiam ex his, quæ sibi subtrahit, quisquis eleemosynas, donationesque alias facere licitè potest. Et

24 Ut uno verbo omnia dicamus, Religiosus ille, sive intra Monasterium, aut extra illud commoretur, vel cui certa, & determinata quota assignatur, quin Prælatus ad amplius teneatur, sive qui aut parum, vel nihil à Monasterio recipit, sed de suo labore, industriâ, aut eleemosynis victum, & vestitum, &c. comparat, omne id, quod inde subtraxerit, & non sumpserit, ad suum beneplacitum erogare, insumereve valebit ob tacitam, & præsumptam Superioris sui licentiam. (E contrà verò, si Religiosis nulla certa assignatur quota, sed necessaria ei omnia pro victu, vestitu, infirmitate, itinere, &c. tam intra, quàm extra Monasterium conceduntur, tunc nullatenus ex his ea, quæ sibi supersunt, ipsi vel subtrahunt, nihil pro arbitratu suo expendere queunt, quin graviter, vel leviter, materiæ subtractæ, & expensæ quantitate attenta, contra paupertatis votum peccent.) Doctrina hæc est expressa in Fragozo 2. P. lib. 11. Disp 24. §. 11. num. 23. cum multisque Salmant. sup. P. 3. à num. 26. ad 29. legenci à Spiritu Sancto sup. à num. 224. Vidal sup. tit *de Paupertate*, num. 25. cum multis aliis Diana dicto Tract. 3. Resol. 28. & Resol. 29. §. *Ex his patet*, & *Restat modò*, docent & plures alii. Et hinc

25 Infert *cit. Vidal num.* 227. idem dicendum esse (id est, contra paupertatis votum non ire) de aliquibus Religiosis aliquorum Ordinum, qui in studiis versantur, vel in negotiis extra Monasterium, & de illis, qui constituti sunt à Prælatis ad aliqua Beneficia curanda, quibus quotannis certa, & ad annuum alimentum, &c. summa assignatur. ¶ Idemque de Religiosis illis, qui in Universitatibus de Superiorum suorum licentia ibi adsunt, Cathedrarumque stipendia demerentur, de his enim omnibus dicitur quòd quidquid parciùs vivendo subtrahunt, in honestos, piosque usus insumere possunt. Additque Religiosum iter agentem de licentia suorum Superiorum recipere posse munera sibi ab aliquo oblata pro expensis, licèt sint ampla, & omne id, quod sibi superest, dare, ac in licita, & honesta consumere posse, & distribuere, quia id de licentia tacita Superioris exequi censetur, nullique prudenti Prælato id displicere potest, quod si displiceat, inordinata, non quidem officii, sed personæ est displicentia; idem quod docet *Fagund. Decal. lib. 7. cap. 5. num.* 28. adducens *Flammam, & Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 9. num.* 28. ¶ Qui ibi de Religioso Franciscano iter agente, patremque indigentiâ oppressum habente ait posse dictum Religiosum aliquid accipere pro necessitate patris sublevanda, quia prudenter cogitare potest hîc, & nunc eam Superioris sui voluntatem esse. ¶ Addimus & nos dictum Religiosum, & quemcunque alium pro sublevanda dicta miseria, vel necessitate, non solùm parentis, sed cujuslibet alterius expressè petere, & accipere posse, quin votum paupertatis frangat, imò & quidquid sibi donabitur contemplatione ipsius, & non Monasterii accipere posse, illudque indigenti parenti, aut alteri dare, dummodo quando rem accipit, non ea intentione accipiat applicandi sibi, id omne, quod constat ex sup. dictis.

26 Quemlibet Religiosum contra paupertatis

tatis votum peccare aliquid in magna quantitate donando ex his, quæ ſunt ei ad uſum conceſſa, ſi ad id Superioris ſui licentia expreſſa, tacita, vel prudenter præſumpta non adſit; res eſt certa, reſolutioque omnium, & ratio ſuadet: nam Religioſus eſt mere uſuarius, & hic in eo ab uſufructuario differt, quòd iſte poteſt uſumfructum rei ſibi conceſſæ concedere alteri, ſecus verò uſuarius, facitque pro hoc Div. Auguſt. doctrina *libr. de Verb. Domini* Serm. 35. ubi ſic legitur: *Religioſi verò nihil habere proprium, nec ſibi quærere, & ab id indigent licentiâ ejus, cui ſubſunt*, facit & cap. *Non dicatis* 12. Q. 1. & in illo Div. Auguſt. *Nec ſibi quærere*, datur intelligi id, quod ſup. dicebamus, quòd Religioſum quærere non ſibi, ſed aliis non eſt contra votum.

27 Sed excipitur caſus neceſſitatis extremæ, in hac nanque quilibet Religioſus non ſolùm ex bonis, quæ ad uſum proprium habet, ſed etiam ex communibus Conventûs bonis, &c. erogare poteſt, (imò & tenetur) quin ab hoc ulla Prælati licentiâ indigeat, id quod jam dictum eſt alibi, & id, quod Angelicus Doctor 22. Q. 32. Art. 8. per hæc verba egregiè docet in Reſponſ. ad 1. ibi: *Niſi fortè in articulo extremæ neceſſitatis, in quo licitum eſt eis furari, ut eleemoſynam faciant.* Legantur Sylveſter verb. Eleemoſyna, num. 7. & 8. Rodrig. tom. 2. Q. 57. Art. 2. Sanch. Decal. lib. 7. cap. 19. num. 96. Bordon. Reſol. 43. Q 35. n. 74.

28 Et idem, quod dictum eſt de donatione, dicitur etiam de remiſſione, ut ſi Religioſus remittat alicui ſine Prælati licentia ſummam pecuniæ ipſi quotannis debitam ad victum, & veſtitum, remiſſio nanque ſua quædam eſt donatio, quæ à Religioſo (poſitis, & ponendis caſibus demptis) ſine Prælati licentia fieri nequit; unde oritur quòd tam Religioſus donans, ſive remittens, quàm ab eo recipiens ad talem rem donatam, vel remiſſam reſtituendum tenetur, totam quidem, ſi in ſpecie extet, & ſi non extet, id, in quo ditior factus fuerit, de quo alibi. Legantur *Salmant. ſup. num. 21. à Spiritu Sancto ſup. Sect. 4. num. 21. Peyrmis de Religioſo Prælato, Q. 2. cap. 2. §. 6. Donatus ſup. Q. 28.*

29 Contra paupertatis votum etiam Religioſus ille facit, qui eſt Officialis Conventûs, ſi donationes, eleemoſynas vel aliquas fecerit ultra id, quod ipſi eſt à Prælatis commiſſum, ſicque illicitè procedit, ſi ultra facultatem, quam habet, inconſulto Prælato, aliquid etiam in pia opera expendat, vel ſi ſumptus extraordinarios faciat, etiam in Monaſterii commodum, vel emat, aut vendat aliquid præter id, quod eſt ſibi commiſſum, & ſi res fuerit notabilis, erit mortale peccatum, à quo excuſabitur, ſi bona fide ex ignorantia, aut inadvertentiâ procedat. Ratio eſt: quia talis Religioſus non eſt dominus, ſed merus Monaſterii procurator, vel adminiſtrator, & hic nihil facere, aut adminiſtrare valet, niſi juxta voluntatem expreſſam, vel tacitam ſui Superioris. Legatur Div. Thom. 22. Q. 32 Art. 8. ad 1. Sylveſter verb. *Religio* 6. num. 7. Rodrig tom. 3. Q. 29. Art. 6. Q. 1. à Sancto Fauſto lib 8. Theſaur. Q. 127. Navar. tom. 2 de Regul. Bonac. de Largit. muner. P. 5. num. 19. Sanch. in Sum. lib 6. cap. 17. num. 94. à Spiritu Sancto ſup. num. 267. ac Salmant. ſup. num. 20 Et quo ad Monaſteriorum noſtrorum Officiales legatur Lex noſtra 1. P. cap. 7. num. 7. ubi ſic legitur: *Neque Procuratores, Donati, aut alii Officiales ſine expreſſa Prælatorum facultate pecuniam conſumant, aut quælibet alia quoquo modo alienent.*

30 De cæteris Religioſis loquendo, illis nimirum, qui Officiales non ſunt, certum eſt nullas eos donationes, etiam pias, & juſtas facere poſſe abſque expreſſa, tacita, vel præſumpta voluntate Superioris, ejus vel licentia, cap. *Cùm ad Monaſterium de ſtatu Monachor.* cap. *Non dicatis* 12. Q. 1. id quod ſi fecerint, expenſas reſtituere tenentur, ut tenent omnes cum *Div. Thom.* ubi nuper. ¶ Sed excipiuntur caſus ſequentes. Primus, ſi pauper ſit in neceſſitate extrema, de quo jam ſup. ¶ Secundus, ſi magnam neceſſitatem patiatur Proximus, adituſque ad Superiorem non adſit, quia tunc ejus tacitus conſenſus adeſt, ut indigenti ſuccurratur. ¶ Tertius quando Religioſus ex legitima Superioris licentia extra Monaſterium verſatur, tunc ob receptam conſuetudinem in Religionibus omnibus ex bonis ſibi à Prælato conceſſis, vel aliunde receptis eleemoſynas, vel donationes moderatas facere poteſt. ¶ Ultra hoc ſunt aliquæ donationes leves permiſſæ, ſi fiant conſanguineis, amicis, benefactoribus in ſignum gratitudinis, & beneficii recepti, vel in ſignificationem debitæ amicitiæ, vel ad conciliandum eorum amorem, in beneficium Religionis, uti expreſsè docent *Salmant. cit. n.* 31.

31 Circa Prælatos ſermonem texendo dicitur quòd cùm non minus, quàm alii Religioſi paupertatis adſtringantur voto, idem de illis, ac de cæteris Religioſis ſentiendum, ad deficiendum, vel non contra paupertatis votum. Unde, exceptis iis, quæ in Monaſterii commodum inſumit, ſolùm ea, & non amplius inſumere, & expendere valet, ad quæ expendenda poteſt ſubditis ſuis licentiam dare, non enim eo, quia Prælatus maiorem ſibi licentiam aſſumere valet, quàm aliis concedere quit; de quo *Sanch ſup. num.* 39. *Lugo Diſp.* 3. *n.* 129. & communiter alii.

32 Ipſe tamen immediatus Prælatus, eo quòd

quòd Communitatis subſtituitur loco, & ut faciat quæ Communitas ipſamet facere, ſi prudenter ſe gereret, poteſt, & debet de bonis Communitatis communibus eleemoſynas facere plures, vel pauciores, ſecundùm quod neceſſitatum occurrentia fuerit. ¶ Imò ex bonis ſuperfluis Monaſterii eleemoſynas facere tenetur, non tamen ſuperflua omnia in eleemoſynis inſumere, cùm probabile ſit poſſe ex iſtis ſuperfluis reſervare aliquid ad redditus Monaſterii augendum, ad Divinum cultum decentiùs exornandum, & ad alia, quæ, licèt omnino non ſint neceſſaria, ſunt tamen convenientia, ut Religioſorum numerus augeri valeat. Legatur *Peyrinis de Religioſo ſubdito, Q. 2. cap. 2. §. 8. & de Prælato Q. 1. cap. 5. num. 57. Salmant. ſup. P. 7. n. 89.* & eſt communis.

33 Itidem erga benefactores Religionis, vel Monaſterii ſe gratos oſtendere queunt, eiſque ob obſequiorum receptorum remunerationem, & ad eos magis erga Religionem reconciliandos (non tamen ob ſuum privatum reſpectum, vel ad ſuæ liberalitatis oſtenſionem, ſive ut conſanguineis ſuis, vel amicis benefaciant, niſi aliàs pauperes ſint, quia quo ad hæc Prælati non diſtinguuntur ab aliis) donationes aliquas facere. Legantur *Vaſques de Eleemoſyna, cap. 4. Suar. de Charit. Diſp. 7. Sect. 3. Palaotom. 1. Tract. 6. Diſp. 1. P. 13. num. 9. ac Villalob. in Sum. 1. P. Tract. 22. Diffic. 4. num. 4.* Sed

34 Quid quantitatis poterunt per ſe elargiri Prælati, & quid ſubditus de ejus licentia expreſſa, præſumpta, vel tacita? In hoc non concordant DD. ſed variant, uti videre eſt apud Sylveſtrum verb. *Eleemoſyna*, n. 7. Navarr. Commentar. de Regularib num. 8. Corollar. 1. Graff. 1. P. Deciſ. tit. 3. cap. 5. num. 63. apud nuper adductos, & apud Fagund. Decal. lib. 7. cap. 6. à num 2. Azor 1. P. lib. 12. cap. 12. Q. 4 Bonac. de Alienat bonor. Eccleſiaſt. Diſp. 3. Lezana 2. P. Sum. cap. 19. num. 57. Molina de Juſt. tom. 2. Diſp. 276. & Barboſ. in Collect. Bull. Apoſtol. verb. *Superior Regularis.* ¶ Sed meliùs ab aliis quantitas hæc ad Prælati arbitrium definienda, ſeu determinanda relinquitur, opibus Monaſterii attentis, dignitate Prælati vicibus elargiendi occurrentibus, earumque numero, perſonarum qualitate, quibus eleemoſyna danda eſt, abundantiâ, ac penuriâ terræ, conſuetudine Religionis, vel Ordinis, &c. poterit tamen Prælatus ea, quæ minutatim expenſurus erat, ſimul & copulatim expendere, ſemper tamen cum prudentia, nè ex donatione à ſe facta aliquod Monaſterium damnum patiatur, vel paupertatis perfectio labefactetur. Provincialibus liberalior manus eſt concedenda, & Generalibus adhuc extenſior ratione prælaturæ dignioris; quo ad particulares Religioſos, dicunt eos eleemoſynari poſſe illud, quod alteri Clerici dant ejuſdem ordinis, & conditionis. Legantur citati, & *Salmant. ſup. P. 7.* quod pro noſtratibus omnino legendum venit, legantur & ea, quæ dedimus 3. *Part. Tract. 16. cap. 2. Lect. 3. Sublect. 5. à num. 106.*

LECTIO III.

Qualiter contra paupertatis votum Religioſi peccent, res pretio æſtimabiles commodando, mutuando, permutando, vendendo, aliquo vel alio modo abſque Prælati licentia diſtrahendo?

35 CONtra paupertatis votum peccare Religioſum eum, qui abſque ſaltem præſumpta, vel tacita Prælati licentia res commodat, mutuat, permutat, vendit, alio vel diſtrahit modo, ſive intra, vel extra Monaſterium, ſive ſint ex Monaſterii rebus, aut ex rebus his, quas ad uſum habet, res certa, & communiſſima eſt, conſtatque ex dictis, ſuadetque ratio jam ſup. tacta: quia videlicet omnes prætati actus veri dòmini, ac proprietarii ſunt actus, & ſolùm qui eſt dominus rei, res ita diſtrahere valet; quapropter, cùm Religioſus nullius rei æſtimabilis pretio ſit dòminus, nec eſſe poſſit, ſitque ſolùm mere uſuarius, de cujus ratione eſt non habere uſum Juris, ſed ſolùm facti reſpectu rei æſtimabilis pretio, nec uſum rei ſibi conceſſæ alteri abſque dicta licentia permittere poſſit, uti *conſtat §. 1. & 2. de uſu, & habitat.* inde fit, clarèque dignoſcitur nihil eum ex dictis efficere poſſe, ex expreſſa tamen præſumpta, vel tacita Prælati licentia ſupradicta omnia, & earum quælibet licitè efficere poteſt. Et hinc

36 Reſolvitur primò quòd contra paupertatis votum non peccat, ſubindeque proprietarius nullatenus dici poteſt qui actiones in titulo poſitas in rebus parvi momenti, & crebriùs occurrentibus exercet, eo quòd tunc tacita Superioris licentia cenſetur adeſſe; neque aliter homo in humano convictu abſque magnis ſcrupulis vivere poſſet. Et ut amicitia inter Religioſos ejuſdem, vel diverſæ Religionis conſervetur, & foveatur, valde conveniens eſt, rationique conſonum quòd aliquem librum, vel rem non magni valoris ſibi adinvicem mutuent, quid ſimile vel exerceatur. Et

37 Id verum etiam habere dicitur in rebus magni valoris, quando res commodatur, vel mutuatur perſonæ, de qua certum eſt quòd reſtituet, ſive ſint libri, aut veſtes, ſive pecuniæ, in commodato nanque uſus, & non dominium transfertur, reique uſus ad breve tem-

pus

pus res parva censetur, sicque Prælatus non est rationabiliter invitus. ¶ Et licèt in mutuo aliquo modo dominii translatio detur, ut in mutuata pecunia, nihilominus non est res ita gravis, ut paupertatis votum violari dicatur: nam, cùm recipiens restitutioni maneat obnoxius, nullum nocumentum Monasterium patitur, cujus dominium illæsum tunc conservatur, dum eadem res, vel in pretio æqualis, ad illud quo ad dominium revertitur; unde ei nulla fit injuria, sicuti neque Superiori, cujus tacita licentia in hoc casu prudenter præsumitur, vel saltem invitus notabiliter non censetur, & ideo dicitur quòd sine fractione voti paupertatis operatur Sic *á Spiritu Sancto sup. Sect. 5. á num.* 273. cum aliis *Salmant. sup. P. 4. num.* 32. *&* 33. ibi adnotantes id intelligendum esse de rebus ad usum Religiosi concessis, non verò de communibus Monasterii aliis rebus, si res essent magni valoris, & per longum tempus mutuandæ, aut commodandæ, quia multum deteriorari poterant, frequenterque has res mutuare ægrè Superiores ferunt.

38 Secundò resolvitur quòd proprietarius non est, nec contra paupertatis votum operatur, peccando mortaliter, Religiosus ille, qui rem modicam mutuò accipit ab aliquo, quia tacita Superioris tunc, casus, licentia præsumitur, quæ & etiam præsumitur quando res gravis est, sed necessaria ad usus eos, quibus Religio solet, debetque Religiosis providere, & aliàs Prælatus est absens, de facilique ad eum adiri non valet, aut si præsens, subditis non providet. ¶ Imò mortaliter non peccare dicitur, si res magni valoris commodatas accipiat, dummodo ex tali commodato nullum grave Monasterio nocumentum sequatur, & hoc etiam si absque ulla immediati Prælati licentia id fiat, & etiam si res fuerit accepta sub conditione, quòd ipse solus commodatarius, & non alius tali re utatur, aut uti possit, si aliàs Religiosus commodatarius de se sit paratus eam rem à se abdicare, id ei jubente, vel præcipiente Prælato, quia in hoc casu adhuc à subdito ei usum valet auferre. Ita cum *Pellizar. á Spiritu Sancto sup. num.* 288. cum aliis *Salmant. sup. n.* 34. ibi adnotantes quòd ad hoc ut sine licentia, saltem tacita Superioris, mortale peccatum sit aliquid mutuò, vel commodatò recipere, maior requiritur quantitas, quàm ad donandum, vel expendendum, aiuntque quòd quantitas non censetur materia gravis, nisi summam decem aureorum excedat, eo quòd talis quantitas solùm ad breve tempus recipitur, tenet etiam *á Spiritu Sancto num.* 281. tenent & alii.

39 Resolvitur tertiò proprietarium non esse, neque contra paupertatis votum Religiosum facere cum, qui rem donat, mutuat, commodat, vendit, alio vel quocunque distrahit modo, si hæc omnia faciat sub expressa hac conditione; si Superior in hoc conveniat, vel licentiam conferat, aliàs nihil factum sit, seu irritum ibit, & hoc etiam si res de facto tradatur, quia conditio nihil ponit in esse, & cùm alienatio illa non sit absoluta, sed solùm conditionata, suspensa manet usque ad conditionis eventum, quare, illa non posita, idem est, ac si nihil factum esset, & ita cum multis *Salmant. sup. n.* 35.

40 Quartò resolvitur quòd, licèt probabilius sit contra votum paupertatis mortaliter Religiosum eum delinquere, qui, inconsulto Superiore, cum extraneis res magni valoris, & diversæ rationis, & si sint ejusdem valoris, commutat, & in quo Monasterium jacturam patitur nullam, prout tenent *Sanch. Lugo á Sancto Fausto, Pellizar. & Peyrinis apud Salmant. sup. P. 4. num.* 37. addentes mortale non esse, si commutatio fiat in rebus ejusdem rationis, ut liber pro libro, Imago pro Imagine, eo quòd tunc res censetur parvi esse momenti, tacitaque Prælati licentia res illas concedentis ad usum adesse censetur.

41 Nihilominus multùm probabilis est contraria sententia, quam apud eosdem *Salmant.* tenent *N. á Spiritu Sancto Tract. 3. Disp. 4. Sect. 5. num.* 304. *Layman, Caramuel, Diana,* probabilemque sentiunt *Ledesma, & Joan. á Cruce*, & probari videtur: quia commutatio illa non videtur materia gravis, cùm semper Monasterium cum æquali valore permaneat; quapropter, cùm Monasterium nullum detrimentum patiatur, uti supponitur, cùm rem aliam æstimationis, & valoris æqualis, ac bonitatis recipiat, non censetur Superior irrationabiliter quo ad substantiam invitus, ac proinde Superioris tacita licentia ibi adesse censetur; *unde qui daret* (ait Illustriss. Caramuel in loco à sententia contraria adducto) *seculari unam togam pro uno libro similis valoris, non peccaret mortaliter*, hancque sententiam à Spiritu Sancto cit. in num. *probabiliorem* vocat, *probabilior est*, ait. ¶ Et certè non facilè capitur quomodo DD. contrariæ sententiæ asserere audeant graviter non peccare Religiosum commutando res diversæ rationis, si sint ejusdem valoris, nullumque proinde Monasterium detrimentum patiatur, peccent verò mortaliter per hoc solum, quòd diversæ sint rationis, quid enim interest quòd res ejus sint rationis, ut liber pro libro, sintque aut diversæ rationis, ut pro libro toga, si semel commutatio admittitur in rebus ejusdem rationis? Et *á Diana cit. Tract. 3. Resol. 15.* pro ista sententia citatur *Lopes, Rodrig. Faustus, Joan. de la Cruz, & Ledesma in Addit. ad Sum. tom. 2. cap. 4. Dub. 7.* ubi sic.

Me parece probabilissimo que el trueco no es pecado mortal contra el voto de la Pobreza, aunque se haga con Religioso del mismo Convento, o con otra persona estrañā, y la razon es: porque quando uno trueca una cosa por otra de igual precio, queda con el mismo derecho, y con igual dominio de cosa del mismo valor: luego licito sera trocar semejantes cosas sin licencia expressa del Prelado.

Llamas in Method. 3. P. cap. 9. §. 12. sic: Monachi in eodem Monasterio professi possunt sibi mutuò ad usum dare libros, & res cujuscunque pretii, quæ unicuique illorum in usum concessæ fuerunt absque scrupulo ullo furti, vel injustitiæ, quia nulla injuria fit alius, nam dans usum voluntarie præbet, quem habebat concessum, dominium vero Monasterium non amittit, cum ad idem revertatur res quo ad dominium ex hoc, vel ex illo, quoniam ambo sunt in illo professi: ergo nulla injuria fit, nisi saltem Prælato, si sine ejus licentia fiat, hæc autem non est injustitia, sed inobedientia, & semper venialis, nisi adsit contemptus; & infra an supradictos Religiosos tunicam, caligas, calceos, cucullam, & etiam sibi adinvicem dare posse ad usum, dummodo dans de sufficienti maneat provisus, paupertatis voto omnino servato. Idem quod docet Fagund. de Præcept. Eccles. Tract. 2. lib. 8. cap. 6. à num. 4. ad 6. quæ omnia afferuntur, & approbantur à Diana sup. Resol. 14. & 15. legantur & ea, quæ afferuntur à Diana ibid. Resol. 35. §. *Sed negativa*, quæ omnia pro resolutione data plurimùm faciunt. Et

42 Ex proximè dictis deducitur mortaliter contra paupertatis votum non peccare Religiosos ejusdemmet Monasterii, sibi adinvicem quæcunque res donando, commodando, mutuando, vel commutando, tametsi res sint magni valoris, milleque aureos, & amplius valeant, & hoc inscio Prælato, cùm ibi censeatur adesse licentia tacita, id quod alibi sufficienter probavimus, & ita cum multis aliis docet à Spiritu Sancto sup. Sect. 5. à num. 297. ad 302. legendus ubi sic habetur: *Dico quintò quod Religiosi permutantes aliquas res, etiam si sint magni valoris, cum aliis Religiosis ejusdem Monasterii non peccant contra votum paupertatis, peccabunt tamen contra obedientiam, si aliàs detur Lex, vel præceptum, ne communent sine expressa licentia; peccatum tamen erit grave, vel leve, juxta obligationem, quam Lex, aut Superior imponit.* Legatur Caramuel apud Dian. cit. §. *Sed negativa*, & cùm Carmelitanæ Leges nostræ, nisi solùm ad pœnam, ad aliud non obligent, jam vides quid inde inferatur.

43 *Caramuel in Regul. Divi Benedicti Disp. 55. num. 971.* asserit quòd quando Religiosus ab alio, vel alterius cubiculo aliquid clanculo accipit, licèt id sit summi valoris, non committit furtum, (ac per consequens contra paupertatis votum non peccat, nec ad restitutionem manet obligatus) & supponitur loquutum fuisse de Religiosis ejusdem Monasterii. Et hujus Resolut dat rationem dicendo quod *dominium remanet apud eundem dominum*, scilicet Monasterium.

44 Cæterùm doctrina hæc nunquam arrisit nobis, quinimo multùm displicuit semper: censemus nanque talem Religiosum ibi verum committere furtum, teneriquè ad restitutionem, consequenterque contra paupertatem ire ita operando. Ratio est: nam non solùm committitur furtum quando substantia rei alteri furripitur clanculo, sed etiam quando jus, usus vel rei alteri concessus furripitur, & ideo alibi diximus, iterumque suo loco dicemus furtum re vera committere eum, qui rem alteri locatam, commodatam, vel mutuatam clanculo acciperet, teneriquè ad restituendum omnia damna ex sua actione sequuta, imò & ipsum dominum rei committere furtum, si rem suam pro tempore certo alteri commodatam ab eo ante finitum illud tempus clanculum auferat, teneriquè ad restituendum omnia damna, quæ inde commodatario sequuntur, id quod valde rationi consonat, quia commodatarium jure, & usu sibi debito privat ex suppositione concessionis ei jam à domino factæ; multò igitur meliùs furtum faciet Religiosus ille, qui clanculo alterius Religiosi rem aliquam furripiet, cùm eum jure utendi re illa priver, usum vel rei alienæ sibi indebitè abroget. Legantur *Salmant. sup. num. 39.* & ea, quæ dedimus *sup. num. 4.* ¶ Admittimus tamen id, quod *cit. in loco addit cit. Caramuel*, dictam surreptionem mortale posse esse, & esse peccatum ex multis aliis capitibus. Primo, si sit obedientiæ præceptum impositum contra tales actiones, tunc enim re vera peccabit contra tale præceptum Religiosus ita operando. ¶ Secundo, si rem à suo confratre furripiet, ut eam extraneo conferat, tunc contra paupertatem peccabit. ¶ Tertio, si inde gravis incommoditas sequeretur confratri, quæ ferè semper inde exoritur, nam Religiosus, cui res auferetur, sibi necessariis careret, & etiam si grave ei sequeretur damnum, uti si Prælatus à Religioso eo, cui rem ad utendum concesserat, rem peteret, ipseque Religiosus rationem de ea non præstet; jam vides quid sequeretur, & de occultis non judicat Ecclesia.

45 Resolvitur quintò quòd quando Religiosus aliquis à suo Superiore licentiam habet, vel in generali ad talem rem, talem vel rei qualitatem dandam cui ipse voluerit, aut in particulari ad illam dandam tali, vel tali Religioso, (& idem omnino de mutuo, & commodato) nullatenus necessaria est licentia ex parte alterius

rius Religiosi rem recipientis, uni nanque semel licentiâ concessa ad alteri dandum, alteri etiam ad recipiendum concessa censetur, id quod contra alios docent, & bene probant *Salmant. sup. legendi n. 41. & 42.*

46 Addimus & nos hoc verum habere non solùm quando datio, & acceptio fit inter Religiosos ejusdem Conventûs, ac ejusdem Prælati subditos, sed etiam si fiat inter Religiosos diversorum Conventuum, & Prælatorum. Movemur. Nam, licèt in quolibet Religioso omnino necessaria sit licentia, saltem tacita ad dandum, sive donandum, &c. nullatenus tamen ex parte alicujus Religiosi requiritur licentia aliqua ad recipiendum: (dummodo ex receptione rei Monasterio aliquod non eveniat detrimentum, vel damnum) licentiâ ergo ex parte unius Religiosi ad dandum, &c. supposita, quilibet alius Religiosus, sive sit ejusdem Monasterii, vel alterius, sive ejusdemmet Prælati subditus, aut non, licitè ab eo accipere potest, & quin aliquo modo contra paupertatis votum eat, cum animo tamen ea non utendi sine licentia, saltem tacita, sui Superioris, id quod indubitatum judicamus: licèt nanque rem dare sit re uti, & ideo ex parte Religiosi dantis sit necessaria licentia, rem tamen accipere nullo modo est re uti, rei nanque acceptatio summopere ab ejus usu distinguitur, ut de se liquet: stante ergo ex parte dantis licentiâ ad dandum, &c. ex parte recipientis nullatenus licentia ulla requiritur ad recipiendum, consequenterque recipiens nullo modo contra paupertatis votum peccabit, dummodo quando accipit, intentionem habeat re sine aliqua Superioris sui licentia non utendi. Et hæc resolutio est juxta doctrinam Salmant. sup. P. 2. num. 15. ubi sic legimus: *Imò etiam si rem ab alio donatam accipiat animo ea non utendi, nisi petita prius licentiâ; sed, quia timet fore sibi á Prælato immediato denegandam, vult á Superiore illam petere, vel certè expectare immediatum, qui proximè succedit, á quo sperat quòd eam accipiet, quia in hoc nullum munus exercet proprietarii*, citantque plures. Legatur Diana ubi sup. Resol. 19 legantur & iterum Salmant. P. 5. n. 55.

SUBLECTIO I.

Prosequitur materia precedens.

47 PRæcedentem prosequendo materiam, dicitur primò quòd, licèt probabilis sit sententia ea, quæ dicit mortaliter peccare, restituereque teneri Religiosum eum, qui (animo ad quantitatem magnam deveniendi sublato) paulatim modica sæpiùs furando ad quantitatem magnam devenit, sive dicta modica ab extraneis donata accipiat, aut ex communibus Monasterii bonis extrahat ea, ut videre est *apud Salmant. sup. legendos P. 5. n. 51. ad 54.* multùm tamen probabilis est sententia opposita, quam apud eosdem *Salmant.* docent plures. Legatur *Diana sup. Resol. 41. & 43. ad 46.* ac in locis ibid. ad marginem. Est etiam & omnino legendus *Donatus*, Dominicanæ Familiæ decus, *tom. 1. Tract. 13. 2. P Q. 20 á fol. mihi* 388.

48 In casu tamen, quo quis (sive sit Religiosus, vel alius) mortaliter peccet, teneaturque ad restituendum sub mortali, quando per parva furta accedit ad quantitatem notabilem, mortale constituentem peccatum, non tenetur totam summam restituere sub mortali, sed tantùm parvum illud furtiolum, per quod constituitur, & completur materia gravis, cætera verò furtiola solùm sub veniali restituere tenebitur, semel nanque illo ultimo furtiolo restituto cessat notabilis quantitas requisita ad furtum mortale, & ea cessante, cessat restituendi obligatio sub mortali; Sanch. in Sum. lib. 7. cap. 21. num. 18. & 25. cum eo, & aliis Donatus sup. Q 21. cum multis aliis Diana sup. Resol. 41. §. *Notandum est tamen contra Cordubam*, estque communis, & de ea iterum ibit alibi sermo. ¶ Sed est hîc notandum ex cit. Donato, ac ex multis aliis quòd ad hoc, ut ille, qui per minuta furtiola accedit ad quantitatem notabilem, in ultimo furtiolo peccet mortaliter; necessum est quòd dum ultimam illam quantitatem furatur, præteritorum furtiolorum sit memor, si enim eorum sit immemor, non peccabit mortaliter, bene verum est quòd postea rei memor factus quantitatem illam ultimam sub mortali restituere tenetur, aut ratione detentionis, vel ratione damni illati. ¶ Imò non peccabit mortaliter, etiam in casu, quo memor sit præteritarum acceptionum, dum ultimam quantitatem furatur, si quando illam furatur, non habet unde solvat, simulque animum habeat quantitatem illam solvendi quando possit. Legatur *Donatus Q. 22.*

49 Secundò dicitur quòd paupertatis votum non frangit Religiosus, qui ex cibis ordinariis Monasterii solet paulatim clandestinè aliquid, vel aliqua sumere, & hoc frequentissimè pluribus, repetitisque vicibus ita, ut non dubitet ad quantitatem magnam perveniendum esse, ut consumat in actualem usum sui, aut alterius confratris. Ratio est: quia hæc ciborum clandestina sumptio non est, quà sumptio, vel surreptio est involuntaria Prælato, sed solùm quà clandestina est: Religiosus ergo iste minima hæc clanculo paulatim surripiens, contra paupertatis votum non peccat, & si ad quantitatem magnam perveniat. Consequen-

tia est clara, & manifesta: quia omne, quod fit, consentiente, seu permittente Prælato, saltem tacitè, quid licitum est, nonque contra votum paupertatis; quod autem hæc ciborum surreptio non sit involuntaria Prælato, eique non displiceat quo ad substantiam, constare videtur, nam Monachi tractandi sunt ut filii, (ut est commune) & ipse Prælatus erga eos ut parens se gerere debet. Et commune, ac familiare est filiis à parentibus passim clanculo surripere cibos, parentesque quo ad substantiam annuunt, & annuere debent, licèt cis quo ad modum displiceat, vel quòd absque eorum expressa voluntate fiat, nec est credendum quòd parentes quo ad rei substantiam ita censeantur inviti, ut in his repetitis furtiolis ad mortale filios suos obligare velint; quòd si velint, abs dubio talis voluntas irrationabilis erit. Communis, estque expressa sententia Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 11. num 41. Sanch. Decal. lib. 7. cap. 20. num. 30. & 31. Lugonis Disp. 3. Sect. 8. num. 168. Caramuel. sup. num. 888. Pellizar. Tract. 4. cap. 2. num. 258. Vidal à num. 101. ibi pluribus istam sententiam probans à Spiritu Sancto sup. Sect. 3. à num. 157. argumenta contraria solvens. Salmant. cum multis sup. legendi à num. 55. ad 58. docentque alii apud Dianam sup. Resol. 4. §. *Sed non gravabor*, qui legendus & etiam Resol. 41. legatur itidem Donatus cit. Q. 22.

50 Consultò diximus paupertatis votum non frangit ad insinuandum quòd, si hoc fuerit contra Regulam, Constitutionem, vel præceptum, gravius, vel levius peccabit, secundùm quod illa obligent, solùm tamen contra obedientiam, nullatenus autem contra paupertatem, nanque aliud est obedientiæ, aliud paupertatis præceptum, vel votum, ut de se patet, & obedientiæ præceptum ad restitutionem ex se non obligat, sed tantùm obedire Prælato justè, legitimèque præcipienti.

51 Dictum est etiam: *Ex cibis ordinariis*, si nanque cibi extraordinarii, singulares vel sint, veluti conservæ, & alia esculenta pretiosa, aliter philosophandum erit, quia ex hoc maximum damnum Monasterio infertur, cùm tales res sæpiùs conserventur pro infirmis, hospitibus, vel pro recreanda hac, vel illa vice, Communitate in aliqua solennitate, vel recreatione (id quod justissimum, sanctum, valdeque laudabile extat, (*porque naõ se haõ de apertar tanto as cordas, que quebrem*) & sanè Monasterio dedecori esset quòd adveniens hospes pro qualitate personæ tractari non posset, resque etiam magni ponderis esset, quòd propter unius, vel alterius gulam aliquid infirmo deficeret, totiusque Communitatis publica recreatio impediretur, vel denegaretur.

52 Unde Illustrissimus, ac doctissimus noster à Spiritu Sancto prudenter advertit quòd, si quis gallinas, vel dulcia, quæ pro infirmis asservantur, furto acciperet ita, ut in Monasterio sentiretur defectus, peccaret mortaliter, si valorem sufficientem ad mortale acciperet; secus si non sentiretur talis defectus ob harum abundantiam rerum, nam tunc etiam si acciperet solam unam gallinam, vel perdicem, aut ptasonem, & panem, & vinum pro uno jentaculo, vel prandio particulari, aut cum amico, furto vel etiam de penu acciperet caseum, aliquid vel saccharo conditum; Reus non esset culpæ mortalis contra votum paupertatis. Sic à Spiritu Sancto cit. Sect 3. à n. 177. legendus cum Flamma Fagund. Decal. lib. 7. cap. 5. num. 9. Salmant. sup. P. 5. num. 56. ¶ Imò apud citatos, & apud alios reperies mortale peccatum contra paupertatem non esse, si furtum hoc vicibus repetitis fiat in anno, putà semel, vel iterum in mense (eo quòd una, vel altera non sperata occasio datur.) Legantur Salmant. num. 54. ad 58. à Spiritu Sancto cit. Sect 3. Filiuc. tom. 2 Tract. 31. cap. 10. n. 144. Diana sup. cit. Tract. 3. Resol. 41. §. *Dico secundò.*

53 Dictum etiam Ordinariis: *Monasterii* nanque si esculenta, vel cibi ab extraneis dentur, mortaliter non peccat Religiosus contra paupertatis votum ea recipiens, ad ea paulatim secum duntaxat, vel etiam cum Religiosis amicis insumenda, etiam si ea, quæ accipiuntur, valoris sint magni, ipsa nanque experientiâ, praxique teste, in usu positum est apud Religiosos graves, doctos, utriúsque Theologiæ Magistros, & apud alios timoratæ conscientiæ, munera hæc comestibilium, electuariorum, vel confectionum, cordialium, &c. accipere, & ea absque expressa Superiorum licentia insumere. Et ita cum aliis *a Spiritu Sancto sup. Sect. 3. à n.* 181. *legendus.*

54 Dictum iterum *soleri paulatim*: nanque, si Religiosus aliquis res comestibiles in magna quantitate ex Monasterio simul, vel conjunctim acciperet, vel usurparet, abs dubio peccaret mortaliter, quia in hoc quo ad substantiam rationabiliter invitus censetur Superior, cùm ex tali usurpatione detrimentum magnum patiatur Monasterium, tametsi maior quantitas in his rebus requiratur, ut sit mortale, quàm ad hoc ut in rebus aliis violetur paupertas.

55 Dictum est tandem *ut consumat in actualem usum sui, vel alterius confratris* ad indicandum tales eos cibos ad extraneos nullatenus remittere posse absque violatione voti paupertatis, materiæ quantitate attenta. ¶ Et idem ob eandem rationem, si aliter paulatim accipiatur,

non

non ad usum præsentaneum, vel ad idem prandium cum socio, sed ut reserventur ad hoc, ut ex inde paulatim possit qui talia esculenta furripit, accipere, quando sibi magis placuerit, sed hoc si ad materiam gravem perveniatur sufficientem ad mortale; sicut quando simul accipiuntur, unde si quis vini dolium furriperet clanculo simul, contra paupertatem peccaret graviter, cùm illud non uno, vel altero actu esset consumpturus, quod secus dicendum, si duo verbi gratiâ dolia vini paulatim repetitis vicibus, non magnam in qualibet vice quantitatem sumendo ad usum præsentaneum, vel ad diversa prandia sui, aut cum Religiosis sociis assumeret; id quod docet *Caramuel sup. n.* 890.

56 In casu autem, quo Religiosus aliquis quantitatem magnam simul, vel conjunctim furetur, quænam quantitas materiæ ablatæ (ea sit, quæ fuerit) de se sufficiens sit ad hoc ut Monachus fur eam furando contra paupertatem mortaliter peccet, non est facilè determinare, neque certa, determinataque regula pro singulis personis, & casibus assignari valet, cùm diversa requiratur quantitas, quando res furata Religiosis ejusdem Monasterii confertur, aut cum eis insumitur, quàm quando cum extraneis, & adhuc respectu horum diversa, si res ex bonis Monasterii accipiatur, ac si accipiatur ab extraneis donantibus, & etiam ex bonis Monasterii; diversa, si ex communi penu furripiatur, aut donetur, ac si donetur ex bonis ad usum concessis; & etiam diversa, si ex Conventu ditissimo furripiatur, ac si à paupere: & itidem diversa in Religionibus reformatis, strictioriisque paupertatis, ac in aliis; quapropter judicio prudentum, rebus undecunque pensatis, judicandum erit quando maior, quando verò minor quantitas sit, vel non ad mortale sufficiens. ¶ Et cùm negotium hoc ex prudentum arbitrio omnino dependeat, quilibetque prudens diversimodè judicet, ut passim habemus, unusquisque nanque suo sensu abundat, idcirco circa hoc tot sunt sententiæ, quot capita, uti si tibi placuerit, videre poteris *apud á Spiritu Sancto sup. Sect. 3. num. 186. Dianam cit. Tract. 3. Resol* 40. *Donatum sup. Q.* 19. Sed

57 Hoc hac in re communiter receptum, (licèt pauci aliqui contrarium teneant) nimirum Religiosorum furta, (rebus in aliis à comestibilibus diversis, de comestibilibus nanque jam constat ex dictis) ut filiorum furta, computanda, ac omnino habenda esse, Religiosi uanque computantur, computari semperque debent ut filiifamilias ex cap. *Licet de sepulturis ex L. Qui in potestate, ff. de testament. & ex Authent ingressi, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* nonque tanquam servi, aut mancipia computari, haberive debent, nec possunt; (uti aliqui rustici, agresti, imprudentes, & insensati Prælati erga eos se gerunt in factis, & verbis) quapropter id, quod furti, vel furtorum in filiisfamilias est materia gravis, erit & etiam in Religiosis ex Monasterii bonis eodem furtivo modo accipientibus. ¶ Superiores enim non minus erga subditos suos generosi, liberalesque se ostendere facto debent de patrimonio Christi, quod nec proprio labore, ac sudore acquisierunt, nec à parentibus suis hæreditarunt, quàm parentes sunt, se vel de facto ostendunt erga filios suos de patrimonio suo, quod vel jure hæreditario à maioribus suis acceperunt, aut ipsimet suo proprio labore, sudore, diligentiâ, curâque compararunt. ¶ Neque pariter Superiores erga Religiosos subditos suos magis inviti credi debent quo ad res Monasterii furtivè à subditis suis acceptas, quàm erga proprios filios suos parentes. Quòd si Prælati talium Religiosorum furta graviùs, vel ægriùs ferunt, severiùs, quàm parentes filios, subditos suos linguâ, & baculo feriunt, in quo se invitos ostendunt, inviti re vera non sunt quo ad substantiam, nec possunt esse, sed solùm quo ad modum; & si quo ad substantiam se ostendant inviti, fascinari sunt, sicut Galatæ, irrationabiles, ac veluti brutales est displicentia eorum; cùm tunc non sicut parentes se gerant, quod certè facere debent; non sicut pastores, sed sicut lupi, & mercenarii. Et non ob hoc Religiosus contra paupertatis votum mortaliter peccat. Et

58 Adnotatur Religiosorum furta communiter comparari, comparanda & esse cum furtis filiorum respectu parentum, qui mediocriter sunt divites, non autem respectu eorum, qui nimis sunt pauperes, quia licèt Monasteria regulariter parum sint pecuniosa, multaque sunt pauperiora, & indigentia, semper tamen eleemosynis, & Religiosorum operibus plura recipiunt, & ideo Religiosorum furta merito comparari debent cum furtis filiorum, quorum parentes sunt mediocriter divites, quanvis minor quantitas sufficiat ad mortale in Religiosis Conventuum pauperiorum, quàm illorum, qui ingentes annuorum redditus habent: ita communiter. Legantur à Spiritu Sancto sup. num. 187. ad 200. (qui ibi num. 199. ex aliis ait *posse Religiosum res sibi ad usum concessas ex uno Conventu ad aliud deferre*) Salmant. multos alios adducentes sup. P. 5. num. 43. ad 48. Caspens. tom. 2. Tract. 18. Disp. 5. Sect. 7. n. 53. Henriques Sect. 9 Q. 3. num. 5. & de filiorum furtis jam alibi egimus.

59 Dicitur tertiò paupertatis fractorem Religiosum eum non esse, sed licitè procedere, qui ex legitima licentia peculium habet, illudque

ludque expendit eos omnes in usus, qui rectæ non adversantur rationi. Ratio est: nam, concesso aliquo, necessario simul conceduntur ea, sine quibus illud expediri nequit juxta id, quod decernitur in cap. *Praterea de offic. Delegati*, & cap. *Ex his*, §. *Porrò de verb. signif. in 6.* Legatur Vidal Inquisit. unica de Paupertate religiosa, num. 90. & 93. Lugo de Just. tom. 1. Disp. 3. Sect. 7. à num. 131.

60 Quartò dicitur quòd, licèt probabilius sit (& id quod tanquam quid verius, & securius tenendum) non peccare contra paupertatis votum Religiosum peculium habentem, aut habentem licentiam legitimam ad aliquid expendendum, neque eum, neque ab eo accipientem ad restitutionem teneri, si Religiosus ipse id omne, quod expendere potest, in illicitis rebus, vel actibus insumat, putà in ludis illicitis, vanis, superfluis, turpibus actibus, putà cum meretricibus, &c. ut videre licebit apud citandos.

61 Valde tamen probabilis est sententia contraria, pro eaque stant plures, gravissimique DD. ut videre est *apud Thom. Sanch. in Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 19. num. 20. Machado tom. 2. lib. 5. Part. 2. Tract. 1. Docum. 6. num. 4. & 7. ac Docum. 11. num. 13. Lugo sup. & P. 3. Tract. 2. de Dub. Regular. Resol. 65. ac 98. & P. 7. Tract. 11. Resol. 22. Moya tom. 2. Tract. 6. Disp. 4. Q. 4. Leandrum a Murcia Capucinum ad cap. 6. Regulæ, num. 1. ac 3.* quos omnes refert *Torrecilla tom. 1. Sum. Tract. 3. Disp. 2. cap. 1. Sect. 6. ibi legendus à num. 109. ad 116. fol. mihi 450. ad 452. Diana sup. dicto Tract. 3. Resol. 58. ad 63. à Spiritu Sancto sup. Sect. 7. num. 392. & Salmant. tom. 3. Tract. 13. cap. 6. P. 6. n. 84. ad 87.*

62 Proprietarium non esse Religiosum eum, neque contra votum paupertatis facere, qui emit aliquid absque Superioris licentia, modò intentionem non habeat sibi illud applicandi, & acquirendi, sed solùm appropriandi sibi simplicem, & purum usum dependenter à Superioris voluntate, asserit cum aliis *Vidal sup. num. 78. ac 86.* eo quòd tunc propriè non exercet dominii actum, cùm non sibi, sed Monasterio acquirat, neque re illa utitur, ut supponitur, independenter à voluntate sui Superioris, atque adeò non videtur adesse caput, unde verè, & propriè proprietarius dicatur, peccetque contra paupertatis votum; docent & alii apud Dianam sup. Resol. 24. §. *Sed, licèt hæc.*

SUBLECTIO II.

Ponuntur alia, quæ ad supradictum intentum concernunt.

63 Dicitur quintò contra paupertatem non peccare, neque proprietarium esse Religiosum eum, qui bona ex sua propria industria, ac extraordinario labore acquisita, non quidem, ut sibi vel Monasterio applicet, expendit, & alienat pro causa pia, & honesta, quia per talem alienationem nullum prorsus nocumentum sentit Monasterium, cùm nihil minus nunc ea de causa habeat, quàm habuisset, si Religiosus ea non acquisivisset: non enim Religiosus ea acquisivit, ut supponitur, ut sibi appropriaret ea, sed ut in pias eleemosynis ea distribueret, ac proinde talium rerum Monasterium dominium aliquod non acquisivit, proindeque liber Religiosus manet ad expendenda ea licito modo, prout sibi magis placuerit. Et hinc

64 Resolvitur primò contra paupertatis votum non peccare Religiosum, qui picturam, &c. esto valoris sit magni, facit, vel efformat ad dandam amico, materialibus omnibus, non à Monasterio, sed ab eodem amico acceptis ad idem intentum. (Et etiam si materialia ab aliquo alio sæculari accipiat intentione, non ut sibi, vel Monasterio accipiat, sive acquirat, donansque contemplatione ipsius Religiosi, non autem Monasterii donet.) Ratio est: quia tunc non agitur de alienanda, sive donanda re aliqua, quæ sit Monasterii, sed ad summum de non acquirendo pro Monasterio, in quo casu contra paupertatis votum non agitur, pro quo facit doctrina *apud Dianam sup. Resol. 9.* faciunt & ea, quæ jam sup. sunt exarata.

65 Secundò resolvitur contra paupertatis votum non facere, neque proprietarium esse Religiosum eum, qui à sæcularibus eleemosynas ad eas pauperibus parentibus, fratribus, vel aliis erogandas petivit, accepit, & dedit. ¶ Et etiam qui petivit eleemosynas ad pauperes in genere, vel ad pauperem aliquem in singulari non nominando, eaque applicet sibi, eisque utatur, Prælati saltem præsumpta, vel tacita licentiâ suppositâ, vel alteri determinato pauperi applicet eam, vel eas. Ratio est: quia dantis intentio est, ut per talem Religiosum eleemosyna, vel eleemosynæ ab eo præstitæ vero pauperi applicentur, & re vera ita fit applicatio, sive Religiosus illas applicet sibi, sive alteri pauperi. ¶ Quòd si Religiosus eam, vel eas sibi applicet, jam tunc pauperi alicui ipsas applicare non poterit, cùm per talem applicationem Monasterii fiant, sicque ut alteri

appli-

applicentur, necessaria erit licentia Prælati saltem tacita. Legantur *Fagund. Decal. lib. 7. cap. 7 num. 11. Rodrig. tom. 1. Sum. Edit. 2 cap. 202. á Spiritu Sancto sup. num. 214. Sanch. Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 30. num. 6. & 7.* ¶ Si autem Religiosus eleemosynam petendo pauperis nomen expressit, vel peculiarem necessitatem, putà illam, vel illas petendo cuidam pauperi incluso in carcere, vel in lecto jacenti, vel cuidam orphano, vel ad dotem pauperculæ fœminæ, jam tunc non sibi, nec alteri applicationem facere poterit sine furto, sed tenebitur ei, cui, vel pro quo petivit, eas applicare, quia hoc contra dantis intentionem, & voluntatem ire esset, ut de se patet. Legantur *sup. á Spiritu Sancto, Fagund n. 13. ac Sanch. n. 11.*

66 Resolvitur tertiò proprietarium non esse, neque contra paupertatis votum peccare Religiosum eum, qui, saltem tacita Superioris licentiâ suppositâ, extraneis titulo charitatis, vel pietatis pecuniam donat, quam pro Missis sibi à Lege, vel Superiore, aut consuetudine concessis acquirit, sicut & etiam pro omnibus aliis ex industria acquisitis, vel perceptis, & nullo modo obligatis. Et est ratio: nam Religiosus potest dicere Missas pro intentione alicujus, remittendo illi stipendia Missarum titulo charitatis, vel pietatis, quin in hoc paupertatis violet votum, si aliàs pro aliis satisfacere non tenebatur, ut communis docet: ergo etiam eodemmet titulo stipendia in casu pro Missis acceptis dare valebit, quin paupertatis votum offendat. Consequentia hæc tenere videtur, tum quia qui gratis demittit, donare censetur: cap. *Veniens 1. de testament. & ibi Gloss. verb. remittere*, si ergo gratis remittere potest, etiam gratis donare valebit. ¶ Tum quia juxta communem DD. sententiam, licitè potest Religiosus alteri donare de rebus sibi ad usum concessis, quando inde nullum detrimentum Monasterium patitur, & accipiens in hoc casu ad restitutionem non tenetur, eo quòd tunc Superioris consensus præsumitur: ergo etiam in casu nostro, cùm inde nil damni Monasterium sentiat, neque donatio sit ex bono aliquo, quo Religiosus licitè uti non possit, & quod non possit insumere in eo, quod velit, cùm ad id Superioris licentia adsit, uti supponitur: ergo, &c. ¶ Tum denique, quia DD. communiter asserunt Religiosum quemlibet gratis scribere posse, pingere, orare, & celebrare pro alio, licèt sciat, certòque cognoscat illum pro actionibus talibus pecuniam recepturum fore; sed etiam id contingit quando pecuniam pro Missis sibi concessam alteri Missas applicat, dum parum, vel nihil interest quòd ipse pecuniam tradat, vel quòd applicet Missas pro alio, pro quibus ipse pecunias accipit, quas non haberet, si Religiosus Sacrificia non applicaret: ergo, &c. Legatur *Torrecilla ubi sup. Disp. 2. cap. 4. Sect. 8. n. 24. ad 29. fol mihi* 844.

67 Quartò resolvitur proprietarium non esse, neque contra paupertatis votum facere Religiosum eum, qui pro intentione alicujus Sacerdotis cognati, affinis, amici, propinqui, &c. qui ex voto, aut testamento, vel ex institutione alicujus Capellæ tot, talesque dicere Missas est obligatus, tales Missas dicat absque ullo stipendio, aut dependentia illius, sed meregratis, sive pro mera amicitia, benevolentia, & charitate. Ratio est: nam gratis promittit, gratis dicit, ac nihil accipit, & est mere per accidens quòd alter ex eo charitatis opere aliquid sibi acquirat. ¶ Id quod verum esse dicetur, etiam in casu, quo Religionis Statuta decernant, & jubeant nè Religiosi pro Missis, concionibus, aut aliis spiritualibus ministeriis aliquid accipiant, sed quòd omnia gratis impendant. Ratio est: nam Religionum Statuta de facto hæc charitatis, pietatisque opera non impediunt, quia quæ pro charitate statuta, introductaque sunt, contra charitatem militare non possunt, quæ resolutio pro Patribus Societatis, pro nostris Eremitis, & pro similibus aliis deserviet. Et ex Societate id docet *Sanch. sup. cap. 28. num. 18. ac ex eo Fagund. sup. n. 15. ibi num. 16.* cum ipso *Sanch.* inferens licitè posse præfatos Patres Sacra ex mera pietate, & charitate facere, ad quæ Clerici sui amici, stipendio jam recepto, tenentur, ac quæ Clerici ipsi ob multitudinem Missarum facere nequeunt, & qua obligatione se expedire non possunt, quin ad hoc aliqua Superioris licentiâ indigeant. Et ex resolutione hac

68 Resolvitur quintò, & à *N. Spiritu Sancto cum Sanch. Palao, & aliis sup. num. 264.* Societatis Sacerdotem celebrare pro stipendio posse, quod ipse accepit, jamque habet consumptum, cùm jam non sibi stipendium acquirat, sed tantùm ab obligatione ea se liberet, id quod est refugium optimum, gratiaque dexteritas. ¶ Item cum *Pellizar.* docet Missas eas celebrare posse, quas ex stipendio dicendas acceperat antequam Societatem intraret, ob eandem rationem. ¶ Item posse celebrare Missas, sibi stipendio retento, extraneis Sacerdotibus solvendo pro Missis dicendis, si aliàs dans tale stipendium id gratis, & liberaliter donet, nam tunc tantùm liberat dantem gratis stipendia ab illo onere solvendi stipendia pro Missis, quæ omnia extendit ad alios Religiosos, similes Constitutiones habentes.

69 *Reverendiss. Pater Fagund. ubi sup. num. 7.* quæstionem hanc ponit, & excitat, nempe, an in Religione illa, quæ pro lege, vel statuto habet, nè Religiosi pro Missis, concionibus, ministe-

ministeriis vel aliis spiritualibus aliquid accipiant, sed quòd omnia gratis impendant; possint licitè, & sine violatione voti paupertatis ita cum aliquo occultè pacisci: *Faciam tibi centum Sacra, ut certæ personæ, vel consanguineo meo pauperi argenteos centum dones?* Et negativè respondet, mortaliterque contra paupertatis votum peccare præfatos Religiosos ita facientes resolvit, & asserit, quia id est virtuale quoddam dominium, & pecuniarum dispositio, tantundem enim est, ut ille, cum quo pacti sunt de stipendio Missarum, illud eis donet, ac si alteri illorum nomine donet, licèt enim prædicti Religiosi id eleemosynæ titulo faciant, & ad succurrendam, sublevandamque miseriam illius, cui prædictas pecunias, & stipendia Missarum donare jubent, re tamen vera non est eleemosyna, sed est contractus ex justitia commutativa dati, & accepti.

70 Cæterùm (cum viro tanto, ejusque commilitonibus, serena facie, grataque pace semper servata) nobis ut quid verius, & probabilius videtur oppositum, ideoque dicimus tales Religiosos neque contra illud tale statutum, nec contra paupertatis votum peccare; non quidem contra statutum, quia statutum dicit quòd nihil pro Missis accipiant, & in rei veritate in supradicto casu, prout à Fagundes depingitur, nil ullo modo Religiosus accipit, nec intentivè, nec effectivè, cùm verum animum habeat centum illos argenteos non sibi modo ullo acquirendi, sed potiùs velit eos, à se sibi non acceptatos, in piis operibus infundi, sive distribui, ex quo patet etiam quod neque contra paupertatis votum operatur, & equidem ut iste talis Religiosus, qui dicto modo procedit, contra statutum illud, & paupertatis votum deficeret, necessarium omnino erat ut aliquid pro Missis illis acquireret sibi, stipendiaque illa sibi applicaret, & post applicationem talem sibi factam jubeat illud, quod jussit, id quod non fecit, ut casus supponit. Et, licèt demus (id quod aliquid veritatis in se habere videtur) dictum Religiosum contra tale statutum facere, minimè tamen ob hoc contra paupertatis votum operatur, quia dictus Religiosus nihil ex dictis stipendiis appropriat sibi, nec adhuc in animo, id quod necessum erat ut contra paupertatis votum iret. Et jam constat ex sup. dictis quòd, si aliquis alicui Religioso det aliquid, ut ipse Religiosus secum tantùm illud datum insumat, ipse tamen illud non sibi, sed ut alius distribuat, recipiat, (licèt hoc danti non significet) contra paupertatis votum non peccat. In casu ergo nostro illud, quod dictum est, facere optimè posset, & potest (estò contra suum statutum faceret, in quo solùm contra obedientiam iret, & ibit) quin contra paupertatis votum operetur, id est, stipendia Missarum accipere cum intentione non sibi illa applicandi, sed elargiendi inter pauperes, multo igitur melius Missas dicere potest sub pacto suprà relato, quin contra paupertatis votum faciat, cùm ipse stipendia non accipiat, nec animum accipiendi illa unquam habuisset, nec habeat.

71 Sextò resolvitur quòd contra paupertatis votum Religiosus ille regulariter non operatur, qui ex communi Bibliotheca unum, vel alterum librum clanculum accipit, animo illum postea in locum suum reddendi, (quod idem dicitur de assumptione cujuslibet alterius rei de loco publico, sive communi, non ad perpetuum, sed solùm ad temporaneum usum) quia tunc prudenter præsumitur interpretativa, vel tacita licentia, seu voluntas Prælati, quòdque ipse invitus est solùm quo ad modum, non autem quo ad substantiam. ¶ Dictum est *regulariter*: nam, si liber magnæ æstimationis esset, aliisque Religiosis necessarius, tunc grave peccatum adesse dicitur, si libri occultatio per menses aliquos esset, id graviter ferentibus Religiosis aliis. ¶ Idem dicitur de accipiente librum aliquem ex alterius cella, cui ex Prælati licentia, & consensu esset applicatus; licèt enim regulariter id non sit peccatum, poterit tamen esse mortale, quando scilicet ex defectu talis libri graviter, & rationabiliter offenditur qui eum habebat; id quod maximè locum habet, quando ex alterius cella quis accipit manu scripta concionum, aut alterius generis ea, quæ sibi transcribit, quæ omnia merito apud nostrates magnis pœnis sunt prohibita, ut videre est in Legib. nostris. Legantur *Salmant. sup. num* 49. *à Spiritu Sancto Tract.* 3. *Disp.* 4 *Sect.* 3 *num.* 146. *ad* 151. circa hæc, quæ sub hanc Lectionem cadunt, & cadere amplius poterant, plura alibi dedimus; lectorque plura, curiosaque habet *apud N. à Spiritu Sancto cit. Tract.* 3. præcipuè *à Sect.* 3. *ad* 5. per totam legendam, legatur & etiam *Diana cit. Tract.* 3.

LECTIO IV.

Qualis Superioris licentia sit necessaria ad hoc, ut Religiosi possint aliquid dare, accipere, permutare, quocunque vel alio modo disponere de bonis temporalibus æstimabilibus pretio, quin paupertatis violetur votum?

72 LEctionis titulus id, quod est verum, communiterque inter DD. receptum, supponit nimirum necessariam omnino esse alicujus Superioris licentiam ad hoc ut Religiosi in dando, &c. excusentur à furto,

ac

ac vitio proprietatis, & transgressione voti, subindeque sacrilegio. Non enim paupertatis votum prohibet dare, accipere, retinere, &c. absolutè, sed solùm dare, recipere, retinere, &c. sine legitima Superioris licentia, consensu, vel voluntate; quare, licentiâ, & voluntate Superioris posita, & data, datur, & ponitur id, quod omnino requiritur, ut quilibet Religiosus debitè, & licitè in donando, recipiendo, & retinendo operetur. Quare, supposito quòd licentia hæc necessaria est ad bene, & licitè operandum, restat scire, ac investigare quotuplex sit talis licentia, quænam ad hoc necessaria sit, & sufficiat, & quas ad hunc effectum conditiones expostulet; id quod hîc videndum.

73 Licentia, gratia, seu facultas est alicui concessa, per quam sibi licitum extat id, quod prius, ea semota, ei non licebat, & à verbo *liceo lices* originem ducit, quo usus est Paulus, dum dixit *omnia mihi licent*, id est, ad omnia licentiam habeo. ¶ Et est triplex, (vel duplex, ut alii volunt) quarum qualibet habita, quilibet inferior, vel subditus licitè operari valet. Earum autem

74 Prima est *expressa*, & hæc illa est, qua verbo, vel scripto, aut nutu aliquo, vel signo externo ad aliquid dandum, accipiendum, vel retinendum, &c. facultas à Superiore conceditur, & hanc sufficientissimam esse ad licitè operandum, quid omnino certum, & extra dubium extat.

75 Alia est *virtualis*, & hæc illa est, & dicitur talis, quæ in alia expressa formali continetur, putà si tibi Superior licentiam concedat ad iter agendum, tunc virtualiter consequenter tibi licentiam concessit ad omnia ea, quæ ad tale iter sunt necessaria, vel si à Superiore alicui sibi subdito concedatur licentia ad aliquid, quod secum affert aliud, vel has, aut illas actiones, uti si Superior grangiarium, vel procuratorem subditum faciat, consequenter tunc dat illi licentiam ad omnia, quæ sunt necessaria pro obeundo eo ministerio, & sic in similibus aliis, atque adeò Religiosum dictam facultatem habentem licitè operari posse absque expressa licentia Prælati ea omnia, quæ suum officium, vel ministerium necessario exigit, secumque trahit, indubitabile extat.

76 Alia est, & dicitur *tacita*, & *generalis*, quam *præsumptam* vocat Div. Thom. 22. Q. 32. Art. 8. ad 1 & alii *interpretativam* vocant, & hæc illa est, quæ, & si expressè non habeatur, prudenter tamen judicatur adesse, rationabiliterque præsumitur quòd si peteretur, Superiorem fore contentum, vel quod de facto hic, & nunc illam concedit, hæcque etiam *Epikeia* vocari solet, de qua, & si jam Tract. 3. de Legibus (& alibi) cap. 7. Lect. 3. actum à nobis extet, de ea tamen hîc aliquid exarare oportet. Pro eo ergo

77 Dicitur, & resolvitur quòd, licèt melius, & securius sit (& est id, quod est consulendum, maximè semper quod ad Superiorem facilis est aditus, nonque resultat inconveniens aliquod) operari cum expressa Superioris licentia, sufficiens tamen est *tacita*, seu *interpretativa*, vel *probabiliter præsumpta* Superioris licentia ad hoc ut Religiosus quilibet dando, accipiendo, retinendo, permutando, &c. bene, prudenter, licitè, & sine eo, quod contra paupertatis votum mortaliter peccet, operetur, & hoc non solùm quando commodè licentia expressa peti, seu expostulari non potest, nempe quia Superior distat, vel est occupatus, aut urget operandi necessitas, vel moralis commoditas accipiendi, vel dandi, &c. adest, quo casu satis, superabundeque est probabiliter credere Superiorem non fuisse denegaturum licentiam, vel hîc, & nunc eam de facto concedere; sed etiam in casu, quo expressa licentia postulari posset, sed ob aliquem humanum respectum, sive pudorem, aut etiam ob aliquam difficultatem adeundi Superiorem non postulatur, id quod ita

78 Probatur, quia taciti, & expressi eadem est virtus, tam Jure Civili, quàm Jure Canonico; Civili quidem Jure, ut constat *ex L. Cùm quid, ff. si certum petatur, L. Celsus, ff. de Arbitr. Gloss. in L. Expressè, ff. de reg. jur. L. Si filiusfam. ff. Cod. tit. L. Inter verbera, ff. de auro, & arg.* Canonico autem *cap. 2 de Rescriptis*, & aliis; pro quo legantur Covar. in cap. *Quamvis pactum* de pactis lib. 6. P. 1. init. num. 6. Escobar de Ratiocin. cap. 7. num. 7. Molina de Ritu Nuptiar. lib. 3. Q. 80. num. 30. Anton. Sousa in Select. de Centur. Bullæ Cœnæ Domini, cap. 24 Disp. 101. num. 2. ¶ Tum quia, quod cum tacita licentia operatur, fieri non dicitur sine Superioris licentia, cùm rationabiliter judicetur Superiorem hoc velle, & concedere. ¶ Tum quia obligatio voti paupertatis cum intentione voventis conformari debet, sed Religiosi paupertatem voventes non intendunt cum hac intentione se obligare, ut scilicet ad accipiendum, dandum, retinendum, &c. non sufficiat licentia tacita, sed tantùm ut nihil fiat independenter à Superioris voluntate, solùm enim se obligare intendunt ad id, quod ex natura sua petit votum, quod nihil amplius petit, nisi quòd nihil à voluntate proprio nomine fiat, sed dependenter ab aliena voluntate: ergo, &c. ¶ Tum & maximè, quia, experientiâ ipsa teste, id in praxi sæpe sæpiùs à Religiosis, etiam scrupulosæ conscientiæ, videmus observari: licitè ergo, &

prudenter, ac per consequens absque culpa contra paupertatis votum. Unde sic in doctrina *Div. Thom. 22. Q. 32. Art. 8. ad 1.* docentque *Sanch. sup. cap. 19. num. 4. & 5. Lugo Disp. 3. Sect. 7. num. 133. a Spiritu Sancto sup. Tract. 3. Disp. 4. Sect. 6 num. 337. Salmant. Tract. 13. cap. 6. num. 61.* estque commune, & tritum DD. placitum. Unde ex data doctrina

79 Resolves primò necessarium nullo modo esse quòd Religiosus subditus ad hoc, ut licitè de tacita Superioris licentia operetur, de ista tali licentia moralem certitudinem habeat, sed sat esse tantùm habeat quandam cognitionem probabilem. Ita *Sanch. in Sum tom. 2. lib. 7. cap. 19. num. 13.* cum eo, & aliis *Diana dicto Tract 3. Resol. 38.* cum multis *Donatus tom. 1. Tract. 15 Q. 14. ibi legendus fol mihi 384.* pro quo facit doctrina *Salmant sup. P. 6. §. 1. num. 61. & 62.*

80 Prædicta autem moralis probabilitas, vel tacita, aut interpretativa Superioris voluntas, atque licentia ex multis, ac variis motivis colligitur, & colligi valet, uti rectè cum multis aliis adnotarunt *sup. Q. 13 Donatus, Diana cit. Resol. 38. à Spiritu Sancto sup. Sect. 6. n 345.* Et primo quando Superior est suavis, mitis, dulcis, humanus, bonæ indolis, facilisque ad condescendendum cum subditis. ¶ Secundo quando subditus à Superiore est valde dilectus. ¶ Tertio quando subditus vir est gravis, valde eruditus, & de Religione benemeritus. ¶ Quarto quando res acceptæ, vel donatæ sunt leviores. ¶ Quinto quando talis acceptio, vel donatio in Religionis commodum cedit. ¶ Sexto quando vides aliis tibi similibus in occasione simili talem licentiam concedi. ¶ Et diximus *tibi similibus*, nanque si licentia de similibus aliis esset concessa, nullatenus inde conjicere potes, vel interpretari tibi & etiam concessam esse, eo quòd multa concedantur senioribus, infirmis, debilibus, Sacerdotibus, &c. quæ non conceduntur junioribus, sanis, robustis, Diaconis, Conversis, Donatis, & etiam plura in occasione hac, quæ non conceduntur in alia; quæ omnia summopere ponderari debent, multum enim conducunt ad abigendos scrupulos, & ut re vera sit (ut semper est) sententia dicentis: *Jugum meum suave est, & onus meum leve*, aliàs Religio esset jugum, quod neque nos, nec Patres nostri tolerare potuissemus. Legantur citati.

81 Secundò resolves quòd, licèt probabile sit (& quid securius, ac consulendum) quod in Religionibus illis, in quibus datur Regula, Constitutio, aut præceptum, ne quid *sine expressa licentia* detur, &c. (quorum nihil apud nos est, prout constat expressè ex Lege nostra 1. P. cap. 7. num. 5. ibi: *Ad paupertatem etiam spectat nihil sine Superiorum licentia habere, dare,* &c. ubi, ut vides, & si *licentia* exigatur, non tamen *expressa*, uti malè afferitur apud à Spiritu Sancto sup. Tract. 3. Disp 4. Sect. 5. num. 302. id quod aut typographi, aut alicujus alterius malevoli fuit crassus error, cùm vir tantus Legem suam prudenter præsumatur non ignorasse) esse peccatum mortale non solùm contra obedientiam, sed etiam contra paupertatem, ejus vel votum, si materia sit gravis, rem in notabili quantitate dare, & accipere sine tali *expressa* licentia, & solùm cum licentia tacita, prout cum aliis tenent *Salmant. sup. num. 65.* casu, quo illa Lex, vel præceptum obliget sub mortali, secus, si non ita obliget. ¶ Probabilitate tamen non caret sententia opposita, asserens ibi solùm contra obedientiam, non autem contra paupertatem adesse peccatum. Constat ex dictis, & ratio ipsa suadere videtur: quia ex vi voti paupertatis solùm obligantur Religiosi ad nihil dandum, accipiendum, &c. ut proprietarii, & domini, ac proinde usu independente à voluntate Superioris; sed hoc ipso, quòd detur licentiâ tacita, vel præsumpta, aut probabili, nihil efficitur ab inferiori nomine proprio, & usu independente, sed magis dependente à voluntate Superioris, quæ adesse præsumitur: quando ergo Lex, Constitutio, præceptum vel datur, aliam licentiam petens, obligabit ex capite alio, non verò ex vi voti paupertatis, quia illud non frangitur semper, & quando cum licentia Superioris quis operatur, & cum ea operatur, dum operatur licentiâ tacita. Et ita *Pellizar. Tract. 4. cap. 2. Sect. 5. num. 436. & 444. Caramuel sup. Disp 55. num. 955. à Spiritu Sancto sup. num. 297. ac 301. & præcipuè num. 342.* ibi pro hac parte plures adducens, facitque doctrina Dianæ ex multis allata *cit. Resol. 38. ac 39 & alibi.*

82 Resolves tertiò ad hoc, ut Religiosus contra paupertatis votum non peccet, satis esse taciturnitatem approbativam Superioris videntis, vel scientis subditum aliquid recipere, retinere, donare, expendere, commutare, &c. & nihilominus non contradicit, neque reclamat, cùm sine ullo incommodo id facere possit, id quod jam *sup. L. 2. num. 51.* dictum manet, ubi legendum, & etiam *Salmant. sup. num. 66. Suar. tom. 3. de Relig lib 8. cap. 11 num. 8. Sanch. cap 12. num. 11. ac 12. & Lessius tom. 1. cap. 6. n. 56.*

83 Quartò resolves quòd, licèt probabilitate, saltem extrinseca, non careat sententia illa, quæ dicit non esse transgressionem voti paupertatis Religiosum eum, qui rem alienat, commutat, donat, &c. inconsulto Superiore, prudenter credens fore ut Superior daret licentiam, si peteretur, quanvis displiceat ei hic alie-

alienandi modus, quam duo supra viginti gravissimi AA. tenent *apud Salmant. sup. num.* 67. *apud Sanch. Sum. num.* 13. & apud alios, probabilior tamen, securior, & verior est sententia opposita, quam alibi adduximus, fusèque probavimus. Legantur *Salmant. á cit. num. ad* 73. *qui n.* 62. notant ex aliis, sive resolvunt quod, si quis cum præsumpta Superioris licentia aliquid disposuit, totaque præsumendi ratio fuit non posse commode Superiorem adire, & res adhuc consumpta non extat, facilisque jam est ad Superiorem recursus; Superiorem pro licentia adire tenetur, ut re possit uti; secus, si ratio præsumendi non fuit difficultas illa. Legantur.

84 Resolves quintò non peccare contra paupertatis votum, neque proprietarium esse Religiosum eum, qui operatur licentiâ injustè petita, aut iniquè concessa, id est, sine necessitate, & rationabili causa, sed subditum semel licentiâ suppositâ, validè, & licitè operari, dando scilicet, insumendo, &c licèt peccasset in petendo licentiam absque justa causa, aut licèt Superior eam sine justa causa concederet, in tali nanque casu Religiosus non retinet, neque utitur re illa, ut propria, sed dependenter à voluntate Prælati ita, ut, si ipse jusserit quòd illam demittat, eaque non utatur, ad id sit omnino paratus, id quod, & non amplius requiritur ad excusandum à fractione voti paupertatis; *á Spiritu Sancto sup. num.* 347. cum eo, & aliis *Salmant. sup. num.* 81. *Lugo legendus tom.* 1. *de just. & jur. Disp.* 3. *á num.* 131. *ad* 143. ubi ex multis probat posse Superiorem validè licentiam concedere subdito expendendi pecunias ad usus superfluos, ac illicitos, & quòd subditus ille in tali casu non esset formaliter proprietarius, quòdque recipientes ad restitutionem non tenerentur, cujus contrarium docent cum *Div. Thom.* & multis aliis *Salmant. sup. n.* 82.

Addit Lugo totum hoc verificari etiam, quando Superior ipse subdito generalem licentiam concedit expendendi pecunias, prout voluerit, tunc enim dicit quòd generalis licentia illa esset licita ex parte ipsius Superioris: nam, quanvis concedatur generaliter in quemlibet usum, non ideo intendit ipse Superior velle illam concedere in particulari, & determinatè etiam ad usus superfluos, ac turpes, quia tunc id esset cooperari peccato subditi, sed solùm in genere, cedendo juri suo in universum ita, ut ex ea parte quilibet usus malitiam injustitiæ non habeat, neque sit, Superiore invito, qui dum subdito generalem licentiam concedit expendendi, non videtur limitare illam ad usum tantùm licitum, sed potiùs velle auferre omne impedimentum ex parte sua, quantum valet. Sic Lugo legendus; sed circa id omne, quod sub hunc n. cadit, erit Tract. de Rest. videatur *Bordon. Resol.* 43. *num.* 46. *qui num.* 30. alios referens ait posse subditum sine proprietatis vitio donare, vel accipere sub spe ratihabitionis habendæ à Superiore, nam præsumitur probabiliter Superioris voluntas, quæ in spe factum subditi approbat dum ejus virtualem consensum includit, consequenterque non proprietatis committitur vitium.

85 Sextò resolves licentiam à Superiore concessam, ut sit valida, non debere esse coactam fraude, vel dolo quo ad rei substantiam, aut metu gravi extortam, quod idem de illa, quæ importunissimis comparatur precibus, quando cessantibus illis non concederetur, sed illam quasi precibus victus concedit Prælatus, & ut sit, importunitatem repellat; (secus autem, si postea annuat libenter) & idem dicetur, si Superior quasi coactè subdito licentiam concedat, qui, licentiâ negata, notabiliter obmurmuraret, magnasque querelas profunderet, tanquam si gravi aliqua injuriâ esset affectus. ¶ Et idem, si licentiam petens taceat ea, quibus expressis non solet licentia concedi, vel falsò exprimat, quorum ratione conceditur, aliàs non concedenda, eo quòd tunc subreptitia censetur. (Secus, si taceat, aut falsò exprimat, quibus solet, licèt difficiliter, licentia concedi.) Et horum omnium ea datur ratio, scilicet quia in his casibus licentia data voluntaria non esset, cùm re vera non plenè liberè, sed coactè consentiat Superior. Unde censetur tantùm licentia permissa ob periculum majoris mali vitandum, non verò approbativa: his ergo in casibus à transgressione voti paupertatis subditus non excusatur, quandoque nanque multa per patientiam tolerantur, quæ nullo modo approbantur, juxta cap. *Cùm jam dudum de Prebendis*, cum multis Sanch lib. 7. cap. 19. num. 16. ad 18. Suar. tom. 3. lib. 8. cap. 11. n. 14. à Spiritu Sancto sup. Tract. 3. Disp. 6. n. 346. cum his, & aliis Salmant. sup. n. 74. Et

86 Ipsi Salmant. ex aliis notant non esse dolosam licentiam à subdito habitam, qui magnam summam conservare intendens, & sciens à nullo Prælato ad totam illam summam licentiam sibi concedendam fore, ad partem unam petit licentiam ab uno, putà à Priore, vel immediato Prælato; à Provinciale ad aliam, ad aliam autem à Generale, ex his, quæ ipsi dare possunt, etiam si eorum nulli exprimat licentiam aliam ad aliam partem habuisse ab alio. Ratio est: nam tunc, casus, nullum decipit, sed utitur jure suo, postulando licentiam ab eo, qui eam concedere valet. Legatur *á Spiritu Sancto sup. num.* 348. qui ibi sequenti num. addit posse Religiosum uti licentiâ concessa

cessa ab aliquo inferiore Prælato, etiam si sit illi negata à Prælato superiore, & licèt id non significet inferiori Prælato, quia hic non in substantia, sed solùm in accidentibus intervenit dolus.

87 Quisnam autem sit Superior ille, qui subditis ad recipiendum, retinendum, dandum, commutandum, &c. licentiam concedere possit, jam constat ex sup. dictis, hicque breviter dicimus eam dare, vel concedere posse Summum Pontificem, ejus Apostolicum Nuntium, in quolibet Regno Generales, Provinciales, Prælatos immediatos, non solùm respectu suorum Conventualium, sed etiam hospitum; verùm hoc, quando in Religione Lex, vel Constitutio est (prout apud nos est) quòd hospites post viginti quatuor horas, aut aliter talis Prælati, cujus sunt hospites, obedientiæ subsint. ¶ Item eum, qui loco Prælati immediati substituitur ob Prælati immediati absentiam per diem naturalem, uti sunt apud nos Subpriores Conventuum. ¶ Item Abbatissa, quæ bonorum Conventûs administrationem habet, Monialibus suis illam licentiam concedere valet, quam subditis suis potest Prælatus. *Sanch. sup. num.* 44. *Palaus P.* 23. *num.* 11. cum multis aliis *Diana cit. Tract.* 3. *Resol.* 51. (addens posse Abbatissam Monialibus habendi peculium licentiam concedere, quando Religionis Superior illam concedere potest, & etiam facultatem convertendi in proprios usus quæ propriis operibus Moniales acquirunt.) *Salmant sup. num.* 77. *&* 78. *qui ibi, & num.* 79. cum aliis notant posse subditum apud se, vel alium rem retinere sub conditione si aliquis ex dictis Superioribus licentiam concedat, licèt sciat ei ab immediato negandam fore, imò rem retinere posse animo petendi licentiam ab immediato successore, vel animo scribendi ad Superiorem, dummodo interim tali re non utatur absque licentia, sed eam conservet, & tanquam in depósito habeat; quòdque, licèt licentia ad certum tempus, & limitatos usus expiret cum signato tempore, & usibus, non sic licentia absolutè concessa, hæc enim perpetua est, nonque expirat concedentis morte, aut ejus ab officio amotione, quia est gratia facta, & hæc semper permanet, donec expressè revocetur.

88 Resolves septimò licentiam à Superiore concessam determinatè ad usus illicitos, & inhonestos nullam omnino esse, peccareque mortaliter Prælatum illam concedentem, & subditum illam petentem; & etiam si utatur ea, & idem est, si Prælatus ad id similem sibi licentiam assumat. Ratio est: nam Prælatus non est bonorum communium Monasterii dominus, sed solùm purus, meruque administrator, qui non ad destructionem, sed ad ædificationem est positus. *Div. Thom.* 22. *Q.* 23. *Art.* 8. *ad* 1. & cum eo, ac multis aliis *Salmant. sup. num.* 82. & est communis. ¶ Idem dicitur de Prælato, & subdito, quando Prælatus licentiam concedit, eaque subditus utitur ad res superfluas habendas, si res sint vanæ, sumptuosæ, & extraordinariæ. ¶ Contrarium autem dicitur de rebus, quæ non sunt tales, ut nuper relatæ, sed solùm sunt ex ordinariis rebus, & ad usum frequenter concessis, si subdito aliquæ ultra necessarias concedantur à Prælato. Sed circa hoc legendi omnino sunt *Salmant. sup. num.* 83. ¶ Utrùm autem, quando Prælatus subdito generalem licentiam concedit ad expendendam aliquam summam in usus, qui sibi placuerint, contra paupertatis votum peccet, restituereque teneatur, tam ipse subditus dans, quàm ille, qui ab eo accipit, si subditus ipse res, ad quas dictam licentiam habet, in usibus vanis, illicitis, & inhonestis expendat? Jam constat ex dictis, de eoque est duplex sententia satis probabilis, ut videre est *apud Salmant. legendos sup. à num.* 84. *ad* 87. *Legatur Diana sup. Resol.* 58.

89 Octavò resolves contra paupertatis votum peccare Religiosum eum, qui in rebus, quibus licitè uti potest, diligentiâ ea non utitur, quam communiter homines adhibere solent, ut citiùs res suæ non consumantur, veluti, si vestes, quæ ad annum putà durare possent, sua culpâ lata intra sex menses consumantur ita, ut Conventus, vel Monasterium sumptus obligetur ad novos, & idem dici potest de libris, quos habet ad usum, de oleo, si illud insumit vanè, & superfluè, de chartis, quas mittit sine necessario negotio, (in quo Religiosi non pauci deficiunt, papyri plurimum intra annum insumendo, frequenter his, & illis vanas, superfluasque chartas mittendo, & solùm ad *Quomodo vales?* & quidquid in Civitate, vel loco, ac intra Conventum contingit narrando, id quod pessima occupatio, ac à cordato, studiosoque suæ spiritualis salutis omnino alienum) & sic in similibus aliis, in quibus omnibus maiorem curam Religiosus habere debet, ac si eorum dominus esset, cùm solùm facti usum eorum habeat, nonque pro libito ea consumere queat. ¶ Si autem scire velis an Equites Commendatarii Div. Joannis, Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, Christi, Avis, &c. aliquam licentiam habere debeant ad donandum ex rebus, quas ad usum habent, vide *Dianam sup. Resol.* 54. *ad* 57.

LE-

LECTIO V.

De obligatione restituendi, quæ ex violatione voti paupertatis provenit.

LIcèt ex iis, quæ hucusque exarata relinquimus, de facili cogi posset id omne, quod Lectionis istius titulus indicat, ut omnibus tamen veritas hæc magis innotescat, placet de illis aliquid dicere.

90 Resolvimus ergo non teneri Religiosum (neque ab eo rem aliquam recipientem) restituere rem, quoties illam de licentia, saltem tacita, vel præsumpta Superioris expendit, &c. Ratio est: nam tunc operatur ex voluntate Prælati, qua supposita, non est unde non operetur licitè, nec unde restitutionis obligatio aliqua adsit. Est certa, indubitabilis, & communis, cum *Sanchesque docet á Spiritu Sancto sup. Sect 7. num. 371. & seqq* ibi notans hoc verum esse, & si detur Lex, Constitutio, vel formale præceptum nihil dandi absque *expressa* Superioris licentia: nam tunc, ait, ille, qui ad expendendum expressam licentiam non petit, & obtinet, non contra paupertatis votum, sed tolùm contra obedientiæ votum peccabit; de quo jam dictum est suprà, quin necessum sit aliquid amplius addere. ¶ Idem dicit de eo, qui bona fide alienat Monasterii bona, credens fore ut Prælatus licentiam daret sic alienandi, estò sibi displiceret modus. ¶ Et idem de eo, qui bona fide aliqua bona sine Superioris licentia consumpsit, falsò putans id sibi licere, eo quòd hîc læthalis culpa non datur, & sine culpa gravi restituendi obligatio non datur, etiam sub veniali, cùm obligatio ex materia gravi oriri nequeat, nisi ex culpa gravi, quòdque ille, qui talem rem sibi bona fide datam bona fide etiam accepit, eam restituere tenetur, si extet, sin minus id solum, in quo factus est ditior; id quod verum, licèt aliqui *apud Fagund. in 7. Decal. cap. 5 num. 36.* absolutè asserant eum, qui à Religioso res aliquas bona fide accepit, ad restitutionem ullam non teneri, si jam in se res non extant, bonaque fide consumptæ fuerunt. Unde

91 Resolves primò quòd ille, qui per gratuitam donationem rem aliquam mala fide à Religioso recepit, totam ab eo receptam, sive extet, aut non, restituere tenetur, quæ doctrina est communis pro recipientibus aliquid mala fide ex alienis; teneturque primo loco, quam ipsemet Religiosus, cùm in ejus commodum sit facta donatio, & in ejus defectum tenetur ipse Religiosus, non quidem ex suo peculio, si habeat; hoc enim esset ex bonis creditoris restitutionem facere, cùm peculium sit Monasterii. Poterit tamen talis Religiosus se, & accipientem à restitutionis onere absolvere, si quantitatem illam, quam liberaliter dedit, ab amico, vel alio petat cum intentione satisfaciendi, eamque conferat Monasterio, dictamque petitionem, Prælato suo inscio, facere potest, quia tunc rationabiliter voluntas illius præsumitur. Legatur *Suar. tom. 3. cap. 8. lib. 11. num 4. Pellizar. Tract. 4 cap. 2. n. 128.* ¶ Poterit & etiam pro se, & pro alio restitutionem hanc facere de bonis peculii, id est, de illis peculii bonis, quæ ex eo *in*sumere secum posset, & non insumpsit, parcens ventri, & aliis sibi necessariis, non ita putà lautè vivendo, ut posset, sed parcè, id quod facere non tenebatur, ut sic restitutionem illam à se debitam facere possit, & est ratio: nam bona hæc poterat ipse in operibus piis, &c. consumere, poterit igitur ex illis restitutionem facere pro se, simul & pro alio. ¶ Et dictum est *per gratuitam donationem*, quia, si per contractum onerosum rem à Religioso accepit, putà per emptionem, aut venditionem, permutationem, &c. nihil tunc ipse accipiens restituere tenetur, si fuit æqualis utriúsque contractus, cùm tantundem dederit, ac acceperit, de quo legendus *Trullench. lib. 7. in Decal. cap. 5. Dub. 9. Bonac. de Restit. Disp. 2. Q. 10. P. 3. num. 7. á Spiritu Sancto sup. num. 381. & seqq. Salmant. sup. P. 9. n. 99 & 100.*

92 Liberabitur insuper dictus Religiosus in dicto casu à restitutionis onere, si id, quod donavit, rebus ex illis erat, quas ipse in alios usus convertere poterat, nam, cùm illas insumendi facultatem haberet, eas sic donando insumere potuit. ¶ Item liberabitur per sui Superioris condonationem. ¶ Item si is, qui rem ab eo accepit, tantundem illi donet, sive in remunerationem, aut liberaliter, nam jam tunc Monasterium modo hoc tantundem recipit, nullumque jam proinde patitur damnum. ¶ Item, si curet ut amicus, vel alius, qui decreverat tantundem prædicto Monasterio gratis conferre, eo fine illud ei præstet, ut eum liberet ab obligatione tali. Legatur *á Spiritu Sancto á cit. num. 381. ad 389. & Salmant. n. 105.*

93 Secundò resolves Religiosum eum, qui generalem, & absolutam licentiam habet expendendi aliquid, aliquas vel res in his, quæ sibi libuerint, si illud, vel res illas in usus vanos, illicitos, & turpes insumat, restituere teneri, simul & eum, qui ab eo accepit; sed hoc in sententia una, quæ dicit talem Religiosum sic res insumendo contra paupertatis votum delinquere, secus autem in sententia alia, quæ contrarium adstruit, de quibus jam sup. est tactum, & de quibus legendus *á Spiritu Sancto sup. num. 390. ad 392. Salmant. sup. P. 6. num. 84. & 85.*

94 Resolves tertiò mortaliter contra paupertatis votum peccare, ad restitutionemque teneri Religiosum illum, qui custos est, dispensator, vel administrator rerum Monasterii, si ex sua culpa lata pereant, vel deteriorentur, ac si dolo ea destrueret, culpa nanque lata dolo æquiparatur; (& idem de Religioso eo, de quo sup. num. 190. mentionem fecimus) resolutio hæc est per se nota, & ex dicendis Tract. de Restitut. constabit. Legantur Salmant. sup. num. 101. & Donatus sup. Q. 23. ubi dicit *quòd hujusmodi procuratoris, & cellararii peccant mortaliter, & sunt in malo statu, si bona, quæ administrant, expendant, ac largitione grati, & sumptu notabili expendant in alios usus præter deputatos à Prælato*; quod si verum, prout verum extat, hinc patet etiam resolutio data. Legatur & etiam idem Auctor Q. 28.

95 Quartò resolves non posse Religiosum aliquem absque Prælati licentia ea ludo exponere, etiam ex peculio proprio, quæ aliàs donare non posset magis, minusve; quapropter, si quid ex his perdiderit, tenetur restituere non minus, quàm ea, quæ absque licentia expendit, & similiter ab eo lucrans, est enim communis, concorsque sententia respectu omnium, qui lucrantur ab his, quæ bona ludo non possunt exponere, ut minor, filiusfamilias, uxor, &c. de quibus lege *Dianam Coordinat. tom. 6. Tract. 4. Resol. 14. ad 26.* & in nostro casu tenent *Sanch. Decal. lib. 7. cap. 10. num. 67.* cum aliis, *Diana sup. Resol. 13.* (sed legendus *tom. 7. Tract. 3. Resol. 58. ad 62.*) *& ex nostris Lezana tom. 1. cap. 6. n. 51. á Spiritu Sancto sup. n. 393. ac Salmant. sup. n. 93.*

96 Posse autem Religiosos modicam quantitatem ludo licito exponere ex rebus illis, quæ sibi ad usum sunt concessæ, vel quæ ab aliis accipiunt, aut ex destinatis ad suum victum aliqua extrahere, parcè vivendo, ut ea ludo exponant, sine eo, quòd ipsi amittentes, vel ab eis lucrantes, ad restitutionem ullam teneantur (& similiter posse Prælatum subdito ludendi licentiam conferre pro quantitate modica, ludo honesto, & intra honestatis limites manente, secluso scandalo) res extra dubium extat, idque eademmet ratio suadet, tum quia censetur ad hoc tacita Prælati licentia, nanque cùm hæc possit in licitos, & honestos usus ex licentia expendere, & delectatio, ac recreatio ex ludo licita sit, & honesta, virtusque Eutrapeliæ, juxta *Div. Thom. 22. Q. 168. Art. 2.* inde fit quòd aliqua ex dictis rebus licitè, licito, honestoque ludo exponere queat, sine eo, quòd ipse, vel ab eo lucrans aliquid restituere teneatur; tum etiam quia Religiosi se habent, & habere debent, ut filii, & filiis à parentibus conceditur, juxta personæ qualitatem, aliqua ludo exponere. Sed circa Religiosorum ludos legantur *Salmant. sup. toto P. 8. à Spiritu Sancto sup. Sect. 7. a n. 393. Diana ubi sup. & hic infra Tract. 28. cap. 6.*

97 Resolves quintò in omnibus illis casibus, in quibus subditus ob parvitatem materiæ à trangressione voti manet excusatus, manet etiam excusatus à restitutione, & etiam ille, qui ab eo aliquid recipit: tunc enim injuria, & injustitia non est adeò gravis, ut præsumi possit Prælatum velle ad restitutionem obligari, id quod est illam remittere velle. ¶ Item quòd quoties dicitur subditum alienare posse, vendere, dare, vel expendere ex licentia tacita, præsumpta, vel interpretativa, & quando solùm displicuisset Prælato quo ad modum, & non quo ad substantiam, cessat restitutionis obligatio, tam in ipso Religioso dante, quàm in eo, qui ab eo recipit, quia cessavit tunc, casus, culpa saltem mortalis contra votum, sine qua restitutionis non consurgit obligatio, saltem sub mortali; legatur *Sanch. sup. cap. 19. n. 13. á Spiritu Sancto sup. num. 371. Pellizar. num. 324.* ¶ Cuinam autem acquirat Religiosus de uno in aliud, de una in aliam Religionem translatus? Jam aliqua circa hoc constant ex dictis, qui verò latiùs hæc videre desiderat, adeat *Bonac. de Clausura, Q. 2. P. 9. §. 4. Difficult. 2. Sanch. lib. 6. Sum. cap. 7. à n. 53. Azor 1. P. lib. 12. cap. 16. Q. 10. Lezana tom. 1. cap. 12. ac Pellizar. Tract. 3. cap. 5. n. 152.*

TRA-

TRACTATUS XXVII.

DE RESTITUTIONE TAM IN COMMUNI, quám in particulari.

BREVIS PRÆFATIO.

IN tertia hujus Breviarii Parte Tract. 21. de ſeptimo Decalogi Præcepto, quod eſt: *Non furtum facies*, breviter egimus, diximuſque quòd *furtum eſt occulta ablatio rei alienæ, invito dòmino rationabiliter.* Deinde Tract. 25. ea, quæ ad juſtitiam, jus, & dominium, ac injuſtitiam pertinent, diximuſque quòd *Juſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuendi*, ejuſque præcepta eſſe *honeſtè vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere.* Quòdque *injuſtitia eſt voluntaria læſio alieni juris*; & quia alienum jus multoties, ac multis modis ab hominibus quotidie læditur, juſtitiaque de ſe exigit quòd jus alterius à nobis quaſſum, damnumque Proximo noſtro à nobis illatum in integrum reparetur, reſartiatur, ſive reſtituatur, idcirco, ſcitis illis, quæ dictis in locis de Furto, Juſtitia, Jure, & Dominio dedimus, operæ pretium eſt de Reſtitutione hîc aliqua dare. Unde ſit

CAPUT I.

De Reſtitutione in communi.

PRiuſquam ad particulares aliquas reſtitutiones accedamus, (de aliquibus jam dictum eſt alibi) de iis, quæ pro omnibus injuriis, & injuſtitiis Proximo noſtro à nobis illatis communia ſunt, priùs neceſſum eſt pertractare, generaleſque regulas pro reſtitutionibus omnibus tradere, ut ex illis facilior ſit deſcenſus ad alias, indeque ad particulares caſus facilis omnibus aditus pateat. Sit ergo

LECTIO I.

De natura, ſeu quidditate, & radicibus Reſtitutionis, de ejuſque neceſſitate.

1 REſtitutio, (ſic dicta, quaſi rei in ſtatum priſtinum *ſtatutio*, pro quo facit illud Div. Thom. 22. Q. 62. Art. 1. ibi: *Reſtituere nihil aliud eſſe videtur, quàm iterato aliquem ſtatuere in poſſeſſione, vel dominio rei ſuæ*) ſi propriè de ea loquamur, à ſatisfactione differt: quia hæc fit in compenſationem honoris læſi, vel offenſæ illatæ; illa verò pro damno rebus illato, ex quo provenit quòd reſpectu Dei propriè reſtitutio non datur, nec dari poteſt, eo quòd ab eo per peccatum nihil in effectu auferimus, bene tamen ſatisfactio, quatenus pro offenſis ei illatis ſatisfactionem nitimur exhibere; eſtò ei nunquam à nobis ſatisfactio detur ad æqualitatem, id quod de ſe Reſtitutio exigit. Differt & etiam *à ſolutione*, nam ad hoc ut hæc adſit, non requiritur quòd aliquod damnum ſit irrogatum, venditori nanque ſolvimus id, quod ab eo emimus; item id, quod ex mutuo ab alio accepimus, cùm in nihilo horum damnum aliquod adſit, neque adeſſe ſupponatur. Reſtitutio autem ſemper in creditore damnum ſupponit reparandum ab eo, qui intulit illud; id quod licèt ita ſit, multoties DD. pro *Reſtitutione* nominibus *ſatisfactionis*, & *ſolutionis* utuntur, de quo parum eſt curandum; quare ad Reſtitutionis naturam, ſeu quidditatem accedendo.

2 Dicitur quòd Reſtitutio, prout à Theologis ſumitur, nihil aliud eſt, quàm *actus juſtitiæ commutativæ, quo damnum Proximo irrogatum*

tum reparatur, quæ definitiò eſt juxtà mentem Div. Thom. ſup. Art. 2. in corp. ubi ſic: *Dicendum quòd Reſtitutio, ſicut dictum eſt, eſt actus Juſtitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate conſiſtit; & ideo reſtituere importat reddditionem illius rei, quæ injuſtè ablata eſt, ſic enim per iteratam ejus exhibitionem æqualitas reparatur, &c.* Et dicitur quòd eſt actus commutativæ, & non diſtributivæ Juſtitiæ non alia ratione, niſi, quia Reſtitutio intendit ponere æqualitatem rei ablatæ cum æqualitate rei redditæ. Et hoc eſt ſolùm commutativæ Juſtitiæ proprium. Unde patet quod ex ſolo damno facto contra Juſtitiam commutativam reſtitutionis obligatio oriatur. Et ſi aliquando videtur quòd etiam talis reſtitutionis obligatio ex actionibus contra Juſtitiam diſtributivam exurgit, ideo eſt, quia ibi admiſta eſt commutativa Juſtitia, ex qua ſola talis obligatio originem ducit, prout tradit *Div. 7 hom. ſup. ad* 3. docetque cum eo communis.

3 Reſtitutionem eſſe neceſſariam ad ſalutem docet *Div. 7 hom.* (& cum eo omnes) ubi proximè *Art. 2. in corp.* (qui legendus etiam *in* 4. *Diſt.* 15. *Q.* 1. *Art.* 5. *Quæſt.* 2 *in corp.*) ubi ſic: *Cùm ergo conſervare juſtitiam ſit de neceſſitate ſalutis, conſequens eſt quod reſtituere id, quod injuſtè ablatum eſt alicui, ſit de neceſſitate ſalutis.* Eſt tamen ad ſalutem neceſſaria, non neceſſitate *medii*, ſed ſolùm neceſſitate *præcepti*, id quod probatur: nam illud, quod eſt neceſſarium neceſſitate medii, ita neceſſarium eſt, ut ſine eo finis comparari non poſſit, ſive ſalus obtineri nequeat, ut vidimus alibi, patetque in Baptiſmo reſpectu omnium, & in Pœnitentia reſpectu peccantium, ſine quibus conſequutio gratiæ, Gloriæ, & vitæ æternæ ſtare non valet, eo quòd neceſſaria neceſſitate medii; ſed ſtat conſequutio finis, ſive gratiæ, Gloriæ, & vitæ æternæ abſque reſtitutione in re, nec in voto: non igitur reſtitutio neceſſaria eſt neceſſitate *medii*, ſed ſolùm neceſſitate præcepti. Minor, in qua ſola eſt difficultas, exemplis probatur; pone quòd quis neſciret ſe aliquid debere, vel quòd invincibiliter ignoraret hic, & nunc reſtitutionem faciendam eſſe, vel quòd, eſtò ſciat ſe ad aliquid reſtituendum eſſe obligatum, eſt tamen omnino impotens ad talem reſtitutionem faciendam; (in quo caſu debet eſſe paratus ad reſtituendum tempore, quo poſſit) in his, & ſimilibus caſibus talis homo finem, gratiam, Gloriam, & vitam æternam abſque reſtitutione optimè conſequi poterit: tenet ergo minor, conſequenterque reſtitutio neceſſaria non eſt neceſſitate medii, ſed ſolùm neceſſitate præcepti, & in hoc ſenſu intelligendus eſt Præceptor Angelicus, dum dicit quod reſtitutio eſt neceſſaria *de neceſſitate ſalutis.*

4 Sed rogabis quodnam ſit hoc præceptum? Tibi dicitur eſſe *naturale*, *Divinum*, & etiam *humanum*. *Naturale* quidem, quia, ſicut naturale Jus præcipit nè damnum alteri inferas, nè rem alienam ab altero auferas, (juxta illud: *Quod tibi non vis, alteri nè feceris*) ita præcipit quod, ſi damnum alteri inferas, illud reſartias, ſi rem alteri eripias, domino ſuo eam reſtituas, nonque apud te eam contra domini ejus voluntatem retineas. *Divinum*, nam juxta Prophetiam Ezechielis cap. 33. *Non permittitur venia, niſi rapina reddatur*; & Lib. Exod. c. 22. num. 5. *Si læſerit quiſpiam agrum, vel vineam :: damni æſtimationem reſtituet*; & Lucæ cap 20. num. 25. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*; & Ep. ad Roman. cap. 18. num. 7. *Reddite ergo omnibus debita. Humanum* denique, prout conſtat ex cap. *Peccatum de reg. jur. cap Sicut dignum de homicid. & cap. Si res aliena* 14. *Q.* 16. ex quibus omnibus liquet eſſe peccatum mortale ex genere ſuo non reſtituere, quia dum non reſtituimus peccatorum non conſequimur veniam juxta illud: *Non permittitur venia, &c.* & juxta Div. Auguſt. Epiſt. 54. relata in cap. *Si res aliena* 14. Q. 6. ibi: *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur; ſi autem veraciter agitur, non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; ſed ut dixi, cùm reſtitui poteſt*, non reſtituere ergo eſt mortale peccatum, dum reſtitui poteſt, & non fit, cùm veniam impediat, & dimiſſionem peccati, id quod non accidit, niſi ob mortale peccatum.

5 Dictum præceptum ſecundùm unos eſt *affirmativum*, & ſecundùm alios *negativum*: ſed rectiùs juxta doctrinam Div. Thom. ſup. Art. 8. ad 1. dicitur eſſe affirmativum *formaliter*, negativum autem *implicitè*. Ratio primi eſt: quia per actum poſitivum impletur, & omiſſione violatur. Ratio ſecundi eſt: quia negationem involvit, nempe: non retineas alienum. Ex quo juxta conditionem præcepti negativi obligat ſemper, & pro ſemper, id eſt, ſemper, quòd fieri poſſit; quapropter eſſet in continuo peccato mortali ille, qui opportunè poſſet rem alienam non retinere, aut id, quod debet, reſtituere, idque non facit, remque, invito rationabiliter domino, retinet, cùmque eſſet in malo ſtatu, ab eoque recedere nequeat, potens, à nullo Confeſſario deberet, nec debet abſolvi, nec poteſt, uſque dum de facto ſolvat quod debet, aut reſtituat, quantumcunque reſtituendi animum indicaret, vel indicet verbis: quia tunc, ut ſup. Divus Auguſtinus aiebat: *Non agitur pœnitentia, ſed fingitur.* ¶ Sed excipe, niſi ex circunſtantiis prudenter colligatur ipſum ſtatim implere promiſſum. Et hinc merito

alibi

alibi diximus quòd Magnates illi, (& idem de quolibet alio) qui in extrema infirmitate jacentes, de promptuque habentes, quo ante mortem per ſemetipſos, id omne, quod debent, ſolvere, & reſtituere poſſunt, idque non faciunt, ſed verbo, vel ſcripto, nempe teſtamento, jubent, vel relinquunt, hæredibus ſuis ut ſolvant, in damnationis æternæ ſtatu adſunt; & ſanè, ſi ipſi ſolvere potentes, ſtatim non ſolvunt, de Animabuſque ſuis curam non habent, eo quòd judicant adhuc vivere poſſe, appetitumque habent pecuniæ inhætum, juxta illud: *Auri ſacra fames*, quomodo ſolvent hæredes, qui communiter ambiunt hæreditates maiores, quomodo de eorum Animabus maiorem curam habebunt, quàm de ſemetipſis ipſi habuerunt? Pro quo illud, quod in avaros obcinebat alius, venire videtur.

Cui ſimilem dicam hunc inopem, quem copia
reddit,
An nè aſino? Sic eſt: inſtar hic ejus habet:
Nanque aſinus dorſo pretioſa obſonia geſtat,
Segne rubo, aut dura carice pauper alit.

6 Ex dictis capite, vel radice reſtitutionis obligatio provenit, videlicet *ex injuſta acceptione*, ſive *actione*, & *ex aliena re habita*, *ſive accepta*, id eſt, homo tenetur ad reſtitutionem ex duplici radice, vel capite, ſcilicet aut ratione rei acceptæ, vel ratione injuſtæ acceptionis. Ita communiter DD. cum ſuo Angelico Magiſtro *Div. Thom. 22. Q. 62. Art. 6. in corp. ubi legendus.*

7 Per injuſtam acceptionem, ſive actionem intelligimus quodcunque damnum alteri in re, ſive re ipſa illatum, ſive tale damnum factum ſit per rapinam, aut furtum, ſive per uſuram, adulterium, ſtuprum, homicidium, mutilationem, diffamationem, &c. Ex quo infertur obligationem reſtituendi oriri ſolùm ex actione injuſta, externè facta, cujus ea eſt ratio: quia ut quis ad reſtitutionem ſit obligatus, debet re ipſa inæqualitatem in altero facere; ſed hæc, ut patet, non fit per actionem mere internam, ſed ſolùm per actionem externè factam, & realem, eo quòd actus in mente ſiſtens nihil operatur: (extra meritum, aut demeritum) ergo, &c. Unde quando quis lætatur, & gaudet de damno Proximo illato, putà quando Judex gaudet de ſententia juſtè à ſe lata contra ſuum inimicum, vel alium, aut quando quis feram occidit, putans ſuum eſſe adverſarium, quem intendebat occidere, ad nullam reſtitutionem tenetur, eo quòd per actionem externam Proximo ſuo nullum de facto intulit damnum, licèt re vera mortaliter ex ſua depravata intentione peccaverit. Ita communiter. Legatur *Tamburin. lib. 8. Tract. 3. cap. 2. §. 3. num. 1.*

8 *Ex re* autem *aliena* talis reſtitutionis obligatio naſcitur, quando videlicet tua res reperitur apud alterum, ſive juſtè, vel injuſtè apud eum reperiatur, quia res ſemper pro ſuo dòmino clamat, & cùm ille, apud quem aliena res invenitur, plus, quàm habere debet, habeat, minuſque, quàm habere debeat, habeat rei dòminus, inæqualitas hæc per reſtitutionem omnino reparari debet.

9 Cæterùm communiter adnotatur inter obligationem reſtitutionis, ortam ex injuſta acceptione, & eam, quæ ex aliena re abſque actione injuſta oritur, duplex diſcrimen adeſſe, quorum primum eſt, quòd, licèt hæc duo aliquando concurrant, ut patet infure, qui reſtituendi obligationem habet, tam ex re aliena, quàm ex injuſta actione, nihilominus tamen, quando ſeparantur, uti eſt in eo, qui bona fide rem alienam apud ſe habet, qui proinde ſolùm ex re aliena reſtituere tenetur, ſolùm tenetur ad reſtitutionem, quando ipſam rem in propria ſpecie habet; quapropter, ſi eam bona fide jam conſumpſit, vel ipſamet res abſque ſua culpa perit, nihil reſtituere tenetur, niſi id ſolum, in quo fortè factus eſt ditior, putà alieni agri fructus bona fide conſumpſiſti, gregis aut alieni fœtus comediſti, id tuum eſſe putans, tunc ſolùm teneris ad id, quod inde lucratus es, hoc eſt, id reſtituere teneris, quod ex tuis bonis conſumpturus eſſes; ſi tamen alienam combuſſiſti ſegetem, vel ſylvam, putans tuam eſſe, ad nihil in conſcientiæ foro teneris. ¶ At verò, ſi ex furto, rapina, aliave injuſta actione voluntariè jus alienum læſiſti, teneris, licèt talis res apud te ſine tua culpa pereat, vel in nihilo factus ſis ditior. ¶ Secundum eſt, quòd ex juſta detentione rei alienæ, ut in mutuo, depoſito, &c. reſtitutionis obligatio non oritur, donec rem apud ſe habens in mora ſit culpabili reddendi; aſt ex injuſta actione ſtatim, ac reſtituendi opportunitas occurrerit, dicta reſtituendi obligatio adeſt.

Sed quia Angelicus Doctor ad amuſſim, eleganterque rem hanc noſtram explicat, ea, quæ ejus magis ad rem faciunt, ex loco cit. Art. 6. in corp. ad chartam trahere verba placet. *Ratione rei tenetur eam reſtituere (ait) quandiu eam apud ſe habet, quia, quod habet, ultra id, quod ſuum eſt, debet ei ſubtrahi, & dari ei, cui deeſt, ſecundùm formam commutativæ juſtitiæ; ſed ipſa acceptio rei alienæ poteſt tripliciter ſe habere: quandoque enim eſt injurioſa, ſcilicet contra voluntatem exiſtens ejus, qui eſt rei dòminus, ut patet in furto, & rapina. Et tunc tenetur ad reſtitutionem, non ſolùm ratione rei, ſed etiam ratione injurioſæ actionis, etiam ſi res apud ipſum non remaneat, ſicut enim qui percutit aliquem, tenetur recompenſare injuriam paſſo, quamvis apud ipſum nihil maneat, ita etiam*

etiam qui furatur, vel rapit, tenetur ad compenſationem damni illati, etiam ſi nihil inde habeat, & alteriùs pro injuria illata debet puniri. Alio modo accipit aliquis rem alterius in utilitatem ſuam abſque injuria, cum voluntate ſcilicet ejus, cujus eſt res, ſicut patet in mutuis. Et tunc ille, qui accipit, tenetur ad reſtitutionem ejus, quod accipit, non ſolùm ratione rei, ſed etiam ratione acceptionis, etiam ſi rem amiſerit, tenetur enim recompenſare ei, qui gratiam fecit, quod non fiet, ſi per hoc damnum incurrat. Tertio modo accipit aliquis rem alterius abſque injuria, non pro ſua utilitate, ſicut patet in depoſitis. Et ideo ille, qui ſic accipit, in nullo tenetur ratione acceptionis, quinimo accipiendo impendit obſequium; tenetur autem ratione rei, & propter hoc, ſi ei ſubtrahatur res abſque ſua culpa, non tenetur ad reſtitutionem, ſecus autem eſſet, ſi cum magna ſua culpa rem depoſitam amitteret. Hæc perbellè Sanctiſſimus Doctor, quibus in ſubſtantia ea omnia complectitur, quæ multis de re tanta dici poterant.

LECTIO II.

Qualis culpa requiratur, ut ex actione, vel omiſſione injuſta, reſtitutionis obligatio oriatur, pro qua re ſupponuntur aliqua.

10 PRo præſenti re ſupponitur primò in præſenti ſermonem eſſe de actionibus, vel omiſſionibus injuſtis, quæ præter intentionem fiunt, aut quia appoſita non eſt debita diligentia in rebus alienis cuſtodiendis, vel in præcavendis alienis malis; de his rebus ergo tantùm inſurgit ſcrupulus, ſive hæc Lectio; & quæritur quomodo ii, qui non apponunt diligentiam debitam, quam apponere debent, ad reſtitutionem ſint obligati, ſive qualis culpa requiratur ad inducendam reſtitutionem talem?

11 Secundò ſupponimus ex ſola actione contra commutativam Juſtitiam, reſtitutionis obligationem oriri, quia ſola talis actio inæqualitatem inter res ponit, ſolaque commutativa Juſtitia reducit res ad æqualitatem; id quod eſt in Div. Thom. expreſſum ſup. Art. 1. in corp. ibi: *Et ita in reſtitutione attenditur aqualitas juſtitiæ ſecundùm recompenſationem rei ad rem, quod pertinet ad Juſtitiam commutativam, & ideo reſtitutio eſt actus Juſtitiæ commutativæ, &c.* Et hinc ſequitur quod, ſi quis ex reliquis virtutibus, putà Charitate, pietate, miſericordiâ, &c. ad aliquid faciendum teneatur, & non faciat, non ob id ad reſtituenda damna ex ſua injuſta actione, vel omiſſione ſequuta tenebitur. Exemplo res hæc fiet clarior. Eſt Petrus in extrema neceſſitate, tu illi ſuccurrere potes, & non facis; mortaliter contra Charitatis, aut miſericordiæ virtutem peccaſti. Cæterùm ad nihil teneris, etiam ſi mors illi ſequatur ex eo, quòd illi non ſuccurriſti. Eſt hic inſignis Medicus, qui ad infirmi domum accedere poteſt, & illi congruentes medicinas applicando eum à morte liberare, non acceſſit, & ſi ex Charitate acceſſit, medicinas ei non applicuit congruentes, prout ſciebat, & bene poterat, moritur infirmus; peccavit Medicus contra Charitatem; ad nihil tamen tenetur, quia cum ex juſtitia curare non tenebatur, uti ſupponitur, & ſic in exemplis conſimilibus aliis, ex quo bene data ſuppoſitio patet.

12 Supponitur tertiò culpam apud DD. communiter dividi in culpam juridicam, & Theologicam; quarum hæc conſideratur à Theologis, ab illiſque pro peccato mortali, vel veniali delumitur, illa autem à Juriſtis meditatur, & hæc apud illos quælibet omiſſio eſt alicujus diligentiæ debitæ, ex qua alterius damnum ſequatur, ſicque non attendunt quòd ſit, vel non ſit peccatum, hancque juridicam culpam diviſerunt illi in culpam latiſſimam, latiorem, latam, levem, & leviſſimam. Culpa autem *latiſſima* juxta illos eſt dolus manifeſtus, *latior* eſt dolus præſumptus; *lata* omiſſio illius diligentiæ eſt, quam paſſim homines in tali, vel conſimili re adhibere communiter ſolent; *levis* illius diligentiæ omiſſio eſt, quam diligentiores, & prudentiores ſolent exercere; *leviſſima* demum eſt omiſſio illius diligentiæ, quam prudentiſſimi, & vigilantiſſimi applicant. Sic res hæc explicatur. Aperuit quis puteum, vel foveam, & naturali oblivione captus illam non cooperuit, ut aliquis in eam non caderet; cecidit aliquis, & mortuus eſt, vel crura confregit: ecce culpam latam. Claſit, ſed non ita ut difficulter aperiri poſſet. Ecce culpam levem. Non claſit, ſed ſe ita feciſſe judicavit; nonque tentavit, vel excogitavit an clauderet. Ecce culpam latiſſimam: claudere omiſit, idque fecit animo, ut damnum, quod prævidet, alteri ſequatur. Ecce culpam leviſſimam; omiſit claudere, prævidens damnum alteri ſequendum, ſed tale damnum non intendit. Ecce culpa latior.

13 Quartò ſupponimus quòd regulariter loquendo, & in utroque foro nemo ob damnum alteri illatum ad reſtitutionem ullam tenetur, ſi nulla culpa Theologica, aut juridica interveniat, vel reperiatur in inferendo alterius damnum. Eſt *Div. Thom. 22. Q. 64. Art. 8.* & cum eo docet communis. Et hinc

14 Reſolvitur nullum ex ſequentibus (& ſic de ſimilibus) ad aliquam reſtitutionem teneri. Primò cum, qui puteum aperuit in remotiſſimo loco, quem homines frequentare non ſolent, illumque apertum reliquit, caſu-

que

que homo illac tranſiens incidit in illum, & mortuus eſt, crura, vel brachia confregit. ¶ Secundò idem de eo, qui ad capiendam feram præparavit laqueum in loco remotiſſimo, per quem nec homines, nec manſueta animalia pertranſire ſolent, caſuque accidit quòd homo, vel manſuetum aliquod animal fuit in eo ſuſpenſum. ¶ Tertiò idem de eo, qui ad conſimilem locum ſagittam projicit ad feram occidendam, ſagittaque ſe divertens hominem, vel ejus equum occidit. ¶ Quartò idem de eo, qui ignem prope ſegetes ad calefaciendum ſe, vel ad aliquid aliud ſibi neceſſarium accendit, omnemque, nè comburentur ſegetes, diligentiam adhibuit. ¶ Quintò idem de eo, qui conduxit equum ad iter agendum, vel mutuatum recepit illum, & caſu fortuito ſuffocatur, & moritur. ¶ Sextò idem de eo, qui alterius domum fuit ad furandum ingreſſus, & ut intentum lucraretur, lucernam accendit, non intendens, neque prævidens quòd tactu lucernæ domus combureretur, & caſu lucernæ tactu fuit domus combuſta. ¶ Septimò idem de infante, vel furioſo, qui omnino culpæ eſt incapax, ſi ab eo damnum fuit illatum, prout habetur in cap. *Illud relatum* 15. *Q.* 1. *& L. Sed & ſi, ff. ad L. Aquiliam.* ¶ Octavò idem de eo, qui ſe defendit moderamine inculpatæ tutelæ, & de Milite ex Principis obedientia pugnante in bello à ſe putato juſto, graveque damnum inimicis intulit. ¶ Nonò idem de eo, qui rem alienam conſumit, judicans eſſe ſuam, neque hic ad reſtitutionem tenetur, niſi id ſolum, in quo ſit factus ditior. ¶ Decimò idem de eo, qui ſagittam ad occidendam feram projicit, debitamque omnem diligentiam adhibuit nè damnum alteri inferret, eſtò ita ſit affectus ad ſuum occidendum inimicum, ut ſi ſciret cum ea eum lædi, & occidi poſſe, eodem modo ſagittam projiceret, caſuque accidit quòd illac pertranſiret inimicus ille, vel alius homo, eumque caſu ſagittâ occidit. Et hujus ea eſt ratio: quia actio, quæ alieni damni, vel mali non eſt cauſa injuſta, ad reſtitutionem nullo modo inducit, uti patet in eo, qui de malo alieno congaudet, nonque influens in illud, qui quidem ad nullam reſtitutionem tenetur; ſed in propoſito caſu illa actio non eſt injuſta cauſa homicidii, ut talis: ergo, &c. Probatur minor: quia ut illa actio eſſet cauſa homicidii, ut talis, debebat eſſe à voluntate elicita; ſed licèt illa occiſiva actio non ſit contra voluntatem, non tamen eſt ab ipſa voluntate elicita: dicta ergo occiſiva actio non eſt formalis cauſa homicidii, ut talis, conſequenterque ex tali actione reſtitutionis obligatio nullo modo inſurgit. ¶ Undecimò, & generaliter, ſemper quòd quis aliquid operatur, omnemque debitam diligentiam adhibet, nè cuipiam aliquod damnum eveniat, nonque obſtante omni ſua cautelâ, nihilominus alteri damnum ſequatur, ad reſtitutionem non tenetur. Et ratio omnium ſupradictorum ea eſt: quia talis obligatio non oritur ex re accepta, uti ſupponitur, & multò minus ex injuſta actione, cùm nulla detur, ubi nulla committitur culpa. Unde *Cap. ult. de injuriis, & damno dato* ſic dicitur: *Sanè licèt quis occaſionem damni dat, damnum videtur dediſſe; ſecus eſt tamen in illo dicendum, qui ut non occideret de contingentibus nihil omiſit* per quod tota doctrina tradita manet firmata.

15 Dictum eſt ſup. num. 12. *Regulariter loquendo*, nam tribus in caſibus fallit primò doctrina tradita, vel caſibus tribus abſque ulla culpa reſtitutionis obligatio naſcitur, & omnes in Jure ſunt habiti, quorum primus eſt, ſi animal tuum abſque culpa tua damnum Proximo tuo intulit, putà hominem læſit, animal aut alterius occidit, ſegetes, vel prædium alterius conculcavit, aut deſtruxit, ſi illius ſata, prati vel herbam paſcit. Et idem, ſi gallina tua domum intrans alterius, vitrea vaſa, vel alia confregit, veſtes, &c fœdavit, vel ſi ſus alterius domum ingrediens veſtem, vel libros illius laceravit, in hoc caſu animalis dominus, aut ipſum animal damnum inferens, aut totum damnum reſarcire tenetur; (poſt Judicis ſententiam, non verò ante in ſententia noſtra, pro qua legatur *Rebell. de Reſt. lib. 2. Q. 10. n. 23. Dicaſtill. hic lib. 2. Tract. 2. Diſp. 3. Dub. 1. n. 6. & 15.*) id quod conſtat ex toto tit. *Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur* junctо cit. cap. ult. de injur. & damno dato; ſed hoc intellige, niſi animal tuum malum inferens invaſum fuerit ab alio, & prævalens occidat alterum, & etiam, niſi occidat latronem domum, vel hortum ad furandum ingredientem; & idem in caſu, quo incautus homo ad tale animal ligatum accedat, & ab eo damnificetur, tunc enim ad nihil dominus talis animalis obligatus erit.

Secundò fallit, ſecundus vel caſus eſt, ſi ſine tua culpa mancipium tuum lædat culpabiliter alterum aut in bonis, aut in perſona, tunc enim teneris vel ipſum mancipium tradere, aut illatum reſarcire damnum: §. *Dòmino, inſtitut. de noxalib. actionib. L. Quoties, & L. De illo, ff. eod. tit.* ſi autem inculpabiliter mancipium intulit damnum, tunc ex parte nullius reſtituendi obligatio adeſt, ſecus erit, ſi ex tuo mandato, vel conſilio intulit illud, nam tunc ad reſarciendum totum damnum obligatus manebis.

Fallit tertiò, ſive tertius caſus eſt, quando è domo tua aliquid effunditur foras, ſive in publicam, vel privatam callem, ſeu viam aliquid projicitur, quod tranſeuntibus, ibive commo-

rantibus aliquod nocumentum efficit, nonque prius quam illud projiceretur, conclamatum est (dicendo vulgo *Agua vay*) ut sic transeuntes, ibi vel stantes damnum evitent, in hoc etiam casu restituendi totum damnum illatum obligatio adest. *L. 1. & penult. ff. de his, qui dejiciunt, vel effundunt.* Hæc omnia communia sunt. Sed circa ea legantur *Salmant. tom. 3. Tract. 13. cap. 1. P. 2. §. 1. per totum.* His ita positis,

SUBLECTIO.

Resolvitur id, quod positum extat Lectionis in titulo.

16 LOquendo de Restitutione, quæ ex delicto in materia gravi oritur, aut oriri valet, dicitur ex sola culpa lata juridica, simul conjuncta cum Theologica gravi, sive mortali, restitutionis obligationem oriri; unde ille, qui nec ex officio, neque ex contractu obligatus est, & applicuit omnem eam diligentiam, quam homines sui statûs adhibere solent, circa materiam illam, in quo homo iste à culpa lata mortali liberatur, etiam si non adhibeat diligentiam eam, quam adhibere solent diligentiores, vel diligentissimi homines, in quo levem, aut levissimam culpam commisit, ad nullam restitutionem tenebitur, vel tenetur. Et idem, si notitiam, aut plenam advertentiam non habet, prout ad mortale peccatum requiritur, id omne, quod in summa est dicere quòd, supposita materiâ gravi, & omnino deficiente mortali peccato, nulla *in conscientia* restitutionis obligatio adest, quacunque stante culpâ juridica.

Probatur, quia non est ad id obligatus ex re accepta, uti supponitur, neque ex injusta actione, quæ sit theologicè mortalis: nullo ergo modo est *in conscientia* ad restituendum obligatus. Cætera constant, & minor probatur: quia actio, in qua facit homo id, ad quod tenetur, injusta non est, neque talis dici potest; sed quando homo eam curam, & diligentiam ponit, quam homines sui statûs, & conditionis apponere solent in tali materia, estò non ponat eam, quam solent apponere diligentiores, aut diligentissimi homines, facit id, ad quod tenetur, vel est obligatus: talis ergo actio injusta non est, & actionis injustitiâ remota, restitutionis obligatio de medio tollitur, consequenterque talis homo sic operans ad nullam restitutionem tenetur in conscientiæ foro. Est communis, cum communique docent *Layn an lib. 3. Tract. 3. P. 1. cap. 6. num. 4. Lugo de just. & jure, Disp. 8. Sect. 3. & 4. Lessius lib. 2. c. 4. Dub 6. n. 27.* cum aliis *Salmant. sup. §. 2. num. 16. ad 19.*

17 Utrùm autem ex culpa levi, aut levissima animo nocendi perpetrata oriatur restitutionis obligatio, sive nunquid ex ignorantia invincibili consequente ex pravo animo orta, uti si quis contra feram sagittam projiciens, eam diligentiam adhibeat, quam communiter homines adhibere solent, & exactiorem adhibere nolit, ut, si fortè inimicus transeat, eum occidat, ad restitutionem teneatur; sive utrùm, si ex negligentia mere, & puè civili, vel ea culpa sit levis, sive levissima, quis damnum aliquod Proximo intulit, totum illud resarcire teneatur? Variant DD. quorum

Aliqui probabiliter dicunt tunc obligationem restituendi adesse in foro tantùm externo ita taliter, quòd tolùm post sententiam Judicis restituere teneatur in conscientiæ foro; sicque intelligunt textus, qui in contrarium allegantur, uti sunt *cap. ult. de injuria, & damno dato, L. 2. & seqq. ff. ad Leg. Aquiliam, §. Idem labeo ait, ff. de aqua pluvia arcenda*, pro quo vide Navar. lib. 2. de Rest. cap. 1 Diffic 9. Sanch. lib. 1 Consil. cap. 4. Dub 5. num. 9. & alios adductos à Salmant. sup. n. 21.

Salmant. verò cum aliis, legendi à num. 22. ad 25. tanquam quid sibi probabilius affirmativè absolutè resolvunt, idque probant ex *Div. Thom. 22. Q. 62. Art. 2. ad 4.* dicente quòd, si quis impediat quòd alius, qui dignus est, Præbendam acquirat ex voluntate majoris gloriæ Dei, ut detur digniori, non est restitutioni obnoxius; si tamen ex malo animo, & affectu procedat, ad restitutionem secundùm spem, quam impeditus habebat, tenetur. Probant & ex aliis, proindeque sunt legendi.

18 Ex data doctrina num. 16. resolvitur primò quòd ille, qui hominem occidit ex subita ira, sive ex motu, qui dicitur primò primus, ad restitutionem non tenetur, quia non peccavit mortaliter. ¶ Secundò idem ob eandem rationem dicitur de eo, qui ignem ad aliquid sibi necessarium accendit, debitque diligentiam adhibet, nè alteri damnum sequatur, exindeque damnum casu, vel fortuitò sequitur, putà domus, vel segetes alterius igne comburuntur; & hoc vel quia inadvertenter, aut naturaliter oblitus sufficientem diligentiam non posuisti, vel quia advertenter diligentiam eam noluisti ponere, quam diligentiores, aut diligentissimi apponere solent, neque tunc aliquid restituere teneris, quia, ut ex dictis constat, neque tunc peccasti mortaliter. ¶ Tertio foveam propter finem aliquem bonum aperuisti, tibique tunc in mentem non venit quòd ibi aliquis homo periclitari posset, vel si in mentem venit, sufficientem diligentiam posuisti, nè ibi aliquis periclitaretur; sed ecce quòd postea periclitatur aliquis, incidit in

foveam,

foveam, brachia, vel crura confregit, non peccaſti mortaliter, conſequenterque ad nihil reſtituendum in conſcientia teneris. ¶ Quartò occidiſti hominem judicans eſſe feram, non peccaſti mortaliter, neque proinde ad ullam reſtitutionem in conſcientia teneris. Et ſic in ſimilibus aliis. Ita cum *Henriques, Leſſ. Salas, Rodrig. Lugo, Trulbench. & Navar. N. à Spiritu Sancto hic Tract* 10. *num.* 246. *cum aliis Salmant. legendi ſup. n.* 16. *& ſeqq.*

19 Loquendo de eo, qui obligatus eſt ex officio ad Proximi damnum præcavendum, ſi terius vel bonum conſulendum, dicitur quod neque talis ad reſtituendum tenetur, niſi tantùm ex culpa lata, quæ ſimul ſit conjuncta cum culpa gravi Theologica, vel, quod idem eſt, niſi mortaliter, materiæ gravitate ſuppoſita, peccet, in officium ſuum non rectè agendum; quapropter eſtò culpam levem. aut leviſſimam committat, ad nihil tenetur. Ratio conſtat ex dictis: non enim tenetur ratione rei acceptæ, uti ſupponitur, neque ex injuſta actione, quia iſte homo in officio ſuo non tenetur eſſe diligentior, doctior, ac prudentior, quàm ejuſmodi homines paſſim eſſe ſolent, neque injuſta actio ſimpliciter talis adeſſe dicitur, ubi abeſt culpa mortalis, hæcque abeſt in caſu. ¶ Neque denique tenetur ex contractu, eo quòd, ut ſupponitur, ſolùm ſe obligavit ad ſuum exercendum officium, ſicut cæteri ſuæ conditionis, & officii illud exercent: curâ ergo ea adhibita, quam cæteri adhibent, ad nihil ampliùs tenetur, conſequenterque non tenetur ad reſtitutionem ex culpa levi, aut leviſſima, quia hæc non inducit culpam mortalem. ¶ Excipitur, niſi quis ad extraordinariam diligentiam ponendam ſe ſe obligaſſet, tunc enim tali ex culpa levi, aut leviſſima ad reſtitutionem teneretur, ſecundùm quantitatem culpæ ab eo commiſſæ, quia eo ipſo ſumma diligentia ſaltem implicitè deducta fuit in pactum, quod ſervari debet. Hæc omnia communia ſunt, cum multiſque docent *Salmant. ſup. dicto P.* 2. § 3. *à Spiritu Sancto ſup. num.* 248. cum quibus, & aliis

20 Reſolvitur primò quòd artifex, vel architectus, non adhibens diligentiam eam, quam alii peritiores, & peritiſſimi in tali arte adhibere ſolent, ſed ſolùm adhibens eam, quam officiales illius officii, vel artis communiter adhibent, etiam ſi artefactum ruinam patiatur, ad nullam reſtitutionem tenetur. ¶ Secundò idem omnino, & in eodemmet ſenſu dicitur de Chirurgo, vel Medico, qui ex ſtipendio alicujus infirmi curam ſibi aſſumpſit. ¶ Tertiò idem de cuſtode vineæ, prædii, ſylvæ, Civitatis, vel cujuſcunque alterius rei. ¶ Quartò idem de diligenti, prudentique Confeſſario, qui ſuum munus obiit, ſecundùm quod communiter diligentes, prudenteſque Confeſſarii alii facere ſolent, pro imponendo, vel non pœnitentibus reſtitutionis onere. ¶ Quintò idem de Judice, Advocato, Juriſconſulto, Prætore, Principe, Magiſtratu, Parocho, Theologo, Concionatore, vel quocunque alio, qui ex officio tenetur ad conſulendum alterius bonum, vel evitandum alterius damnum, ſi communiter ſuum munus obeant, ſicut quilibet alius diligens, & prudens, qui tale munus, vel officium exerceat.

21 Præterea de eo, vel illis loquendo, qui ad aliquid ex vi contractûs tenentur, dicitur in his etiam eandemmet culpam requiri, ut in ipſis reſtituendi obligatio ex vi contractûs detur; proindeque quod nec ex culpa levi, aut leviſſima, ſed ſolùm ex culpa lata juridica, quæ ſimul cum culpa gravi Theologica conjuncta ſit, talis obligatio adeſt. Ratio eſt: nam ex vi contractûs nemo tenetur ad ponendam maiorem diligentiam pro conſervatione alienæ rei, quàm pro conſervatione rei propriæ; ſed ad conſervationem rei propriæ quis tantùm ex culpa lata tenetur, ſeu ad ponendam illam diligentiam, quam homines ſui ſtatûs communiter adhibere ſolent: ergo, &c. vel aliter ex vi contractûs nemo ſe obligat, niſi ſolùm ad eam diligentiam ponendam, quam ſolent communiter homines in tali materia ponere, non enim eſt ratio ad maiorem obligationem ponendam commendatarii, conductoris, depoſitarii, &c. quàm Judicis, Medici, Advocati; ſed omnes iſti, ut ſup. vidimus, non obligantur ex culpa levi, aut leviſſima, ſed ſolùm ex culpa lata, conjuncta cum Theologica mortali: ergo, &c. Unde hinc ſequentes, conſimileſque caſus.

22 Reſolves primò. Commodatum equum ad iter agendum petiſti, prudens, & diligens fuiſti in de eo curam habendo, ſicut ſi eſſet tuus, & tamen periit equus, vel furati ſunt eum, levem, nonque latam culpam commiſiſti, & ſic ad nihil reſtituendum teneris. ¶ Secundò habes apud te rem locatam, oppigneratam, &c. curas de ea, ſicut de tua, vel ſicut alii prudentes homines de tali re in caſu, vel occaſione ſimili curare ſolent, non tamen diligentiſſimus es in illius cuſtodia, & ob id periit, conſumpta, vel furata eſt talis res, commiſiſti culpam levem, aut leviſſimam, non verò latam mortalem, conſequenterque ad reſtitutionem ullam non teneris. Et idem de quocunque alio, qui obligatus eſt ex contractu aliquo. Ita communis, & cum multis *Salmant. ſup. n.* 32.

23 Sed cum communi diligenter hîc adnotandum venit quòd culpa levis, aut leviſſima conſiderari poteſt vel *abſolutè*, aut *reſpectivè*, ſicque proinde contingere poteſt quòd cul-

pa

pacta, quæ reſpectu unius levis eſt, ſive leviſſima, gravis, latàque ſit reſpectu alterius; ſicut aliquæ ſunt graves in filio reſpectu parentis, quæ leves eſſent reſpectu extranei, & hoc ſolùm ob maiorem obligationem, quam filius habet invigilandi circa bonum, & parentis obſequium; ſicut etiam culpæ, quæ in ſeculari viderentur leves, in Religioſo, ac Epiſcopo ratione ſtatûs reputantur graves, & hoc non eſt, quia eademmet culpa ſit gravis, ſimul & levis, ſed quia ea culpa, quæ in alio ob obligationem minorem eſſet formaliter levis, formaliter gravis eſſet in alio ob obligationem maiorem. Pro quo legantur *Bonac. de Reſtit. Diſp.* 1. *Q.* 2. *P.* 7. *num.* 20. *Salmant. ſup.* §. 5. *num.* 37. & juxta hoc intelligenda ſunt al. qua, quæ ſup. dedimus. Unde ex hac doctrina

24 Reſolvitur primò quod propter maiorem, & ſtrictiorem obligationem, quam commodatarius habet, quàm depoſitarius cuſtodiendi rem, illa negligentia putà, quæ in depoſitario reputaretur levis, in commodatario reputabitur gravis, & ſic iſte, & non ille ob talem culpam ad reſtitutionem tenebitur propter illam ſuam maiorem obligationem invigilandi erga rem apud ſe habitam.

Secundò qui in gratiam ſui commodatum equum ab alio petit, eo ipſo tacitè profitetur ſe magis obligatum ad conſervandum, & curandum de illo, quàm ſi ſolùm in gratiam ſui amici illum per aliquos dies in ſtabulo ſuo reciperet, vel ſi pro pretio à locatore conduxiſſet illum; quapropter, ſi ad hanc ſuam obligationem maiorem advertat, illamque apponere negligat, peccabit, fortè mortaliter per negligentiam talem, quæ reſpectu equi conducti, vel in depoſito habiti mortalis non eſſet, & tunc non mirum quòd ad reſtitutionem teneatur, quia ibi non ſolùm levis, ſed gravis reperitur culpa ob obligationem maiorem invigilandi circa rem habitam.

Tertiò Nautæ, qui in navi ſua homines, merces, res vel alias pro mercede ad tranſportandum acceperant. Stabularii, & caupones, qui de cuſtodiendis rebus fidem pro ſtipendio dederunt, in his omnibus culpa reputatur gravis illa, quæ in aliis levis eſſet propter vigilantiam maiorem, quam circa cuſtodiendas res ſibi traditas habere debent, & ideo in L. 3. §. *Et hoc edicto* totum rei depoſitæ exigitur pretium, (ſi forſan res pereat) nè detur occaſio fraudibus circa navigantes, vel hoſpites.

25 Quartò hinc ſit etiam ad reſtitutionem damni ſequuti ratione ignorantiæ craſſæ teneri Confeſſarium, Theologum, Parochum, Concionatorem, Juriſconſultum, Advocatum, & quemcunque alium, qui ex officio, vel profeſſione conſilium aliis tenebatur præſtare, vel qui profeſſionis eſt talis, ut ad eum conſultatio pertineat, ſi conſilium præſtet contra id, quod conſulens tenebatur facere, facere vel deberet, putà ſi diceret, vel conſuleret Petro ad reſtitutionem ſe non teneri, quando tenebatur ad eam, vel ei reſtitutionis imponeret onus, ad quam non tenebatur.

Probatur primò, quia iſte ex officio, & profeſſione ſcire hoc tenebatur, hunc que errorem in reſpondendo vitare, hoc non fecit: de damno ergo ſequuto tenetur. ¶ Secundò qui alicui ſuadet ut aliquid omittat, vel faciat, abſolutè docens illud tutè poſſe facere, tenetur habere evidentiam moralem, vel ſaltem opinionem verè probabilem, illud eſſe licitum; ſed qui ex ignorantia craſſa falſum docuit, ex quo damnum Proximo fuit ſequutum, nec evidentiam moralem, nec opinionem verè probabilem habebat rem talem licitam eſſe, de illato ergo damno tenetur. Unde, cùm Doctor iſte, vel conſulens ſit ex profeſſione ad res reſcindendas magis obligatus, culpa illa, quæ in altero levis eſſet reſpectu conſulti dati, in iſto eſt culpa lata. Et tunc in eo lata judicabitur culpa, cùm adverterit in re dubium eſſe prudens, quod interrogare, & amplius conſiderare oportebat, eamque diligentiam omiſit, nonque appoſuit eam. Ita cum multis *Salmant. ſup. num.* 29. ibi adnotantes tales à reſtitutione ſe excuſare, vel ſi ſolùm dicant ſe ita ſentire, non ſuadendo ut alter judicium ſuum ſequatur, timeritati ſuæ tribuat errorem, vel ſi eſſet conſultus earum rerum parum peritus, utpote ad ſuam profeſſionem non pertinentium, & alter talem inſufficientiam non ignorabat; ſibi imputet, ſi aliquod detrimentum, damnum vel patiatur, quia volenti, & ſcienti nulla fit injuria.

LECTIO III.

De poſſeſſore bonæ fidei, an nimirum aliquid rei domino reſtituere teneatur?

26 SUpponitur cum communi poſſeſſorem bonæ fidei eum eſſe, qui alienam rem accipit, retinet, & poſſidet, prudenter, & probabiliter judicans eſſe ſuam, aut minimè ſciens alienam eſſe, malæ autem fidei poſſeſſorem illum eſſe, qui ſcit rem alienam eſſe, aut ignorantiâ craſſa, vel culpabili putat eſſe ſuam. Et inter hos duos reperitur alius, qui dicitur dubiæ fidei poſſeſſor, qui ille dicitur, qui dubitans an res, quam poſſidet, ſua ſit, an verò ſit aliena, quam non conſtat nec ſuam, nec alienam eſſe, ſed res eſt merè ſub dubio. Quibus ſic cognitis,

27 Dicitur poſſeſſorem bonæ fidei ad reſtitutionem

tutionem nullam teneri dum bona fide rem poſſidet, pro tuncque eam tutò vendere poſſe, illam diſtrahere, alio vel modo conſumere. Statim tamen, ac cognoſcit talem rem certò alienam eſſe, eaque apud ſe in propria ſpecie extet, totam dòmino reddere teneri, (ſi autem in ſe jam non extet, id in quo ex ea ditior fuerit factus) imò ipſemet dominus rei eam ubicunque fuerit, ſibi vendicare valet, quia res ubicunque eſt, pro dòmino ſuo clamat; (id quod intelligitur, niſi jam legitimum præſcriptionis tempus fuerit tranſactum, uti jam ſup. eſt habitum) notitiâ itaque certa habita, quòd res eſt aliena, ſiquis rem habet, eam dòmino ſuo non tribuat, in moraque culpabili fuerit reddendi eam, jam tunc, non tanquam bonæ fidei poſſeſſor, ſed tanquam malæ fidei judicandus, & habendus erit, taliſque re vera furtum committit, quia rei alienæ detentio, invito dòmino rationabiliter, furto æquipara tur. Et ſi fortè talis oneroſo titulo, putà emptionis, eam comparavit, nullatenus ejus pretium à dòmino rei exigere poteſt, dominus nanque rem ſuam non tenetur pretio emere, ſed talis à venditore, vel latrone rei pretium requirere debet, ſolùmque contra venditorem, ſive latronem actionem habet, nullam autem contra rei dòminum. Sic communiter DD. ſequentes *Div. Thom. 22. Q. 62. Art. 6.*

28 Dictum eſt: *Si autem in ſe jam non extet, id, in quo ex ea ditior fuerit factus*, id quod verum, nam in incremento tali verè res aliena in virtute manet, conſtat ex L. *Item veniunt*, §. *Præterhæc*, *ff. de petion. hared. L. Si rem*, *& pretium*, *L. Si*, *& ſi lege*, §. *Item ſi rem diſtraxiſti*, *ff. eod. tit.* unde ex reſolutione hac ſequentes, conſimileſque caſus reſolves.

29 Reſolves itaque primò. Tibi donata fuit res aliena, & bona fide credendo eam alienam non eſſe accepiſti, & poſtea iterum amico tuo eam donaſti, ad nihil teneris, etiam ſi dòminus ejus certus, & verus appareat, cùm ex inde non ſis factus ditior; ſecus dicendum, ſi rem non donaſti, ſed vendidiſti, nam tunc totum pretium domino reddere teneris eo quod ex ea jam factus es ditior. Sed hoc, deductis expenſis, ſi aliquæ cum re factæ fuerunt, & etiam, ſi jam tranſiit tempus præſcriptionis legitimum. Communis.

Secundò reſolves. Talis res tibi donata non fuit, ſed eam pretio comparaſti, & poſtea minori, vel eodemmet pretio eam vendidiſti, ad nihil teneris; bene verò, ſi non eodem, ſed maiori pretio vendidiſti eam, nam tunc ad pretii accepti exceſſum reſtituere teneris, & compellendus eris; ſed hoc dummodo exceſſu illud induſtriæ tuæ fructus non eſſet, eo quòd fortè rem alio tranſtuliſti, ubi plus valebat. Communis

Tertiò equum ab amico donatione, bona fide, judicans eſſe ſuum, recepiſti, qui verè tamen alienus erat, talis equus caſu, latave tua culpâ periit, dum adhuc bona fides erat, ad nihil teneris, quia non factus es ditior, nec nunc plus habes, quàm antea habebas; ſed quid, ſi adhuc vivit equus? Eum domino ſuo reddere teneris, quia res, ubi eſt, ſui domini eſt. Quid verò, ſi eum vendidiſti? Tunc, ut nuper dictum eſt, omne id, in quo factus fueris ditior, reddere teneris, eo quòd in tali incremento res in virtute manet.

Quarto Petrus tibi alienum bovem, vitulam, gallinas, palumbas vel non paucas donavit, ut die, quo Matrimonium contrahebas, (conſimile vel aliud exercebas) cum aliis amicis conſumeres, id quod ita laute non feciſſes, ſi tale quid tibi donatum non eſſet; conſumptæ ſunt res eæ omnes, in prandioque cum amicis, &c. diſtributæ, ad nihil teneris, quia non redditus es locupletior ex eo, nam, ut ſupponitur, ſi tales res non haberes, non ita lautum prandium fuiſſet, neque in aliquo tuis pepercíſti rebus.

Quintò ad cœnam leguminum (quæ furata erant, id, quod ignorabas) bona fide invitatus fuiſti, ratione quorum ſplendidam cœnam ſervaſti, quam domi tuæ cœnaturus eras, non teneris ad totum valorem tuæ ſplendidæ cœnæ, quam ſervaſti, ſed duntaxat ad valorem eorum leguminum, quæ comediſti, ſive cœnaſti. Quòd, ſi res è contrà contingat, ſcilicet quòd ſplendidam cœnam alienam bona fide apud alium comediſti, & ob eam cauſam legumina tua ſervaſti, ad nihil amplius ultra valorem eorum teneris, quia ſolùm teneris ad ſumptus, quos domi tuæ facturus eſſes, ſi talia alienare uſus non fuiſſes.

Sextò idem dicendum, ſi bonis tuis parcens, rem alienam quamcunque bona fide diſtraxiſti, putà ſi ſericam furtivam veſtem bona fide conſumpſiſti, & ob eam cauſam viliorem tuam ſervaſti, ſi alieno equo iter egiſti, omittendo expenſas, quas in conducendo alio eras poſiturus, (non autem, ſi pedeſter eras iter acturus) in his omnibus (ſexcentiſque millibus aliis) debes actuarium dòmino reddere, ſeu id, in quo locupletior es factus, quia ex bonis tuis non eſt tale incrementum, & plus habes, quàm habere debueras: illud ergo undecunque veniat, reddendum tantùm, expenſis deductis, eſt dòmino.

30 Sed quid fiet, ſi rem bona fide poſſidens dubitet an ditior ſit factus? Communior, & verior ſententia dicit, & docet in tali caſu poſſeſſorem bonæ fidei non eſſe judicandum ditiorem factum, quia in æquali dubio melior eſt poſſidentis conditio, unde nihil reſtituere tenetur;

tenetur; & ut talis obligatio detur, probanda est in utroque foro. *Salmant. sup. P.* 3. §. 1. *num.* 42. *in fine.*

31 Rogabis, & hunc casum ponis; Petrus puta bona, vel mala fide à latrone emit, vel aliter res alienas recepit, (& idem de latrone apud se rem alienam tenente) poterit necne rem alienam sine consensu dòmini sibi retinere, & aliud æquivalens pro tali re restituere? Et loquimur in casu, quo res à parte rei sit existens, nam si jam sit consumpta, dubium non est posse valorem, vel aliam æquivalentem præbere, cùm ad impossibile nemo teneatur, & etiam data rationabili causâ non reddendi dòmino eam in sua propria specie, (nè videlicet delictum furis manifestetur, quid vel aliud grave sequatur) tunc nanque satisfacit æquivalens reddendo pretium. Loquendo ergo in sensu dato

32 Sub distinctione responsio datur, & dicitur quòd vel res est usu consumptibilis, aut non, si consumptibilis usu, ut triticum, vinum, oleum, pecunia, vestis, &c. nulli dubium est te satisfacere aliam rem consimilem, ejusdemmet bonitatis, aut valoris reddendo, hoc enim perinde est, ac si eandemmet rem reddidisses. Unde si triticum, oleum, vinum, & hujusmodi alienum habes, satisfacis totidem mensuras ejusdem bonitatis, & valoris reddendo. Est certa, & communis. Legatur *Lugo Disp.* 17. *Sect.* 5. *n.* 102.

33 Si verò res non est consumptibilis usu, adhuc subdistinguitur, vel dòminus rei specialem habet affectum, aut æstimationem circa talem rem, sive non habet; si non habet, & eodem pretio posset aliam æquè bonam invenire, non apparet caput, ex quo Petrus teneatur eandem numero rem suo dòmino restituere, & sic poterit vel eandem rem, aut ejus valorem, vel aliam consimilem, sive aliam dissimilem, dummodo ejusdemmet sit valoris, reddere; cujus ea est ratio: quia in hoc nullum rei dòmino damnum infertur, cùm supponamus dòminum ad talem rem particularem nullum habere affectum, neque ejus specialem æstimationem efficere, & ex alia parte posse rem consimilem aliam, dato pretio, comparare.

34 Si tamen peculiarem affectum erga talem rem in individuo habet, abs dubio debet res ipsa tunc, casus, restitui, quin satis sit loco rei pretium, consimilem vel rem aliam dare. (Et hoc maximè, si alia æstimationis ejusdem non appareat.) Ratio datur: quia hoc esset unum pro alio, invito dòmino, reddere, sive restituere; esset etiam dòminum rei constringere, eumque cogere rem suam invitam vendere, & pro alia commutare, quod est manifestè contra textum *in L. Manifesti, Cod. de furt.* Et hinc casum sequentem, consimilesque alios.

35 Resolves, sive bona, aut mala fide (quod quo ad præsens parum, nihil vel refert) alienum equum apud te habes, & conservas, cujus dòminus non vulgarem æstimationem habet; non potes, invito domino, illum, soluto pretio, retinere, quia hoc esset ad illum vendendum dòminum cogere, id quod sine peccato mortali, & contra Justitiam evenire non valet; & hoc id est, quod constat ex *lib.* 3. *Regum cap.* 21. ubi neque impius Achab ausus est vineam Naboth, soluto pretio, eo invito, auferre, vel pro alia commutare: Naboth enim specialem affectum ad vineam suam habebat, quippe paterna hæreditas erat: non ergo quis poterit, soluto pretio, vel rem aliam consimilem dando alienam rem retinere, casu, quo rei dòminus habeat circa talem rem specialem affectum. Sic docent *Soto. lib.* 4 *Q.* 6. *Art* 5. *Lugo Disp.* 17. *Sect.* 5. *num.* 100. cum his, & aliis *Salmant. sup.* §. 2. *num.* 48. sed occasione dictorum

36 Adhuc rogabis an, si bona fide à latrone emisti, vel donatione ab eodem accepisti res usu consumptibiles, sive quæ sunt materia mutui, uti pecunia, oleum, vinum, &c. tenearis ad restitutionem rei, si extet, aut ejus, in quo factus sis ditior? Ad hoc jam constat ex dictis, modòque dicitur quòd vel tales res, antequam à latrone traderentur tibi, fuerunt cum propriis ipsius latronis bonis permistæ, (& idem est, si postquam tibi traditæ sunt, eas tuis bona fide permicuisti) aut non; si hoc secundum, dicitur te tales res ad restituendum teneri. Ratio est: nam dum res permistæ sunt, non fur, nec tu earum dòminus est, sed sub ejus dominio sunt, à quo fuerunt ablatæ, ut de se patet; ei ergo restituendæ necessariò erunt. Ita constat *ex L. Rogasti* 11. *ad fin. L. Nam, & si fur, ff. eod. tit. L. Si alieni domini, ff. de solut. L. Idem Pomponius, ff. de revendicat.* & aliis; docet communis, & cum multis *Dicastill. lib.* 2. *Tract.* 2. *Disp.* 5. *n.* 183.

37 Si verò illud primum, tunc nulla restitutionis obligatio adest. Ratio datur: quia dominium rerum usu consumptibilium, uti pecuniarum, vini, & hujusmodi, permistione cum similibus aliis amittitur, dum res una ab alia discerni non valet; cùm igitur fur per talem permistionem cum rebus suis earum rerum dòminus fiat, (& idem, si tu eas cum tuis permiscuisti) in accipientem transfert earum dominium, (& hoc sive bona, vel mala fide accipiat) consequenterque hic accipiens, utpote alienam rem non possidens, non tenetur restituere. Et quod per talem permistionem prior dòminus, à quo res fuerunt ablatæ, eorum

rum dominium amittat, probatur ex textu in *L. Si alieni nummi, ff. de ſolution. & L. Idem Pomponius, ff. de revendicat.* Legantur Dicaſtill. ubi ſup. Sanch. lib. 2. Moral. cap. 23. num. 34. Lugo Diſp. 17. Sect. 1. num. 10. ac Salmant. ſup. legendi à n. 44. ad 47. Et hinc

38 Reſolvitur primò. Alienum equum bona fide tuum eſſe putans, vendidiſti, pecunias pro eo accepiſti, eas cum aliis tuis ejuſdem ſpeciei permiſcuiſti; tales pecunias tuas feciſti, & ſic ad nullam reſtitutionem teneris in ſenſu infra num. 41. dando; ſi verò antequam eas cum tuis permiſcuiſſes, alienum eſſe equum certò ſciviſti, teneris equi dòmino pecunias conferre, ſi prius cum fure contractum non reſcindas, de quo infra, quia, ſicut equus eſt dòmini, ſic & etiam ejus pretium, quandiu in ſe extat.

39 Secundò equum tuum bona fide pro furtivis pecuniis vendidiſti, quas non dum pecuniis tuis permiſcuiſti; ſcis certò eas alienas eſſe, & furtivas, illas vero ſuo domino teneris reſtituere non minus, ac ſi alienum equum pecuniis tuis bona fide emiſſes, qui adhuc extaret, tenebaris illum dòmino reſtituere, quia earum pecuniarum dominium adhuc perſeverat apud dòminum, à quo ſunt ablatæ furto; ſi verò antequam ſciret tales pecunias eſſe furtivas, cum pecuniis tuis permiſcuiſſes illas ita, ut diſcerni nequirent, ad reſtituendum non teneris, non quidem ratione rei acceptæ, cùm alienam rem non habeas, quippe jam per admiſtionem illam earum dominium acquiſiviſti, non ratione injuſtæ acceptionis, cùm bona fide pecunias tales accepiſſes, bonaque fide etiam cum tuis permiſcuiſſes illas.

40 Tertiò Petrus ludendo fraudulenter pecunias lucratus eſt, pecuniiſque ſuis eas permiſcuerat, ſive permiſcuit, ex quibus partem amico dedit, qui fraudis conſcius erat, non tamen ad fraudem cooperatus eſt; non tenetur amicus tales reſtituere pecunias, quia, cùm per commiſtionem illam factus fuiſſet latro dominus pecuniarum illarum, non de alieno, ſed ſolùm de ſuo donationem fecit, atque in donatarium verum dominium tranſtulit non minus, quàm ſi de rebus aliis non furtivis idemmet latro pecunias donaſſet. Et idem in omnibus aliis caſibus conſimilibus, pro quibus, & pro dictis legantur citati, & inſuper *Vaſques Opuſcul. de Reſtit. cap. 6. §. 2. Dub. ult. Navar de Reſt. lib. 3 cap. 4 num. 216. & lib. 4. cap. 1. num. 7. Sayrus in Clavi Regia, Tract. 2. cap. 3. num. 13. lib. 10. Layman in Theolog. Mor. lib. 3. Sect. 5. Tract. 4. cap. 17. §. 23. ac Diana* (apud quem plures alii) *Coordinat. tom. 6. Tract. 3. Reſol. 133. & 134. pag. mihi* 189.

41 Sed adverte, & attentè nota quòd quando dicitur quòd latro pecunias putà furtivas cum ſuis commiſcuit, per quod pecuniarum furatarum factus eſt dominus, nihil ex pecuniis talibus reſtituere dòmino tenetur, cùm non jam ſint alienæ, ſed ſuæ, non eſt intelligendum ita, ut dòmino, cui furtum fecit, nihil reſtituere teneatur; tenetur equidem & ſatisfacere dòmino totum damnum illatum vel ex pecuniis illis, ſive ex aliis, aut aliis rebus, quia iniquè in furando egit, & quia apud ſe plus habet, quàm habere debebat.

42 Deinde circa poſſeſſorem bonæ fidei nota quòd ille, qui bona fide à latrone pecunias donatas accepit, quæ furreptæ fuerunt ab ipſo latrone, ſed jam cum ſuis propriis permiſcuerat illas, nihil reſtituere tenetur, & ſi inde factus ſit ditior, quia apud ſe res nullas furtivas habet, neque ex furtivis rebus factus eſt ditior, ſed ex rebus, quæ per miſtionem illam factæ jam propriæ erant ipſius latronis; quare, ſicut ſi latro ex rebus aliis ſuis propriis, quæ cum furtivis permiſtæ non eſſent, donationem talem feciſſet, nihil donatarius reſtituere tenebatur alicui, ita pariter in præſenti caſu, unde in caſu tota reſtituendi obligatio remanet apud ipſum latronem; & circa hoc à Diana cit. Reſol. 134. in fine; in ſimili dicitur: *Notentur hæc à Confeſſariis, quia multos ſcrupulos ſedabunt.* ¶ Non tamen ſic, ſi pecunias accepit à fure antequam fur ſuis permiſcuiſſet illas; nam tunc ab eo tales pecunias recipiens ex alienis, vel furatis rebus factus eſt ditior, ſicque proinde reſtituere debet omne id, ex quo inde factus eſt locupletior.

SUBLECTIO I.

Res de bona fidei poſſeſſore proſequitur, pro eoque quæruntur plura.

ROgabis primò utrùm qui alienam rem bona fide emit, ſi poſtea certò cognoverit alienam eſſe, teneatur eam ſuo vero dòmino reddere, an verò poſſit cum ipſo latrone contractum reſcindere, eamque tradere furi, traditum pro ea pretium recuperando à fure? Ante deciſionem

43 Supponitur primò quòd, ſi res donata fuerit à fure, in ſuaque propria ſpecie extet, tenetur juxta omnes eam reddere dòmino, & nullo modo latroni, tenetur enim eam vero dòmino tradere, qualis non eſt fur. ¶ Secundò ſupponitur quòd, ſi talis poſſeſſor ſine gravi ſui incommodo pretium ſuum à fure recuperare valet ſive per Judicem, aut per juſtam recompenſationem, ſive aliter, tenetur rem ſuo dòmino tradere, non autem furi ¶ Et idem dicendum erit, quando non ſperat pretium

suum recuperare, etiam si furi rem tradat. ¶ Et idem in casu, quo, si ei rem non tradat, aliquod grave malum non sperat, nec timet à fure. ¶ Supponitur tertiò bonæ fidei possessorem minimè posse à vero illius rei dòmino pretium, quod pro illa furi dedit, exigere, ut eam sibi tradat, ex eo quòd nullum jus in dòminum rei habet, solùmque illud habet in venditorem furem. ¶ Quartò supponitur posse rescindere contractum, si facile fuerit rem suam dòminum recuperare à fure, & etiam quando sit certum ipsum furem rem suam dòmino esse restituturum. Hæc omnia communia. Difficultas autem est in casu, quo bonæ fidei possessor prudenter judicet, certoque cognoscat, vel sciat furem nullatenus dòmino rem esse restituturum, an nimirum, tunc casus, possit rescindere contractum cum fure?

44 Resolvitur, & dicitur (quidquid alii in contrarium probabiliter teneant) talem bonæ fidei possessorem id tuta conscientiâ facere posse. Ita docent Dicastill. plusquam viginti AA. pro hac parte adducens Tract. de Restit. Disp. 5. Dub. 4. à Spiritu Sancto Tract. 10. Disp. 9. Sect. 4 num. 182. Salmant. cum AA. quindecim de Restitut. cap. 1. P. 3. num. 83. Diana ubi sup. Resol. 132. sex supra decem AA, adducens, & Resol. 135. §. *Respondeo clarum*, dicitque quòd est communis opinio Doctorum, à fortiorique tenere debent DD. omnes, (suntque plures) qui apud ipsum ibid. & Resol. 136. idmetipsum asserunt de emptore, sive possessore malæ fidei: si nanque iste cum latrone tutò potest contractũ rescindere, eique ab eo rem emptam tradere, non autem vero dòmino, ut suum pretium recuperet, multò meliùs bonæ fidei possessor, ut ex ipsis terminis liquet.

45 Hancque sententiam *Lessius lib. 2. cap. 14. Dub. 3.* in hunc modum probat, & bene: quia iste contractus est ex natura sua irritus, vel irritandus ad arbitrium emptoris decepti per errorem dantem causam contractui, eo quòd, si talis emptor rem furatam esse sciviſſet, nullatenus eam emisset; quapropter rei dòminus nullo modo ægrè ferre rationabiliter potest, si emptor, nè suum pretium amittat, rem in eo priori statu, quo erat, quando eam emit, constituat, sicut, si quis rem inventam in platea sibi assumeret, & postea dòmino ejus cognito, damnum aliquod sibi eventurum esse timeret, si eam dòmino traderet, optimè posset eandem rem in eodem loco, in quo eam invenit, iterum reponere, ut sic se indemnem servaret, quin per hoc ullam rei dòmino irrogasset injuriam, & quin dòminus ex hoc de eo justè, rationabiliterque conqueri posset, ita similiter, & eodem modo in casu nostro.

46 Probant alii ita, quia in pari innocentiæ casu potiùs tenetur sibi consulere emptor, quàm dòmino rei: nam, sicut rei dòminus jus ad rem suam habet, ita emptor ad suum pretium, & ambo innocentes fuerunt: emptor ergo pretium suum recuperare potest à fure cum eo rescindendo contractum, quanvis à fure rei dòminus eam recuperare non valeat, sicut nanque emptor nullam rei dòmino injuriam intulit suam rem à latrone emendo, quia hoc bona fide fecit, ita nullam ei injuriam irrogat, iterum in manibus latronis eam reponendo, quia id facit, ut suum recuperet pretium, & nè tantum damnum patiatur, illud amittendo. Unde hinc

47 Resolvitur primò. Accepisti bona fide rem à fure, mercede promissa, alibi transportandam, & alteri tradendam, in via autem, & antequam tradidisses eam, illam furtivam esse cognovisti; potes in hoc casu talem rem tradere illi, cui tradendam accepisti, nè tuam mercedem amittas, vel stipendium transportationis illius, non enim ut alteri, sive rei domino consulas, detrimentum tantum teneris subire. *A Spiritu Sancto Tract. 10. Disp. 9. Sect 4. n. 386. & alii.*

48 Secundò vides bovem Proximi tui apud furem, ab ejus potestate illum aufers, tecumque ducis, ut suo dòmino reddas; cognoscis postea cornupetam, malignumque eum esse, & quòd forsan te, aut bovem tuum, tui vel aliud animal occidat, illum relinquere potes, ut ad furis domum, potestatem, vel alibi iterum redeat, ut sic damnum, quod prudenter times, evitare queas. ¶ Similiter si librum Petri, vel aliquid aliud à fure auferas, ut eum Petro suo dòmino reddas, & ex hoc fur à te alium, vel aliud auferat, nec tibi, nisi reddito illo, quem abstulisti, id quod tuum est, & à te abstulit, reddere velit, potes Petri librum relinquere, ut tuum recipias.

49 Tertiò si tu Petrum à te ex incendio extractum manibus adhuc suspensum teneas, & alius te comburat, vel occidat, nisi Petrum iterum cadere in incendium relinquas, potes eum relinquere certo eum in incendium recasurum, quia hoc nullo modo est eum in incendium projicere, sed tantùm aperire manus, permissivèque te habere, extractionem illius ab incendio non continuando, & cum tanto detrimento, damno vel tuo non teneris eum ab incendio liberare. ¶ Idem dicitur de eo, qui bona fide rem furtivam apud se in depositũ recipit, si postea sciat rem esse furtivam, & si eam suo domino tradat, & non furi, exinde ei grave damnum, detrimentum ve sequatur, licitè, & sine restitutionis onere poterit eam tradere furi, & non domino, non enim cum tanto dispendio pro aliena re prospicere tenetur.

tur. Et ſic in ſimilibus aliis.

50 Secundò rogabis quid fiet caſu, quo quis ſciat rem alienam eſſe, eamque ſibi retinendam à latrone emit? Jam circa hoc tactum eſt *ſup. num.* 44. modò ſatis eſt dicere eſſe ſententiam pro utraque parte probabilem, quarum probabilior dicit non poſſe talem contractum cum fure reſcindere, remque furi tradere, ut ſuum pretium recuperet, ſed teneri eam ſuo dòmino tradere, & ſi exinde pretium ſuum amittat. Legantur *Salmant. cit. P.* 3. §. 6. *num.* 87. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 14. *Dub.* 3. *num.* 13. ubi ſententiam contrariam probabilem dicens, juxta eam ait tutò poſſe Confeſſarium in tali caſu talem emptorem abſolvere, rem nolentem tradere dòmino, ſed ſolùm furi, reſcindendo cum eo contractum, ut ſic ſuum pretium recuperet. Legatur *Diana ſup. Reſol.* 135. & 136.

51 Dictum eſt, *eamque ſibi retinendam à latrone emit*: nam, ſi non ſibi retinendam, ſed ut eam ſuo vero comparenti dòmino tradat, tunc in omni ſententia non peccat, ſed utiliter negotium dòmini gerit, & ipſe, comparente dòmino, ei eam tradere debet, dominuſque debet ei pretium, quod ipſe pro ea tradidit, reddere, & hoc in utroque foro, id quod intelligitur, ſi à fure res eſt parvo pretio empta, nanque ſi magno, vel æquali pretio à manibus furis rem liberavit, tunc non tenetur dòminus totum reddere pretium, ſed aliquid prudentum arbitrio; aliàs rem ſuam dòminus teneretur emere, id quod non dicendum; niſi fortè qui rem emit eo fine, à fure certò ſciret talem rem gratiſſimam dòmino eſſe, multùm ab eo æſtimari, ſibi vel eſſe valde neceſſariam, in hoc enim caſu totum à dòmino pretium exigere valet; quia ejus negotium prudenter, & utiliter geſſit; ſi autem dòminus non compareat, tum poteſt rem tertio vendere, & pretium, quod pro ea dedit, ſibi retinere, & ſi aliquid ſupereſt, erogare pauperibus. Hæc communia ſunt. Legantur *Salmant. ſup. num.* 86. *ſimul Trullench. in Decal. cap.* 11. *Dub.* 3. *num.* 4. *Lugo de Juſt. & Jure, Diſp.* 17. *Sect.* 1. *n.* 3.

52 Rogabis tertiò quid in caſu, quo quis bona fide rem poſſidens, maiori pretio vendidit rem eam, tenebitur nec nè illud maius pretium dòmino reddere, aut ſatis ſit ei juſtam rei tradere æſtimationem? Tres ſunt ſententiæ, quarum prima affirmat, ſecunda negat.

53 Tertia autem, & probabilior ſub diſtinctione procedit, & dicit quòd aut illud maius pretium provenit ab ipſa re, immutata manente, tam ſecundùm ſubſtantiam, quàm ſecundùm tempus, & locum, eo quod neque in ſe ipſa meliorata eſt, nec alio tranſportata, neque in aliud tempus reſervata, ut maiori pretio vendatur; aut provenit non ex ipſa re, ſed ex eo quòd in ſe induſtriâ emptoris melio-rata eſt, vel in alium locum fuit aſportata, ubi pluris valeret. Si primum, communiter dicitur tunc teneri incrementum rei domino reddere. Ratio exhibetur: nam tale incrementum eſt fructus rei, & non induſtria emptoris; unde ſicut emptor rem ipſam reſtituere tenetur, ejus vel pretium, ſi extarent, ita & incrementum, quia in tali incremento res ipſa æquivalenter remanet. Secus autem dicitur, ſi ſecundum contingat. Legatur *Lugo ſup. num.* 19. *Layman in Theolog. Moral. lib.* 3. *Sect.* 5. *Tract.* 4. *cap.* 17. §. 3. *num* 25 *Molina de Juſt. tom.* 3. *Tract.* 3. *Diſp.* 721. *num.* 10. *Diana ſup. Reſol.* 131. ibi ex Molina notans quod, ſi fur rem furtivam vendidit, & eam iterum juſtè minori pretio redimit, illum exceſſum pretii non tenetur reſtituere domino, ſed ſolùm rem ſuam non deterioratam ſimul cum fructibus ab ea perceptis, circa quod legatur etiam Lugo ubi ſup. §. *Dices*. Et hinc

54 Reſolvitur primò rem alienam, putà equum decem emiſti, quem poſtea induſtriâ, & operâ tua meliorem reddidiſti, & ob hanc cauſam cum pluris vendidiſti, tale illud incrementum non teneris domino reddere, eo quòd induſtriæ fructus. ¶ Secundò idem ob eandem rationem, ſi talem equum à fure pro decem in loco, ubi non pluris valebat, emiſti, poſtea autem eum alium ad locum, ubi pluris æſtimabatur, tranſtuliſti, vel eum in tempus reſervaſti, ubi, & quando pluris æſtimabatur, tuncque eum vendidiſti, non debes plus, quàm decem domino reddere. Eſt enim incrementum illud induſtriæ fructus.

55 Tertiò ſi tibi equus liber, vel alienus daretur, tu autem bona fide eum ſummo pretio vendas, non teneris vero domino ſummum illud reſtituere pretium, ſed tantùm pretium medium. Ratio datur: nam pretium ſummum eſt fructus induſtriæ, non autem pretium medium, ſed eſt quaſi fructus naturalis ipſius rei, res enim ſecum ipſa trahit quaſi naturaliter illud pretium medium. Legatur *Lugo ſup. n.* 22.

56 Quartò furatus es pecunias à Petro, & illis magnam pecuniarum ſummam lucratus es, totum illud incrementum tuum eſt, non verò Petri, quia induſtriæ fructus. ¶ Quintò idem de uſurario, qui re furto ablata, ac per uſuram acquiſita negotiatur, idemque de depoſitario, qui tritico, vino, oleo, aut pecuniis apud ſe depoſitis negotium gerit, quibus unus, & alter magnam ſummam lucrantur, totum lucrum ad ipſos ſpectat. Legatur *Molina de Reſtit. Tract.* 2. *Diſp.* 720. *num.* 2. ¶ Idemque dicitur de omnibus rebus, quæ ſunt materia mutui. Legatur *Diana ſup. Reſol.* 144. & 145.

57 Sextò Mercator in manu, vel officina

sua alienam rem habet, eam maiori, & justo pretio vendidit, quam ipse rei dominus per se, aut per tertiam aliam personam venderet illam; tale incrementum non domini, sed ipsius est Mercatoris, quia fructus ejus industriæ, plus nanque in manu Mercatoris res valet, quàm in domini, vel alterius manu, juxta *Rebel. lib. 2. Q. 9. num. 5.* ¶ Similiter, si quis furatum triticum in farinam, vel panem convertit, plusque rem vendidit, totum incrementum ejus est, non verò domini, quia incrementum illud ex industria venit.

58 Septimò (è contrà) furtivum equum putà dono accepisti, cum postea alteri pretio locasti, & tandem scis equum alienum esse, tunc, casus, non solùm equum, sed etiam pensiones extantes, non dumque consumptas equi domino restituere debes, etiam si dominus nunquam talem equum locaturus esset, quia res, reique fructus quandiu extant, non bonæ fidei possessori, sed rei domino debentur, licèt bonæ fidei possessor, si fructus, bona fide stante, consumpserit, nihil debeat, nisi fortè sit ditior factus. Legatur *Azorius 3. P. lib 4. cap. 3.*

59 Octavò triticum à latrone emisti quando communiter viliori vendebatur pretio, postea in pretio cum tempore crevit, idem in eodemmet loco vendidisti aut medio, vel pretio summo, & hoc absque ulla industria, & opera tua; talis excessus ex ipso tritico provenit, totusque proinde ejus domino conferri debet, quin pretii aliquid apud te reservare possis.

60 Nonò equum, vel bovem furtivum emisti, qui tempore maior effectus est corpore, communi vel prato pinguior est redditus, hacque de causa multo maiori vendidisti pretio; tunc tale incrementum ex ipso equo, vel bove provenit, consequenterque totum pretium ipsius reddendum est domino, vel alium equum, aut bovem æquè bonum emere fortè minori pretio, illumque domino reddere, id quod si fiat, tunc incrementum illud justè retinere poteris, quia reddendo equum æquè bonum reddes totum, quod debes. Legatur *Lugo sup. num. 23.*

SUBLECTIO II.

Eadem materia prosequitur.

61 QUartò rogabis quid fiet casu, quo quis furtivam rem emit à fure, & eandem postea eadem bona fide vendidit alteri, si postea furtivam rem esse cognoverit, non nè tenebitur iste contractum rescindere, ei, cui rem vendidit, pretium reddendo rei, vel pretium rei domino reddere tenebitur casu, quo ea res ipsa non restituatur?

Tres in hac re sententiæ extant *apud Salmant. ubi sup. & ibi legend. à num. 86. ad 89.* quarum prima dicit nullam tunc rescindendi contractum obligationem adesse, neque respectu domini, nec respectu emptoris obligationem aliquam esse. ¶ Secunda dicit omne illud pretium domino rei restituendum esse, estò non ditior evaserit possessor. ¶ Tertia denique dicit non domino, sed bonæ fidei emptori tale pretium restituendum fore, quando ex tali re apud se habita aliquod passurus est damnum, veluti si res evincatur à domino, ab eo vel exigatur, aut timeatur probabiliter exigenda. Secus autem, si contrarium contingat, hancque cum aliis sequuntur, & probant *Salmant. sup. legend. à num. 88. ad 90.* ibi resolventes quod, si quis sive mala, vel bona fide monetam falsam per onerosum contractum alteri tradidit, tenetur postea damnum illi ex eo illatum resarcire; apud quos contrarium tenet *Diana* loquendo de eo, qui falsam monetam bona fide tradidit. Legatur *Diana sup. Resol. 129. & 130.*

62 Rogabis quintò quid quando putà Petrus bona fide rem emit à fure, & postea eadem bona fide vendidit Paulo; qui deinde etiam bona fide Francisco vendidit eam; nunquid in hoc casu indemnem servare Franciscum in conscientia tenebitur? Respondet *Azorius 3 P. lib. 4. cap. 3.* quòd Petrus tenetur Paulo, proximo emptori, Paulus autem Francisco; unde Petrus cum Paulo venditionem rescindere debet, quam si Paulus non dirimat, nihil Francisco Petrus debet, quia cum eo nullum inivit contractum: si autem Franciscus recuperet pretium, reddita re, quam emit, tunc Petrus debet Paulum indemnem servare, quandocunque res apud ipsum extat. Legatur Auctor.

63 Sextò rogabis quid casu, quo Franciscus rem illam, de qua modò, vero suo restituat domino, & hoc non admonendo Paulum, suum bonæ fidei venditorem, tenebitur nec nè Paulus illi, nempe Francisco, pretium restituere? Ad hoc cum Lessio respondet *Dicastill. de Restit. Tract. 2. Disp. 5. Dub 8. num. 168.* quòd aut Paulus ab illa restitutione à Francisco domino facta damnum, detrimentum vel aliquod patitur, putà quia à Petro suo anteriori venditore pretium recuperare non valet, quod utique recuperaret, si esset admonitus, & res domino restitueretur, aut Paulus nullum detrimentum, damnumve patitur ex eo, quòd non sit admonitus, priusquam domino rei vero res à Francisco restituatur: si primum, dicitur non teneri Paulum Franciscum emptorem suum indemnem servare, illi scilicet tum restituendo pretium, nanque ut justè pretium petat, tenebatur rem venditori suo reddere, ut sic iste à suo anteriori venditore pretium exige-

re,

re, recuperareque poſſet. Si verò ſecundum contingat, hoc eſt, non fuit cauſa ipſius damni, quia adhuc Paulus à ſuo anteriore venditore pretium non recuperaret, dicitur quòd tunc Paulus Franciſco pretium reſtituere tenetur; id omne, quod bene apud eundem Authorem probatur, & ideo legendus.

64 Rogabis ſeptimò an qui rem alienam bona fide emit, & eadem bona fide durante, pretio juſto vendidit eam, & poſtea eandem minori, vel infimo pretio redimit, teneatur non ſolùm ipſammet rem domino reddere, ſed etiam pretii illum exceſſum, quo prius vendiderat illam? Reſpondetur negativè, nam optimè ſatisfacit rem ipſam non deterioratam reddendo, quippe per hoc ſervatur dominus rei indemnis, & etiam, quia incrementum illud eſt fructus induſtriæ. Legatur *Dicaſtill. de Reſtit. lib. 2. Tract. 1. Diſp. 10. Dub. 8. num. 171. Molina hic 1. P tom. 3. Diſp. 721. n. 10.*

65 Præcedens tamen doctrina non eſt univerſalis, non enim tenet in hæreditate, fideicommiſſo univerſali, & dote, nanque qui bona fide, aut mala hæreditatem ad alterum ſpectantem acceptavit, & ex ea aliquid vendidit, quo non parum lucratur, tale lucrum, aut pretium acceptum illi reſtituere tenetur, ad quem ipſa hæreditas, &c. pertinet, id quod ita contingit, quia ſic reperitur in Lege diſpoſitum. *L. Si rem, & pretium, ff de petitione hæreditatis.* Legatur Molina Diſp. 327. & Sanch. in Oper. Moral. lib. 2. cap. 23. n. 25.

66 Octavò rogabis an, ſi quis rem furtivam bona fide poſſeſſam alteri donet, aliàs nihil donaturus, ſi talem rem non haberet, & poſtea donatarius, ut donatori ſuo gratus appareat, ei ex gratitudine antidorali retribuat aliquid, dicatur in hoc locupletior factus, proindeque domino id ſit reſtituendum?

Reſpondetur quod, ſi ad poſitivum Jus attendatur, ſermoque ſit in caſu, & materia poſſeſſionis rei hæreditariæ, verum eſſe dicitur reſtituendum eſſe vero domino, quia in eo cenſetur ditior factus, id quod expreſsè habetur *in L. Sed, & ſi Lege* 28. §. *Conſuluit, ff. de petit. hæredit.* hoc tamen extendendum non eſt ad alios caſus, & extrahendum extra materiam hæreditatis, de qua præfatus textus expreſsè alloquitur, etiam ſi in aliis eademmet reperiatur ratio, nanque ſi res eſt mere à poſitivo Jure dependens, non licet ab uno caſu in alium Legis deciſionem transferre.

Si autem ad Jus poſitivum non attendatur, neque ſermo ſit in materia rei hæreditariæ, vel ſermo ſit in locis, ubi tale poſitivum Jus non viget, (uti eſt apud Hiſpanos) tunc, caſus, dicitur quòd totum illud, quod donatori tribuit donatarius, fructus eſt induſtriæ ſuæ, ac per conſequens domino reſtituendum non eſſe. Sic *Dicaſtill. ubi ſup. qui legendus.*

67 Rogabis nono an bonæ fidei poſſeſſor ad reſtitutionem obligatus maneat, ſi culpâ ſua, eadem bona fide durante, rem alienam deſtruxit, putà projecit eam in mare, vel ignem? Reſpondetur negativè. Ratio eſt: quia nulla culpa, quantumcunque gravis, ad reſtitutionem obligat, niſi ſit contra commutativam Juſtitiam, contra quam non peccat ille, qui prodigus eſt, remque, quam invincibiliter eſſe ſuam putat, deſtruit, per prodigalitatem nanque ſolùm ſibi, non verò alteri damnum formaliter infert, vel intulit. Deinde quia nec ratione rei acceptæ, neque ratione acceptionis injuſtæ, nec aliunde tenetur: ergo, &c. Et

Ex eodemmet fundamento reſolvitur eum, vel eos, qui bona fide, aut, quod idem eſt, per ignorantiam invincibilem lites materialiter tantùm injuſtas moverunt, vel contractus uſurarios, alios vel à parte rei irritos, & injuſtos, aut bellum materialiter injuſtum geſſerunt, quantumcunque deprædando aliis damnum intulerint, etiam ex mala voluntate, & ex odio, ad reſtitutionem damnorum, rerumque conſumptarum non teneri, niſi tantùm ad id, in quo facti fuerint fortè diviteſ, poſt bonam fidem ſublatam. Legatur *Rebell. de Reſtit. lib. 2. Q. 4. num. 13. & 14.* ¶ Idem dicitur in omnibus præfatis caſibus, ſi dubium ſit ſpeculativum in tales res excitandas, ſecus autem, ſi fuerit practicum circa injuſtitiam talium rerum, quippe tunc, belli injuſtitiâ cognita, ſtat obligatio damna hoſtibus illata reſarciendi. Legatur *Bonac. de Reſtit. in gener. Q. 2. P. 1. num. 18.*

68 Decimò rogabis an qui bona fide uſurarium, vel aliàs iniquum contractum celebravit, qui tamen, re cognita, juſtum alium, & lucrativum celebrare poterat, poſſit juſtè, veritate comperta, totum illud ſibi retinere, quod juſto alio contractu lucraturus foret? Sunt qui affirmant, ſed contrarium omnino tenendum erit (niſi contrahentes expreſsè in eo conveniant.) Legantur *Salmant. Tract. 14. de Contract. cap. 3. P. 5. per totum.*

LECTIO IV.

Qualiter poſſeſſor dubiæ fidei ad reſtitutionem rei alienæ teneatur?

69 IN hac re ſupponitur primò quòd dum quis dubium habet an rem, quam ab altero emit, ipſius ſit vendentis, vel aliena, cum tali dubio minimè rem emere poteſt animo ſibi retinendi eam; (cujus contrarium ſæpe numero Mercatores faciunt, qui non paucas

res

res emunt ab illis, de quibus dubitant alienas, vel suas res esse) unde communiter dicitur mortaliter peccare omnes illos, qui cum tali dubio res aliquas, ut sibi retinendas, emunt, titulo vel alio eas accipiunt, quia periculo se exponunt alienam rem, invito rationabiliter domino, possidendi.

70 Secundò supponitur in prædicto casu accipientem rem cum tali dubio omnem debitam diligentiam adhibere teneri, ut veritatem assequatur, an res sit, vel non aliena, & veritate detecta, certòque cognito alienam esse, integram rem vero suo domino reddere teneri, quanvis eam, dato pretio, comparaverit, quin à dòmino pretium pro ea à se datum exigere, & accipere queat, juxta ea, quæ jam sunt suprà jacta.

71 Supponitur tertiò quòd, si, *sufficienti* diligentiâ facta, adhuc dubium perseverat, nonque detegitur veritas, tunc tenebitur emens restituere eam, non quidem totam, sed partem pro ratione dubii dividendo eam cum altero, vel cum omnibus illis, de quibus dubitat an ad ipsos res talis pertineat; si verò non dubitatur de particulari aliquo, sed hæsitatur in genere nunquid sit aliena, & omnino ignoratur ad quem pertineat, dividenda cum pauperibus erit pro qualitate dubii: non enim emptori tali sua possessio favere quit, cùm ab initio dubitans, sicque proinde cum mala fide rem accepisset, ideoque totam sibi rem retinere non valet; cùm tamen, dato pretio, recepisset eam, cum aliis, de quibus dubitat, (pro quantitate, seu qualitate dubii plus, minusve cuilibet dando) eam dividere valet, & debet. ¶ Si tamen post diligentiam factam dubium omnino cesset, tunc ratione possessionis eam sibi retinere potest, & speculativo non obstante dubio, practicè non dubitare, quia in pari causa melior est possidentis conditio; quapropter, nisi incipiat moraliter certus esse rem esse alienam, illa se non tenetur privare. Quæ omnia cum multis tenet *N. á Spiritu Sancto Tract.* 10 *Disp.* 9. *Sect.* 6. *cum aliis Salmant. sup. Tract.* 13 *cap.* 1. *P.* 3. §. 3. *num.* 62. tenent & quamplures alii *apud Dicastill. Tract.* 2. *Disp* 5. *Dub* 6. *n.* 130. *legatur Diana cit. Tract.* 3. *Resol* 127.

72 Quartò supponitur (& est id, quod jam constat ex dictis) quòd, si ille, qui hæsitat rem alienam esse, eam emat, vel recipiat non animo sibi retinendi, sed animo dominum inquirendi, & rem ei reddendi, si compareat, non peccat, sed negotium dòmini rei prudenter gerit; unde hic ad nullam restitutionem tenetur, si talis res sine sua culpa pereat, cùm nullo modo malæ fidei sit possessor. Legatur *Diana sup. Resol.* 126.

73 Sed in prædicto casu est advertendum quòd, si talis res fructifera esset, & ipse non adhibuit aliquam curam, vel diligentiam ad hoc ut fructificaret, tenebitur ad restituendos fructus illos, qui saltem exiguo labore, vel industriâ parva assequi potuissent, & ex negligentia crassa assequuti non fuerunt, quia in hoc casu non domini negotium utiliter, sed multùm negligenter peregit, meritoque dòminus rei de eo conqueri poterit ex eo, quòd rem suam, aliàs fructiferam, tandiu otiosam habuerit. Si iste enim rem in domini utilitatem servaret, aliquam utique diligentiam (licèt non multùm exquisitam) adhiberet, ut talis res non otiosa esset, sed suo dòmino fructificaret. Enim verò quam excusationem habebit, si domum locari solitam clausam, vacuamque per aliquos habuerit annos, si agrum fœcundum, vineam vel bonam, hortum, &c. colere noluerit, nec agricolis, qui colerent, locare? Non igitur in hoc dòmini utilitati consuluit, ad quod videtur esse obligatum ex eo, quòd rem in dòmini utilitatem accepit, videtur ergo fructus illos non perceptos pro negligentiæ quantitate restituere teneri. Legatur *Lugo cit. Disp.* 17. *Sect.* 4. *num.* 82.

74 Supponitur quintò quòd ille, qui ab initio rem bona fide possidebat, decursu tamen temporis ingeritur dubium, eamque jam sub dubio possidet, an sit, vel non sit aliena, tenetur adhibere diligentiam veritatem inquirendi; qua posita, si adhuc dubium perseverat, rem totam tuta conscientiâ sibi retinere potest, *cùm in dubio melior sit possidentis conditio*, quod Proverbium optimè hîc verificatur. Et ita cum multis *Trulhench. lib.* 7. *cap.* 11. *Dub.* 4 *num.* 2. *Salmant. sup. num.* 64. *multique alii apud Dicastill. de Restit. Disp.* 5. *Dub.* 10. *num.* 195. *legatur Diana sup. Resol.* 128. ¶ Utrùm autem, si talis iste negligentiâ occupatus ad investigandam veritatem nullam diligentiam apponat, adhuc rem totam sibi retinere possit? Variant DD. sed negativa sententia probabilior evadit. Legantur Salmant. sup. num. 64. à vers. *Sed quid, si negligat.*

75 Sextò supponitur quòd in casu nuper appositio, durante veritatis investigatione, tunc nefas erit uti re, quæ usu consumitur; frustraneè enim rei dominus inquireretur, si, investigatione durante, rem illam consumeret possessor; rebus tamen illis, quæ ipso usu non consumuntur, uti sunt equi, boves, mancipia, &c. uti fas, vel licitum erit, si rebus illis utens paratus sit pretium talis usûs vero dòmino reddere, demptis curæ, & alimentorum expensis. ¶ Si post tamen sufficientem inquisitionem veritatis possessor adhuc dubius maneat, rem distrahere, & vendere licitè poterit, quam si vendiderit, emptori necessario advertere debet

tale

tale dubium circa rem eam esse, scilicet an res sit sua, an verò aliena, nè fortè, si dominus postea compareat, aliquod emptori damnum sequatur, & etiam quia ratione talis dubii talis res minus valet; id quod si omittat, & non faciat, totum inde damnum emptori sequutum resarcire tenebitur, stante morali spe quòd dominus comparebit; secus, si spes talis non adsit. Communis, & cum multis docent *Salmant. sup. num.* 65. Legatur *Trulbench. in Decal. lib.* 7. *cap.* 11. *Dub.* 4. *per totum*. Unde ex doctrina hactenus tradita cum *à Spiritu Sancto ubi sup.* & aliis sequentes, & consimiles casus.

76 Resolves primò. Petrus dono, titulo vel oneroso rem accepit ab eo, qui bona fide eam possidere cœperat, ei vel titulo hæreditatis successit, in acceptione tamen dubitavit ipse Petrus an ad illum, à quo illam accepit, talis res pertineret, vel non, & quia accepit eam dubitando, diligentiam fecit ad veritatem detegendam; interim, dum talis diligentia fit, tuta conscientiâ eam integram retinere potest; & etiam non tenetur restituere eam, si, diligentiâ facta, adhuc dubium manet, & perseverat, quia antecessoris sui bonæ fidei possessio ei suffragatur. Ita cum multis *à Spiritu Sancto sup. Tract.* 10. *Disp.* 9 *Sect.* 6. *n.* 496. id, quod infra iterum *ibid num.* 88.

77 Secundò Petrus in prædicto casu talem rem vendidit Paulo, & illum de tali dubio non monuit, si postea Paulus aliquod patiatur inde detrimentum, vel damnum, ad illud resarciendum tenebitur Petrus, quia eum non admonendo vitiosam rem vendidit, & cum periculo, ut comparente domino, damnum pateretur emptor.

78 Tertiò debitam Petrus diligentiam fecit antequam rem distraxisset, & cùm rei dominus nullatenus apparuisset, vendidit rem, posteaque apparuit dominus; non tenetur restituere pretium rei nec ratione injustæ actionis, neque ratione rei acceptæ, nisi fortè factus inde sit locupletior. Cum multis aliis *Trulbench. sup. dicto Dub.* 4. *num.* 1. ibi dicens quòd, si postea dominus compareat, solùm ad instar bonæ fidei possessoris restituere tenetur. ¶ Utrùm autem ille, qui bona fide rem alienam emens, si postea eadem bona fide eandem eodem pretio vendat, quo emerat, pretium vero domino comparenti restituere teneatur, probabiliter pro utraque parte docetur *apud cit. Dianam sup. Resol.* 130. *ubi legendum.*

79 Quartò fecit diligentiam Petrus, & invenit opinionem verè probabilem dari rem esse Pauli, adhuc ei eam restituere non tenetur, quia non solùm requiritur opinio probabilis, quando ex parte Petri datur cum bona fide possessio, sed etiam aliquid amplius; unde quanvis opiniones probabiles dentur, quòd res sit Petri, vel Pauli, non potest Paulus Petrum à possessione sua repellere, neque pro illa occultè compensari. Cum aliis ubi sup. à Spiritu Sancto, id quod verum, etiam si Petrus magis se inclinet in eo, quòd res magis, quàm sua, sit Pauli.

80 Quintò mortuus est Petrus, cujus morte res sua vacavit; dubitatur inter multos ad quem eorum res talis pertineat? Tunc, casus, nullus ex illis rem talem sibi occupare valet, sed omnes Judicis sententiæ stare tenentur, & si aliquis contrarium faciat, remque sibi apprehendat, erit abs dubio malæ fidei possessor; si tamen examine à Judice facto adhuc supererit dubium, res utique dividenda erit; cum aliis sup. à Spiritu Sancto.

81 Sextò Petrus emit à Paulo rem aliquam, putà gallinam, suem, columbam, &c. de qua dubitavit an esset furtiva, & veritatis inquisitio impossibilis erat, quippe res in Civitate vendebatur, putà hîc Ulyssipone, neque in ea facile invenire erat, cujus sus, gallina, columba vel esset; tunc tuta conscientiâ res talis emi valebit, inquisitione nulla facta, & sufficit Petrum esse paratum rem restituere domino, si fortè compareat. Et resolutione hujus casus sequentem.

82 Septimò resolves. In hoc nostro felicissimo Lusitaniæ Regno mancipia (*negros de Angola, Cabo verde, Guinè*) de Mercatorum manibus, in hunc Regnum asportantium ea, qui dicunt, & asserunt eos servos suos esse, utpote à veris dominis comparatos, emisti, dubitas tamen an hoc verum sit, tuta conscientiâ nigros eos emere potes. Ratio ostenditur: nam, licèt generaliter loquendo prævaleat fama tales miseros homines servos non esse, consequenterque talem mercaturam injustissimam esse, cùm tamen hujus rei facilis non sit indagatio, neque de injustitia vendentium illos certificari possimus, bene præsumere possumus venditores tales veros esse eorum dominos, consequenterque eos tuta conscientiâ emere; accedit quòd juxta opinionem Scoti apud omnes DD. valde receptam *in* 4. *Dist.* 57. *Q. unica, Art.* 5. ille, qui bona fide duxit uxorem, dubitavitque postea an validum extitisset tale matrimonium, scrupulis & agitatus negotium hoc ad examen reduxit, si veritatem detegere nequit, licitè, tutaque conscientiâ potest non solùm reddere, sed etiam petere debitum; ita pariformiter in casu, de quo modò, estò non omnino sit idem cum antecedenti. Legantur Emmanuel Rodrig. tom. 2. cap. 76. concluf. & num. 6. Veyga 2. P. cap. 48 casu unico, & etiam 1. P. cap. 102. Rebel. 1. P. Q. 10. Sect. 1. & 2. Sotus lib. 4 de Just. & Jure, Q. 2. Art. 2. P. 266. Mercado

cado de Contract. cap. 20. *del contrato de los Negros de Cabo verde.* Molina Diſp. 35. Conclu. 4. ac Laurent. Lopes Inſtrum. Negotiator lib. 1. cap. 5. P. 11. ad 14. qui de tali nigrorum mercatura loquuntur.

SUBLECTIO.

De re præſenti quæruntur aliqua.

83 QUæritur primò an in caſu *ſup. num.* 74. appoſito teneatur ille, de quo ibi, animum habere, ſi dominus compareat, reſtituendi illi totum pretium, ipſoque comparente, illud ipſi reddere? Reſpondetur negativè, quia iſte poſſeſſor eſt bonæ fidei, bonaque fide rem diſtraxit, atque vendidit, conſequenter ſolùm tenetur ad id, ad quod bonæ fidei poſſeſſor tenetur; & iſte ſolùm tenetur ad reſtituendam rem, ſi in ſe extat, ſin minus, id, in quo factus fuerit ditior. Cum aliis *Salmant. ſup. n.* 66.

84 Secundò quæritur an, ſi poſt diligentiam factam bonæ fidei poſſeſſor dubius maneat nunquid ſua res ſit, vel aliena, magiſque in eam partem propendeat, quæ dicit rem alienam eſſe, eo quòd ad hoc fortiores rationes habet, tunc, caſus, ratione illîus maioris propenſionis reſtituere teneatur, reque tali ſe privare, reddere vel id, in quo ſit factus ditior, ſi in ſe res non extet? Reſpondetur negativè. Ratio eſt: quia, licèt pro altero rem non poſſidente fortiores appareant, & dentur rationes, ac conjecturæ, ſi tamen hæ non ſunt ita efficaces, ut aſſenſum illîus partis generare poſſint, rem ſub dubio relinquunt, non eſt ratio cur potiùs illi, quàm iſti res tribuatur, quia adhuc res dubia manet, & res dubia partem æquè utrinque reſpicit; ſi igitur rei in dubio exiſtenti accedat certa poſſeſſio, poſſidentis ipſîus potior cauſa erit. ¶ Eò vel maximè, quia in foro externo, ſi eæ conjecturæ, & rationes non plenè probaverint, ad nullam reſtitutionem obligatur poſſeſſor: ergo neque in foro interno obligatus manet: non enim utrumque forum inter ſe differunt, niſi quando exterius forum præſumptione nititur falſa. Ita cum multis *Dicaſtill. Tract. 2. Diſp. 5. Dub. 10. n. 199.*

85 Imò addimus cum *Salas 12. Q. 21. Tract. 8. Diſp. unica, Sect. 23. num. 231.* quòd hæc doctrina verum habere videtur, non ſolùm quando rationes pro contraria parte aſſenſionem non generant, ſed etiam quando aſſenſum pariunt, dummodo non convincant, nec aſſenſio ſit moraliter, aut phyſicè certa, ſed tantùm mere opinativa: quia adhuc in hoc caſu res eſt dubia, & poſſeſſio, quibuſcunque rationibus non convincentibus, præponderat, ſemperque in dubiis melior eſt poſſidentis conditio. Contrariam ſententiam ſatis eſſe probabilem docent *Salmant. num. 67. Legatur Lugo Diſp. 18. Sect. 4. n. 93.*

86 Quæritur tertiò an qui de re apud Petrum bonæ fidei poſſeſſorem exiſtente dubitat, vel opinatur eſſe ſuam, eam à Petro auferre valeat, eaque ablata, ſibi retinere? Negativè ad utrumque reſpondetur. Ratio datur: quia, cùm melior ſemper ſit poſſidentis conditio, cum nemo à poſſeſſione ſua expoliare valet, niſi certus ſit quòd res ſua eſt, nonque poſſidentis, & ſic communis, & vera ſententia eſt, quòd in compenſatione juſta facienda omnimoda certitudo requiritur; & ideo communiter DD. reſolvunt quòd qui opinatur matrimonium à ſe factum invalidum eſſe, alteri conſorti bona fide debitum petenti reddere tenetur, nè illum jure ſuo privet: pari ergo ratione qui dubitat, vel opinatur rem alterius bona fide eſſe ſuam, eam ab eo auferre non valet, nè alterum jure ſuo privet, & ſi auferat, tenetur eam ei iterum reddere, per quod illud, quod antecedente num. dedimus ex Salas, maius robur accipit, ſententiamque hanc cum multis aliis docet *Trullench. lib. 7. cap. 11. Dub. 4. n. 6.* legenduſque eſt *Dicaſtill. cit. Dub. 10. à n. 220.*

87 Quartò quæritur an, ſi quis certus ſit ſe Petri alicujus ſummæ debitorem eſſe, poſtea tamen dubitat an debitum contractum (ex quocunque titulo veniat) ſic ſolutum, ſummam illam Petro teneatur ſolvere? Affirmativè reſolvitur, quia in caſu poſito jus, & cauſa utriûſque partis non eſt æqualis, eo quòd creditor ex parte ſua certum jus debiti contra debitorem habeat, nonque ſolutionis jus certum contra creditorem debitor habeat, & debitum certum minimè ſolutione dubia, & incerta ſolvi videtur. Ita cum *Suar. Dicaſtill. ſup. n. 202.* cum aliis, *ubi ſup. Trullench.* qui ibi cum aliis doctrinam iſtam limitat primò dicendo hoc ita eſſe, niſi etiam creditor dubius ſit an debitum jam ſit ſolutum, quia in tali caſu (ait) nulla eſt ad reſtitutionem obligatio, nanque tunc melior eſt conditio poſſidentis debitoris. ¶ Secundò limitat, & dicit quòd in caſu poſito non ad ſolutionem integram tenetur debitor, ſed tantùm ad partem juxta dubii qualitatem, eo quòd in æquali dubio nulla eſt maior ratio, ut poſſeſſio magis faveat creditori dubitanti ſibi eſſe ſatisfactum, quàm debitori dubitanti ſe ſatisfeciſſe, ſententiamque hanc, ſive doctrinam præter allegatos cum aliis docet etiam *Lugo Diſp. 18 Sect. 1. num. 6. 8. & 9.* legatur omnino *Diana ſup. Tract. 3. Reſol. 138. aa 140.*

88 Quæritur quintò an ille, qui bona fide rem emit, dono vel accepit ab eo, qui etiam bona fide illam poſſidebat, vel ſi titulo hæreditario

tario in illa bona fide succeſſit ei, qui pariter bona fide eam poſſidebat, poſtea, adveniente dubio, illam reſtituere teneatur? Ad hoc dicitur quòd iſte talis, & ſi dubitando rem accepiſſet, moralem diligentiam adhibere debet ad veritatem aſſequendam, & interim, dum ſibi de veritate non conſtat, integram rem tutò ſibi retinere valet. Ratio exhibetur: nam iſte ſucceſſit in jure illius, qui talem rem bona fide poſſidebat, hæcque in eo continuatur; ſed ſi ille, qui bona fide illam poſſidebat, (& cui iſte ſucceſſit) poſt poſſeſſionem inceptam dubium haberet, nihil reſtituere teneretur, ut ex dictis conſtat, in dubio nanque melior eſt conditio illius, qui bona fide poſſidere cœperat: neque ergo illius ſucceſſor ad aliquam reſtitutionem tenetur, & ſi cum dubio talem rem à poſſeſſore bonæ fidei ſuſcepit. Neque hic dicendus eſt malæ, ſed potiùs bonæ fidei poſſeſſor, quia ſicut ſi tale dubium poſt poſſeſſionem inceptam ei adveniret, malæ fidei poſſeſſor dicendus non erat; ita pariter neque modò, idque ſolum propter bonam fidem poſſeſſoris anterioris, cui ipſe ſucceſſit, cujus & poſſeſſionem continuavit. Cum *Molina Vaſques, ac Sanch. Dicaſtill. ſup. num.* 206 quibus adde *Lugonem ſup. num.* 83. ibi notans quòd hoc in eo locum non habet, qui non ſolùm dubia, ſed mala fide ſciens rem alienam eſſe, eam à bonæ fidei poſſeſſore accepit, quia iſte bona fide ſui anteceſſoris juvari nequit, cùm certò ſciat rem alienam eſſe, & eſſe alium, qui maius jus ad rem habet, quàm haberet ille, à quo ipſe illam accepit, & habuit, id quod verum, nobiſque indubitabile.

89 Sextò quæritur an commodatarius, vel depoſitarius dubitans num ſua culpâ res depoſita, aut commodata perierit, ad aliquid reſtituendum teneatur? Negativè reſolvitur. Ratio eſt: quia in dubio nullatenus delictum præſumere debemus, uti colligitur *ex L. Meritò* 51. *pro ſocio*, ſed in caſu noſtro eſt dubium an ſit delictum, quia dubitatur nunquid talis res culpâ perierit, cùm igitur commodatarius, & depoſitarius in poſſeſſione ſuæ innocentiæ extent, eos à poſſeſſione ſua nullatenus debemus expellere, eiſque in dubio delictum tribuere, conſequenterque nullus eorum in tali dubio ad reſtitutionem tenetur, & ita cum multis *Lugo Diſp.* 18. *Sect.* 1. *num* 14. qui limitat, niſi pro altera parte conjecturæ, vel indicia eſſent, quæ delicti præſumptionem merito generare poſſent; nos verò limitationem hanc non admittimus, cujus ratio jam ex dictis conſtat.

90 Admittimus tamen primò id, quod *Lugo addit ibid. num.* 15. ſcilicet quòd data doctrina verum habet etiam reſpectu conductoris rei alienæ, qui quidem etiam ſi dubitet an culpâ ſua res conducta perierit, ad reſtituendum aliquid non eſt obligatus, quia minus beneficium accipit ex conductione conductor, quàm commodatarius ex re commodata, & tamen hic in caſu nihil reſtituere tenetur: ergo idem de conductore dicendum. ¶ Secundo quòd verum etiam illud habet, non ſolùm in contractibus, ſed etiam in omni debito ex officio, vel ex injuſta acceptione, ſive læſione, in quibus omnibus, ſi dubitatur an præceſſerit culpa ſufficiens ad obligationem reſtituendi imponendam, reſolvendum eſt obligationem talem non dari. ¶ Tertiò quòd quando quis dubitat an bona, vel mala, aut dubia fide rem poſſidere cœperit, adhuc etiam hoc caſu nulla reſtitutionis obligatio adeſt, eo quòd delicta non ſunt præſumenda. Hæc omnia habes apud Lugonem. ¶ Addimus & nos idem etiam verificari poſſe de conſultore dubitante circa damnum alteri ſequutum, cui conſilium dedit, ſive dubitet an tale conſilium dederit, nunquid ex conſilio à ſe dato tale damnum fuerit ſequutum; ſive dubitet an conſilium ex inculpata ignorantia datum fuerit, (quidquid Leſſius in contrarium diſtinguendo aſſerat *lib.* 2. *cap.* 27. *Dub.* 3. *num.* 13.) quia in omnibus his caſibus eadem militat ratio, ut rem bene calenti patebit.

LECTIO V.

De poſſeſſore malæ fidei.

91 MAlæ fidei poſſeſſorem eum eſſe dicimus, qui alterius rem culpabiliter, & invito dòmino apud ſe habet, eamque reſtituere non curat; uti ſunt latro, uſurarius, & hujuſmodi, de quibus aſſerimus ad reſtitutionem in utroque foro teneri rei, ſi extet, & ſi jam non extet, id totum, quod res ipſa valebat; & hoc ſive ſua culpâ, vel caſu fortuito pereat, quia obligatio hæc oritur & ex re aliena, ac ex injuſta actione, & læſione. Et hoc commune, tritumque paſſim eſt apud AA.

92 Deinde tenetur ad omnia damna emergentia, & lucra ceſſantia, & hoc, ſive lucrum ſit intrinſecum, aut ſit extrinſecum, ut putà agnum, puerumve ſervum, qui in poſterum plus erat valiturus, à Petro abſtuliſti, teneris abs dubio non ſolum agnum, vel puerum ſervum reſtituere, ſed etiam illud plus, quod poſtea valituri erant, id quod eſt intrinſecum lucrum. ¶ Et ſi idem ſervus operibus ſuis poſtea dòmino ſuo lucraturus aliquid erat, (id quod eſt extrinſecum lucrum) hoc etiam reſtituere teneris. ¶ Similiter ſi ab eo equum, vel bovem, &c. quem ipſe conducere ſolebat, &c. abſtuliſti, hacque de cauſa dominus illum non conduxit,

duxit, aliud vel ex eo lucrum amiſit, totum illud lucrum ceſſans reſtituere teneris. ¶ Et etiam ſi pecunias, quibus Mercator lucrari ſolebat, furripuiſti, tam pecunias, quàm lucrum, ſecundùm quod lucrari Mercator ſolebat, prudenterque ſperabat acquirere, ei dare teneris, quia in omnibus his per tuam actionem iniquam damnificaſti illum.

93 Idmetipſum ſimiliter dicitur de damno emergente, non tantùm intrinſecum, ſed etiam extrinſecum; intrinſecum, uti ſi alienum veſtitum attriviſti, & ob hoc æſtimationis jam tantæ, ac valoris non erat, aut ſi alienum bovem ita in terram ſcindendo fatigaſti, ut labore tanto non parum de viribus, aut pinguedine amiſit, cujus causâ valebat minus; tunc totam æſtimationem illam, valoremque illum totum teneris dòmino reddere, quem haberet, ſi ejus veſtitum non attriviſſes, aut ejus equum, vel bovem non ita defatigaſſes; extrinſecum autem, uti ſi auferendo equum, vel bovem à Petro, ipſe aut ad iter agendum, ſive ad arandum equum, vel bovem conduceret alium, aut ſi quia veſtitum Petri abſtuliſti, vel attriviſti, eaque de cauſa opus fuit Petro aliàs emere carius, non ſolùm ad reddendum dòmino equum, bovem, & veſtem teneris, ſed etiam pretium illud totum, quod ipſe dedit, quippe omnium horum damnorum per acceptionem contra commutativam Juſtitiam cauſa fuiſti. Communis, & cum multis *Rebet. de Reſtit. lib. 2. Q. 5. num. 1. & 2* Sed ecce hinc jam inſurgit ſcrupulus, &

94 Rogabis primò an iniquus poſſeſſor alienæ rei teneatur ad reſtitutionem, quando talis res apud dóminum certò peritura erat, de hocque certò conſtat? Pro hac re communiter ut quid certum ſupponitur primò quòd, ſi dubium eſt an eodem modo apud dóminum peritura erat, reſtitutionis obligatio datur. ¶ Secundo idem, ſi certò conſtatet injuſtè apud dominum eſſe perituram, putà ſi tu illam furatus non fuiſſes, fur alius veniret, & illam auferret. ¶ Tertiò idem, quando res apud ipſum malæ fidei poſſeſſorem fortuito caſu periit, quæ non ſic apud dóminum erat peritura, malæ fidei nanque poſſeſſor de fortuito caſu tenetur & etiam. ¶ Quartò ſecus, ſi res apud dóminum juſta hoſtium incurſione peritura erat, & eodem modo apud malæ fidei poſſeſſorem periit, tunc enim dicitur reſtitutionis obligationem non adeſſe. Cum multis *Dicaſtill. lib. 2. Tract. 11. Diſp. 1. Dub 4. num. 50. Leſſius lib. 2. cap. 12. Dub 15. Salmant. ſup. num. 50.* qui omnes legendi. Quibus ita ſuppoſitis, nunc ad ſcrupulum, ſive rogatum

95 Dicitur malæ fidei poſſeſſorem ad nullam reſtitutionè teneri, ſi res certò apud dóminum eodem modo, & tempore peritura erat; ſecus, ſi apud dictum poſſeſſorem diverſo modo, diverſoque tempore periit, ac apud dóminum peritura erat. Duplicem partem continet aſſertum, cujus prima ita

Probatur primò: quia, ſi res certò erat apud dóminum eodem modo, & eodem tempore peritura; ex eo, quòd apud te pereat eodem tempore, & modo, nihil novi illi detrimenti ſequitur, pro illa ergo nihil ei reſtituendum erit; probatur conſequentia: quia Juſtitiæ ordo ſolùm exigit nè per tuam actionem alteri damnum inferas, *non tamen quòd illius* res in meliorem ſtatum conſtituas, aut quòd ex tua actione commodum aliquod ipſe reportet: ſed, ſi res eodem modo, & tempore, quo apud te periit, apud dóminum peritura erat, in nihilo eum damnificas, & ſi tu ad reſtitutionem eſſes obligatus, jam ille commodum reportaret, & rem apud ſe certò perituram ad meliorem ſtatum reduceret. Pro illa ergo ad nullam reſtitutionem obligatus manes.

Confirmatur primò, quia tu per tuam injuſtam actionem non es cauſa damni quo ad rei peremptionem, cùm ad hanc non cooperatus eſſes, ſupponitur nanque quòd res fortuito caſu periit, neque etiam ratione injuſtæ acceptionis, cùm ſimiliter res apud ejus dóminum interitura eſſet, eſtò à te non fuiſſet accepta, & quod ex tua injuſta actione ſequitur, ſolùm eſt quòd res apud te pereat, quæ apud dóminum perimenda foret; quapropter, ſicut in communi ſententia non tenetur occiſor ad reſtituendas hæredi expenſas factas in funere, quæ, morte naturali ſequuta, aliàs ſemper faciendæ erant, pari ratione nec tu ad ullam reſtitutionem teneris ex eo, quòd res caſu apud te perimat eodem modo, ac tempore, quo apud dóminum perimenda erat. ¶ Secundò confirmatur, quia injuſta actio reſtituendi obligationem non inducit, niſi quatenus alteri damnum efficaciter infert, ſed in caſu actio tua alteri efficaciter damnum non intulit eo quòd res ſimili modo apud dóminum ipſum peritura erat: ergo, &c.

Deinde ſecundò probatur aſſertum *ex L. Siplures 14. §. Sive autem, & clarius ex L. fin. §. de Lege Rhodia*, ubi ſic legitur: *Si ea conditione navem conduxiſti, ut ea merces tua deportarentur, eaſque merces navis nulla neceſſitate coactus, cùm id ſciret te fieri nolle, tranſtulit in navem deteriorem, & merces cum ea navi perierunt, habes ex conducto locato cum priori nauta actionem. Imò contra, inquit Paulus, ſi modò ea navigatione utraque navis perit*, quo nihil pro re clarius. Ecce caſus aſſertionis noſtræ aſſignatus in Lege, ubi vides quòd, ſi merces, quia in deteriorem navem translatæ perierunt, quod ita non eſſet, ſi in

melio-

meliorem navem permansissent, datur obligatio restitutionis; hæc tamen obligatio minimè datur, si utraque navis eodem tempore, eodemque naufragio periissent. *Imò contra, si modò eadem navigatione utraque navis periit*; ex quo constat quòd non solùm in interiori, sed etiam in exteriori foro nostra conclusio, & assertio verificatur, & est certa.

96 Secunda autem assertionis pars breviter probatur, quia res ubicunque est, sui dómini est, ad ejusque fortunam pertinet, quód perempta non sit, sed permaneat, minime veró ad fortunam latronis, vel malæ fidei possessoris, cùm ipse ex sua injusta actione commodum reportare non valeat: ergo, &c. ¶ Item quando periculum transiit, si res extat, rursus res quasi valere incipit non furi, vel malæ fidei possessori, sed dómino. ¶ Item quia talis malæ fidei possessor in mora fuit tradendi eam dómino; quód si apud dominum esset, non eodemmet periisset tempore, & modo; sed ei, qui est in mora, & injustè detinet rem, fortuitus etiam imputatur casus: ergo, &c. Utramque assertionis partem docent cum multis Salmant. sup. legendi num. 50. ad 53. cum multis aliis Dicastill. lib. 2. Tract. 2. Disp. 1. Dub. 4. & circa rem istam legendus est Diana Coordinat. tom. 8. Tract. 7. Resol. 11. §. *Nec refert*, & Resol. 12. per totam.

97 Sed excipitur casus, in quo injustus detentor jam moram purgasset, hoc est, rem illam dómino obtulisset, ipseque eam acceptare noluisset, sed custodiendam illi eam reliquisset; in isto enim casu dicitur jam tunc ad nullam restitutionem teneri ex casu fortuito, quia amplius in mora non esset, sed si forsan tenebitur, erit solùm ex culpa, juxta regulas depositarii, de quo alibi. Ex data doctrina plures practicos casus deduximus alibi, deducunt & non paucos *Salmant. ubi sup. legendi*

98 Secundó rogabis quid fiet casu, quo res incuriâ, culpâ, & negligentiâ furis, morosi vel debitoris apud ipsum perimat, eodemque tempore, & loco, quo apud ejus dóminum periisset? Probabile est talem furem, morosum vel debitorem ad nullam restitutionem teneri, eo quód res in eo statu considerata dómino nullius est utilitatis, & pretii, nam eodem certo modo peritura est absque ullo dómini commodo: si ergo fur illam etiam perimat, dómino damnum alicujus momenti non censetur inferre. Et ita *Lessius legendus lib. 2. cap. 12. Dub. 15. num.* 93 cum multis *Dicastill. ubi sup. num.* 74. & est legendus *Diana cit. Tract. 7. Resol. 12. án.* 12. Et in hac sententia

99 Resolvitur restituere non teneri eum, qui domum, vel segetes alterius in igne combussit, quas videt certò mox alluvione everten-

das esse. ¶ Idem de eo, qui alterius annonam assumpsit, quæ mox naufragii periculo in mare certò projicienda erat, naufragio etiam cum ipsa navi vel peritura. ¶ Idem de eo, qui equum, vel bovem occidit, à justo hoste obducendum. ¶ Idem de eo, qui hominem occidit, qui paulò pòst certissimè moriturus erat vel morte naturali, aut justa Judicis, sive Magistratûs sententiâ. ¶ Idem de eo, qui alicujus furatus est cibos, & eos comedit; qui mox subsequuto naufragio certò perimendi erant. In his enim, & similibus casibus juxta datam sententiam resolvitur quòd ille, qui rem alterius perimit, consumit, destruit, &c. ad nullam restitutionem manet adstrictus eo quòd non censetur dómino rei notabile damnum inferre, cùm totum damnum, quod ab isto infertur, semper, ut supponitur, certo dómino inferendum erat.

100 Consulto *sup. num.* 95. a nobis dictum est, si res certò apud dóminum eodem modo, & tempore peritura erat, nam, si aliter res contingat, aliàs discurrendum erit, de factoque discurritur apud AA. ut videre est *apud cit. Dianam dicto Tract. 7. Resol. 12. á num.* 9. apud quem variè resolvitur. Sed cum multis apud eundem, & *apud. Less. ubi sup num.* 96 dicitur quòd tunc restitutionis obligatio adest; quia transacto periculo, si res à parte rei existat, dómino rursus incipit valere, ut dictum manet: si ergo fur, vel malæ fidei possessor in restituendi fuit mora, restituere tenebitur domino, & si apud eum pereat, licèt etiam apud dóminum peritura etiam esset, non tamen eodem tempore, & loco. Unde juxta sententiam istam

101 Resolvitur primò quòd, si alienam rem à naufragio liberasti, postea verò voluntariè illam destruxisti, in mare vel demersisti, ad restitutionem teneris, quia dómino jam valere incepit, & si apud eum diverso alio modo, & tempore esset perimenda. ¶ Secundo idem de eo, qui alicujus supellectilem ab igne extraxit, & illam in alium locum, in quo minimè perimisset, portavit, malitiâ tamen sua eam destruxit. ¶ Tertiò idem de eo, qui vestem, equum, &c. ex alterius domo furripuit, quæ domus paulò pòst tota consumpta est igne, ubi etiam vestis, vel equus, si ibi essent, periisset, nisi apud te servatus fuisset, posteaque apud te periit, culpa tuâ, sive casu fuit surreptus. Sic *apud Rebel. lib. 2. de Restit. Q. 8. n. 3. & Less. suprà.*

102 Si res tamen apud furem anticipatè periit, eum aliqui à restitutione excusant, alii eum condemnant, si ipse sponte injustè illam destruxit; unde resolvunt quòd, si alienam rem in navigatione furatus fuisti, quæ certò in naufragio erat peritura, sed tu ante naufragium

eam comediſti, ac deſtruxiſti injuſtè, ad reſtitutionem teneris. Idem, ſi alienum equum, bovem, aliud vel animal peremiſti, quod de manu dòmini capiendum erat craſtina die, ſucceſſu vel alio periturum.

103 Cæterùm ex hactenus traditis nullatenus licet inferre licitum eſſe à divitibus ea auferre, quæ propter abundantiam, aut negligentiam eorum pereunt, vel conſumuntur apud ipſos, aut ipſimet interire ſinunt, quaſi ex hoc nullum eis damnum dari videatur: ſed dicendum in illo caſu injuſtitiam committi, reſtitutionisque obligationem dari: quia quandiu ipſi res has inter ſuas ſervant, eas pro derelictis minimè habent, ſed ab eis, ipſis invitis, nonque conſentientibus, furripiuntur, ſubindeque furtum in eas auferendo certè committitur; id quod bene tenet *Rebel. ſup. n. 2.*

SUBLECTIO.

Proſequitur materia præcedens.

104 ROgabis quartò utrùm iniquus poſſeſſor teneatur rem reſtituere ſecundùm illum valorem, & æſtimationem, quam tempore detentionis apud ſe habuit; id quod alii aliter inquirere ſolent, nimirum, an ſi quis alienam rem mala fide accepit, quæ res tempore creſcens melior, æſtimabiliorque facienda erat, & antequam melior fieret, illam peremit, vendidit, aut diſtraxit, teneatur reſtituere eam ſecundùm æſtimationem illam, & pretium, quod, vel quam habitura poſtmodùm erat, aut ſecundùm pretium illud, quod tempore injuſtæ acceptionis habebat?

Ad hoc ſub diſtinctione ita reſpondetur, aut dòminus rem ſuam in priori illo ſtatu, quo tempore acceptionis injuſtæ habebat, *certò* conſumpturus erat, nonque ſervaturus eam uſque ad tempus illud, quo melior futura eſſet, aut tunc *certò* conſumpturus non erat, ſed ſervaturus uſque ad illud tempus, & ſtatum, quo plus valitura erat; ſi primum, dici ut malæ fidei poſſeſſorem ſolùm ad reſtitutionem illius teneri ſecundùm valorem, quem in illo priori ſtatu habebat: ſi verò ſecundum, ad reſtitutionem teneri, non tantum, quantum res valet, ſive valeret, ſed quanti ejus ſpes æſtimatur (alter diſcurrunt alii *apud Diananm legendum eſt. Tract. 7. Reſ. 9. ad 11.*) *hic cum Vaſquez, Sylveſtr. Layman, Bonac. Palao Salmant. ſup. n. 54. cum Villalob. Diana, & Leſſ. Trullench. tr. 7. cap. 5. n. 5. docent & alii.*

105 Dictum eſt *certò conſumpturus erat, &c.* nam, ſi ignoretur, vel dubium fuerit (uti communiter accidit) quo tempore rei dòminus rem talem venditurus eſſet, tunc, caſus, cum *Diana ubi ſup. Reſol.* 10. ſentimus reſtitutionem faciendam eſſe, non ſecundùm quantitatem pretii maximi, ſed ſecundùm quantitatem pretii medii, quo res valitura erat, ſi ſervaretur fortè à domino; id quod ipſe probat: nam, ſicut dominus rem illam ſuam ſummo, rigoroſo, juſto vel pretio vendere poterat, poterat etiam intimo juſto pretio vendere eam: (res nanque tempore, & etiam concurſu maiori, vel minori mercium creſcunt, & decreſcunt in pretio) optimè ergo debitori, & creditori conſulitur, dum reſtituitur pretium medium, hocque negotium ait ad prudentis viri arbitrium remittendum eſſe, quando omnino incertum fuerit quo pretio illa res ſit vendenda. Unde juxta dicta

106 Reſolves quod, ſi alterius ſegetes, ejus vel vineam devaſtaſti, quæ pro tunc valebant centum, & ſi ſalvæ permanſiſſent, tempore collectionis fructuum mille valerent, uſque ad quod tempus à dòmino ſervandæ erant, & amplius, tunc, ſi *certò* conſtaret dòminum ita res ſuas ſervaturum eſſe ſecundùm æſtimationem ejus ſpei, reſtituere teneris; ſi autem id certum non ſit, ſed dubium, tunc ſecundùm valorem medium, quem fortè haberent; & idem omnino in caſu, quo alterius vitulum furripuiſti, pullum equinum abſtuliſti, eos peremiſti, vel vendidiſti, quod ſi ita non feciſſes, unus, & alter adoleſcerent, unuſque famoſus bos, alter autem ſtrenuus equus effectus fuiſſet, ob quod pluris æſtimarentur, & venderentur. Idem in caſu, quo vini dolium, triticum, aut pecunias alterius furatus fuiſti, totumque illico diſtraxiſti, quæ omnia, ſi extarent, & ſervarentur, certò in pretio accreſcerent, & ſic in caſibus aliis ſimilibus.

107 Quintò rogabis quid caſu, quo à dòmino res, cùm vilior erat, auferrur injuſtè, & apud ipſum latronem creſcat, cum talique incremento extet, tenebitur nec nè latro cum omni illo incremento eam dòmino reddere, licèt ejus dòminus uſque ad tempus illud eam ſervaturus non fuiſſet? Ad hoc jam conſtare poteſt ex dictis *num.* 100. modò autem affirmativè reſolvitur (deductis induſtriâ, & expenſis in ejus melioramento factis.) Ratio datur: nam res quandiu extat, ſub dominio ejus dòmini manet, incrementum ergo illud (induſtriâ, & expenſis deductis) domino rei reſtituendum erit, quin ei fiat ſatis, ſi rei pretium detur ſecundùm valorem, & æſtimationem, quam tempore acceptioni habebat, id quod verum eſſe dicitur, etiam ſi talis res vendenda foret ſecundùm ſtatum vilioremm, aut tempore vilioris pretii, ſi penes ipſum dominum tunc foret, & etiam ſi ſit in mora reſtituendi, & res caſu apud furem pereat: nam, licèt hoc totum contin-

contingat, ſemper tamen verum eſt dominium talis rei apud dòminum perſeverare, conſequenterque ad eum incrementum illud pertinere. Legantur *Salmant. ſup. num. 35. junctis n. 51.* Et hinc

108 Reſolvitur primò quòd, ſi vitulum, aut pullum equinum rapuiſti, illeque apud te crevit, & adolevit, & adhuc apud te cum illo incremento extat, cum tali incremento reſtituendus eſt dòmino, res nanque ſi creſcit, dòmino tuo creſcit, ad illum igitur dicta perfectio pertinet. ¶ Secundò triticum, aut vinum furaſti tempore, quo decem tantùm valebat, nunceque apud te exiſtens viginti, vel amplius valet. Pecuniam ſuſtuliſti ab altero, cùm minus valebat, nunc autem cùm plus valet, eadem apud te reperitur, omnia hæc prout nunc à parte rei extant, dòmino reddere debes, nonque ſatisfacis reddendo rem ſecundùm æſtimationem eam, quam pro tempore acceptionis tantùm habebat.

109 Rogabis ſextò quid in caſu, quo quando rem abſtuliſti, vilior erat, ſi poſtea apud te facta eſt melior, & tandem apud te etiam ad viliorem ſtatum iterum devenit, nunquid in hoc caſu obligatus eris ad reſtituendam rem ſecundùm illum meliorem ſtatum, quem apud te habuit, vel ſolùm ſecundùm pretium inferius, ad quod res tandem devenit, obligatus eris?

Reſpondetur quód, ſi dóminus rei ſervaturus rem erat uſque ad tempus maioris valoris, & tunc eam conſumpturus, vel venditurus erat, & etiam ſi res apud te facta eſt deterior, qualis apud dòminum effecta non eſſet, eo quód antequam deterior fieret, eam venditurus erat, vel melius curaturus de ea, tunc, caſus, talis rei pretium dòmino reſtituendum erit ſecundùm maiorem illum valorem, quem apud ſuum dóminum habitura erat. Et

Probatur: nam latro, vel malæ fidei poſſeſſor obligatus eſt ad reſtituendum rei dómino omnia damna emergentia, & lucra ceſſantia, quæ dóminus incurrit ex furto, ſive ex injuſta actione; ſed in caſu poſito dóminus rei incurrit ex furto aut damna emergentia, ſive lucra ceſſantia: ergo, &c. Minor, in qua ſola eſt difficultas, ita probatur: quia, ſi rei dóminus eam ſervaturus erat uſque ad tempus maioris valoris, tuncque eam venditurus, jam lucraturus erat maiorem illum valorem, à quo conſequendo impeditur per furtum à te factum, tuam vel injuſtam actionem: illi ergo tale lucrum ceſſat, teneris ergo illi reſtituere illud; ſimiliter, ſi apud te talis res deterioretur, tale detrimentum apud dóminum minimè paſſura, jam tunc dóminus ex tua injuſta actione emergens patitur damnum, illud ergo illi teneris reſarcire, nanque ſi tu ad reſtituendum in mora non fuiſſes, utique rei dóminus damnum illud emergens, lucrum vel ceſſans nullatenus eſſet paſſurus; quapropter, quanvis res caſu apud te pereat, aut in valore decreſcat, teneris, quia moroſus detentor, aut malæ fidei poſſeſſor de fortuito caſu tenetur. Et hinc ſequentes, conſimileſque caſus.

110 Reſolves primò. Triticum, aut vinum tertio furatus es, quas res dóminus ſervabat in tempus, quo pluris erant valituræ, ut tunc eas vendendo lucrum aſſequeretur illud, & quia res furatæ ſunt, tale lucrum non eſt aſſequutus; teneris totum illud damnum ei reſarcire. ¶ Secundò in tempus illud res eas ſervabat, ut illis tunc ad ſui ſuſtentationem uteretur, & quia tu ea ei furatus fuiſti, adſtrictus eſt ad alias maiori pretio emendum; & forte coactus eſt res ſuas aliquas alias viliori pretio vendere, ut triticum, vel vinum maiori illo pretio emeret; totum hoc damnum emergens reſtituere ei teneris. ¶ Tertiò tales res apud te deterioratæ ſunt, id, quod eis, ſi apud dóminum eſſent, non eveniret, non ſatisfacis reddendo eaſdemmet res ſic deterioratas dòmino ſuo, ſi non reddis ſimul detrimentum, quod in ſe res patiuntur. ¶ Quarto tales res apud te melioratæ ſunt, dóminus eas erat venditurus, poſtea apud te deterioratæ ſunt; non ſatisfacis eas reddendo, niſi ſimul illud pretii incrementum reddideris, ad quod ipſæ res devenerunt.

111 Attamen, ſi res permanſura erat apud dòminum tempus uſque ad illud, in quo apud furem facta eſt deterior, & eodem modo in poteſtate ipſius dòmini ſi eſſet, facienda erat deterior, vel ſi tempore detrimenti ipſius rei eam vendidiſti, aliter vel diſtraxiſti, id quod etiam apud dòminum erat paſſura tempore, quo vili pretio æſtimabatur, tunc, caſus, dicitur quod juxta viliorem valorem, & non amplius dòmino teneris. Et

Probatur: nam, ſi dòminus rei (ut ſupponitur) tempore maioris pretii venditurus, vel diſtracturus eam non erat, ſed potiùs tempore pretii vilioris, tantùm debetur illi illius temporis pretium, quo rem venditurus erat, ſed venditurus eam erat non tempore maioris, ſed minoris, vel vilioris pretii; hoc ergo tantùm, & non amplius ei reſtitui debet. ¶ Confirmatur primò: nam ſolùm tenetur domino rei de damno illi illato, ſed damnum, quod fur intulit illi, non fuit, niſi in pretio minori, eo quòd dóminus, ſi res apud ſe eſſet, non amplius ex ea lucraturus erat: ergo, &c. ¶ Secundò confirmatur: quia dòminus in caſu poſito non minus habet, quàm ſi res non fuiſſet illi furrepta, quia, ſi furrepta non eſſet, minore illo pretio eam diſtracturus erat: ei ergo latro illud reſtituendo

do pretium satisfacit, & ad nihil amplius tenetur. Unde

112 Resolves. Mensuram tritici, aut vini furatus es, quæ tunc temporis aureos quatuor valebat, ante tamen restitutionem valor excrevit ad sex, postea verò ad minus pretium devenit, vel valor se remisit ad quatuor, & dòminus usque ad tempus hoc servaturus eam erat; quid in hoc casu debetur? Sola ipsa res, vel quatuor aurei, & non amplius, quippe ejus dòminus nihil ex ea habiturus erat. Et ita in casibus similibus omnino discurrendum erit. Doctrina hæc communis est, eamque cum multis tradunt *Salmant. sup. legendis n. 56. & 57.*

113 Rogabis sextò an, si fur, aut malæ fidei possessor rem consumpsit, aut distraxit tempore maioris valoris, vel æstimationis, illam secundùm valorem eum, quem tunc habebat, restituere teneatur, vel (quod idem valet) nunquid, si tempore incrementi illam vendidisti, quam dòminus usque ad illud servaturus non erat, sed in viliori pretio consumpturus, tenearis secundùm illam æstimationem restituere eam? Resolutio est affirmativa (licèt contraria sententia valde sit probabilis, ut videre est *apud Layman lib. 3. Sect. 3. Tract. 2. cap. 4. num. 6. Rebell. lib. 2. Q. 6. num. 5. & apud Salmant. citand.*) Et

Probatur, quia malæ fidei possessor tenetur ad resarciendum omne damnum, quod intulit injustè, sed illa consumptio rei pro tempore eo, quo plus valebat, fuit in toto illo valore injusta, & damnificativa, quia per talem consumptionem extrahitur, vel extracta fuit res à dominio dòmini, sub cujus potestate erat, usque ad tempus illud: malæ fidei ergo possessor damnum illud inferens dòmino rei illud restituere tenetur.

Confirmatur primò, quia talis possessor tempore consumptionis rei ex justitia obligatus est aut valorem, quem pro tunc res talis habebat, aut aliam ejusdem bonitatis rem restituere, id quod si non facit, jam censetur esse in mora, & per hanc injuriam auget juxta regul. *Mora de reg. Jur. in 6.* ergo, &c. ¶ Secundò, quia pretium rei est ipsa res æquivalenter: ergo teneris pro illo statu aut rem, aut pretium ejus dòmino reddere; non rem, quia (ut supponitur) jam consumpsisti eam: ergo ejus pretium. ¶ Tertiò, quia totum illud incrementum, (sive intrinsecum, aut extrinsecum, de quo idem sermo) statusque melior rei ipsi adhæret, ideo enim tale incrementum datur, quia pro illo tempore datur ipsa res; sicut ergo ipsa res est dòmini, ita cum illo incremento, vel illo statu illius est ejus: ergo, si pro illo tunc tempore, vel illo illam absumpsisti, vel distraxisti, teneris pretium ejus secundùm æstimationem optimi statûs, vel secundùm totum incrementum illud dòmino reddere, quia sicut æstimatio rei ad dòminum pertinet, ita etiam talis augmenti æstimatio. *Salmant. cum aliis sup. n. 59. legatur Lugo Disp. 18. Sect. 6. Trullench. lib. 7. cap. 5. Dub. 11.* Unde

114 Resolves. Tritici modium furatus es tempore, quo valebat tres, cujus pretium postea excrevit ad sex, & tunc vendidisti; teneris ad sex. Vitulum, vel pullum equinum surripuisti tempore, quo valebat sex, postea adolevit, crevit, factusque est bos, & equus, ideoque postea viginti valebat, pro quo pretio vendidisti, teneris ad viginti, expensis, & curâ deductis. Equum alienum occidisti tempore, quo aureos ducentos valebat propter bellum instans, qui tamen, finito bello, solùm centum valeret, & ad hoc tempus dòminus eum servaturus erat; non satisfacis, si post bellum finitum centum aureos tantùm domino reddas, sed teneris ad ducentos, quos accepisti. In urbe obsessa caput asini abstulisti, quod propter necessitatem urgentem valebat decem, postea obsidione soluta, minimè satisfacis aliud caput asini dòmino reddendo, quod tempore hoc æstimatur flocci, vel nihil; sed reddere teneris totum eum valorem, scilicet decem, quod asini caput tempore obsidionis valebat, & sic in aliis similibus.

115 Septimò rogabis an qui rem alterius accepit furto, vel aliter ante necessitatem extremam, sed illam in extrema necessitate consumpsit, teneatur postea, dum ad meliorem fortunam devenerit, eam restituere, vel ejus valorem? Est sententia pro utraque parte probabilis *apud Dian. Coordinat. Tract. 7. Resol. 12. & 14.* ubi omnino erit legendus. Utrùm autem idem teneat in necessitate gravi, id est, nulla restitutionis obligatio adsit? Affirmant aliqui apud eundem, sed contrarium tenendum, nam à necessitate extrema ad gravem non bonum argumentum desumitur, ut alibi vidimus.

LECTIO VI.

De fructibus, quos mala, vel bona fidei possessor restituere teneatur ex re aliena perceptis, ac quas expensas deducere possit utrique.

116 QUo ad fructus, ante omnia ex communi DD. placito notandum venit fructus secundùm Juris peritos in triplici differentia esse; alii enim sunt *purè naturales*, alii *purè industriales*, & alii *mixti*; quorum *purè naturales* illi esse dicuntur, qui ipsamet naturâ se sola, nulloque adjuvante nascuntur, uti sunt animalium fœtus, arborum poma, quercuum glandes, herba pratorum, syl-

ſylveſtres arbores, & hujuſmodi, quæ terra ipſa ex ſemetipſa producit.

Purè autem *induſtriales* ſunt illi, qui ipſi rei non reſpondent, ſed negotiationi, & induſtriæ utentis re ipſa, per induſtriam aut comparantur humanam, licèt re ipſa tanquam inſtrumento utatur ad colligendos, comparandos ac fructus ipſos, uti eſt lucrum, quod ex artis uſu, aut negotiatione pecuniæ, aliarum vel rerum tam mobilium, quàm immobilium, vendendo, emendo, transferendo, &c. provenit, ſicut lucrum, quod provenit ex artefacto alieno inſtrumento elaborato.

Miſti denique illi dicuntur, qui partim ex re, partim ex hominum induſtria gignuntur, uti vinearum fructus, ſegetes, pannus, lac, caſeus, fœtus, lana, quæ omnia habentur ex gregibus, hominum labore in illis paſcendis, ac ſuſtentandis adjuncto, & item penſiones ex rebus locatis; item & ſegetes, vel alia, quæ ex ſemine furtivo naſcuntur. Quòd ſi ipſa res magis, quàm induſtria hominum ad ipſos gignendos cooperetur, naturales tunc caſus denominantur.

Quando autem dubium fuerit exortum, ſint nè fructus magis naturales, quàm induſtriales, aut vice verſa, ſi ſit in foro externo, judicandum Judicis arbitrio, & pro eo erit ſtandum, ſi in conſcientiæ foro, prudentis judicio terminandum erit; & hinc fit quòd in externo foro lac, & uvæ collectæ à Bartholo Bald. & aliis induſtriales fructus dicuntur, in conſcientiæ vero foro ab Accurſio, Brugenſi, Pinello, & ab aliis multis, quos ſequitur Menochius, naturales denominantur; quæ ſententia communior eſt, & verior, & in conſcientia tenenda. Hæc communia. Legantur *Salmant. hîc P. 3. num. 68. Dicaſtill. Diſp 2. Dub 5. num. 81. Rebel. lib. 2. Q 4* Quibus ſic agnitis, ecce jam tibi conſurget ſcrupulus, ſicque

117 Rogabis primo circa malæ fidei poſſeſſorem an ſcilicet malæ fidei poſſeſſor teneatur reſtituere fructus ex re aliena perceptos? Dicitur quòd non ſolùm rem alienam, quam injuſtè detinet, reſtituere tenetur, ſed etiam omnes fructus, tam naturales, quàm miſtos, (deductis expenſis modo infra dicendo) & hoc, ſive tales fructus extent, aut non, tenebitur & etiam, quanvis ipſe eos non percipiat, ſi dóminus juſtè, & honeſtè ſingulari diligentiâ ſua eos percepturus erat. Secus, ſi injuſtè, & peccaminosè dòminus illos perciperet, & etiam ſecus, ſi dòminus ex re fructus nullos percepturus erat, nec ipſe malæ fidei poſſeſſor eos percepit, bene tamen, ſi ipſe illos percepit, eſtò dominus eos percepturus non eſſet. Hæc omnia communia ſunt, conſtant ex jam in ſuperioribus poſitis, cum multiſque docent *Salmant. ſup. dicto P. 3. num. 73. ad 75.* ibidem idem dicentes, & bene, de poſſeſſore bonæ fidei, poſtquam cognovit rem alienam eſſe, eſtque reſtitutionis in mora; & item de debitore moroſo, & depoſitario, loquendo de fructibus, quos, poſtquam fuit in mora, percepit, & de fructibus, ac quæſtibus, quibus dominum ob ſuam moram privavit. Unde ex hac doctrina

118 Reſolves primò. Furatus es pecunias à Petro, debitor vel illius exiſtis, & es in mora reſtituendi; (quo pacto es malæ fidei poſſeſſor) Petrus autem Mercator erat, pecuniâque illa negotiabatur. ¶ Secundò acum à ſartore furripuiſti, ſine qua laborare non valet, qua de cauſa multum de lucro perdit. ¶ Tertiò pecuniam ad reſarciendam domum alicujus præparatam ſuſtuliſti, & ob hanc cauſam domus tota corruit; omnia hæc damna domino harum rerum teneris reſtituere. ¶ Quarto furatus es equum, & dòminus ejus non parvas fecit expenſas in illum inquirendum, omnes has expenſas à dòmino factas ei reſtituere teneris. ¶ Quintò, ſi in dicto caſu dóminus aliqua ſummâ alium equum ad equitandum, vel iter agendum conduxit, totam illam ſummam reſtituere teneris. ¶ Sextó torquem aureum à fure mala fide emiſti, læpiùſque eum locaſti, debes reſtituere dómino penſiones ex locatione perceptas, & hoc, quanvis dóminus illum locare non conſueverit. ¶ Septimó idem dicendum de equis, mulis, navibus, &c. ſurreptis, & elocatis, nam etiam in his locationis pretium reſtituere teneris, quia lucrum illud non induſtriæ fructus, ſed pretium locationis, & inſuper fructus rei ſunt, & dicuntur, ſubindeque ejus utilitas dómini eſt. ¶ Octavò qui ſterilem agrum ſibi oppignoratum, quem dóminus colere non curabat, excoluit, & aliquos inde fructus percepit, ad reſtitutionem talium fructuum tenetur (deductis tamen laboris, & induſtriæ ſumptibus.) ¶ Nonò agrum alicujus ſeminaſti, in eo vel arbores inſeruiſti, plantæ, quæ terra coaluerint, frumentaque, quæ ſata ſunt, ſunt dómini agri, ut patet Inſtit. de rer. divi. §. *Si Titius* ibi *plantas, quæ terra coaluerint, & frumenta, quæ ſata ſunt, ſolo cedere.* ¶ Decimó ſimiliter etiam ancillæ fœtus, quippe fructus naturales.

119 Secundó rogabis an malæ fidei poſſeſſor teneatur reſtituere eos fructus, qui ex ipſa re percipi poſſent? Ad hoc jam ex dictis conſtat, & breviter dicitur primò quòd non tenetur, ſi nec ipſe percepit fructus, nec ipſius rei dòminus eos ex ea percepturus erat. ¶ Secundó teneri, ſi dominus eos percepturus erat, & ſi ipſe malæ fidei poſſeſſor non percipiat eos. ¶ Tertiò teneri, ſi ipſe eos percipiat, etiam ſi dòminus illos non percepiſſet. Et hoc, ſive extent,

tent, aut non, sive ditior, vel non ditior fuerit factus. Constat etiam ex doctrina tradita, docet communis, & de quo satis est legere *Salmant. sup. cit. in loco.*

120 Rogabis tertiò utrùm teneatur ad fructus perceptos, apud ipsum fortuito casu peremptos, qui etiam apud dominum, si extarent, re vera perituri erant? Respondetur affirmativè. Ratio est: nam statim ac fur ex aliena re fructus percepit, fuerunt dómino debiti, utpote fructus rei suæ, cùm res dómino suo fructificet; statim ergo eos restituere tenebatur, si igitur retinuit illos, nonque restituit, fuit in restituendi mora: est ergo jam morosus detentor, si ergo apud ipsum casu pereant, domino eorum æstimationem restituere tenebitur, sicut etiam ipsam rem dómino restituere tenetur, vel ejus pretium, si apud eum pereat, estò etiam apud dóminum peritura esset. Legatur Azor 3. P. lib. 4. cap. 4. §. *Secundò quæritur.*

121 Quarto rogabis utrùm ille, qui alienam rem (cujus dominus non comparet) in publico foro emit, possessor sit malæ fidei, illamque restituere teneatur? Ecce casus, qui quotidianus esse potest; quotidie enim accidit quód quis rem aliquam alienam esse cognoscat, nonque venditoris, ignorans tamen cujus sit, & hoc non obstante, justo eam pretio emit, vel ut eam, dómino comparente, pretio sibi dato, restituat, vel aliis capitibus judicans eam emere quid justum esse. Ad hoc dicitur talem non malæ, sed bonæ fidei possessorem esse, consequenterque rem ipsi sibi retinere posse: si dóminus intra tempus à Lege præscriptum non compareat, tunc enim licitè, & tuta conscientiâ usu capit, ac præscribit ita taliter, ut transacto debito tempore, non teneatur in conscientia, dómino comparente, ei restituere eam; id omne, quod constat ex jam sup. datis de Præscriptione. Legatur Azor ubi sup. §. *Undecimò quæritur*, & Hurtad. Resol. Moral. de Possessore malæ fidei Resol. 3.

122 Rogabis quintò an licitè, tutaque conscientiâ emere ea possimus, quæ à Turcis, Mauris, Sarracenis, hæreticis, piratis, vel similibus aliis publicè exponuntur venalia? Id quod in Hollandia, & aliis maritimis partibus multoties contingit; ad hæc enim loca sæpe cum salvo conducto istæ gentes veniunt, quæ res à Christianis sublatas ibi vendendas exponunt, poterunt nè ergo Christiani res istas à gentibus ipsis tuta conscientiâ, sineque restitutionis onere emere, tam quo ad ipsas res, quàm quo ad fructus earum? Resolutio est affirmativa. Communis. Legatur *Hurtad. sup. Resol. 4. ibi Molinam adducens Azor sup. Leffius lib. 2. cap. 21. Disp. 18. n. 137.*

123 Sextò rogabis an malæ fidei possessor (& idem judicium omnino ferendum est de bonæ fidei possessore) teneatur restituere fructus, quos ex sua industria ex re aliena percepit? Resolutio est negativa, constat ex dictis, docet communis, adducens *Div. Thom. 22. Q. 78. Art. 3. legatur Amicus tom. 4. Disp. 35. lib. 4. Sect. 4.* Et hinc

124 Resolves primò. Insignem alieno pinicillo picturam efformasti, non domini pinicilli, sed tua est talis pictura. ¶ Secundò pecuniis alienis, quas vel in depósito, aut furatas habes, negotiasti, multumque eis lucratus es. ¶ Tertiò alienum triticum, vinum, &c. de uno in alium locum, ubi plus valebat, asportasti, & lucrum acquisivisti, nihil ex acquisitis restituere teneris. ¶ Quartò ferram, vel dolabram surripuisti, arcam, imaginem, vel aliquid insigne aliud opus effecisti, tuum est, nonque debes arcam, vel imaginem, aut ejus æstimationem restituere, sed tantùm instrumenta artis, & lucrum, quod probabiliter instrumenti dominus sibi, si tuo usus instrumento fuisset, acquisivisset, & similiter damnum, quod ex instrumenti labore passus est dominus. Quòd si in dicto casu fur surrepta instrumenta locavit, omnes pensiones, quas ex locatione suscepit, instrumenti dómino restituere tenetur, utpote rei, nonque industriæ fructus. ¶ Quintò triticum, vel aliud semen ab altero surreptum in tuo agro, fundo vel seminasti, tales fructus tui sunt, quia fructus agri, & industriæ sunt reputati, non verò seminis, quod destruitur, & perit. ¶ Sextò (& est casus iste frequentior occurrens) depositarius eras, vel famulus alicujus insignis Mercatoris, & pecunias apud te deponentis, vel alterius dómini, quas in tua potestate retinebas; eas, inscio earum dómino, negotiationi subdisti, omne lucrum, quantunvis maximum, ex tali negotiatione ortum tuum effecisti, est enim fructus industriæ tuæ. Teneris tamen de lucro cessante, vel damno emergente, si fortè negotiatione illius pecuniæ causa fuisti quód dóminus illius tale pateretur damnum, lucrum vel cessavit illi ex eo, quód pecuniam suam non habebat in promptu, ut sic negotiaretur illa, vel ad aliquid aliud peragendum. Communis, & cum multis *á Spiritu Sancto Tract. 10. Disp. 9. Sect. 2. n 379. in fine.*

SUBLECTIO I.

De fructibus, quos bonæ fidei possessor tenetur, vel non restituere.

125 ROgabis septimó quos fructus bonæ fidei possessor restituere teneatur? Dicitur eum restituere teneri (expensis, labo-

laboribus, & æſtimatione ſuæ induſtriæ deductis) omnes fructus naturales; ſi adhuc extent, ſi autem jam non extent, omne id, in quo ex eis factus fuerit ditior. Ratio datur: quia res dómino ſuo fructificat, ejus ergo ſunt fructus, cujus eſt res, res eſt domini, ergo & fructus; *quid enim abſurdius*, (ait Rebel. lib 2. Q. 4 n. 10.) *quàm quòd dominium capræ habeam, & non hædi intra viſcera latentis, aut ex ea nati?* Communis, & docet Rebel. cum multis Trulhench. cap. 11. Dub 2. à Spiritu Sancto ſup. Sect. 2. Et hinc reſolves caſus, & alios conſimiles ſup. num. 124. adductos

126 Sed adverte quód hoc intelligi debet in caſu, quo tales fructus bona fide poſſeſſi non fuerint poſſeſſi dicta bona fide toto tempore à Lege præſcripto ad uſucapiendum illos, vel illos præſcribendum; nanque ſi bon fide poſſeſſi fuerint toto tempore à Lege præſcripto ad illos uſucapiendum, tunc, caſus, reſtituendi non ſunt, uſucapio nanque, ſicut præſcriptio legitima dominium transfert, ut eſt quid commune, & conſtat ex dictis Tempus autem ad uſucapionem, ſi titulus adeſt, eſt triennium inter præſentes, & quadriennium inter abſentes, titulo verò non ſtante, anni triginta ad cum bona fide præſcribendum, vel uſucapiendum requiruntur Titulus autem dicitur, quód res poſſeſſa ſit titulo donationis, emptionis, &c. Legatur *Salon 21. Q. 62 Art. 6. Controverſ. 3. Trulhench. & Salmant ſupra.*

127 Fructus verò mere induſtriales poſſeſſor bonæ fidei reſtituere non tenetur, id quod efficaci ratione probatur: nam, ut ex dictis liquet, eos reſtituere non tenetur malæ fidei poſſeſſor, multò ergo melior bonæ fidei poſſeſſor non tenebitur reſtituere illos.

128 Octavò rogabis an in caſu, quo bonæ fidei poſſeſſor rem alienam locet, quæ ex ſe locari non ſolet, uti eſt equus divitis, vel Principis, & ejuſdem aureus torquis, &c. ejuſmodi locationis lucrum reſtituere teneatur? Negant abſolutè plures ex eo, quód talis fructus eſt fructus induſtriæ, (quod ſi induſtriæ, idem omnino dicendum de poſſeſſore malæ fidei) affirmant abſolutè alii; ita ut in caſu, quo fructus in ſe extent, omnes reſtituere teneatur, ſi autem non extent, id, in quo factus fuerit ditior, ob contrariam rationem. Legantur *Salmant. ſup. P. 3. §. 4 n. 70.*

129 Rogabis nonò an dictus bonæ fidei poſſeſſor teneatur reſtituere fructus, qui induſtriales miſti dicuntur, illos videlicet, ad quos producendos tam ipſa natura, quàm hominis induſtria concurrit? Dicitur (communi Jure attento, & præſcindendo à Jure cujuslibet Regni particularis) quòd ſolùm tenetur ad id, in quo factus fuerit ditior, id quod probatur ex Inſtit. *de rer. diviſ. § Si quis á non domino*, ubi ita decernitur: *Si quis in aliena tabula bona fide pinxerit, tabulam picturæ cedere, cùm ridiculum ſit picturam Apellis, vel Parrhaſii viliſſimæ tabulæ cedere*; ſicut ergo bona fide in aliena tabula pingens, quanvis tabulâ picturæ cedente, fit dóminus picturæ, quin per hoc pictor non teneatur dómino tabulæ ejus pretium ſolvere, eo quòd id eſt, in quo factus eſt ditior; ita pariter, quanvis natura concurrens ad fructus ex re aliena perceptos cedat induſtriæ, quæ prævalet, hoc non tollit quód horum poſſeſſor teneatur reddere domino id, in quo ex conſumptione eorum ditior factus relinquitur Communis. Legatur *Rebel. lib. 2. Q. 7. num. 11. Dicaſtill. Tract. 2. Diſp. 5. Dub. 3. á num. 30. Salmant. ſup á n. 70. ad 73.*

130 Duo tamen hîc ſunt valde notanda, primum eſſe valde probabile poſſeſſorem bonæ fidei nullos fructus induſtriales, ſi non extent, ſive purè tales, aut miſti, reſtituere teneri, licèt ex eis ditior ſit factus. Eſt ſententia plurimorum graviſſimorum DD. quos refert *Sanch. Decal. lib. 2. cap. 23 num. 76.* & de qua legi etiam poteſt *Leſſius lib. 2. cap. 14. Dub. 2. Dicaſtill. ſup. num. 78.* ¶ Secundum etiam valde probabile eſſe bonæ fidei poſſeſſorem lucrari omnes fructus, ſive naturales, vel miſtos, ex titulo oneroſo poſſeſſos, illos videlicet, quos dato pretio comparavit. Legantur *Salmant. ſup. num. 72.*

SUBLECTIO II.

De expenſis, quas bonæ, & malæ fidei poſſeſſores in reſtitutione alienæ rei deducere poſſunt.

131 PRo præſenti re ex communi ſupponitur deducendas expenſas in triplici differentia eſſe, aliæ enim ſunt *neceſſariæ*, quales illæ, ſine quibus res omnino periret, aut deterior fieret, uti ſunt alimenta animalium, eorum cuſtodia, domûs refectio, & hujuſmodi. ¶ Aliæ dicuntur *utiles*, quales illæ, quibus res pretioſior, & utilior redditur, uti gregis augmentatio, domûs melioratio, arborum plantatio, & hujuſmodi. ¶ Aliæ denique ſunt *voluntariæ*, vel, ut alii dicunt, ſunt *voluptariæ*; quæ nec ad rei conſervationem, neque ad ejus meliorationem requiruntur, ſolùmque ad ornatum, & voluptatem fiunt, recreationique ſolùm, ac voluptati deſerviunt, uti picturæ, & imagines ad domûs ornatum, viridaria ad recreationem, & hujuſmodi. Etiam & inter expenſas utiles, & neceſſarias induſtria propria, propriuſque labor in re conſervanda, melioranda, ac fructibus colligendis apponitur. Iſta enim re vera pretio æſtimantur; ita ut

etiam à malæ fidei possessore valeant deduci; id omne, quod cum *Less. Rebel. & Sanch. adnotarunt Salmant. sup. §. 5. num. 76. adnotarunt & Lugo Disp. 17. Sect. 3. num. 61. Molina Disp. 725.* & cum aliis multis *Azor lib. 4. cap. 5.* quibus sic adnotatis,

132 Dicitur utrumque bonæ, & malæ fidei possessorem expensas necessarias, & utiles, à se in re aliena factas, optimè ex ea deducere posse, quando rem ipsam restituit, ipsumque rei dominum eas solvere in conscientiæ foro teneri, id omne, quod verum, etiam si dominus rei illas non esset facturus, absque eis tamen rem melioraturus, aut conservaturus non esset: (si enim sine illis industriâ propria rem conservaturus, aut melioraturus esset, abs dubio à malæ fidei possessore deducendæ non sunt, quia in hoc dominus ipse damnificatur; bene tamen à bonæ fidei possessore, cùm bona fides jus hoc præstet illi) quod si dominus eas fortè solvere nolit, *in pignus* eam retinere poterit, aut occulta compensatione uti. Et

Probatur primò: quia æquum non est quòd rei dominus ex restitutione lucrum reportet; (debet enim esse contentus cum satisfactione suæ rei, aut ejus valore) constat autem quòd, si dictæ expensæ non deducerentur, dominus rei lucrum ex satisfactione reportaret: ergo, ut tale lucrum non reportet, deducendæ sunt prædictæ expensæ. ¶ Secundò probatur: quia illa res ratione dictarum expensarum plus nunc valet, quàm antea valebat, sed expensas has posuit uterque possessor: non ergo dómini rei sunt, sed eorum, qui illas in re posuerunt, uterque ergo possessor tanquam earum dómini eas omnes deducere tuta conscientiâ possunt. Sed circa dicta

133 Communiter adnotatur quòd, licèt expensæ factæ, labor, & industria multò plus rei valorem auxerint, quàm ipsæmet expensæ valent, non amplius deducendum erit, quàm expensæ factæ, labor, & industria valent, ut patet *ex L. In fundo, ff. de rei vendicat.* Ex quo principio etiam deducitur quod, si expensæ fructus excedant, minimè dóminus eas omnes solvere tenetur, aliàs rem suam emere cogeretur, & fortè maiori pretio, quàm res ipsa, & sine talibus expensis valebat *Rebel. lib. 2. Q. 8. n. 2. Lugo sup. n. 65. Molina sup. Disp. 725. n. 3. ac Salmant. sup. n. 78.*

134 Circa voluntarias expensas, sive impensas dissimiles diversi diversa dicũt. Dicunt enim alii, de utroque possessore loquendo, quòd eorum nullus tales expensas deducere valet. ¶ Alii de utroque etiam loquendo, melius contrarium asserunt, id, quod probavimus alibi. Legatur *Lessius lib. 2. Dub. 16. num 111. Molina Disp. 725. & Salmant. sup. num. 79. & 80. Azor lib. 4. cap. 5.* unde ex dictis

135 Resolves primò. Alienum servum apud te habes, sive is bonæ, aut malæ fidei possessor, non parvas expensas in eo alendo, ac de eo curando effecisti; (quæ sunt necessariæ) omnes illas tuta conscientiâ ante Judicis sententiam deducere potes, quatenus laboris, vel servitii servi valorem excedunt. ¶ Secundò alterius domum, quæ ad ruinam proximè erat, refecisti, oliveta ejecta reformasti, gregem in numero diligentiâ tua augmentasti, alimenta ei præbendo, & de eo curando, alterius jumenta pavisti, & hujusmodi; omnia, quæ ex tuo *in his* de rebus curando consumpsisti, tutò deducere potes, dóminusque tibi in conscientia restituere, sive reddere tenetur.

Tertiò in alterius fundo vineam, vel olivetum plantasti, alterius domum, non ruinæ proximam, meliorem effecisti, (ecce expensas utiles) factas expensas, vel earum valorem deducere potes. ¶ Quartò similiter potes pro expensis deducere valorem industriæ, ac laboris adhibiti ad utiles, ac necessarias expensas faciendas, & à te factas, non enim maior est ratio, cur expensæ utiles, & necessariæ extrahi possint, & non valor industriæ, ac laboris appositi, cùm etiam sint quid pretio æstimabile.

Quintò in alterius domo horologium posuisti, eamque variis picturis, ac imaginibus variis, & pretiosis, simul & tapetis ornasti, ei recentes fontes, amœnaque viridaria adjunxisti; (ecce voluntariæ, sive voluptariæ expensæ) omnia hæc melioramenta, quæ recreationi potiùs, ac animi retocillationi, quàm ad aliud deserviunt, aut earum valorem deducere vales. ¶ Item ex furato argento vas, vel aliud artefactum efformasti, ex alieno auro anulum confecisti, pretiososque lapides illi adhæsisti, satisfacis, si tantundem massæ argenteæ, & aureæ æquè bonæ dómino restituas, tibique illud vas, artefactum, anulumque retineas, eo quòd plus valeat propter formam, & materiam alteram in ea materia adjunctam, & si illud restituere velis, prout ita jacet, deducere poteris materiam, quam illi adjunxisti, simulque valorem, atque æstimationem industriæ tuæ, atque laboris.

LECTIO VII.

De obligatione restituendi ab impediente alterum ab assequutione alicujus boni.

136 UNum ex capitibus, ex quibus restitutionis obligatio originem ducit, est injusta alterius læsio, eum ab assequutione alicujus Beneficii, officii, vel alterius

rius commodi impediendo, de quo perbellè Præceptor Angelicus agit 22. Q. 62. Art. 8. ad 2. ubi sic nos instruit.

Aliquis potest impedire aliquem (ait) *nè habeat Prebendam multipliciter; uno modo justè, putà si intendens honorem Dei, vel utilitatem Ecclesiæ, procuret quòd detur alicui personæ digniori; & tunc nullo modo tenetur ad restitutionem, vel aliquam recompensationem faciendam: alio modo injustè, putà si intendat ejus nocumentum, quem impedit, propter odium, vel vindictam, aut aliquid hujusmodi, & tunc si impedit nè Prebenda detur digno, consulens quòd non detur, antequam sit firmatum quòd ei detur, tenetur quidem ad dignam recompensationem, pensatis conditionibus personarum, & negotii secundùm arbitrium sapientis; non tamen tenetur ad æquale, quia illud non dum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri: si verò jam firmatum sit quòd alicui detur Prebenda, & aliquis propter indebitam causam procuret quod revocetur, idem est, ac si habitam ei auferret, & ideo tenetur ad restitutionem æqualis, tamen secundum suam facultatem.* Hæc omnia pro re nostra Sanctiss. Doctor, quæ doctrina pro multis facit.

137 Pro dicendorum tamen intelligentia priùs hîc adnotandum, supponendumque venit primò cum *Trullench. lib. 7. cap. 11. Dub. 6. num. 1. Amico tom. 4 Disp. 35. Sect. 6. Azorio l. 3 cap. 7.* cum multis, & aliis citatis, ac sequutis *a Salmant. sup. P 4. num. 95.* quòd dupliciter potest quisquis se habere in ordine ad aliquod bonum, ita ut habeat jus in re, vel ad rem, taliter ut ei res ex justitia debita sit, videlicet primò per justam promissionem, præsentationem, contractum justum, ultimam voluntatem, oppositionem, ingressum, accessum conductorium, primogenituram, aut alium quemcunque titulum, per quem datur actio ad rem repetendam. ¶ Secundo ita ut nullum jus habeat ad illud consequendum bonum nec in re, nec ad rem, sed solùm ex sola libera voluntate alterius, atque ex mera illius liberalitate ei tale bonum sit conferendum. ¶ Secundò supponitur dupliciter etiam posse aliquem ab assequutione alicujus boni impedire alium, vel justè, quia videlicet est indignus, aut inhabilis ad illud, uti removere indignum ab assequutione alicujus Cathedræ, vel Præbendæ, &c. ¶ Vel injustè, quia absque justa causa ab assequutione talis boni removetur, uti est ab assequutione alicujus Præbendæ, &c. digniorem impedire; id omne, quod clauditur in tradita *Div. Thom.* doctrina. His ita positis, pro re, de qua modò

138 Dicitur primò quòd impedire (quocunque modo id fiat) indignum ab assequutione alicujus doni, officii, vel Beneficii, &c. restitutionis obligationem nullo modo inducit. Ratio est: quia ipse nullum jus ad tale donum, officium, vel Beneficium habet, namque, uti supponitur, omnino indignus, & ineptus erat ad illud; quanvis igitur contra Charitatem pecces illum fraude, vel dolo impediendo, nè illud consequatur, non tamen contra commutativam Justitiam, consequenterque non teneris ad restitutionem ullam. ¶ Quod ita verum est, ut, etiam si vi, vel fraude impedimentum positum fuisset, ut Beneficium digno non conferretur, digniori relicto, sed quòd potiùs digniori daretur, adhuc restitutionis obligatio non adest. Ratio datur: quia contra intentionem Ecclesiæ, aut Reipublicæ est, ut officia, & Beneficia dentur dignis, dignioribus relictis, & etiam quia nullum jus, quod habebat dignus, violatur, utpote nullum jus habens, ut digniori præferatur; id quod cum *Covarrub. tenet Dicastill. Tract 2. Disp. 8. num. 27. cum aliis Trullench sup Dub. 6 num. 6 Rebel. lib. 3. Q. 1. cum aliis Salmant. sup. n 95.*

139 Secundò dicitur quòd, si quis impediat aliquem ab assequutione alicujus Beneficii, &c. ad quod nec in re, neque ad rem ex justitia jus habebat, in proximo tamen erat, ut illi tale bonum relinqueretur, ad restitutionem tenetur (si id vi, fraude, vel dolo efficiat) secundùm æstimationem probabilitatis, & spei, quam alter habebat ad illud consequendum bonum, vel secundùm inclinationem, quam bonum collaturus habebat ad ipsi relinquendum, conferendum vel illud; id quod etiam locum habere dicitur, sive dolus, aut fraus exerceatur circa officium procurantem, aut petentem, sive circa officii collatorem, illum a collatione officii retrahendo; id quod ita

Probatur, quia qui vi, dolo, vel fraude aliquem à consequutione alicujus boni, vel Beneficii impedit, manifestam ei injuriam confert, vel contulit, ex qua illi, ut supponitur, injustè sequitur damnum: tenetur ergo evitare injuriam illatam, prædictumque resarcire damnum sequutum. Consequentia tenet, & antecedens probatur: quia, licèt jus ad illud bonum non habeat, quod prosequitur, intentatque consequi, (uti supponitur) jus tamen habet ad illud prosequendum, & intentandum: habet ergo jus ad hoc, ut illum à prosequutione illius boni non impedias vi, fraude, vel dolo; si ergo illum dicto modo impedis, eum de eo damno resarcire teneris. ¶ Similiter, quanvis jus ad tale bonum non habeat, habet jus, ut nemo vi, fraude, vel dolo benefactorem suum impediat, nè beneficium, quod ei volebat facere, faciat, & nè fraude sui benefactoris voluntatem mutet, vel auferat, ex qua solùm sperabat bonum, vel beneficium, & illud consequi poterat: ad restitutionem ergo teneris tanti,

quantum impeditus sperare poterat, vel quanta collatoris, vel benefactoris erat inclinatio.

Confirmatur; quia omnis vis, dolus, aut fraus est injusta, & contra commutativam Justitiam; sed ex omni actione injusta, & contra commutativam Justitiam oritur restitutionis obligatio: ergo, &c. Maior probatur: nam ponamus quòd Petrus aliquid à Paulo erat consequuturus, & quòd tu per mendacium, dolum, vel fraudem illum nè illud consequeretur, impediviſti, quis ſolido fundamento negabit te causam dedisse, nè illud Petrus haberet? Tua ergo actio re vera fuit injusta, & cùm sit impeditiva boni alterius, est contra commutativam Justitiam: ergo, &c.

140 Dictum est *si id vi, fraude, vel dolo efficiat*, namque si sine vi, fraude, vel dolo, sed tantùm muneribus, precibus, blanditiis, suasione collatorem à collatione talis Beneficii, vel doni retraxit, ad nullam restitutionem teneri resolvitur, id quod constat *ex L. fin. Cod. si quis aliquem testari prohibeat*, in qua ita decernitur: *Eum, qui blanditiis sine vi, metu, mendaciis, vel dolo testamentum mutari, aut legatum transferri in alterum facit, ad restitutionem non teneri*, quo proinde nihil clarius. Mittuntur alia. Unde sic cum multis *Salmant. sup. num. 95. & 98.* quibus adde *à Spiritu Sancto Tract. 10. Disp. 8. Sect. 4. §. 6. cum aliis Trulbench. lib. 7. cap. 11. Dub 6. num. 3. Amicus tom. 4. Disp. 35. Sect. 6. Azor lib. 3. cap. 9. Molina Disp. 227.* quorum aliqui sententiam contrariam probabilem vocant.

141 Dicitur tertiò quòd, si quis impediat aliquem à consequutione alicujus officii, Beneficii, vel alterius cujuscunque boni, ad quod habet jus in re, vel ad rem, tenetur restituere damnum illatum. Et hoc, etiam si fiat sine vi, fraude, dolo, mendaciis, &c. sed solùm communibus precibus, suasionibus, muneribus, &c. hæcque resolutio ita intelligenda est, ut scilicet teneatur ad restituendum *totum*, si jam firmiter decretum erat in voluntate benefactoris, aut collatoris illud conferre alteri bonum, vel si jam collator erat firmiter determinatus ad illud alteri bonum conferendum. Si tamen collator non ita firmiter, aut totaliter ad hoc erat determinatus, neque in sua voluntate hoc erat firmiter decretum, sed solùm erat in via ad bonum conferendum illud, tunc tenetur solùm ad restituendum quantum æstimatur spes illius, qui tale bonum consequuturus erat; at verò, si aliter jam efficaciter determinatus ad beneficium illud, vel bonum alteri non conferendum, tunc, casus, nulla restitutionis obligatio adest, quia tunc qui impedimentum apponit, non extat efficax causa impeditionis illius.

142 Probatur principale assumptum: quia collator ex justitia tenebatur in casu posito alteri illud conferre beneficium, vel bonum; qui ergo illum muneribus, consilio, precibus, aut mendaciis à talis beneficii, vel boni collatione avertit, vel retrahit, re vera concurrit ad injustam negationem talis beneficii, vel boni: concurrit ergo ad damnum, quod ex negatione injusta hujus beneficii, vel boni patitur alter: tenetur ergo ad restitutionem secundùm omne jus, vel spem, quod, vel quam alter habebat; si ergo beneficii, vel boni collator totaliter determinatus erat ad illud alteri conferendum, quo pacto jus habet ad *totum*, impediens tenebitur, & si totaliter determinatus non erat, tenebitur secundùm collatoris inclinationem, & secundùm spem, quam alter habebat; & si jam efficaciter determinatus erat collator ad illud non conferendum, ad nihil impediens tenebitur.

Confirmatur; quia alter habebat jus ad illud bonum, ut casus supponit: ergo qui impedit illum ab assequutione illius, in re violat jus, quod alter habet, ut sibi bonum illud conferatur, causaque est, nè illi conferatur tale bonum, & illo maneat privatus; si igitur illum impedit ita, ut illud non consequatur, re vera ad restitutionem tenebitur, & tenetur. Est communis, cum multisque docet *Trulbench. sup. n. 2. Rebel. lib. 3. Q. 1. & 2. Azor lib. 3. cap. 9. Diceastill. lib. 2. Tract. 2. Disp. 8. Dub. 1. Lugo Disp. 18. Amicus tom. 4. Disp. 35. à Spiritu Sancto sup. §. 7. Salmant. sup. num 96. & alii multi.* Unde ex doctrina in Lectione hac hactenus tradita multa deduci possunt. Et

SUBLECTIO I.

Ex doctrina tradita plura deducuntur.

143 DEducitur itaque primò. Per vim, dolum, vel fraudem Petrum, vel Mariam impediviſti à testamento condendo, ut sic non ego, sed tu illi ab intestato succederes; vel impediviſti, nè priùs factum testamentum revocaret, in quo hæres institutus eras, & hoc, vel illi hoc suadendo modo dicto, vel Notarium impediendo, aut consiliarios, quos testator vult ad se consiliando vocari, detinendo, vel dissuadendo, quid vel simile faciendo; tunc enim procul dubio injuriam testatori facis, vel ei, qui testamentum jam conditum habet, vel condere tentat, simul & etiam omnibus illis, qui ex testamento tali aliquid lucrare possent, consequenterque ad restitutionem teneris, quia licèt illi non habeant jus ad legatum, vel hæreditatem illam sibi in testamento relinquendam, (vel jam relictam, si testamentum jam factum consilio, suasione vel tua dicto modo infrin-

infringatur) habent tamen jus conditionatum illud, vel illam habendi, ſi teſtator voluerit, & etiam habent jus abſolutum, nè per vim, dolum, fraudem, &c. eis impediatur potentia, & ſpes, quam habent; non tamen reſtituere teneris, ſi ſine vi, dolo, &c. procederes. Communis.

144 Secundò vi, fraude, vel dolo, aut ſine illis impediviſti, nè Petrus promiſſionem Paulo factam, ab eoque jam acceptatam adimpleat; ad reſtitutionem teneris, quia ad talem promiſſam rem *jus ad rem* jam Paulus habebat, & injuſtè negata fuit à Petro, à teque etiam iniquè fuit impedita. Non tamen ad reſtitutionem teneris, ſi promiſſio illa adhuc acceptata non erat à Paulo, & tu tantùm precibus, muneribus, nonque dolo, &c. Petrum ab impletione promiſſionis illius impediviſti, vel retraxiſti, quia tunc, caſus, adhuc Petri voluntas libera erat ad illam promiſſionem implendam, voluntatemque hanc per preces non violaſti. Communis.

145 Tertiò ruſticum impediviſti ab operibus ſuis d urnis vi, dolo, fraude, aut metu, vel precibus, &c. Eodem modo impediviſti piſcatorem, aucupem, aratorem, & hujuſmodi, nè piſcetur, aret, aucupetur; ſimiliter ſcriptorem nè ſcribat, pictorem nè pingat, &c. in conſcientia teneris horum cuilibet reſtituere lucrum omne illud, quod amiſit ſecundùm ſpem illam, quam ad conſequendum illud habebat: omnes enim hos homines impediviſti à fructu, & lucro, quod conſequuturi erant, ſicque eorum juſtitiam violaſti, impediendo nè illi jure ſuo uterentur.

146 Quartò divitem putà vi, dolo, vel fraude avertiſti, nè eleemoſynam pauperi (vel alicui Monaſterio) daret, aut dicendo illum non eſſe pauperem, qui re vera pauper erat, vel imponendo crimen illi, quod non habebat, teneris reſtituere eleemoſynam illam per te impeditam. Si tamen non dicto modo, ſed ſolùm precibus, ſuaſione, &c. non teneris, quia pauper adhuc ad illam nullum jus habebat.

147 Quinto vi, dolo, vel fraude impediviſti, nè Petro digno Beneficium daretur, ut ſic digno alteri fuiſſet collatum; teneris ad omne id, ad quod Petrus habebat ſpem conſequendi, privaſti enim eum à jure, quod habebat ad tale Beneficium aſſequendum. Ad nullam tamen reſtitutionem teneris, ſi precibus, muneribus, &c. impedimentum hoc appoſuiſti, quia uni ex duobus æqualiter dignis Beneficium conferre eſt mera gratia, ſicque gratiam hanc precibus impedire vales, facereque nè huic detur, ſed alteri, nec id exequendo ullam injuſtitiam exequeris, cùm ad gratiam nemo jus habeat, neque collator gratiam iſtam magis uni, quàm alteri tenetur facere.

148 Sextò impedimentum fuiſti, nè Petro digno Beneficium, aut officium daretur, ut indigno alteri daretur, & hoc precibus, &c. feciſti; tunc, caſus, Reipublicæ, aut Eccleſiæ reſtituere teneris pro damno, quod ex indigno Miniſtro pateretur, & etiam ipſi Petro digno pro æſtimatione ſpei, quam ad illud conſequendum habebat, ut ſup. relinquitur tactum. Sed eſt advertendum talem reſtitutionem priùs faciendam eſſe ab ipſo indigno tale officium, aut Beneficium recipiente, deinde à collatore, qui principalis cauſa eſt damni illius, & in horum defectu à te, qui etiam cauſa fuiſti, ut collator illud digno negaret.

149 Septimò ad nullam reſtitutionem teneris, ſi etiam vi, fraude, vel dolo impedias indignum à conſequutione alicujus officii, aut Beneficii, quia indignus nullum jus habet ad petendum, neque ad obtinendum bonum, officium, vel Beneficium, & ubi nullum jus eſt, ibi injuria, injuſtitiaque nulla eſt, nec eſſe poteſt, quia omnis injuria, & injuſtitia alicujus juris eſt violatio.

150 Octavo neque etiam teneris, ſi dignum, malis artibus publica officia, vel Beneficia procurantem, nè illa aſſequeretur impediviſti, quia dignus jus non habet procurandi, & conſequendi talia per artes malas, ſicque qui illum ita publica procurantem officia impedit, nullum jus alicujus impedit, imò potiùs ſecundùm Jus commune operatur; hoc enim prohibet, nè per malas artes, fraudes, &c. publica procurentur officia. Legatur *Vaſquez Opuſc. de Beneficiis, cap. 2. §. 3. Dub. 20 n. 158. & Amicus tom. 4. Diſp. 35. Sect. 5. n 93.*

151 Nonò non teneris, ſi vi, dolo, vel fraude impedias dignum, in quo tamen nulla erat moralis ſpes in ipſum fore Beneficium conferendum, eo quod in tali caſu conatus tuus valde eſt inefficax, quanvis enim talis conatus non ſtaret, æquè Beneficium illud illi collatum non fuiſſet, uti ſupponitur. Legatur *Leſſ. lib. 2. cap. 12. Dub. 18. n. 125.*

152 Decimò neque etiam teneris, ſi vi, fraude, vel dolo cauſa, impedimentum vel fuiſti, nè Beneficium daretur digno, ſpem illud conſequendi habenti, ut digniori, & aptiori daretur; quia ratio ipſa exigit ut officia, & Beneficia dignioribus, aptioribuſque ſemper conferantur, & hæc eſt, ſemperque fuit Reipublicæ, Eccleſiæque intentio recta; quapropter contra rationem, intentionemque Eccleſiæ, & Reipublicæ eſt Beneficia digno, digniore relicto, conferre, quando libera eſt collatio ipſa, neque dignus in conſpectu dignioris jus habet, ut collator ſibi, & non d gniori Beneficium conferat, uti cum *Covar. & Salonio tenent*

net Leſſ. ſup. num. 126. contrarium in hoc caſu tenet *Amicus ſup. num.* 95. ibi dicens in tali caſu te teneri ad reſtitutionem æſtimationis illius ſpei, quam dignus habebat conſequendi Beneficium, ſed reſolutio data magis favorabilis eſſe videtur.

153 Undecimó non teneris, ſi ſolo conſilio collatorem impedis nè digno Beneficium conferat, aut digniori, eo quód nec dignus, nec dignior ullum jus habet ad publica officia, & Beneficia ante factam collationem, conſequenterque nullum eorum jus læditur, ſi conſilio tantùm à publicorum beneficiorum, aut officiorum conſequutione impediantur. *Amicus, & Leſſ. ſup. num.* 128. *Trulbench. ſup. n.* 10. cum aliis multis.

154 Duodecimó non teneris, quanvis vi, dolo, vel fraude impedias, nè collator Beneficium conferat Petro illud petenti, ac procuranti, ſi aliàs collator jam aliunde determinatus erat ad illud Petro non conferendum; tali enim eventu nullum jus violatur Petro, cùm aliunde tale Beneficium ei collatum non fuiſſet.

155 Decimotertiò teneris tamen, ſi illum impedias à conſequutione talis Beneficii quanvis hoc facias, quia cognoſcis, & verè ſcis ab alio impediendum fore, ſi à te non impediatur, vel impediretur, tunc enim injuſta damni Petri cauſa exiſtis, etiam ſi ejuſdem damni injuſta etiam cauſa certo futurus eſſet alius, quia tu te præveniendo in illud Petro inferendo damno obligationem illam in te ſuſcipis, quam ille alius Petro damnum inferendo haberet; ſicque tu teneris de damno illato, ſicut ille alius teneretur, ſi intuliſſet illud, illiuſque vices agis, obligationemque ſubis illius ¶ Si tamen intenderes à conſequutione Beneficii illius eum impedire, ſed ille aliunde jam de facto erat impeditus, ad nihil teneris, uti de ſe liquet.

156 Decimoquartò malè de Petro apud collatorem loquutus fuiſti ei crimen falſum imponendo, ut ſic Petrum à Beneficii conſequutione impedires, Beneficium, vel officium Petro reſtituere teneris, quia contra Juſtitiam operatus es, illud crimen ei imponendo falſum, & collator ob illud Beneficium, vel officium denegavit Petro.

157 Decimoquintò non teneris tamen, ſi non falſum, ſed verum, & occultum crimen collatori aperuiſti, & hoc abſque vi, fraude, vel dolo, ſuaſione, aut conſilio: quia jus eſt, quando de officiis, ac Beneficiis agitur, collatori, & his, quorum intereſt, patefacere crimina, quæ hominem minus aptum, minus idoneum, aut minus habilem reddunt, & ea, quæ minus decentem, minuſque decoroſam collationem efficiunt. Et ob hanc cauſam, ut veritas detegatur, dignitaſque acceptaturi Beneficium, aut officium collatori appareat, informationes occultæ fieri, & accipi ſolent, & debent.

158 Decimoſextó aſt ad reſtitutionem teneris, ſi verum illud crimen occultum apud plures detegatur, & ob hanc cauſam talis homo infametur, infamiaque illa motivum ſit principale, & unicum, unicaque cauſa, ob quam collator homini tali tale Beneficium, aut officium non conferat, aliàs collaturus, ſi illa non obſtaret infamia. Ratio eſt: nam, licèt verum ſit crimen, quod de Petro, vel homine illo narraſti, eſt tamen, ut ſupponitur, occultum; & quia occultum habet homo ille jus, nè apud alios (exceptis collatoribus) infametur, ſicque proinde, ſi apud alios eum infamando ratione criminis ita detecti, non ſolùm eum infamando, peccaſti, ſed etiam ei reſtituere teneris famam, & damnum, quod ei ex infamia ſequitur. ¶ Sed ſi collator non præcisè ob infamiam, ſed ſolùm ob crimen commiſſum, ſive eſſet, aut non publicatum, moveretur ad ei Beneficium negandum, vel non conferendum, tunc obligationem reſtituendi non adeſſe aiunt *Trulbench. ſup. num.* 4. *Leſſ. ſup. num.* 124. *ac Salmant. ſup. num* 99.

159 Decimoſeptimó ſi poſtquam falsó collatorem informaſti, informationem tuam revocaſti, adhucque res plenè integra erat, id eſt, adhuc Beneficium, vel officium alteri collatum non erat; non teneris, quia non cenſeris cauſa damni in poſterum ſequuti, ſed talis damni cauſa libera eſt collatoris voluntas, qui voluntatem ſuam arbitratu ſuo mutare poterat, veritate jam detecta. Si tamen jam res integra non erat, id eſt, Beneficium jam alteri erat collatum ex illa tua mala informatione, ad id principio dato teneris; quia ex vi illius injuriæ, hoc eſt, illius tuæ malæ informationis damnum illud fuit ſequutum, nonque jam eſt amplius in voluntate, liberoque collatoris arbitrio impedire, vel non damnum illud. *Leſſ. & Trulbench. ſuprà.*

160 Decimooctavó teneris, ſi Petrum Cathedræ, vel Beneficii oppoſitorem ab illius aſſequutione impediviſti vel mendaciis, aut promittendo te illi aliquid daturum, ſi ab oppoſitione deſiſteret; deſtitit, verbis, ac promiſſionibus tuis acquieſcens, teneris, dicitur, reſtituere, ſi non das illi promiſſum, & tantum, quanti ſpes ejus arbitrabatur valere; non tamen teneris ad aliquid, ſi verbis tantùm abſque vi, dolo, vel fraude ab oppoſitione eum avoces, quia ſcienti, & volenti nulla fit injuria. *Trulbench. ſup. cap.* 11. *Dub.* 8. *n* 16.

161 Decimononò honeſtæ fœminæ promiſiſti intra certum tempus eam in matrimonio

nio ducturum, si illa intra tempus illud cum alio non conjungatur, pactum servavit puella, & ob id plures renuit, ac recusavit sponsos, tempus signatum transivit, & tu illam in matrimonium non ducis, certè illi ad boni viri arbitrium restituere teneris omne illud utilitatis, quod amisit. Cum aliis *Trullench. sup. n.* 14.

162 Vigesimó precibus, muneribus, consilio, suasione, promissionibus falsis, rogationibus facis ut negotiator à maxima negotiatione desistat; item eodem modo retrahis Procuratorem, Tutorem, aut servum, nè agant causas agentis principalis, pupilli, & dómini; ad restitutionem teneris: quia, licèt respectu Procuratoris, Tutoris, aut servi causa non invitè omittatur, poterant enim illam non omittere, coactè tamen respectu eorum, quorum causa agenda erat, omittitur, ac proinde illis injuriam facis, qui involuntariè impediuntur à consequutione talis boni, ad quod jus habebant: licèt enim Procuratoris, Negotiatoris, Tutoris, aut servi jus non lædatur, illorum tamen læditur jus, ad quos causa impedita expectabat, jus namque ii omnes habent, ut per Procuratorem, &c. negotia sua agantur. Sic cum *Bonac. Trullench. ubi sup. Amicus sup n.* 98.

SUBLECTIO II.

Iuventum idem prosequitur.

163 VIgesimoprimó mendaciis, fraudibus, aliis vel techn s, nè bona ea, quæ ob aliquod crimen Fisco applicanda erant, applicentur, impedimentum, & causa fuisti, & hoc ante Judicis sententiam latam, (ea enim jam lata, nulli dubium est te restituere teneri, quia Fiscus jam jus acquisivit ad illa) non teneris restituere, quia Fiscus ad talia bona nullum jus habet, nisi post latam sententiam Judicis, talis namque occupatio per Fiscum fit in pœnam criminis commissi, & pœna non debetur, nec obligat, neque exequutioni danda est ante Judicis sententiam, & ante condemnationem; de quo jam alibi non pauca diximus, cum multisque docent *Salmant. sup. num.* 104.

164 Vigesimosecundó non teneris, si etiam fraudibus denuntiationem impedias aliquam, vel nè delinquens in manus Justitiæ veniat, aut si occultos aufugere facias Officiales syndicatûs in tempore; neque etiam teneris, si falsis testibus sententia impediatur, vel ita agatur, ut crimen certò constare non possit. Et sic nec tu, nec falsi testes, neque quicunque alius, qui ad id concursum præbeat, tenetur. Unde nec hæreticus, qui mendaciis, vel falsis testibus se defendit, sicque sententiam, bonorumque confiscationem impedit. ¶ Item nec adultera tenetur restituere dotem, quæ falsis testibus se defendit, & ob hanc causam non fuit condemnata, vel aliter à justa sententia se liberavit. ¶ Item nec Judex tenetur pecuniariam restituere pœnam, si negligens Reum non condemnat. ¶ Item nec Procurator Fiscalis, si non accusat. ¶ Item nec Custodes Civitatum, sylvarum, vel fluminum, licèt transgressores ad Magistratus deferre neglexerint, tenentur ad pœnam à transgressoribus ipsis solvendam, si damnati essent. ¶ Item nec illi, quorum bona ob non solvendum vectigal, vel res prohibitas asportatas absconditè ipso facto addicta sunt Fisco, aut Redemptori, tenentur restituere pœnam eis impositam, quorum omnium ratio jam est sup. posita, videlicet, quia id in criminis pœnam imponitur, & pœna Judicis sententiam requirit, & ante illam ad restitutionem non obligat, ista ferme verbis istis *Trullench. cum aliis sup n.* 18 *Salmant. sup n* 104.

165 Vigesimotertió publicum ærarium, aliqua vel magna publica summa distribuenda est inter Cives pro qualitate meritorum singulorum. Est aliqua pia fundatio, quæ inter virgines, vel pauperes hujus, vel illius Civitatis, hujus, vel illius familiæ distribuenda est. Et ecce jam Maria, quæ conditiones requisitas omnes ad talem dotationem habet, eamque patronus dotare volebat; tu verò tuis rogationibus, vel precibus impedis, nè illi tribuat, ut tribuat alteri; ad restitutionem teneris. (Et hoc, etiam si tale impedimentum à te sit positum sine fraude, vel dolo.) Ratio datur: nam iple collator bona illa distribuere tenetur inter Cives, & virgines talis Civitatis, vel talis familiæ, has, vel illas conditiones habentes; & cùm Maria habeat requisita omnia necessaria, jus certum habet, ut illi de ærario illo, & fundatione pro suorum meritorum qualitate aliquid tribuatur. Et si plurimorum impedimentum extas, singulis pro suis meritis restituere teneris, quia singuli, fundatione illa suppolita, ad fundationem illam jus habent, & cùm tu precibus tuis (sive dolo) illis impedimentum apponas, procul dubio contra commutativam Justitiam operaris, sicque restituere teneris. ¶ Quód si bonorum illorum distributio ex mera Patroni, vel distributoris voluntate pendebat, & etiam electio eorum, quibus talia bona distribuenda erant, non teneris, si absque vi, fraude, vel dolo impedimentum apponas, quia in tali casu nemo habet jus ad talia bona, cùm ex voluntate Patroni, & distributoris totaliter pendeat eligere quos pro suo arbitratu maluerit. Communis, & cum multis *Salmant. sup. num.* 105.

166 Vigesimoquartò literas scripsisti per publi-

publicas vias eas sparsisti, in quibus dicebas tali Regno, vel Provincia magnam frumenti inopiam adesse; Petrus per talem viam iter egit, & literas inventas aperiens, remque recognoscens, illico dispendio magno, detrimentoque suo ingentem frumenti numerum misit: tunc, casus, licèt falsas literas illas spargens contra charitatem peccasset, ad nullam tamen restitutionem tenetur; quia Petrus levitati suæ illud omne detrimentum tribuere debet, non enim tam de facili credere debebat; tenebitur tamen, si ad illum tales literas scripsisset, & misisset. In primo nanque casu injuria illa non vera causa damni censetur secundùm moralem æstimationem, sed tantùm censetur mera occasio; secus verò in secundo casu. Et quando injuria non est causa damni, tunc ex vi actionis injuriosæ damnum non sequitur, sed aliunde, tuncque, casus, restituendi obligatio non adest, ut patet in eo, qui alterum alapâ in facie cædit, qui inde per impatientiam, & tristitiam incidit in morbum, & moritur, vel libidine se vindicandi te occidere vult, tu verò te prevenis, eumque interimis, quia aliter te ab eo liberare nequis, neque vitam tuam tueri; ad nihil de damno sequuto teneris; alapa enim mortis illius, & interfectionis causa non fuit, sed solùm mera occasio; ita similiter in casu assignato; & ita cum aliis *Trulbench. sup. n.* 19.

167 Vigesimoquintò hîc Ulyssipone mense Pontificis Beneficium vacavit, Petrus, qui hîc erat, ad Paulum Procuratorem suum Romæ Epistolas, vel literas misit, ut illud à Pontifice sibi impetraret; sed casu fortuito, vel diligentiâ Francisci ad manus ejus tales literæ veniunt, aperit illas, legit, cognoscit secretum, illasque apud se detinens, Paulo, vel alteri scribit, ut Beneficium illud sibi à Sanctitate sua impetretur, & post suas Epistolas missas Paulo Petri literas clausas remittit; tunc, casus, Franciscus restituere Petro tenetur (ex eo, quòd ejus literas malitiosè suppressit, abscondidit, detinuit, seróque remisit) quanti spes ejus æstimationis erat, impedivit enim jus, quod Petrus habebat illud Beneficium consequendi, si literæ ejus suppressæ non essent, si ille enim literas illas non detinuisset, temporeque suo debito illas misisset, procul dubio Petrus Beneficium acquireret, uti supponitur.

168 Vigesimosextò ad restitutionem tamen non tenebitur, si tali scito secreto, ex eo, quòd literas illas aperuit, eas non occultavit, non suppressit, neque detinuit eas, sed illico ac illas perlegit, illas misit, ut debito tempore suo Sanctitati suæ præsentatæ essent; sed nihilominus usus est notitiâ illa, & prævenit illum, quem alias præventurus non erat, si notitiâ illa, ex literis capta, careret, tandemque sibi Beneficium impetravit. Non tenetur quidem, quia, licèt injuriam feciſſet Petro, sicque peccasset in illarum literarum apertione, earumque lectione, non tamen, supposito facto, ullam Petro injuriam fecit in præveniendo illum, & sibi Beneficium illud impetrando; Petrus nanque, licèt jus habeat ad hoc, ut ejus literæ non aperiantur, legantur, & detineantur, non tamen jus habet ad hoc, ut alter (secreto suo quocunque modo scito, vel cognito) eum non præveniat, Beneficiumque tale impetret sibi: quia, ut citandus Lessius inquit, & si notitia aliqua per injusta, iniquaque media sit parta, tamen postquam jam est habita, illius est, qui illam possidet, sicque proindè ea uti in suum commodum valet non minus, ac si illam modo honesto, & justo acquisivisset; id quod ibi ipse exemplis comprobat multis. Et ita *Lessius lib. 2. cap. 12. Dub. 18. num. 131.* cum aliis *Trulbench. suprà num. 19. Amicus sup. num. 95.* contrarium tenet *Lugo Disp. 18. Sect. 5. num. 104.*

169 Vigesimoseptimò si occasione solicitandi, ac procurandi Beneficium illud notitia illa à te ex literarum illarum apertione habita transivit ad alios, qui etiam tunc illud solicitarunt, & unus ex illis tale Beneficium sibi obtinuit, gratiâ sibi à Pontifice facta, & non tibi, tunc ad restitutionem non teneris: (secluſa vi, fraude, vel dolo) quia, ut nuper dicebatur, si tu Beneficium tibi ita acquisivisses, non tenebaris: ergo, quanvis etiam alius illud sibi occasione notitiæ illius acquirat, non teneris, ut consideranti constabit; si tamen secretum à te ex literis habitum aliis fraude, vel dolo manifestasti, & alius tertius Beneficium impetravit, teneris tu, non verò ille alius, ut ex dictis patet.

170 Vigesimo octavò literas illas non aperuisti, quia ad manus tuas non devenerunt, cæterùm, cùm esses Romæ, amicusque intimus Pauli esses, Petri Procuratoris, ille statim, ac literas aperuit, secretum tibi revelavit; tu verò illi petisti, & ab eo muneribus, vel precibus rogasti, ac suasisti quòd ab impetratione illa desisteret, nonque Petro Beneficium illud procurare intenderet, ut sic tibi impedimentū non esset ad illud obtinendum; quo sic facto, Beneficium, vel officium illud obtinuisti, ad restitutionem teneris, si Paulus ex pacto, atque contractu erat adstrictus ad negotia Petri diligenter agendum; secus verò, si Paulus Petri tantùm voluntarius Procurator erat, sponteque solùm, & amicitiæ titulo ibi illius negotia agebat, ac solicitabat. In primo enim casu tenebatur Paulus ad restitutionem eo quòd Petri non bene negotium gessit, ad quod ex justitia tenebatur, & consequenter etiam tu teneris,

ris, eo quòd in cauſa fuiſti, ut Paulus non ageret id, ad quod tenebatur, non autem in caſu ſecundo teneris, quia Paulus Petri Procurator tantùm voluntarius erat, & abſque ulla injuſtitia poterat ab illa diligentia deſiſtere, & cùm Procurator, vel quicunque alius poteſt ab aliquo opere, vel diligentia abſque peccato deſiſtere, minimè peccat contra Juſtitiam qui precibus tantùm abſque vi, metu, fraude, vel dolo ſuadet illi ut in ſui gratiam, & utilitatem deſiſtat, ut patet in eo, qui abſque vi, &c. teſtatori ſuadet ut à teſtamenti factione deſiſtat, vel ut alium hæredem inſtituat, de quo communiter dicitur quòd ad reſtitutionem non tenetur, eo quòd ipſe teſtator ad utrumlibet eſt liber, liberque ſemper manet. Ita pariter, quando Procurator liber eſt, ab eo ſyncerè impetrare poſſumus omne id, quod abſque peccati nævo ipſe facere valet. Hujus ſententiæ eſt *Lugo ſup. n.* 102. alios adducens.

171 Vigeſimononó reſtituere tamen teneris, ſi in dicto caſu Procuratorem hujuſmodi cautione, dexteritate, & induſtriâ tua aliis diverſis occupes negotiis, vel in Villam, hortum vel tuum ad recreationem, aut venationem aprorum, vel piſcium per aliquos dies invites, ut interim diligentias ab eo faciendas invertas, tuque per alium diligentiam faciendo Beneficium, vel officium illud obtineas, & de facto ita contingit; (qui caſus diverſus eſt à caſu proximè poſito, ut conſideranti patebit) reſtituere, inquam, teneris, quia talis Procurator jus habet ad hoc, ut à te non decipiatur, & dominus ejus ad hoc, ut Procuratorem ſuum non decipias, ſed decipis illum per tuam illam dexteritatem malevolam, aut induſtriam, vel, inquam, fraudem, & dolum, quam, vel quem appoſuiſti, eum cautè, malitioſèque invitando: contra jus ergo utriûſque, ſcilicet dòmini, & Procuratoris, es operatus, de toto ergo damno ſequuto teneris, vel de damno ſecundùm ſpem, quam in conſequutione illîus Beneficii, vel officii alius potuiſſet habere. ¶ Quòd enim dexteritas, vel induſtria illa fraus ſit, ac mendacium ſaltem in opere, de quo poterat eſſe difficultas, manifeſtum videtur, & patet exemplo, quod à Lugone adducitur. Eſt aliquis homo in Eccleſia, nè à Miniſtris Juſtitiæ capiatur, vel ab aliquo altero, tu tamen, ad hoc ut ſit captus, eum ad cœnam invitas; egreſſus eſt miſer ille ab Eccleſia, capitur, vel ab inimico occiditur, quis merito dicet hîc verè dolum, fraudem, & in re mendacium non intercedere; nunquid non verè illum per fraudem ab Eccleſia egredi feciſti, licèt expreſſis verbis ei nihil falſum dixiſſes, utique fraus verè hîc intercedit, utique hîc verè mendacium feciſti. In caſu igitur noſtro etiam re vera fraus, tuque verè per fraudem, uti tetigimus, ab expeditione illîus negotii Procuratorem illum impediviſti, ad reſtitutionem ergo teneris. Lugo contra Valques. Et

172 Trigeſimó idem cum eodem Lugone omnino judicium facimus de eo, qui famulos Petri prætextu potationis, vel recreationis detineret, ut dómino aliquod damnum exinde ſequatur, quando detentio illa cauſa eſt damni dòmini, ad quod vitandum ex juſtitia tenebatur famulus. Item idem de eo, qui tabellarium literas in Curiam ferentem ad aliquod bonum impetrandum, detineret in itinere, quando ſcit ea de cauſa illud bonum impedimentum fore, quia tabellarius etiam ex officio debet citó ſe expedire, ut opportuno tempore intereſſe poſſit, idem de eo, qui teſtatorem teſtamentum, vel codicillum condere volentem in gratiam Petri, detineret illum, & deciperet falſa ſpe ſanitatis, vel longioris adhuc temporis, quod ad id faciendum habebit, in omnibus enim caſibus iſtis, & ſimilibus vera eſt fraus, & vera deceptio, conſequenterque qui illam committit, & ponit, ad reſtitutionem eſt obligatus.

173 Trigeſimoprimó ad reſtitutionem teneris, ſi etiam abſque vi, fraude, vel dolo alicui perſuaſiſti nè bonum aliquod indebitum illi conferas, vel dones, ſed hoc ex pravo, & malevolo animo feciſti, nempe ut Paulo damnum inferas, quin aliquod aliud motivum haberes. Id quod jam reſolutum eſt ſuprà, & ex *Div. Thom.* Pro quo legantur *Salmant. ſup. num.* 20. & 103.

174 Trigeſimoſecundò ad reſtitutionem non teneri Religioſos, (& ſi contra Clementinam primam de Privileg. operentur, ſubindeque mortaliter peccent) qui, etiam ſine vi, fraude, vel dolo, teſtatores retrahunt à faciendis legatis Matricibus Eccleſiis, ut ea ſibi, ſuis vel propriis Monaſteriis relinquant; & ita cum Lugone, & Sanch. Salmant. legendi cit. cap. 1. P. 4 num. 100. à verſ. *Excipe caſum.*

175 Trigeſimotertiò qui aliqua conditione caret, ad hoc requiſita, ut ſuffragium ſuum alicui conferre poſſit, & nihilominus illud det Petro, ex quo provenit, ut Paulus non obtineat aliquod bonum, quod aliàs obtenturus erat, ſi tale non fuiſſet ſuffragium, ad compenſandum omne damnum Paulo ſequutum tenetur, quia per fraudem iniquè impedivit eum ab aſſequutione talis boni. Legatur *Sanch. in Conſil. lib. 2. cap. 1. Dub. 52. & 53.*

176 Trigeſimoquartó Mercator, qui vi, fraude, dolo, vel mendaciis impedivit, nè ad Civitatem aliæ afferantur merces, ſive concurrant, ut ſic ipſe merces ſuas cariùs vendat, non tantùm Reipublicæ, ſive ementibus exceſſum

preti, sed etiam Mercatoribus aliis omne lucrum cessans restituere tenetur, quia utrique damnum inquum est, & injusta causa. Legatur *Sanch. sup. Disp.* 39. *n.* 25.

177 Trigesimoquintò Capitularis ille, qui absque justa, & rationabili causa Novitio per ordinem ad Professionem denegat votum, sive suffragium, alias dubio modo aliter peccat, non solum contra charitatem, ut ex se clarum est, sed etiam contra communitativam Justitiam, cujus (multis aliis missis) ea est ratio: quia Coenobium, & Novitius inter se (saltem tacitè) ineunt contractum: Novitius siquidem temporalibus omnibus renuntiando habilitatem tam ingrediendi examini, judicioque Judicum discutiendam subjicit; Coenobium verò Examinatores, Judicesque constituit, qui de ea sententiam ferant, si quis Capitularium ergo juxta Novitii merita sententiam non ferat, contra dictum contractum, & contra Justitiam revera peccat.

178 Neque valet dicere quòd, sicut Novitius pro libito sine causa, & sine injustitia ullo egredi potest, sic Capitularis quidam pro libito suo, & sine ulla justa causa suffragium suum, ut expellatur, conferre potest, quia per hoc illicitè agat.

Non valet, inquam, (sed hoc ignoranter proferunt, communeque est alienum à ratione, follique dictum à cespite in mente non tantùm quia pro libito hoc egredi posse docetur ab omnibus, & à nullo contra (sine pro libito, & sine justa, & rationabili causa expelli posse. ¶ Non quia ex egressu Novitii Coenobium notabile grave patitur damnum, bene tamen Novitius, si expellatur ad id meritò ab eo non datis, ut non bene cellens patebit. ¶ Imo grave damnum & coram ipsamet Religione patitur, & Novitius ad eum movens, & apud sine ea conabile, & justa causa ab eo expellatur: facit ergo ille & contra Novitium, & contra ipsammet Religionem, qui sine causa justa, & pro sue capitis ideo Novitio suffragium negat ex fine, ut expellatur, & cùm res de re gravissima sit, & in materia contractûs, non potest non esse contra Justitiam mortale peccatum. &

Ut Capitularis, ignorantis illius oculorum mentis liquide sortè de medio omnino tollatur, lego, (si bene legere tanis) Doctorem Angelicum sup. à nobis adductum num. 28. verbis quos hic adscribo: [illegible] Sed nihil firmatum est Novitio dare Professionem, nec Professionem, habitus, & bene procedit: quia ergo hoc nondum est, si forte unum ex alio bene scit inferre.

CAPUT II.

De obligatione restituendi, quam habent ii, qui ad alterius damnum cooperantur.

HUcusque egimus de Restitutione in communi, de causaque principali, quæque alteri immediatè per se damnum aliquod inferebat alteri; de aliis causis nunc agere restat, quæ non immediatè, & per se, sed mediatè, & per alios ad alterius damnum cooperantur, & quæ verè damni illati cooperatores dicuntur. Certum est enim, præter exequutorem damni, de quo nullii est dubium ad restitutionem teneri, alios dari, (& utinam tot non darentur) qui ad tale damnum coadjuvant, concurrunt, & cooperantur, de quibus in hoc cap. termo, cum rem concernentibus aliis, & de quibus videndum, an, & qualiter teneantur ad restitutionem. Novem ergo personarum sunt genera, quæ ad tale damnum concurrunt, vel concurrere possunt, quas *Div. Thom.* 22. *Q.* 62. *Art.* 7. *in corp.* (qui legendus & etiam in 4. *Dist.* 15. *Q.* 1. *Art.* 5. *Quæst.* 3.) versiculis comprehendit in istis, quosque apud omnes de hoc scribentes reperies, sunt igitur.

Quilibet in solidum reddat prius imperiato,
Fussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Ecce personæ, quæ furto, vel damno alterius concurrere, cooperarive possunt, quarum tres priores directè, seu positivè concurrunt, tres verò ultimæ indirectè, ac privativè: omnes tamen ad restitutionem tenentur, quando omnes per concursum suum efficaces damni causæ extiterunt: id quod omnes docent cum suo Magistro Doctore Angelico cit. Art. 7. ubi legendum: & id quod constat aperte ex damnatione Propos. sequentis ab Innocent. XI. facta (quæ est 39. in ordine) ita docentis: *Quis alium mutet, aut mutuet ad interficiendum graviter alterum tertio, non tenetur ad restitutionem sequi damnum illum.* Sed priusquam de personis dictis in particulari agamus, de omnibus illis quasi in genere aliqua dicere placet; provocque in

LE-

LECTIO I.

Dubitatur ergo an ad hoc, ut dictæ personæ de damno illato teneantur, necesse sit quòd quando concurrunt, ita illati damni sint causæ, ut sine illis tale damnum alteri factum non fieret, vel (quod in idem recidit) teneantur, etiam si sine illis fieret, putá sine hoc consulente, quia alius esset, qui ad hoc concursum suum præberet?

1 DIcitur quòd quantunvis daretur alius, qui eodem modo ad alterius damnum concurreret, si tu non concurreres, adhuc ad restitutionem teneris, si tu concursum tuum præstitisti de facto. Est vera, & communissima, ac cum doctissimo Joan. Martin. de Prado ex præclarissima Prædicatorum Familia, Caietan. Soto, Bonac. Villalob. Less. Lugo, Dicastill. & Covarrub. docent Salmant. sup. cap. 1. P. 5. §. 1. num. 110. cum Maldero, Escobar, Tambur. à Spirito Sancto in Decal. Tract. 10. Disp. 29 num. 1391. cum Salon, & aliis Trulhench. lib. 7. cap. 13. Dub. 1. num. 3. cum aliis Azor lib. 4. cap. 19. §. *Secunda opinio*, Molina Disp. 736. num. 5. §. *Potissima controversia*, multique alii, &

2 Probatur, quia eo in casu posito cooperans ad restitutionem damni, ad quod cooperatus est, non teneretur, quia illius causa non esset; sed est, vel fuit: ergo, &c. Probatur minor: quia eo non esset, quia, si ipse ad illud non cooperaretur, alius esset, qui cooperaretur; sed quanvis esset alius, qui ad illud cooperaretur, si tu non cooperaveris, id non tollit quòd tu sis causa damni, si de facto cooperaris: ergo, &c. Probatur hæc minor in naturalibus: quia falsum omnino est dicere quòd hic numero ignis alium ignem de facto producens, & faciens, non est causa illius ignis producti, & facti ex hoc quòd talis ignis productus, & factus ab hoc igne, ab alio produceretur, & fieret, si ab hoc productus, & factus non esset: ergo etiam in moralibus falsum est dicere quòd hic cooperans ad hunc effectum (nempe damnum) non est causa istius à se producti effectûs, ex hoc, quòd si ille ad illum non cooperaretur, alius esset, qui ad illum cooperaretur.

Confirmatur, quia ille, qui homicidium putà, aut furtum fecit, re vera ad restitutionem tenetur, quanvis ipse evidenter sciret quòd, si ipse tale furtum, vel homicidium non faceret, alius certò illud facturus esset, quis hoc negabit? Alioquin à nullo ipsorum restitutio facienda esset, si enim non teneretur malefactor, quia alius malefactor ejusdem damni daretur, neque etiam ipse teneretur, cùm eadem ratio maneat in utroque, sicque uterque de damno ad invicem se excusaret. Dicendum ergo est quòd ille, qui primus ad damnum influit, in se restitutionis onus suscepit, quod in se alius suscepturus erat, qui influxum præberet, si primus non influeret; sed quia re vera primus influit, & secundus non influit, primus, & non secundus manet cum onere restitutionis: qui ergo de facto concurrit ad alterius damnum, ad restituendum est obligatus, quanvis si non concurreret ipse, alius esset, qui ad illud concursum præberet. Contraria sententia *apud Azor ubi sup.* à non paucis docetur, & *apud Less. lib. 2. cap. 13. Dub. 2.*

3 Ex data doctrina resolvitur primò quòd, si famulus domini jussu damnum alterius intulit, dóminus ad restitutionem damni illati tenetur, licèt ipsemet famulus idem damnum per alterius jussionem, vel consilium efficeret, si prius dómini mandatum datum non fuisset. ¶ Idem dicitur, si tu Petrum occidisti, quem alius certò erat occisurus, si homicidium tu non fecisses. ¶ Idem, si tu rem furatus fuisti, quam esset alius furaturus, & sic in similibus casibus aliis, quia tu verè illius damni causa fuisti, habuisti enim verum influxum ad illam, vel illas actiones injustas, atque iniquas.

4 Secundò obligatum ad restituendum non esse consilium præbentem paratissimo, vel ei, qui jam ex se erat efficaciter motus ad damnum hoc, vel illud exequendum, quia tunc, casus, nullum influxum ad tale præstitit damnum, eo quòd ille alius jam omnino determinatus, & applicatus erat ad illud. Et hæ novem causæ cooperantes nullo modo restituere tenentur, juxta communem, si aliquo modo ad effectum damni non moveant, uti in præsenti contingit.

5 Tertiò neque teneri illum, qui minus malum illi suadet, qui jam efficaciter ad exequendum maius malum paratus erat, putà si ei, qui furari centum jam erat paratus, ut solùm quinquaginta furetur suadeas, vel parato occidere hominem, ut tantùm illum fuste, vel alapâ cædat, eumve tantummodo vulneret, aut mutilet. ¶ Sed, si in casu posito minus malum consulens ad exequendum illud coadjuvaret, abs dubio ad restitutionem damni sequuti teneretur, quia verè tunc influit, talisque damni efficax vera fuit causa.

6 Quartò, si uno ex dictis novem modis ad solam damni partem concurristi, putà consuluisti Petro quòd furripuisset centum, ille autem ducenta furripuit, tantùm tunc ad centum teneris; vel si parato furari centum suadeas ut furetur ducenta; tunc solùm ad centum teneris, quia non totius damni, sed partis tantùm causa fuisti, cùm alius ad aliam partem jam ex se motus, ac paratissimus esset. Legatur *Molina Disp. 736. & Salmant. sup. n. 109.*

7 Quintò, ſi conſuluiſti, mandaſti, &c. ſolùm ad exceſſum, & nullo modo ad ſubſtantiam, ſolùm ad exceſſum, & non ad ſubſtantiam teneris, putà Petro ex ſe efficaciter moto, jam, jamque ad equum furandum parato perſuaſiſti ut non nudum, ſed cum ſuis ornamentis furaretur illum, quia utilior erat ſibi cum illis; tunc ſolùm ad ornamenta reſtituenda teneris, quia Petrus ex perſuaſione, conſiliove tuo tantùm ad ornamenta, & non ad furandum equum fuit motus.

8 Sextò quòd, ſi conſilium tuum nullo modo induxit, & movit ad ſubſtantiam operis, ſed tantùm ad modum; putà ſi efficaciter furari volenti conſilium dediſti quòd non manifeſtè, ſed occultè, cautè, & in abſcondito id faceret, vel quòd non hodie, ſed ad craſtinum diem illud differret, vel conſuluiſti quòd malum illud, quod jam efficaciter volebat efficere, libentiùs, celeriùs, vel graviùs faceret, *nullo modo teneris ad damni ſubſtantiam*, ſed *ſolùm ad modum*, ſi fortè modus ille aliquod tertio malum induxit, quia quanvis tu ad illud damnum illo modo faciendum non moveres, adhuc, ut ſupponitur, alius efficeret illud, eſſó non cum illo modo: ſi ergo teneris ad aliquid, ad illius operis ſubſtantiam non erit, ſed tantùm ad ſequutum à modo, quia ad hunc tantùm, non verò ad illam per concurſum tuum alium moviſti, cùm alius ad ſubſtantiam antea jam motus, determinatuſque efficaciter eſſet. Communior, & cum *Div. Thom.* aliiſque multis (contra multos alios) docent *Salmant. ſup. legendi n. 111. & 112.*

9 Septimò quòd, ſi furem ad furandum paratum adjuviſti, ut parietes conſcenderet, vel furtum portandum, quæ omnia fur ipſe, licèt non ita facilè, feciſſet, ad reſtitutionem teneris; ſicut & etiam, ſi ad hoc ut latro faciliùs, tutiùs, vel ſecuriùs furaretur, vigil ab eo conſtitutus eras, & tu libenter in vigilando eras, ut ipſum, ſi fortè aliquis adveniſſet, admoneres voce, ſigno vel aliquo; & hoc, etiam ſi fur ipſe ſine te, ſineque vigilantia tua certè furaturus eſſet; quia quilibet iſtorum ad furandum adjuvandi modus re vera operis ſubſtantiam ingreditur, ad furtique ſubſtantiam pertinet, per illumque ad damnum inferendum verum auxilium præſtatur.

10 Idmet dicitur de eo, qui ut fur ad furandum aſcenderet, ſcalam tenebat, atque firmabat, nam ratio eadem videtur: (hunc ſcalam firmantem, & tenentem ad reſtitutionem non teneri, quanvis latro magis firmiter, & libentiùs furetur, ſi tamen ſine tali adjutorio latro furaturus erat, dummodo talis coadjuvans ex furto non participet aliquid, portet vel rem furatam, docent non pauci, pro quo legantur *Dicaſtill. ſup. Dub. 2. num. 26. & 27 Lugo Diſp. 19. num. 31. à Spiritu Sancto ſup. 1393.*) ſed excipitur caſus, quo ſcalam tenens, ac firmans id ſponte non faciat, ſed ſolùm per vim, vel metum in conſtantem virum cadentem: quia qui ita coactè operatur contra Juſtitiam non peccat, eo quòd id ſolum facit, ut ſe ab illa coactione eximat, ad quod jus habet. Et ob hanc rationem plurimi non inferioris notæ Theologi à peccato, onereque reſtitutionis liberant, & excuſant Chriſtianos illos captos à Mauris, vel Turcis, qui metu mortis adiguntur ad remos in Turcicis navibus impellendo in injuſto bello ab ipſis acto contra Chriſtianos, de quo nos jam alibi.

11 Octavò eum, qui ſuo pravo exemplo occaſio fuit, ut alii conſimile damnum inferrent, ad damnum per alios factum non teneri, veluti, ſi tu prius in vineam, vel hortum, ſive pomarium ad furandum, vel ad aliud malum inferendum fuiſti ingreſſus, unde alii ad ſimile exequendum malum ſe etiam moverunt: nam, licèt hic ſuo malo exemplo contra charitatem peccaſſet, non tamen damnorum ab aliis factorum ad reſtitutionem tenetur, eo quòd ad injuſtitiam per alios exequutam nullum concurſum poſitivum præbuit, neque tanquam cauſam in eo inferens ſe habet, ſed ſolùm tanquam pura, & mera occaſio, tunc quippe alii à ſua mera malitia, & ex ſe ſolùm moti illud exequuti ſunt malum, licèt exemplo excitati eſſent, ac veluti invitati. Et nemo ad reſtitutionem tenetur, niſi ſolùm quando per ſe malum infert, aut eſt cauſa influens in alios; ſecus verò quando eſt pura, & mera occaſio. Cum aliis *Salmant. legendi ſup. num. 114.* ibi doctrinam extendentes ad conſimiles alios.

12 Nonò quòd, ſi duo ſimul moveant alterum ad alterius damnum, & ex utriùſque pariter conſilio alter motus damnum exequatur, ambo cooperantes, & moventes ad damnum æquè ad reſtitutionem totius exequuti damni tenentur: quia, licèt ille alter ex ſolo conſilio unius motus damnum illud exequutus fuiſſet, de facto tamen conſilio utriùſque ad illud inferendum fuit motus, conſequenterque utriùſque conſilium verè in illud damnum influit, illiuſque vera fuit cauſa, quanvis non ita taliter, ut ſine ipſo damnum non fieret. Legatur *Lugo ſup. n. 12.*

13 Hic tamen advertendum quòd, ſi poſt factum, debitaque diligentiâ poſita, ad recognoſcendum (quia dubius de eo extas) an tua actione efficaciter cooperatus ſis, veritatem detegere nequis, ſed adhuc dubius permanes, liberà reſtitutione manes, quia in dubiis melior eſt poſſidentis conditio, tu autem dubitans libertatem tuam, pecuniamque tuam poſſides,

de

de illatoque damno dubitas, & idem dicitur, quando certus es te damnum verè fecisse, putà aliquem te percussisse, dubitas verò an illius mortis verè sis causa. Cum multis *Trulhench. lib. 7. cap* 13. *Dub.* 1. *cum Div. Thom. multis & aliis Salmant. sup. num.* 113. estque communis, & de quo nos jam etiam alibi.

LECTIO II.

De jubente, sive mandante.

14 NOvem ad alterius damnum cooperantium causarum genera esse diximus sup. & suppositis iis, quæ de illis quasi in communi sup. retulimus, nunc ad illas in particulari considerandum oportet accedere; & quia primo loco ponitur jubens, vel mandans, de illo sermo primo loco erit. Nomine igitur mandantis, sive jubentis intelligimus (juxta *Div. Thom.* 22. *Q.* 62. *Art.* 7.) quemcunque, qui mandato suo, sive jussione tacitè, vel expressè causa est damni injustè illati; tacitè quidem, si coram subditis quis contristetur, & indicet sibi hoc, vel illud de se iniquum gratum fore, sive id verbis, aut signis fiat; expressè autem, si imperio suo, mandato vel alicui dicat ut rapiat, furetur, interficiat, non solvat id, quod ex justitia debet, aut quòd damnum aliquod aliud injustè exequatur.

15 Advertendum tamen quòd ad hoc, ut jubens, vel mandans (& idem omnino de aliis concausis) ad restitutionem teneatur, necessum omnino est quód damnum de facto sequatur, & etiam quód damnum ex imperio suo, vel mandato sit factum, si damnum nanque illud à mandatario non fuit exequutum, ad nihil mandans tenetur, licèt re vera in illud mandando peccasset. ¶ Similiter, si mandatarius damnum illud exequutioni mandavit, non tamen ex mandantis mandato, vel imperio motus, quia illud idem efficaciter efficere aliunde decreverat, tunc, casus, mandans ad resarciendum damnum nullo modo tenetur, eo quód ex imperio suo non fuit damnum illud sequutum. Communis Legatur Sanctus Doctor ubi proximè. Quo ita posito,

16 Rogabis primó an qui tacitè, vel expressè mandato, imperio vel suo famulum, filium, &c. ad damnum aliquod alteri inferendum movit, sive mandavit, teneatur ad resarciendum damnum alteri à suo famulo, filio, &c. datum? Dicitur quòd non solùm tenetur ad hoc, sed etiam ad restituendum mandatario quidquid detrimenti mandatarius ex ipso facto recipiet; prima pars constat ex supradicta condemnat. Propos. 39. sup. exarata; talis enim mandans causa fuit illius damni alteri dati; tenetur ergo de damno illato. ¶ Secunda autem pars probatur *à Rebello lib.* 2. *Sect* 3. quia præceptum dòmini non solùm nolentes inducit, sed etiam eos quodammodo injuriosè cogit, vimque quandam coactionis habet; & præter Rebel. idmetipsum cum plurimis docet Dicastill. Tract 2. Disp 4. Dub. 3. cum Villalob. Trulhench. lib. 7. cap. 13. Dub. 1. legatur Azor 3 P. lib. 4. cap. 10. §. *Tertiò quæres* circa medium. Legantur Salmant. sup. P. 5. §. 2. num. 115.

17 Secundò rogabis an, si dóminus non expressè, nec tacitè damnum præcepit, famulus tamen ipsius dòmini nomine intulit damnum, qui postea sciens crimen, vel damnum nomine suo esse patratum, illud approbaverit, ratumque habuerit, teneatur ad restitutionem? Respondetur negativè (in casu, quo per ratihabitionem suam non fuit causa ut qui damnum intulit, non restitueret, secus autem, si hujus fuit causa.) Ratio est: quia ratihabitio illa non fuit causa damni antea dati, eo quòd est posterior illo, & causa influens, sive efficiens effectu suo posterior esse non potest. Neque contra illa regula facit, quæ dicit: *Ratihabitio retrotrahitur, aut mandato comparatur* de sent. excomm. in 6. quia regula illa locum solùm habet in contractibus cum alio nomine ipsius celebratis, nulloque modo ad effectum restituendi extenditur, bene tamen quo ad malitiam peccati, judicialemque punitionem, de quo jam in Tract. de Censuris est habitum. Communis, & cum multis *à Spiritu Sancto Tract.* 10. *Disp.* 19. *Sect.* 2. ibi bene cum aliis addens ratum habentem homicidium suo nomine patratum irregularitatem non incurrere, quia hæc non incurritur, nisi in casibus à Jure expressis, casumque hunc de ratum habente homicidium quo ad incursionem irregularitatis expressum in Jure non esse.

18 Rogabis tertió quid, si scias nomine tuo alteri damnum inferendum esse, & non impedias, cùm id commodè efficere possis? Dicitur tunc, casus, te contra charitatem peccasse, non tamen contra justitiam, consequenterque ad restitutionem te non teneri, nisi ex officio damnum illud impedire tenearis, saltem vel aliquem in damnum illud concursum præbeas, uti si sis præsens, & taceas, cùm qui necessarii tractant de damno alteri dando, eo quòd gratam rem tibi futuram putant, ex qua taciturnitate ad illud inferendum moveantur. Legantur *Rebel. & Trulhench. sup. ac Salmant. sup. num.* 119.

19 Quartò rogabis an mandans teneatur in conscientia restituere damnum ex mandato sequutum casu fortuito, quod est idem, ac quærere nunquid quando quis jussit occidere Petrum,

Petrum, mandatariuſque Joannem occidit, judicans eſſe Petrum, ad reſtitutionem teneatur mandans? Affirmativè reſolvitur: quia mors illa immediatè ex illo imperio fuit ſequuta, & omnino per accidens eſt quòd iſte, vel ille occidatur. Confirmatur: quia mandans tenetur ad omne id, quod ex mandato ſuo veroſimiliter contingere poteſt; ſed damnum illud ex mandantis imperio veroſimiliter accidere potuit, quia frequenter homines errare ſolent, unumque judicare pro alio, cùm igitur illud de facto accideret, tenebitur reſtituere mandans. Et hinc

20 Sequentes, conſimileſque caſus reſolves, primum. Famulo ſuo mandavit Petrus ut Antonium occideret; famulus autem errore ductus non Antonium occidit, ſed Paulum, tunc ad omne damnum ortum ex nece Pauli tenebitur Petrus; quia, licèt Pauli necem non cogitaverit, nec voluerit, nex tamen ſequuta fuit ex illo ſuo mandato.

Secundum. Occidere Antonium mandavit, quem occidere miniſter non potuit, niſi comburendo domum Antonii, ipſumque Antonium, Paulum, &c. combuſſit mandatarius omnes; ad omnia hæc ſequuta damna mandans tenetur, quippe omnia ex illo periculoſo imperio, & mandato promanarunt.

21 Tertium. Juſſit Petrus Franciſco quòd Antonium tantùm vulneraret, ſed Franciſcus modum involuntariè excedendo illum occidit; ad omnia damna ex morte ſequuta tenetur Petrus, ex tali enim mandato, ac percuſſione ſæpe mors citra voluntatem evenire ſolet, quod tenebatur cogitare mandans, atque evitare, & ſi non cogitavit, ac evitavit, ad omnia damna tenetur. Præterea, nam ille mandavit vulnerare, ac percutere ferro, & non eſt tam facile ita attentè in tali caſu emittere ferrum, aut ferro percutere, ut ſolùm vulneretur, & non occidatur, quodque vulnus ex ſe non ſit mortale.

22 Quartum. Sed ſi mandatarius mandati terminos, ac fines exceſſit, cùm in illius poteſtate eſſet illos ad unguem ſervare, ad reſtitutionem exceſsûs non tenetur mandans, ſed mandatarius, uti in caſu de combuſtione patet, in dicto enim caſu, ſi mandatarius eum, quem mandans occidere juſſit, occidere valuit, quin domum ejus, &c. combureret, tunc, caſus, mandans ſolùm ad damnum ex occiſione ſequutum tenetur; cætera autem damna ex combuſtione ſequuta reſtituere tenetur ipſe mandatarius. Legatur *Azor tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 10. *ac Trulbench. ſup. num.* 6.

23 Quintum. Franciſcus mandavit Petro ut interficeret Antonium Clericum, Petruſque ex errore Clericum Paulum occidit; in hoc caſu mandans de homicidio tenetur, incurritque excommunicationem, & irregularitatem ex homicidio caſuali; cum multis *Trulbench. Decal. lib.* 5. *cap.* 4. *Dub.* 2. *n.* 4. *& alii.*

24 Rogabis quintò an mandans (conſulens ad id non tenetur) damna ea, quæ mandatario mandatum exequenti ſequuntur, reſtituere teneatur? De hoc jam ſup. num. 16. tetigimus, modò ſub diſtinctione reſolvitur, & dicitur quòd, ſi mandatarius ſubditus erat mandantis, tunc mandans tenetur de omni damno ipſi mandatario ſequuto, id quod conſtat ex dictis; ſi autem mandatarius ſubditus non erat, ſed ſolùm gratis, aut ex ſtipendio mandatum accepit, tunc de damno ſequuto non mandans, ſed ipſe mandatarius tenetur, quia tunc mandatarius voluntariè periculo illi ſe expoſuit, & conſentienti, & volenti non fit injuria. Cum multis *Salmant. ſup. num.* 118. *& alii.* Et hinc

25 Reſolvitur quòd, ſi mandatarius iter faciens ad exequendum mandatum, putà ad occidendum, in via periit fulminis ictu, ſuffocatus flumine, necatus ab hoſtibus, & ab illis expoliatus, de damno mandatario ſequuto tenetur mandans, ſi iter per viam tutam arripiens hæc omnia patitur, quia hæc omnia ei obvenerunt ex illo mandato.

26 Non tamen tenebitur mandans de damno mandatario ſequuto, ſi voluntariè tutam viam ipſe relinquens, periculoſam elegit. ¶ Et idem, ſi in poteſtate mandatarii erat ſervare fines mandati, & illos exceſſit, uti ſi Petrus mandavit Franciſco ut Paulum in abſcondito, ſecretoque occideret loco, ipſeque publicè, vel in platea eum occidit, ex quo mandatario grave damnum ſequitur; tunc enim mandans de occiſione tenetur, non tamen de damno, quod mandatario ex non obſervantia mandati fuit ſequutum. ¶ Si tamen Petrus Franciſco mandavit ut abſolutè occideret Paulum, Franciſcus verò non occidit, ſed tantùm vulneravit, adhuc mandans ad reſtitutionem tenetur de damno ſequuto, quia qui vult illud, quod eſt magis, vult etiam illud, quod ſit minus. Communis.

27 Sextò rogabis utrùm, ſi mandans revocavit mandatum antequam mandatarius illud impleret, (vel hoc mandans per ſemetipſum feciſſet, aut per nuntium, vel per epiſtolam, id quod eſt illud revocare expreſsè; aut hoc nutu, vel facto feciſſet, quo voluntatem ſignificavit contrariam, veluti ſi in gratiam, priſtinamque amicitiam rediret ejus, cujus injuriam, damnumque mandaverat, aut ſi cum eo affinitatem voluntariam contraxit, id omne, quod eſt tacitè revocare mandatum) ad reſtitutionem teneatur?

28 Dicitur quòd, ſi revocatio mandati ad

aures,

aures, vel notitiam mandatarii pervenit antequam exequeretur mandatum; effectus postea sequutus, non mandanti, sed mandatario imputabitur. Ratio ostenditur: nam mandatum solum influit dependenter à mandantis voluntate; sed mandatum revocatum jam à mandantis voluntate non pendet, ut patet: non ergo in effectu à mandatario exequuto ullo modo influere valet; si igitur, mandati revocatione suppositâ, adhuc mandatarius operatur, non virtute voluntatis mandantis, sed in virtute voluntatis, malitiæque suæ operatur: in dicto ergo casu non mandans, sed solùm mandatarius ipse ad restitutionem tenebitur.

29 Confirmatur: (& me judice, satis efficaciter) nam demus quòd Petrus hîc, & nunc mandatarius Franciſci per ordinem ad occisionem Pauli Paulum occideret antecedenter ad Franciſci mandatum; tunc, casus, non Franciſcus, sed solùm Petrus de damno sequuto teneretur, & hoc non propter aliam rationem, nisi quia tunc, casus, Franciſcus non esset mandans, neque Petrus ejus mandatarius: sed, mandati revocatione suppositâ, quæ jam mandatario constat, jam Franciſcus in hoc casu non est mandans, nec Petrus ejus mandatarius; si igitur Petrus postea ad exequutionem mandatum mandet, suæ culpæ, malitiæque suæ imputabitur, consequenterque ipse, nonque mandans ad restitutionem tenebitur. Communis, & cum plurimis *Dicastill. Tract. 2. Disp. 4. Dub. 4. num. 52. Trulbench. sup. cap. 3. num. 2. á Spiritu Sancto sup. Sect. 2. num. 1397. ac Salmant. sup. n. 115.*

30 Si verò revocatio mandati ad mandatarii notitiam non pervenit, tenebitur quidem mandans ad restitutionem, sequuto damno, quanvis revocatum habeat mandatum. Ratio datur: quia mandantis mandatum efficax causa fuit damni sequuti, & non fuit taliter revocatum, ut impedire posset exequutionem mandati. Communis. ¶ Item tenebitur, & si revocatio mandati ad mandatarii notitiam pervenerit casu, quo mandatarius judicaverit tale mandatum ferìò à mandante revocatum non esse, sicque proinde intulit damnum ex vi prioris illius mandati. Ratio est: quia tunc primum mandatum efficaciter non fuit impeditum, & hoc absque culpa mandatarii, eo quòd in tali casu ex ignorantia invincibili judicavit revocationem non ferìò, sed fictè fuisse factam. Legatur *Lugo sup. Disp. 19. num 26. ac á Spiritu Sancto suprá.*

31 Rogabis septimó an, si damnum Petro fieri mandans pœnitentiâ ductus non jam vult exequutionem mandati, mandatarium opportuno tempore ut à mandato desistat admonere non valeat, teneatur admonere Petrum, ut sibi consulat, damnum effugiat sibi præparatum? Dicitur quòd ad id tenetur cum minori, vel æquali damno, non autem cum damno maiori; cum minori quidem, vel æquali tenetur, quia, dato casu quòd jam damnum (in fortunæ bonis) esset illatum, est certum quòd mandans cum minori, vel æquali damno illud resarcire tenetur: pari ergo ratione, seu à fortiori illud, antequam sit exequutioni mandatum, meliori modo, quo poterit, impedire debet: ex suppositione ergo, quod id per mandatum efficere nequit, debet, & tenetur eum admonere ut sibi consulat, præparatumque sibi damnum evitet, dum sibi maius damnum ex hoc non eveniat, evenire vel queat; si enim hoc ex admonitione tali sequatur, sequi vel probabiliter possit, tunc eum, ut tactum est, monere non tenebitur, quia sicut ad restituendum cum maiori damno proprio obligatio non datur, ita pariter in hoc nostro casu cum maiori damno damnum impediendi obligatio non erit. Legatur *Lugo sup. & á Spiritu Sancto sup. num. 1398.* Et hinc sequentes, consimilesque casus.

32 Resolves primò. Injustè Petrum accusasti de crimine falso, propter quod interficiendus est, patibulo vel jugulandus, aut suspendendus; postea eum liberare prætendis, sed id efficere nequis, nisi calumniam tuam manifestando, quam si manifestas, certè eademmet plectendus es pœnâ, tunc, casus, debes, & teneris te, vel tuam calumniam manifestare, etiam cum propriæ vitæ dispendio.

33 Secundò mandasti Petro damnum in fortunæ bonis inferre, illud postea, & si velis, nullatenus impedire vales, nisi cum proprio damno vitæ, vel famæ, aut fortunarum damno longè maiori; non teneris damnum illud impedire, teneris verò, si damnum, quod passurus es in fortunæ bonis, vel est minus, aut æquale. Communis.

34 Octavò rogabis an mandans comprehendatur in Lege, vel Statuto, quod delictum perpetratum punit, debeatque eadem pœnâ puniri, qua delictum exequens punitur? Alii absolutè asserunt, alii distinguunt, & dicunt quòd, si verba Statuti, vel Legis in rem ipsam referuntur, uti si Lex dicat: Furtum, homicidium, adulterium, falsum testimonium, &c. hac, vel illa pœnâ plectatur, quo casu verba in ipsum delictum directè diriguntur, tunc verè, & propriè comprehendit mandantem; si autem Lex, vel Statutum in ipsam personam directè dirigatur, uti si dicatur in Lege: Qui commiserit, vel patraverit furtum, homicidium, adulterium, falsum testimonium, &c. hanc, aut illam pœnam luat, tunc solùm mandatarium delictum exequentem, non verò man-

mandantem comprehendit, subindeque mandans non debet pœnam illam luere; nisi fortè mandatum dederit servo, famulo, alterive sibi subdito; id quod habetur in cap. *Sicut dignum*, §. *Qui verò de homicid. & L. Non solùm, si mandato*, §. *Mandato*. Legatur Azor ubi sup. cap. 10.

LECTIO III.

De consulente.

35 NOmine consulentis juxta *Div. Thom.* 22. *Q.* 62. *Art.* 7. ille venit, sine quo delictum fieri non potest, sub cujus nomine intelligitur non solùm ille, qui consilium ad malum alteri præbet, sed etiam qui petit, hortatur, rogat, instruit, utilitatem, aut commoda ad illud faciendum proponit, munera promittit, blanditiis inducit, rationibus persuadet, quid vel consimile facit, aut dicit, unde alius ad alteri damnum inferendum moveatur; quo sic habito,

36 Rogabis primò quibus in casibus consulens ad restitutionem teneatur? Dicitur teneri quando per consilium tuum efficax est causa damni, sive consilium ad malum scienter præstet, aut ex ignorantia vincibili, & culpabili. Est *Div. Thom. ubi sup.* DD. quæ commune placitum. Et

37 Probatur: quia consulens est moralis causa damni, mediante motivo, quod subministrat damnificanti, sicut mandans est moralis causa damni, mediante imperio, quo operantis voluntatem ad opus impellit; sed quia mandans moralis est causa damni, mediante suo imperio, tenetur de damno alteri sequuto, ut dictum manet: pariter ergo, si consulens est moralis causa damni, mediante consilio, vel motivo, quod præponit, tenebitur quidem ad restitutionem. Confirmatur; quia *dans causam damni damnum dedisse videtur, cap. Si tua culpâ de injur.* & damno dato, vel; qui est *causa causæ, est causa causati*; sed consulens per suum consilium damni causa dedit quatenus in mentem alterius imbuit influxum ad damnum inferendum, ad quod determinatus non erat: ad restitutionem ergo tenebitur, consiliarius enim, uti supponitur, motus fuit ad malè agendum ex consilio accepto. Et hinc

38 Resolves primò quòd, si certus sis consiliarium ex tuo consilio motum ad inferendum damnum non fuisse, sed aliunde, tunc ad restitutionem non teneris, quia tunc efficax illius damni causa non fuisti. ¶ Si autem dubitas an ad illud damnum agendum ex tuo consilio fuisset motus, tunc illi illud seriò interrogare teneris, & si non fuisse serio respondeat, ad nihil teneris propter eandemmet rationem, quia si malefactor sit fide dignus, & aliæ circumstantiæ id ipsum persuadeant, illi credere debes. ¶ Sed si adhuc post responsionem dubius maneas, non teneris etiam restituere: in dubiis nanque melior est possidentis conditio, in hoc tamen casu ad restituendum paratus esse debes, quando sciveris consilium tuum damni causam fuisse. Cum multis *à Spiritu Sancto sup. Disp.* 29. *Sect.* 3. *n.* 1405.

39 Secundò ad restitutionem teneris, etiam si post damnum factum damnum inferentem ex tuo consilio admoneas quòd restituat, ipse tamen non restituit. Ratio exhibetur: quia tu tuo illo consilio damni illati causa efficax fuisti, teneris ergo efficaciter damnum datum reparare, quando exequens damnum id non exequitur. Cum multis *Dicastill. sup. Disp.* 4. *Dub.* 4. *num.* 59.

40 Tertiò non teneris, si ei, qui paratus est ad magnam pecuniæ summam furandum, consilium dedisti ut non tantam, sed minorem summam furriperet; & hoc etiam in casu, quo fur nihil restituat, quia de minori damno consilium dando domini negotium utiliter egisti. *Azor lib.* 4. *cap.* 11. multique alii.

41 Quartò, si ducenta furari volenti ut trecenta furaretur consuluisti, tantùm ad centum restituendum teneris, quia ad hæc tantùm consilio tuo latronem movisti, cùm aliunde jam latro ad alia ducenta motus efficaciter fuisset; id quod jam constat ex dictis, dum sermo fuit de mandante.

42 Quintò teneris, si Petro consilium dedisti ad furandum, vel occidendum Paulum, quod idem consilium ei alius certò daturus fuisset, si tu illud ei non dedisses; cum aliis *Trullench. sup. n* 2. *& 7.* ac etiam constat ex dictis. Legatur *Less. lib.* 2. *cap.* 13.

43 Sextò non teneris, si ancipiti à quo ex duobus centum furetur, consilium dedisti, ut potiùs à Petro, quàm à te, vel amico, aut consanguineo tuo illud furetur, quia tunc, casus, non inclinas ad furandum illum, nec ad hoc illi consilium præstas, cùm supponatur ad id eum esse efficaciter motum. Legatur *Lugo Disp.* 19. *num.* 54. *& Tambur. Decal. lib* 5. *cap.* 1. § 4. *n.* 11. *ac* 64.

44 Septimò teneris, si jam determinato ad furandū huic, putà Petro eum consilio tuo inclinas, ut ex bonis Pauli, non autem Petri furripiat; quia non est defendendus innocens cum damno alterius æquè innocentis, nonque sunt facienda bona, ut inde eveniant mala. ¶ Sed excipe, nisi Pauli damnum adeò leve esset, ut ipse ad evitandum maius alterius damnum ex charitate leve damnum illud pati teneretur, tunc enim alius dives rationabiliter invitus videtur non esse. Cum aliis *à Spiritu Sancto sup.* 1404.

45 Octavò

45 Octavò non teneris, si omnino determinato ad furandum in communi tantùm, & non alicui in particulari, suadeas ut à divitibus potiùs, quàm à pauperibus furetur; quia sicut omnino ad fornicandum determinato consulere nè cum consanguineis, vel uxoratis, &c. fornicetur, sed si fornicetur, tantùm simplicem fornicationem committat, dicitur quòd non est peccatum, & sicut paratum ad Civitatem magnam aliquam in communi comburendum consulere licet quód potiùs parvum vicum, quàm Civitatem magnam comburat, eo quòd tunc non consulitur malum, sed minus malum, ita pariter in nostro casu: id, quod intellige, dummodo alia via non sit ad illud maius evitandum malum. *Trulhench. sup. n.* 10.

46 Nonò non teneris, si accipiens consilium ad aliquid mali faciendum, ex tuo consilio damnum aliquod passus est, quia liberum ei fuit consilium illud non acceptare; scienti enim, & volenti non fit injuria; cum aliis *á Spiritu Sancto sup. num.* 1401. qui ibi num. sequenti ait quód, si consilium fuit ad duellum putà, & qui consilium accepit, occisus est, consilium dans irregularis non manet, quia irregularitas ex consilio homicidii non est in Jure inflicta, nisi consilium directè ad occisionem tendat, id quod in præsenti non accidit.

47 Decimó teneris, si tuum consilium se solo non ita efficax fuisset, ut movisset, conjunctum tamen cum aliis movet, sive consilia partialia alia sine tuo efficacia fuissent, aut non: quia, licèt se solo non fuisset, re tamen ipsa circunstantiis in ipsis consilium tuum efficax est causa damni, uti etiam tum fuisset, si nullum ex partialibus consiliis fuisset se solo sufficiens, sed tantùm conjunctim. Pro quo facit *L. 21. §. Si duo, ff de furtis*, qua dicitur: *Quando plures portant aliquod pondus, quod nullus per se portare sufficeret, tunc omnes tenere in solidum ad restitutionem totius damni.* Legatur Lugo Disp. 19. n. 8. & 82.

48 Undecimó teneris, si furi post octo dies furari parato suades quòd potiùs hodie furetur, quia fur interea impediri posset, vel voluntatem mutare, consequenterque consulens jam quo ad substantiam efficax causa est damni. *Molina Disp.* 736. *num.* 3 ¶ *Lugo tamen sup. num.* 15. excusat, si non absolutè furari suasit, sed tantùm circunstantiam temporis, eo quòd certò prævidebat post octo dies maius damnum fore causandum.

49 Duodecimó non teneris, si fur tibi mortem minetur, nisi ei alienam rem, quam furari vult, ubi est ostendas, metuque mortis ei ostendisti; & id verum esse dicitur, etiam in casu, quo furi dicas: *Ibi est, accipe*, nanque per hoc damni causa non fuisti, quia damnum illud semper illatum fuisset, rei ostensione supposita, & si illud furi non dixisses. ¶ Neque teneris, si fur tibi dicat: *Ostende mihi Petri thesaurum, aliàs, quod tuum est, auferam*, eique Petri thesaurum ostendas, quia ad Petri thesaurum determinatus erat, cum tantoque damno tuo non tenebaris non ostendere. ¶ Si autem ipse tibi jubeat quòd thesaurum tuum ostendas, tuque loco tui alterius ostendisti thesaurum, teneris, es enim tunc, casus, causa damni alterius, quia fur non ad alterius thesaurum, sed solùm ad tuum determinatam voluntatem habebat.

50 Secundò rogabis an, si ad aliquod inferendum damnum consilium præbuisti alicui, & postea pœnitentiâ ductus consilium revocasti, ad restitutionem tenearis, damno à consiliario exequuto? Hic communiter, & bene distinguunt Theologi, dicuntque quód aut consilium datum est circa aliquam veritatem detegendam, veluti utrùm contractus iste, vel ille sit legitimus; nunquid hoc, vel illud opus exerceri valeat? Et tunc, casus, communiter dicitur consilium dantem à restitutione excusari, si consiliario dicat se in tali consilio dando errasse, vel consilium à se datum minimè veritati fuisse conforme, sive aliter sententiam, consilium vel tuum retractando, & ostendens se ex syncero, & serio animo loqui, nanque tunc sufficienter tollitur motivum, quod operantem ad inferendum damnum impellebat, quod erat consulentis authoritas; & si hoc non obstante adhuc consultus, vel consiliarius operetur, non consulenti tanquam damni causam, sed consultoris malitiæ totum illatum tribuetur damnum. In hoc DD. conveniunt.

51 Aut datum fuit consilium, ostendendo, vel proponendo utilitatem, commoditatem, vel honorem illius, cui datur, putà dicendo: Expedit tibi inimicum tuum occidere; à Petro vindictam sumere debes, aliàs apud populum infamatus, ac sine honore manebis; aut si dicat quibus modis, vel viis hoc, aut illud malum exequutioni mandari queat. Est duplex sententia, quarum prima negat, secunda affirmat (hancque secundam fuisse probavimus alibi. Legantur Salmant. Tract. de Censur. cap. 1. P. 12. & de Restit. cap. 1. P. 3. §. 2 n. 17. Trulhench. sup. cap. 13. Dub. 2 §. 1. n. 3. Dicastill. sup. Dub. 4. num. 62. Amicus Disp. 30. num. 9. Lugo Disp. 19. Sect. 2. num. 37. á Spiritu Sancto sup num. 1402. Azor lib. 4. cap. 11. §. *Secundò quæritur*, Less. cap. 13. Dub. 3. num. 18. unde juxta dicta num. 50 & hanc secundam sententiam

52 Resolves primò. Es Doctor, sive Magister, accedit ad te aliquis, & rogat ut circa rem hanc, vel illam veritatem ei detegas, dicas

purà an licitus, vel non ſit talis contractus, nunquid ſit uſurarius, an in hoc caſu ad reſtituendum ſit obligatus, nunquid hæc medicina ſit bona? & hujuſmodi. In hoc caſu ei conſuluiſti veritati contrarium, cæterùm antequam poſtea conſilium tuum exequutioni mandetur, conſilium revocaſti, illique dixiſti te in conſulendo fuiſſe deceptum; tunc ad reſtitutionem non teneris, quia jam tunc operans à conſilio, ſive authoritate conſulentis ad operandum non movetur, cùm conſulens contrarium fateatur.

53 Secundò honeſtæ fœminæ ad abortandum conſilium dediſti, vel ut ſtatim, ac parturiret, occideret fœtum, ut ſic evitaret infamiam; peccaſti, & reſtituere teneris, ſi aliquod inde damnum tertio naſcatur, quamvis ante fœminæ factum conſilium revoces, quia adhuc conſilium tuum influit propter motivum, quod propoſuiſti evitandæ infamiæ. ¶ Utrùm autem tunc, caſus, irregularitatem incurras? Variant DD. Vide *Lugonem ſup. n. 39. ac à Spiritu Sancto ſup. n. 1402.*

54 Tertiò adulatione, laudibus, vel opprobriis ad aliquid contra Juſtitiam faciendum Franciſcum moves, & ex illis motus Franciſcus exequitur opus, antecedenter tamen ad operis exequutionem contrarium illi ſuades, vel ſuadere contendis, teneris propter eandem rationem.

55 Quartò ad furtum conſilium Petro dediſti, illud, quod ipſe ſtatim non acceptavit, ſed poſtea de re illa, ſimulque de conſilio dato apud ſe cogitando, conſilio tuo adhæſit, & ex eo motus furtum commiſit; teneris, quia conſilium tuum illius dati damn. fuit cauſa, efficaciterque ad furtum movit, ſubindeque ad tale furtum per conſilium tuum cooperaſti.

56 Quintò teneris, ſi conſiliarius es Principis, vel Regis, illique conſuluiſti ut Lex injuſta, Statutum vel injuſtum condatur, vel ſi illi rationibus perſuaſiſti, ut ab eo injuſtum tributum vaſſallis imponatur, ut bellum injuſtum inferatur, ut aliquid aliud injuſtum ab eo exequatur, exequi aut jubeatur; id omne, quod commune eſt.

57 Hic ſe offerebat inquirere an conſulere peccatum, quod eſt levius, ad evitandum peccatum, quod eſt gravius, licitum ſit, vel illicitum, ut ſi quis putà ei, qui efficaciter determinatus eſt ad committendam ſodomiam, fornicationem ſimplicem, conſulat peccet, vel non mortaliter: vel utrùm ſe ipſo fornicationem ſimplicem eligere valeat, ut ſic valeat ſodomiam evitare, &c? Sed hoc ad Tract. de Charitate proprè pertinet, de quo nos jam alibi. Legatur *à Spiritu Sancto Tract. de vitiis Charitati contrariis Sect. 7. & 8.* ¶ Utrùm autem, quando licitum conſulere minus malum, nè ſequatur maius, liceat ad illud minus malum ex eodem fine cooperari? Variant DD. legatur *Rebel. lib. 1. de Reſtit. Q. 14. Sect. 7. n. 54. Diaſtill. ſup. n. 79. ac Trulbench ſup. n. 9.*

LECTIO IV.

De Conſentiente.

58 COnſenſus juxta Divum Thomam ſup. tunc datur quando ſine aliquo damnum fieri non poteſt, conſentientis itaque nomine eum intelligimus, qui ſuo conſenſu efficaciter influit, uti ſi aliquis exequi vellet injuſtum aliquod damnum, & ſine authoritate, conſenſuque tuo illud inferre non poſſet, tuque illi in ordine ad illud inferendum conſenſum tuum præberes. Ecce conſentiens, de quo in præſenti materia loquimur; de eoque

59 Dicimus, & aſſerimus ad reſtitutionem teneri, id quod probatur: quia ex conſenſu iſtius actio injuſta pendebat ita, ut, ſi talis non daretur conſenſus, actio injuſta non fieret, uti ſupponitur: conſenſus ergo iſte ad actionem injuſtam concurrit, qui igitur talem conſenſum præbet ad reſarciendum damnum, ex actione illa injuſta tenetur. Deinde omnis cauſa damni ad reſtitutionem tenetur, ſed qui dictum conſenſum apponit, vera eſt cauſa damni ſequuti, eo quòd per talem conſenſum damnum influit: ergo, &c. unde ſequentes, & ſimiles caſus.

60 Reſolves primò ad reſtitutionem non teneri eum, qui ex juſtitia non tenetur prohibere damnum alteri ſequutum, eo quòd ex officio id ei non incumbit, (eſtò contra charitatem graviter peccet, ſi damnum non eviter, cùm evitare poſſit, (de quo iterum infra redibit ſermo) imò etiam ſi damnum exequenti dicat *Per me fac quod volueris, ego non impediam, & inſuper tacebo, neque tempore ullo id detegam,* quia iſte talis damni non eſt cauſa, ad illud enim non cooperatur, ſed ſolùm non impedit illud, & non impediens ſolùm cenſetur cauſa damni ab aliis injuſtè dati, quando ex officio (id, quod eſt ex juſtitia teneri) illud impedire tenetur, minimè verò quando illud ſolum ex charitate impedire tenetur. *Malina Diſp. 732. n. 1.*

61 Secundò eum non teneri, qui poſt crimen nomine ſuo patratum illud approbat, & ratum habet, quia effectus ille jam eſt ſequutus, & cauſa non movet, nec influit in effectu præterito, quippe cauſa debet eſſe, & eſt prior, ſaltem naturâ, tuo effectu, & cùm voluntas tua ratihabitionis in dicto caſu non ſolùm naturâ, ſed etiam tempore ſit poſterior illo effectu, minimè poterit eſſe cauſa illius præ-

cedentis

cedentis effectûs. Cum multis *Dicastill. sup. Dub. 5. num.* 101. *Molina Disp.* 729. *num.* 3. *Trulbench. sup. 5. 2. n. 5.*

62 Tertiò Rex à Consiliariis suis consensum exigit ad aliquod bellum movendum injustum, vel injustam gabellam, pedagium, aut tributum imponendum; (sine enim consensu illorum non vult se Rex determinare) consensum suum Consiliarii præstant, dicentes quòd bellum gerat, vel tributum ponat, peccant mortaliter, restituereque tenentur; secus autem dicitur, quando Rex efficaciter motus, determinatusque ex se est ad injustum bellum agendum, (injustum aut tributum imponendum) solùmque Consiliarios vocat ad hoc ut eum comitentur ad bellum, eumque in eo coadjuvent, tunc nanque mortaliter peccabunt, non tamen ad restitutionem tenebuntur, nisi per se damnum faciant, quia tunc consensus ille non esse causam damni sequuti dicitur, sed mera complacentia, cùm tamen in primo casu verè causa illius dicatur. *Molina, & Trulbench. sup á Spiritu Sancto Sect. 4 num.* 1406 *Salmant. sup. n.* 120.

63 Quartò qui injustæ liti alteri faciendæ consentit, & subscribit, aut injustæ condemnationi; similiter qui suffragium fert in electione indigni, &c. ad restitutionem tenetur, si suffragium, & consensus necessarii sunt ad malum illud inferendum, quia illius damni verè extetit causa efficax. *Salmant. sup. n.* 121.

64 Quintò, si tamen consensus, votum, vel suffragium necessaria non erant, eo quòd ea dedisti postquam jam electio completa erat, nec spes erat, ut tuo suffragio, consensu, vel voto illam impedires, ad restitutionem non teneris, (licèt in dando suffragium peccasses) quia tunc, casus, in actionem illam injustam non influis; teneris tamen, si tuo consensu, voto, vel suffragio (aliàs non necessario, quia jam electio supponitur facta) jacturam dedecoris, aut infamiæ illius auxisti, qui ad id eligi ex justitia debebat, eo quòd maius dedecus, infamiaque est aliquem maiori suffragiorum copiâ excludere, quàm si minori exclusus esset; ad hanc igitur jacturam honoris, & famæ teneris. *Molina sup. num.* 3. *Dicastill. sup. n.* 93. *á Spiritu Sancto sup. n.* 1408.

65 Sextò dictum est, *nec spes erat, ut tuo suffragio, &c.* nanque, si hæc spes esset, ut, putà te tuum negante suffragium, suffragia sua revocarent, & etiam, parsque maior sententiam suam mutaret, te illis non consentiente; in hoc enim casu causa damni censeris, suffragio tuo cæteris te jungendo, ac proinde ad restitutionem teneris; quia quilibet suffragator ex justitia damnum impedire tenetur. ¶ Similiter, si suffragium tuum confirmandi jus habet priora suffragia, quod jus à suffragandi jure distinctum esse solet, adhuc etiam in hoc casu teneris, quia hîc etiam damni causa fuisti. Cum *Molina, Azor, & Navar. Dicastill. suprà.*

66 Septimò teneris etiam, quandò suffragium tuum non sit necessarium, eo quòd Beneficii, vel officii collatio à maiori parte pendet, & tu certò scis maiorem partem injustè laturam esse suffragia, si tu prius illis tuum dedisti suffragium, quia re vera ad illud damnum per suffragium tuum concurristi. Et quòd alii post illud ipsum damnum similiter essent laturi, non tollit quòd id ipsum non dederis damnum, sicut non tollit quod tu ad restitutionem tenearis hujus rei, quam furatus es ex eo quòd alius eandem rem furaturus esset, si à te jam non esset furata *Salmant. sup. num.* 122 ¶ Ibi addentes te teneri, si publicè suffragia ferantur, prudenterque judicas alios priores, suffragium tuum, consensum, aut votum dantes, animum mutaturos esse, suffragia sua revocantes, videntes quòd tu votum, aut suffragium in oppositum confers, nam tunc jam tuum suffragium ad malum necessarium judicatur, quo suffragio denegato fortassis non fieret malum.

67 Octavò teneris etiam, si suffragium, vel votum tuum in Capitulo renuntiasti, illudque reddere nolusti, quando in bonum alicujus illud ferre, atque reddere oportebat, & quia suffragari omisisti, aliquid injustè fit, uti si electio evadat injusta. Ratio datur: nam, sicut injustitiam committit, & restituere tenetur ille, qui injustæ actioni per suffragium suum consentit, aut concurrit, ita similiter qui non consentit, aut concurrit, quando ex officio consentire, concurrere vel tenebatur. ¶ Qua etiam ratione singuli alicujus Capituli Capitulares, si aliquid declarando, aut manifestando circa ea, quæ in communi Capitulo proponuntur, impedire potuerunt, nè aliquid in tali Capitulo, vel Communitate injustè fieret, non declararunt, aut manifestarunt, sed tacuerunt, cùm ex officio contrarium tenerentur facere; tunc & lethaliter peccarunt, & ad restitutionem omnium damnorum inde sequutorum tenentur. *Molina Disp.* 733. *Dicastill. sup. n.* 100. *Lugo Disp.* 19. *Sect* 2. *n.* 60. *ac á Spiritu Sancto sup n.* 1410.

68 Dictum est *quando ex officio, &c.* quia, si non ex officio, sed ex charitate solùm, vel ex favore suffragium tibi ferre competeret, uti in usu est apud Religiones aliquas suffragii jus conferre aliquibus in merum favorem, & gratiam, eis videlicet, qui tot annos Sacram Theologiam perdocendo cucurrerunt, jus suffragii in Capitulis Provincialibus habere, in præmium datur, non aliter, ac si locales Su-

periores essent; uti & etiam in scholasticis Academiis idemmet favor quo ad Cathedras conceditur, si, inquam, non ex officio suffragari teneantur, & non suffragentur, contra justitiam non peccant, consequenterque restituere non tenentur, estò suis suffragiis damnum impedire valerent, quia, cùm suffragari favor sit illis concessus, ut supponitur, dicto favori renuntiare queunt. Cum multis *Lugo sup. n. 62.*

LECTIO V.

De Palpante.

69 *Palpo* est, & dicitur ille, qui alterum laudando per id eum ad peccatum invitat, vel incitat; & dicitur ille, qui per exprobrationem, contumeliam, irrisionem, adulationem, altero vel consimili modo ad delictum efficaciter provocat; de quo

Dicitur quòd ad restitutionem tenetur, quando adulatoriè laudibus, &c. efficax causa est aut quòd damnum fiat, sive quòd jam factum non restituatur; id quod ita probatur, quia talis iste *Palpo* vera est causa damni, eo quòd verè movet, & impellit ad malum non minus, ac si esset mandans, consulens, aut suadens; alteri nanque proponit laudem, gloriam, dedecus, vel ignominiam, id quod non parum nos movet ad malum, moveréque solet; quis enim negabit quòd, si ego alicui aliqua gravi injuriâ affecto ita exaggerem illius honorem, nobilitatemque illius ei repræsentem, ut inde ad exequendum delictum moveatur, sicque adversarium, vel injuriantem interficiat, non sum causa efficax, movens, & impellens ad damnum illud alteri sequutum? Sum equidem, ad restitutionem igitur illius damni tenebor. Communis, & ita cum multis aliis *Salmant sup. num.* 124. cum aliis *á Spiritu Sancto sup. n.* 1411. *Molina Disp.* 733. *Less. lib.* 2. *cap.* 13. *Dub.* 3. *num.* 25 Et hinc sequentes, & similes casus

70 Resolves primó. Petrus Franciscum alapâ cædit; tu verò postea ad eum accedis, eique dicis: Amice, pœnitet me de tam gravi injuria tibi irrogata; certè quòd indignus es, ut tali injuriâ, contumeliâve tali ab humunculo, vermiculoque illo afficiaris; quid tibi prodest status, quid tuæ personæ conditio, quid tuus, & tibi proficit honor, nisi injuriam tantam ulciscaris, vindictamque sumas ab illo? Oh si honor deperditur, & non reparatur, evanescunt omnia! Eia age, extolle animum, & ad petram, ex qua excisus es, attende. In hoc casu verbis istis re vera Franciscum ad vindictam per semetipsum sumendam provocas, quare si ille vindictam desumat, ad restitutionem teneris omnis damni, quod sequitur inde, quia tu verbis istis eum ad damnum irrogandum impulisti.

71 Secundò Maria, Francisci uxor, adulterium illi commisit, accedis ad illum, eique dicis: Amice, per totam Civitatem fama volat de adulterio tibi commisso. Vivit Deus quòd, si Maria uxor mea fuisset, cum ea non viverem; imò Maria non viveret, & adulterum occiderem; (sic, vel aliter marito uxoris adulterium exprobrares) quo irâ incensus maritus aut Mariam, vel adulterum, aut utrumque occidit; ad restitutionem damni inde sequuti teneris, quia censeris causa damni, cùm homicidium prævidere deberes, eo quòd homines valde procliviores sunt ad injurias sibi illatas ulciscendas. Legatur *Villalob. tom.* 2. *Tract.* 11. *Differ.* 7. *n.* 9.

72 Tertiò de Petro derides, de ignavi vituperas illum, atque dicis quòd, si ille strenuus viribus, & animo esset, Paulo ad convivium gallinas, pullosque, &c. furaretur, iterumque dicis: Sed quid faciet iste? est parvus ingenii, valde imbecillus viribus, & animo; si tunc Petrus ex irrisione, vituperationeque illa ad faciendum furtum commotus, furtum tale efficeret, abs dubio restituere teneris, quia derisione, ac vituperatione illa eum ad furandum verè excitasti, talisque damni vera causa fuisti.

73 Quartò si Petrum laudibus extollas, dicendo esse bellicosum, animo fortem, viribus strenuum, vel quòd nemo est in Civitate ita ut ille; Petrusque laudibus istis, istaque adulatione tumidus, atque superbus efficitur, illaque adulatione ita commotus percutit, cædit, verberat, furatur, occidit, aliaque hujus generis facta exercet, vel damna committit, restituere omne inde damnum sequutum teneris propter jam assignatas rationes.

74 Sed hîc tria sunt attentè notanda; primum, quòd quanvis adulans, laudans, aut vituperans non laudet, exprobret, &c. animo excitandi ad damnum, adhuc ad restitutionem tenebitur, si circunstantiis attentis verosimiliter judicaverit tale damnum ex laude, &c. fore sequendum; quia si hoc judicavit, debebat, & tenebatur alterum non laudare, exprobrare, &c. ut sic damnum illud evitaret. ¶ Secundum, si tempore, quo alterum laudasti, vituperasti, &c dubitasti æquali dubio utrùm ex laudatione, &c. tua damnum sequeretur aliquod, teneris, si postea certò constet ex tua laudatione, &c damnum sequutum fuisse, quia quanvis à restitutione excuseris, quando est æquale dubium an concurreres, vel non ad damnum, non tamen à restitutione excusaris, quando cum dubio æquali concurris, utrùm postea subsequuturum sit damnum, si postea constet ex

coope-

cooperatione tua fuisse sequutum; quia hæc inter se diversa sunt. Legatur *Dicastill. sup. Dub. 6. num.* 107. ¶ Tertium, quòd interdum omnimoda inadvertentia, ac bona fides hos adulatores, laudatores, derisores, vituperatores, &c. à peccato, & à restitutionis onere liberare possunt; id quod rectè cum aliis adnotarunt *Salmant. sup. num.* 124.

LECTIO VI.

De receptante, sive de eo, ad quem recursus habetur.

75 *Recursus* tunc datur juxta Divum Thomam sup. quando aliquis est receptator latronum, & eis patrocinium præstat, atque adeó hunc illum dicimus esse, qui latronem recipit, prædam, vel rem furtivam occultat, aut illum, qui securitatem latroni, malefactori vel præbet ad damnum inferendum, aut non restituendum, eo quòd latronem formaliter talem, vel ut latro est, recipit, fovet, servat, occultat, & defendit, estque sic illius refugium, ut securiùs, libentiùs, atque commodiùs furetur, sive ut aliquid aliud malè agat. Ecce ille propriissimè, apud quem recursus habetur; de quo

76 Dicitur quòd ad restitutionem tenetur. Ratio est: quia qui sic furem recipit, moralis est damni causa, quippe moraliter censetur furi cooperari, aut ad damnum inferendum, vel ad illud non reparandum. Exenim qui furem formaliter ut furem protegit, ejusque latrocinia custodit, & servat, quasi præbet ei manus, illique vires, & animum ad furandum præstat: est ergo damni, vel maleficii causa, consequenterque ad restitutionem tenebitur. Et

77 Efficaciter (utpote ex doctrina Parentis Augustini) probatur, ipse nanque Sanctissimus Parens (Amico teste sup. n. 16) Epistol. 54. ad Macedon. relatus in cap. 1. 14. Q. 6. contra hos receptatores, vel potiùs spelunca latronum ita scribit: *Qui pro homine ad hoc intervenit, nè malè ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honestè potest, ad restitutionem non compellit, socium esse fraudis, & criminis*; sed receptatores, de quibus hìc, ita recipiendo latrones interveniunt pro illis, nè malè ablata restituant, latronesque ad se confugientes non solùm ad restitutionem non compellunt, sed potiùs eos recipiendo, occultando, ac protegendo directè illos ad furta compellunt, sunt ergo socii fraudis, & criminis eorum. Tum sic socius fraudis, & criminis, putà furti, ad restitutionem tenetur: similiter ergo tenebitur receptator, de quo loquimur, vel ille, ad quem recursus habetur. Communis, docentque cum multis *Salmant. sup. num.* 125. *à Spiritu Sancto sup. Sect. 5. num.* 143. quibus adde *Molinam Disp.* 733. *Azor lib. 4. cap.* 14. *Amic. Disp.* 39. *Sect. 2. num.* 16. *Lugo Disp.* 19. *Sect. 2. §. 4 num.* 71. Unde hinc

78 Resolves primò. Post commissum furtum furem in domo tua recepisti, protexisti, ac occuluisti, sed non animo ad dandum illi securitatem ad iterum malè agendum, vel in delictis persistendum, sed solùm titulo amicitiæ, consanguinitatis, & ratione humanitatis, ac necessitatis, videlicet nè in manus Justitiæ deveniat, nè à Lictoribus capiatur, & sic titulo charitatis illum ad se liberandum, aut ad fugiendum coadjuvas, in hoc enim casu restituere non teneris, tum quia in hoc casu solùm es furis receptator materialis, non verò formalis, ut de se patet, non enim illum furi causâ recipis; & quando nos dicimus receptatorem ad restitutionem teneri, loquimur de receptatore formaliter tali, qui ille est, qui furem ut furem in domo sua recipit, &c. Tum quia recipiens hæreticos, non quà hæretici sunt, sed amicitiæ titulo, vel quia recipiens est stabularius, aut caupo, non incurrit excommunicationem contra receptantes hæreticos latam; pariter ergo recipiens latronem, non ut formaliter est latro, sed amicitiæ titulo, vel honesto alio fine, ad restitutionem non tenebitur, quia non est latronis formaliter receptator. *Salmant. sup. Less. suprà Dub* 3. *num.* 29. *Dicastill. sup. Dub. 6. num.* 111. *&* 120. *multique alii.*

79 Secundò à tali fure in domo tua recepto rem furatam in custodiam recepisti; tunc rem verò domino suo reddere debes: nam si eam ad furem tradendam asservasti, illamque ei de facto tradidisti, jam ad restitutionem rei alienæ cooperaris, subindeque formalis receptator furis censeris, & consequenter ad restitutionem teneris. ¶ Excipe casum, quo ex eo, quòd rem vero domino reddas, aliquod grave damnum tibi evenire possit, putà ex hoc times quòd tibi furtum imputetur, nam tunc unum è duobus eligere vales, aut rem illam Confessori tradere, ut eam domino suo reddat; uti docent *Trulbench. sup. num.* 3. cum aliis *Dicastillus sup num.* 118. vel tunc te habere, sicut se habet ille, qui rem alienam emit à fure, de quo à nobis jam dictum est suprà, quòd potest rescindere contractum, remque furi tradere, si de ea vero domino reddenda aliquod sibi grave damnum eventurum timet. Legatur *Lugo sup. num.* 73.

80 Tertiò ad villam, vel domum tuam latrones deveniunt, ad te accedunt, & dicunt quòd, si eos non recipis, se tuam combusturos esse villam, vel domum, aut segetes, vineam

vel

vel tuam devaſtaturos eſſe ; ſimiliter dicunt quòd rem furatam, quam tibi cuſtodiendam tradunt, ſibi, & non dómino ſerves, & occultes, aliàs te eſſe interfecturos, in hoc caſu, faciente te quod latronibus placet, non peccas, neque reſtituere teneris ratione metûs gravis, quem tibi latrones incutiunt, & etiam quia tunc, caſus, latrones quà tales non recipis, ſed ſolùm recipis illos, ut ſic à tanto damno ab illis tibi inferendo te liberes ; quapropter, ſicut ſup. dictum manet, quód Chriſtiani in Turcicis remigantibus navibus contra alios Chriſtianos, à Turcicis navibus capiendis non peccant, nec ad reſtitutionem tenentur, ita pariter in præſenti. Legatur *Lugo ſup. n* 74.

81 Quartó neque ad reſtitutionem tenentur Advocati, (aut alius, quicunque ille ſit) qui latrones defendunt in illis, in quibus latrones ipſi ſecundùm Jus ſe defendere poſſunt, uti eſt, cùm culpa eſt occulta, nonque eſt ſemiplenè probata, quibus in eventibus latro juſtè & negare, ac ſe defendere poteſt ; ſicque dicitur quòd quanvis ex illa defenſione ſequatur quòd fur poſtea non reſtituat, adhuc Advocati (aut alii) ipſum furem defendere poſſunt. Ratio eſt : nam in dicto caſu fur & juſtè negare, ac meritó ſe defendere valet : quilibet ergo alius ei conſulere quit & quòd neget, ac quòd tueatur, eo quód cuilibet conſulere licitè poſſunt ſeipſum, quod ipſe licitè facere valet : conſtans autem eſt quòd fur in dicto caſu licitè negare, ſeque defendere poteſt, ei ergo in ſua illa defenſione coadjuvare poſſum conſilio, aut aliter, & hoc, quanvis ſciam non eſſe poſtea reſtituturum : quia illa non reſtitutio in tali caſu quo ad me eſt mere per accidens, & non directè ex mea erga furem defenſione ſequuta, utpote à me minimè intenta. Legatur *Lugo ſup. num.* 71. qui rem hanc bene ibi probat, legatur & *à Sto Iſidoro Sancto ſup. n.* 1413.

82 Dictum eſt, *in quibus latrones ipſi ſecundùm ſua ſe defendere poſſunt*, quia in aliis, in quibus jus ad ſe defendendum non habent, omnes illi, qui eos defendunt, aut pro illis apud Judicem, vel Principem interveniendo, nè ablata reſtituere cogantur, ſuo vel favore impediunt, nè ablata reparari à ſuo domino poſſint, (ut paſſim Cauſidici aliqui facere ſolent, ut loculos ſuos pecuniis adimpleant) ad reſtitutionem tenentur ; in quo ſenſu intelligendus venit Urbanus Q. 1. dum ait : *Qui aliorum defendit errorem, multò amplius damnabiliter eſt illis, qui errant*, in quo & etiam ſenſu intelligi debet dictum *Div. Auguſt. ſup. relatum n.* 77.

83 Quinto ex eodem principio reſolvitur quod Principes, Rectores, Miniſtri Juſtitiæ, cæterique, qui ex officio damna in Civitate, vel altero loco impedire tenentur, ad reſtitutionem tenentur, ſi in Civitate, vel loco latrones, vel alios malefactores (de quorum numero illi ſunt, quos noſtro Luſitano ſermone *Siganos* vocamus) recipiant, aut permittant, & inde aliqua in Civitate latrocinia, damna vel alia ſequantur, quippe ex officio talia damna viribus, & poſſe omnino impedire tenentur. ¶ Ad reſtitutionem tamen non tenebuntur, quando id faciunt prudenter diſſimulantes, nè ex contrario maiora damna in Civitate ſequantur, ſi id tamen commodè obviare poſſint, & ex eo, quod eos non permittant, maiora mala minimè ſequantur, illoſque permittunt, nonque damna obviant, tenentur. Legatur *Rebel. lib. 2. de Reſtitut. Q.* 14 *Sect.* 6 *n.* 28.

84 Sexto Domini, Magnates, & alii viri potentes minimè à peccato, ac à reſtitutione liberantur reſpectu damnorum, quæ à ſuis famulis inferuntur, potentiâ, ac protectione ipſorum confidentibus, alioquin tale quid non facturis ; ſed hoc in caſu, quo Magnates tales id advertant, ac diſſimulant. *Trullench. ſup. n.* 4. *Bonac. de Reſtitut. Diſp.* 1. *Q.* 2. *P.* 9. *num.* 7. *Rebel. ſuprán* 42. *Dicaſtill. ſup. n.* 114. *& alii.*

85 Septimò mortaliter peccant, reſtituereque tenentur privati dòmini, ſi mancipia ſua, patres, & matres, ſi filios ſuos ſub ſua poteſtate, & directione exiſtentes furari conſentiant, idque commodè impedire volentes non impediant ; & hoc quanvis ex rebus ablatis nihil participent, ſi enim tales dòmini, aut parentes aliquid ex ablatis rebus participent, abs dubio omnia reſtituere tenentur ; quia jam totius damni illati concauſæ efficiuntur. *Rebel. ſup. n.* 38. *& communis.*

86 Octavò neque à reſtitutione excuſantur qui pecunias (vel aliud) à famulis, ſervis, aut filiisfamilias recipiunt, quando eſt ſuſpicio, aut veroſimiliter creditur res illas furto eſſe aſſumptas ; neque excuſabitur recipiens, eo quòd non recipiat in eum finem, ut ab eo delictum committatur, quia ſufficit, ſi videat inde ad id excitandum. Legatur Dicaſtill. ſup. num. 115. Azor lib. 4. cap. 14. §. *Tertiò quæritur.*

87 Nonò caupones, ſtabularii, aliique ejus generis homines in domo ſua recipientes ad ludendum, comedendum, & bibendum ſervos, filiosfamilias, vel alios, qui ibi res conſumunt, & ludunt, de quibus rebus conſtat, aut ſuſpicio eſt eſſe alienas, quandoque ad reſtitutionem tenentur, quandoque non ; tenentur, ſi poſtquam illos in domo ſua recipiunt, chartas, aut aleas ad ludendum tradant, menſam ad hunc finem illis ſternant, & alia ad id neceſſaria præſtent, uti ſedilia, lumen, & hujuſmodi, quia tunc veræ cauſæ ſunt, ut alienæ res conſumantur ; primo tamen loco tenebitur

qui

qui tales res alienant, poſtea qui eas lucrati ſunt, & in horum detectu ipſi recipientes. *Molina ſup. num. 3. Trulbench. ſup. num. 5. Dicaſtill. ſup. n. 119 & alii.*

88 Decimò ſimiliter tenentur, ſi illarum rerum aliquid recipiant aut gratis, ſive in receptionis præmium, aut ratione conceſſionis chartarum, &c. vel in ſtipendium, ſive in pretium; tum ratione injuſtæ actionis, tum ratione rei acceptæ. Poterunt tamen in hoc caſu eaſdemmet res acceptas eiſdem filiisfamilias, &c. iterum reddere, ad hoc ut ipſi rebus ex aliis non alienis cauponariis ipſis ſtipendium, vel debitum ſolvant, ut ſic cauponarii ipſi indemnes ſe ſervent. Legatur *Lugo ſup. n 75. & 76.*

89 Undecimò non tamen dicti cauponarii ad reſtitutionem tenentur, ſi chartas, ſedilia, &c. illis ad ludendum non præbent, ſed ſolùm eos in domo ſua ludere permittunt, nec eos occultant, neque defendunt, & hoc præſertim, ſi fur, ſervus, filiusfamilias, &c. non propterea à ludo deliſteret, illos vel evitaret ſumptus, licèt ex domo illa expulſus eſſet, quia, ſi hoc ipſe ibi non faceret, alterius domo probabile erat hoc ipſum facturum ſe eſſe. ¶ Rurſus non tenentur, quanvis ſedilia, menſam, chartas, oleum, &c. eis poſitivè miniſtrarent, ſi alius eſſet, qui illis hæc omnia ſimiliter tribueret. *Azor, Lugo, Molina, Dicaſtillo, ac Trulbench, ſuprà.*

LECTIO VII.

De Participante.

90 SExta, & ultima cauſa inter concurrentes poſitivè ad alteri damnum inferendum eſt *Participans*, & de participatione loquendo Magiſter Angelicus cit. Q. 62. Art. 7. dicit quòd hæc tunc datur, *quando aliquis participat in crimine latrocinii, & in præda.*

Nomine igitur *participantis* intelligimus illum, qui aliter, præter modos quinque enumeratos, ad damnum poſitivè concurrit, qui eſt ille, vel dicitur eſſe, qui tanquam præcipui exequutoris miniſter in crimine cum eo participat, ejuſque eſt ſocius criminis, putà adjuvando, ſeu ad actionem injuſtam cooperando, vel comitando, intercedendo, explorando, ſubminiſtrando, auxiliando, aliove modo audaciam ad maleficium, vel malum præbendo, qui & participare poteſt in re ipſa injuſtè ablata, rei ablatæ aliquid recipiendo, aut conſumendo, & poteſt participare non in re, ſed in ipſa injuſta actione, putà cum fure modo uno ex proximè dictis concurrendo; & hoc adhuc poteſt eſſe vel per concurſum immediatum, putà oſtium aperiendo, aut cum ipſomet fure frangendo, res foras projiciendo; vel per concurſum mediatum, putà inſtrumenta ad maleficium, vel malum præbendo, aut vendendo, ſcalam ad domûs conſcenſum applicando, tenendo, in triremibus hoſtium remigando, injuſtas militum prædas vehendo, pecora ducendo, aut aliter res furto ablatas diſtrahendo: vel participare poteſt ad opus de ſe intrinſecè malum concurrendo, ſive ad opus de ſe indifferens, licèt prævium ad malum, adjuvando. Quibus ſic intellectis,

91 Dicitur primò quòd, quanvis participans in actione non participet, ſi tamen in re participat, aliquid putà de præda recipiendo, tenetur ratione rei acceptæ ad reſtitutionem illius partis, quam accepit, ſi exiſtat, & ſi non exiſtat; ſi eſt poſſeſſor malæ fidei, fide vel mala illam conſumpſit, tenetur ad totum valorem illius, ſi verò bonæ fidei poſſeſſor, fideque bona eam diſtraxit, ſive conſumpſit, tenetur ad id, in quo factus eſt ditior; quæ omnia clarè conſtant ex jam ſuprà dictis.

92 Secundò dicitur quòd, ſi participans non in re, ſed ſolùm in actione participat, diſtinguimus; aut enim immediatè in ipſa actione participat, concurrendo immediatè cum ipſo latrone ad maleficium, uti ſi ſimul cum fure domûs oſtium aperiat, vel frangat, tunc ad reſtitutionem tenetur non minus, quàm fur, quia ille ſimul cum eo malefcii exequutor exiſtit, atque cum eo directa, & exequens eſt cauſa illius; aut tantùm mediatè cum fure concurrit, inſtrumenta putà vendendo, remigando, &c. Et adhuc tunc hic ſubdiſtinguimus; aut concurrit cum latrone ſponte, & ſine gravi metu compulſus, aut coactè, gravique metu compreſſus; in quo eventu iterum ſubdiſtinguimus, aut res, ad quam concurrit, eſt ex ſe intrinſecè mala, vel ex ſe eſt indifferens; ſi coactè, & gravi metu compulſus ad rem concurrit, quæ ex ſe non eſt intrinſecè mala, ſed indifferens, non tenetur; tenetur tamen, ſi ſponte, & ſine gravi metu concurrit. Aſt verò, ſi res ex ſe eſt intrinſecè mala, in nullo caſu, nulloque eventu, adhuc coactè, & gravi metu compreſſus, poterit ad illam concurrere ſine gravi peccato, & reſtitutionis onere; quòd ſi res, vel opus, ad quam, vel quod concurrit, ex ſe ſit indifferens, tunc, caſus, ſi nullum inde alteri ſequatur damnum, ex honeſto fine illud licitè exercere valebit; ſi inde verò alteri damnum ſequatur, quod à te prævidetur, & tamen ſponte ad illud concurris, procul dubio peccas, & reſtituere teneris; ſecus autem, ſi coactè, metu gravi, aut ſine gravi incommodo tuo non potes non ad illud concurrere, tunc enim minimè teneris. Hæc omnia communia ſunt, cum multiſque docent

Sal-

Salmant. suprà P 5. §. 2 num. 127. ad 129. à Spiritu Sancto Decal. Tract. 10 Disp. 29. Sect. 6. num. 1413. Trulhench. hîc § 5. num. 2. Dicastill. hîc Disp 4. Dub. 7. num. 122. & 126. Amicus Disp. 39. Sect. 2. num. 17. Bonac. de Restit. Disp 1. Q. 2. P. 4. num. 1. ad 3. Busembao lib. 3. Tract. 5. §. *Item participans*, multique alii, licèt non omnes hæc omnia dicant. Unde

93 Resolves primó casum illum de in Turcicis navibus remigantibus, (de quo sup. jam à nobis tactum extat) & illud, quod ibi; nunc etiam dicimus, asserimusque tales Christianos minimè peccare, aut ad restitutionem teneri, quia illud opus est ex se indifferens ad bonum, vel malum, & quanvis Turcæ illud ad malum dirigant finem, Christiani vero illud ordinent ad bonum, nempe nè à Turcis pessimè tractentur, vel ut mutilationis, aut mortis periculum evadant, cum tanto nanque onere neque justitia, nec ipsa charitas defendere, servareve bona, aut vitam Proximi obligat. Mortaliter tamen peccabunt, ad restitutionemque tenebuntur, quando de Turcarum mandato, vel aliorum in injusto bello (aut voluntariè id ipsum faciunt) ignem bombardis apponunt, pilas explodunt, sagittas emittunt, aut aliter contra Christianos alios se opponunt. Et hoc, quanvis metu mortis id faciant, est enim tale opus ex se intrinsecè malum, tituloque nullo honestabile. *Salmant. sup. num. 128. Bonac. num. 4. & 5. Rebel. num. 50. & 51. Azor, & Dicastill. sup. multique alii.*

94 Secundo ad restitutionem tenentur usurariorum famuli principales, qui contractus injustos usurariorũ nomine celebrant, pecuniasque recipiunt, quia mediatores sunt ad injustitiæ exequutionem. ¶ Dictum *famuli principales*, nanque si minus principales sint, illi videlicet, qui usuras non exigunt, sed sunt tantùm amanuenses, eo quòd tantùm ad scribendum, ad pecunias deferendas, aut numerandas, vel recipiendas deserviunt, non tenentur. *Dicastil. sup. num. 127.* & cum multis aliis *Salmant. sup. num. 129.*

95 Tertiò tenentur & etiam illi, qui id, quod filiusfamilias, famulus, aut quicunque alius furatur scienter, aut præsumendo, præsumere vel debendo esse furto ablatum, vendunt, aut aliter distrahunt; & similiter illi, qui id ipsum, aut emptum, vel quocunque alio titulo sibi traditum ab eis accipiunt. *Molina Disp. 734 num. 1.*

96 Quartò tenentur etiam fabri ferrarii, & alii, qui scientes, aut præsumentes, præsumere vel debentes quòd, putà claves, vel alia instrumenta à se petita sunt ad furandum, aut aliquod aliud maleficium exequendum, & nihilominus ea conficiunt, & petentibus tradunt, quia tales sunt concausæ damni alteri sequuti, & ad illud cooperantur, instrumenta, quibus alii ad malum usuri sunt, ministrando. *Molina sup. Salmant. sup. n. 127. & alii.*

97 Quintó tenentur etiam qui comitantur latronem, ut eum defendant, qui scalas ad furandum apponunt, sustinent eas, conscendente latrone, porrigunt arma ad feriendum, agunt excubias, instrumenta suppeditant, qui tanquam exploratores assistunt, ut moneant latronem, qui reserant portas, qui latronum terga defendunt, qui in bello injusto tormenta ad mœnia, vel propugnacula hostilia pertrahunt, qui rem furatam observant, sive custodiunt; quia omnes isti in eodem delicto participant, verèque sunt damni sequuti concausæ. *Salmant. sup Trulhench. n. 1. Dicastill. n. 121. á Spiritu Sancto n. 1414. Molina, & Rebel. suprà.*

98 Sexto non tamen ad restitutionem tenentur rustici, qui metu mortis, aut gravis damni coacti prædas militum injustas coguntur avehere, vel in alia re adsportanda juvare, uti pecora sublata deducere, atque abigere, nec illi gravi metu coacti claves præbent, alia vel instrumenta subministrant, & tradunt, quibus damnum inferendum est, qui scalas tenent dum fur fenestram, vel murum ascendit, hi enim omnes ad actiones ex se indifferentes concurrunt, quæ, gravi metu stante, optimè cohonestari valent, & ob aliam rationabilem causam, & à peccato, ac onere restitutionis eximere; quæ omnia exemplis clariora fient.

99 Nam juxta communem, manetque jam alibi dictum, fas est famulæ parare, atque dòmino jubente, ministrare cibos, quibus ipse Ecclesiæ jejunium est violaturus, nè ab eo vapulet, à domo expellatur, servitii mercede privetur, simili vel causa; de quo *Caietan. 22. Q. 147. Art. 4. & alii.* ¶ Item fas est illi sustentando deferre vestes defluentes dominæ suæ ad Idòli, vel Mahomeris fanum euntis, juxta Abulens. Lib. 3. Reg. cap. 18. & Lyra Lib. 4. Reg. cap. 5. quod etiam facto Naaman Syri per Sanctiss. Dei Profetam P. N. Elisæum approbato ibid. probari potest. ¶ Item fas est famulæ sternere lectum, in quo dominam suam adulterium commissuram novit. ¶ Item fas est famulo, graviter alioquin vapulaturo, mercede vel debita, aut sustentatione ad studium necessaria privando, si mandatur à dòmino deferre munuscula, vel nuntium concubinæ dòmini sui, ut tali, vel tali die dòmini ipsius domum veniat, quia cum detrimento tanto non tenetur cessare ab opere de se indifferenti; hoc enim opus non ad turpem ipsius dòmini finem, sed ad suam vexationem redimendam ordinat famulus ipse. (Quanvis ei licitum minimè

nimè erit illam rogare, petere, vel excitare, ut tali turpitudini consentiat, utpote intrinsecè malum; neque similiter licitum erit epistolam aliquam ad illam deferre, qua verisimiliùs talis turpitudo petatur, bene tamen, si esset æquale dubium an turpitudinem, vel injustitiam talis epistola contineret, tunc enim non peccaret, deposito dubio, nec ad restitutionem teneretur, quanvis postea aliquod damnum inde fuisset secutum, sicut de subdito militanti in bello, de cujus justitia dubitat, id ipsum communiter AA. resolvunt.) Item fas est petere juramentum ab infideli, qui certò per falsos deos est juraturus, quando nostra interest; & similiter mutuum sub usuris accipere, quando id necessitas postulat. Pariter ergo in casibus supositis, quando gravis metus urget, aut extat rationabilis causa, fas erit illa omnia operari, quin ulla ad restitutionem obligatio adsit. Legantur *Salmant. sup. n.* 128.

100 Septimó ob eandem rationem à restitutionis onere liberatur ille, qui gravi metu coactus comitatur furem intentione impediendi furtum, aut homicidium, ineundi pacem, & hujusmodi, quanvis ipse fur cum sibi socium adjungat ad cum ipso furandum, vel occidendum, & ob id fecurior reddatur ad furtum exequendum, licèt adversarius illius boni propositi insscius, fortè percussus, ac exanimatus fuerit; cum multis *Molina Disp.* 736. *Dicastill sup. num.* 125. *Salmant. sup. num.* 129. *& alii multi.*

101 Octavò non tamen à restitutione excusaris, (sicut nec à mortali) si, & si gravi metu coactus, arcas referas, res furatas per fenestras projicias, portas infringas, per januam, vel fenestram penetres, &c. quia hæc omnia de se mala sunt, ad quæ nunquam cooperari licet. *Trulhench. sup. num.* 2. *Leff. sup. num.* 30. qui limitat dicendo, nisi fortè id faciat cum animo compensandi, nam tunc dominus id merito debet permittere, nè aliter graviffimum malum incurrat; cum *Filinc. Bonac sup. n.* 8. *Salmant. n.* 129.

102 Sed rogabis an harum quælibet sex causarum ad damnum positivè concurrentium, atque cooperantium obligationem restituendi in solidum habeat totum damnum illatum, an verò solùm quælibet earum partem eam, quæ sibi contigit, vel cujus se sola fuit causa? Multipliciter in hac re discurrunt DD. (de quo nos fusè alibi egimus) opinionumque multiplicitas non parum obnubilat hujus rei veritatem non minus, ac nubium multitudo, corporumque caterva oculis solis claritatem videre non sinit. Cæterùm, quia & claritati, ac brevitati consulimus, placita DD. varia hic omittentes (quæ studiosus Lector *apud Lugo-*

nem Disp. 19. *Sect.* 2. §. 5. *& partim apud Salmant. sup. P.* 5. §. 5. *à num.* 146 *videre poterit*) breviter hìc ab hac re nos expediemus.

103 Dicimus ergo quòd, si in damno illato partes non sunt diversæ, quarum quælibet attribui cuilibet cooperanti causæ valeat, sed totum damnum à qualibet illarum cooperantium causarum procedit, veluti ex partiali principio, tunc quælibet ex dictis causis cooperantibus ad idem met in individuo damnum totum damnum in solidum restituere tenetur, cùm quælibet ad totum saltem partialiter concurrat, & influat; id quod optimè explicatur per Leg. 21 § *Si duo*, *ff. de furtis*, ubi sic legitur: *Quando plures portant aliquod pondus, quod nullus per se portare sufficeret, tunc omnes teneri in solidum ad restitutionem totius damni*, quo nihil pro re clarius. Secus autem dicendum, quando res non ita contingit. Legantur *Lugo ubi sup. dicta Disp* 19. *à num.* 82. *à Spiritu Sancto sup. Disp* 29. *Sect.* 6. *num.* 1415. *Salmant. sup. Trulhench. lib.* 7 *cap.* 13. *Dub.* 4. *Leff. lib.* 2. *cap.* 13. *Dub.* 4. *Bonac. tom.* 2. *Tract. de Restit. in gen. Disp.* 1. *Q.* 2. *P.* 10. *à num.* 10. *Rebel lib.* 2. *de Restitut. Q.* 14. *Sect.* 2. *num.* 5. *Molina Disp.* 734. *Dicastill Tract.* 2. *Disp* 4. *Dub.* 2. *num.* 26. *& Dub.* 9. *per totum.* Et

104 Hinc patet primò quid dicendum sit de Milite gregario, qui in injusto bello etiam partialiter concurrit ad damnum, dicitur nanque talem Militem ad restituendum in solidum, sive integrum damnum illatum non teneri, sed solùm ad illam damni partem, quam causavit. Ratio ostenditur: nam totius damni dati non fuit causa, nec illud impedire poterat, eo quód, licèt talis Miles ad ab aliis sociis data damna partialiter concurreret, ita tamen concurrit, ut sine eo totum illud damnum à reliquo exercitu daretur: quia, quanvis alii Milites singuli, soli, & sine sociis damnum non darent, Milite tamen hoc non egent, ut illud dent, & sic deficiente eo, adhuc illud omnino darent; imò plures eorum ignorant an ipse criminis socius sit, atque adeo præter damnum à se datum ad nihil amplius tenetur ¶ Ad integrum tamen damnum in aliorum defectu Dux exercitûs tenetur, quia totius fuit causa principaliter movens, ut de se liquet. Legantur *Lugo sup. num.* 90. *Leff. lib.* 2. *cap.* 13. *ac à Spiritu Sancto sup. n.* 1417.

105 Secundó patet quid dicendum sit de alteri consilium præbente? De quo dicitur quòd, si ejus consilium ita partialiter influat, ut, eo non consiliante, adhuc nulla alia superaddita causa effectus fieret, non teneretur ad totum, sed solùm ad partem; si verò, consilio ejus non posito, impediretur effectus, & non fieret, tunc ad totum teneretur. *Lugo n.* 86.

106 Patet tertiò quòd id ipſum, quod nuper de Milite gregario dictum fuit, dicendum omnino eſt de illis, qui plures ad idem damnum in individuo concurrunt, putà ad eandem domum incendendam, ad ipſum hominem occidendum, ad eandem navem, vel pondus trahendum, ad ipſam electionem indigni ſuffragandum, ad eandem Civitatem in injuſto bello deprædandam, vel ad aliquod aliud malum in individuo agendum, ſive tales ſint participantes, aut conſulentes, ſive conſentientes, laudantes, recipientes, participantes, non loquentes, non obſtantes, nonque manifeſtantes, dummodo his tribus ultimis perſonis ex officio id competat. ¶ Idemque dicitur de omnibus illis, qui communi conſenſu ad damnum non individuum, ſed in ſe diviſibile concurrunt, putà eandem vineam ingrediuntur, ipſam tabernam, eandem domum, &c. ſingulique ſuam vineæ, &c. partem devaſtarunt; tunc enim, ſive damnum fiat de communi conſenſu, aut conſilio, ſine eo, quòd eorum unus principalis ſit motor, ſed omnes ſimul ad illud ſe ipſos mutuò commoveant, ſive unus alios moveat, eorumque principalis conſilians ſit, vel movens. ¶ Non tamen tenetur iſte ad reſtituendum totum, & in ſolidum, ſi motio iſtius ita fuit partialis, ut, iſto non movente, nullaque alia ſuperaddita causâ, effectus adhuc fieret ſine tuo auxilio, aut motione, & eodem modo inferretur damnum, nec ab illo ſolo moverentur ſine concurſu aliorum. ¶ Tenebitur tamen iſte in ſolidum, vel ſinguli ſocii tenebuntur in ſolidum, quando ſinguli damni ſunt cauſæ totales, vel reputantur ut tales, ſaltem moraliter, id quod tunc contingit, quando effectus, vel damnum non fieret ſine concurſu cujuslibet cauſæ, vel, quod idem, quando ſinguli diſſentientes damnum poſſent impedire, juxta tenſum datum ſup. num. 103. Legantur *Lugo ſup. num. 95. Kebel. ſup. Q. 14. Sect. 2. num. 5. Diana, Tract. 2. Diſp 4. Dub. 2. num. 26. & Dub. 9. per totum, ac Molina Diſp. 334.*

107 Hic tamen advertendum erit primò quod, ſi plures ſimul ad eandem prædam participandam, poſtquam furtum factum eſt, concurrant, ubi ſi quis teneatur ad certam rei ſummam, rei ſuæ furatæ, tunc ſolùm tenetur ad reſtitutionem ſuæ partis, quæ ubi contigit, & contempſit, & hoc, quamvis alii partem ſuam non reſtituant. *Sanchez ap. num. 140.* quod idem, ſi furto jam facto, accepit à fure aliquid auri, argenti, veſtis, &c. *Trullench. ap. num. 2.* id quod intelligo, ſi tempore conſumptionis rei furtivæ ſciebas eſſe furtivam, nam ſi eo tempore furtivam eſſe ignorabas, & conſumpſiſti, totum reſtituere teneris ac ſi, in quo factus es ditior, quia bona fide conſumpſiſti.

108 Secundò advertendum quòd, ſi ſciebas rem comedendam eſſe putà furtivam, & cùm tu eras cum aliis ad eam devaſtandam præparatus, alii ante comeſtionem eam domino ſuo reſtituere volebant, & tu in cauſa fuiſti nè ita fieret, eo quòd illis illam comedere ſuaſiſti, teneris in integrum, quia ſic ad totum damnum cooperaſti. *Trullench. ſup. cum Vaſquez Bonac. ſup. de Reſtit. Q. 2. P. 1. n. 14.*

109 Advertendum tertiò quòd, ſi Petrum interfeciſti, qui jam parum antè erat à Franciſco læthaliter vulneratus, non teneris ad reſtitutionem totius damni, ſed ſolùm ad illud damnum, quod ex acceleratione mortis fuit ſequutum, ſi fortè aliquod fuit ſequutum. Cum aliis *Trullench. ſup.* ¶ Secus dicendum, ſi tu ſimul cum Franciſco læthaliter eum vulneraſti, ac ſimul eum cum illo occidiſti, quia tunc, caſus, & tu in ſolidum, & Franciſcus in ſolidum tenetur, quippe ſinguli veſtrûm poſuerunt id, quod ad ejus mortem eſt ſufficiens. *Lugo Diſp. 19. num. 81.* ¶ Et idem dicit in caſu, quo duo Petro conſulunt furtum; ita ut Petrus à ſingulorum conſilio moveatur efficaciter, & totaliter ad illud; ſinguli enim ſunt cauſa moralis illius furti, & ſingulis correſpondet totus effectus totaliter, & independenter ab alio.

110 Quartò advertendum quód quando dicimus quód quælibet cauſa tenetur totum in ſolidum reſtituere, intelligendum eſt quód tenetur in ſolidum in defectu alterius concauſæ, illa nanque reſtituente, ſolùm ad partem tenetur, & ſic tunc, caſus, totum damnum illatum dividi debet inter utrumque, id quod eſt commune.

LECTIO VIII.

De illis, qui negativè ad damnum cooperantur, qui ſunt: Mutus, non obſtans, non manifeſtans.

111 ECce accedimus jam ad cauſas, *negativè* ad damnum concurrentes, cujuſmodi ſunt *Mutus, non obſtans, non manifeſtans*. Ex quibus *Mutus* dicitur ille, qui, dum loqui tenetur, non loquitur, ſed tacet, ut putà ſi erat ſuperior, omittit præcipere, ſi conſultor omittit conſulere, ſi cuſtos omittit clamare, vel ſtrepitum edere, ut ſic damnum evites: *Non obſtans* dicitur ille, qui auxilium, vel ſubſidium non præſtat, dum tenetur, & poteſt, ut Principes, Magiſtratus, &c. *Non manifeſtans* dicitur ille, qui malefactorem manifeſtare omittit ei, cujus res in cuſtodiam accepit, vel manifeſtare illum omittit ante perpetratum delictum, quando impediendum erat, vel poſt illud factum, quando illatum damnum reſarciendum eſt.

112 Illi autem, (si hoc scire velis) qui clamare, impedire, atque manifestare tenentur ex officio, sunt Imperatores, Reges, Principes, Reipublicæ Gubernatores, belli Duces, Consiliarii Regum, vel Principum, Advocati, Procuratores, Chirurgi, Medici, Tutores, Curatores, Nautæ, Justitiæ Ministri, itinerum, viarum, montium, vinearum nemorum, &c. custodes, aliique publici Officiales, cæterique mercede, ac stipendio conducti, aliave speciali obligatione ligati, ut aliorum saluti, & damno consulant, ut depositarius ad depositum, commodatarius ad rem commodatam, creditor ad pignus, conductor ad rem locatam servandam. ¶ Similiter parentes non impedientes filios, dómini non impedientes servos, famulos, & animalia sua, nè reliquos lædant. ¶ Item famuli, quibus cura domûs, vel rerum est commissa, ut sunt janitores, custodes vestium, vasorum, &c. alii autem omnes præter istos tantùm ex charitate tenentur. Legantur *Trulhench. Decal. lib. 7. Dub. 3. num. 2. Amicus Disp. 39. num. 22. ac Salmant. sup. P. 5. §. 3.*

113 Notandum tamen duas conditiones necessarió requiri ad hoc, ut quælibet ex dictis tribus causis restituere teneatur, quarum prima est, ut teneatur ex justitia clamare, seu loqui, & manifestare, sive hoc sit ratione contractûs, aut ratione officii. ¶ Secunda, ut id facere possit sine detrimento vitæ, famæ, honoris, vel rei familiaris, tam suæ, quàm suorum, ut cum communi docet *Scotus in 4. Dist. 15. Q. 2.* quia nemo cum dispendio tanto alienas res, maximè privatorum, custodire tenetur, nisi se ad id specialiter obliget, natura vel contractûs id exigat. ¶ Dictum est *maximè* privatorum; quia Respublicas tenentur cum periculo etiam vitæ defendere, cùm semper publicum bonum privato sit præferendum, ac proinde gravia Civitatis damna, uti sunt latrocinia, hæreses, Civitatis proditiones, aliaque similia, etiam cum vitæ periculo impedire, & evitare tenentur, loquendo, obstando, ac manifestando. *Trulhench. sup. num. 7. & communis.* His ita cognitis, non multùm jam difficile erit à conscientia scrupulos deterrere; & ideo

114 Dicitur, & asseritur has tres personas, vel causas negativè ad damnum cooperantes, solùm ad restitutionem teneri, quando possunt, & ex justitia evitare damnum tenentur, idque advertentes non evitant, illudve evitare omittunt; id quod de se constare videtur, doctrinaque est *Div. Thom. 22. Q. 62. Art. 7. ad 3.* communisque DD. doctrina, quorum plures refert *Navar. lib. 3. cap. 4. num. 120 legantur Salmant. sup. num. 130.* Unde hos, & similes casus.

115 Resolves restituere non teneri illos, qui solùm ex charitate alterius damnum impedire tenentur, damnum non impedientes, vel evitantes, & si id facilè efficere quirent, & hoc etiam in casu, quo id omittant ex odio, malaque voluntate, ac etiam stipendio accepto (dummodo tamen stipendium ex rebus furatis non exeat.) Unde

116 Primó non tenentur qui extremè indigenti non succurrerent, (estó contra charitatem tunc re vera peccarent, ut peccant) etiam si ex inde mors sequeretur, non enim peccarunt contra justitiam, ex qua solùm talis obligatio oritur. ¶ Secundo neque tenetur ille, qui putà Petrum ab inimicis videt invadi & non succurrit, cùm id faciliter possit. ¶ Tertio neque ille, qui furtum facientem clamoribus suis abigere posset, & sic, vel aliter factum evitare, nonque id facit, si non ex officio, vel ex contractu ad id est obligatus. Communis, & *Salmant. sup. n. 132.*

117 Quartò neque etiam tenetur qui à vicino interrogatus cui factum fuit furtum, an fures viderit, & illos cognoverit, negativè respondeat, modò ex officio manifestare non teneatur. Cum aliis *Bonac. num. 8. & alii.* ¶ Quintò neque privata persona, putà Petrus, qui certò scit vestem, &c. Pauli bona fide à latrone emisse, si id Paulo non manifestet, cùm id ex officio facere non teneatur, uti supponitur, quinimo si delictum occultum fuerit, illud revelare non valet. Cum *Salon. Trulhench. sup. num 15.* ¶ Neque ille, qui suo malo exemplo, processuque depravato alios ad furta, homicidia, &c. allicit, dummodo non jubeat, consulat, vel consentiat; quia talis inducens justitiam non violat. Legantur *Salmant. sup. num. 133. Lugo sup num. 102. Molina sup. Disp. 735. Amicus sup. num. 19. ac Trulhench. sup. num. 14.*

118 Sextó neque restituere, juxta Azor 3. P. lib. 4. cap. 16. §. *Sed quid, si parens*, pater tenetur, si filio indigenti alimenta deneget, vir uxori, Prælatus subdito, aut dóminus servo, quia hîc tantum pietas, vel obedientia violatur, & non justitia, nisi casu, quo alimenta debita sint ex bonis propriis eorum, quibus alimenta denegantur: nam tunc, casus, obligationem ad restitutionem adesse asseritur, quippe tunc ex vi contractûs, aut quasi contractûs alimentorum obligatio adest.

119 Septimò neque restituere tenetur ille, qui absque vi, & fraude clamare volentem ad impediendum furem alterius domum ingredi volentem induceret ad tacendum, vel excogitato alio modo illum, nè clamaret, impediret (suppositó quód ille, qui clamare volebat, obligationem clamandi ex justitia non haberet.)

Ratio est: quia famulus, vel impeditus quòd non clamet, non clamando contra justitiam non peccat, ut supponitur: ergo neque contra justitiam peccabit cum clamare impediens, non enim debet esse major obligatio suadentis, quàm furati: unde, sicut, ut supra dictum manet, non peccas contra justitiam, nec ad restitutionem teneris, si alicui alterum volenti instituere hæredem suadeas sine vi, fraude, vel dolo nè id faciat, ita pariter in proposito casu. ¶ Secus autem dicendum erit, si vi, fraude, vel dolo illum suadeas, quia tunc alter, cui damnum injustè infertur, jus habet, nè clamare volentem quis impedire valeat. Legatur *Molina Disp. 734 ac Lugo inp. Sect. 3. n. 101.*

110 Item octavo ad restitutionem non tenetur famulus, quando ab alio domestico famulo furtum fieri videt, puta heri, quo ei specialis cura rei, vel omnis fuerit commissa, quia quando ex speciali cura rem, vel domum custodire non tenetur, solùm contra charitatem peccat, cum multis *Lugo inp. num. 105.* id quod etiam extendit *Molina inp. n. 5* ad exteros, hoc est, quod famulus, cui talis rei, vel domûs specialis cura commissa non est, non tenetur, quamvis videat illam furari ab exteris, & non clamet, clamare potens; id quod etiam docet *Rebel. de Reb. Just. 2. Q. 14. Sect. 8. num. 62.* Sed circa hoc num. dicta legantur *a Sperta Sancte inp. Tract. 10. Disp. 20. n. 1422. Bonac. Disp. 1. Q. 2. P. 11. n. 7. Trullench. inp. n. 5. Lugo n. 108. ac Salmant. inp. n. 134.*

111 Item nono non tenetur Confessarius, qui *absolvitur, vel ex culpa lata* non monet, nec cogit pœnitentem ad restituendum, sed certo scit eum ad restitutionem teneri, negativè se habet, nihilque ei dicit. Et hoc, sive sit Episcopus, Parochus, vel alius, qui ex officio, vel non ex officio Animarum curam habeat. Ratio, quam jam dedimus a bis est: quia Confessarius, quicunque sit ille, non tenetur ex officio, & justitia bono aliorum temporali providere, sed solùm bono spirituali pœnitentis, cujus causam agit; quapropter, quamvis Confessarius in dicto casu contra charitatem mortaliter peccet non admonendo pœnitentem de eo, quod facere debet, non tamen peccat contra justitiam, vel contra proximum officium per ordinem ad eos, quibus restituendo tenebatur. & est, sicut solùm peccat per ordinem ad ipsius pœnitentis spirituale bonum. ¶ Sed excipe, nisi simul ille Confessarius vim, & rationem consilii induat, vel habeat, nam tunc ad restitutionem tenebitur, si taceat. Et dictum Sanz. de Pœnit. Disp. 22. Sect. 6 tenet N. Navarr. Tract. 2. cap. 2. §. *Quæres autem Covarruvias*; cum multis Salmant. sup. n. 127. & de Pœnit. cap. 12. P. 4. n. 51. *Lugo sup. §. Septimò quæritur*, ac Bonac. cit. P. 11. n. 15.

112 Omnes tamen illi, qui ex officio damna impedire tenentur, & non faciunt, clamando, obstando, atque manifestando, ut sunt illi omnes, quos *sup. num. 112.* posuimus, & similes, damna ex omissione sua sequuta restituere tenentur. Et hinc

113 Decimo restituere sub mortali, materiæ gravitate supposita, teneri omnia damna inde subsequuta illis, in quorum bonum munus susceperunt, custodes omnes horrorum, vinearum, salinum, stannorum, lacuum, palcuorum, montium, agrorum, aliorum vel locorum ac Principem, Regem, & Communitatem pertinentium, qui ex contractu, & mercede se obligarunt ad hæc omnia custodienda, ob eamque causam stipendia acceperunt, & accipiunt; similiter & custodes numeris, pertuum, perinde Civitatis, (quos Castellani *alguaciles*, nobisque *Alcaydes* vocamus, vel Lusitanè *Guardas da Alfandega*, Castellanè *del Almoxarifazgo*) & idem de quocunque alio Justitiæ Ministro, cui ex contractu, vel ex officio in vigilandi cura incumbit, nè in talibus locis damna inferantur, puta ligna comburantur, venæ exerceantur, &c. (vel de custodibus vinearum, portuum, portæ vel Civitatis loquendo) nè aliud in Regnum vetita transferantur, res è navibus extrahantur abscondite, & nè ingrediantur, vel egrediantur ex Civitate, quin negotium habeant, per Alfandegaique, vel Aduanas tranſeant absque eo, quòd gabellas, tributa vel solvant: id quod quo ad nos confirmat ex Lusitania Ordinat. lib. 1. tit. 56. §. *Item Alcaydes*, quod in reformatis haberet tit. 75. num. 23. docentque communis, ut videre est *apud Salmant. inp. num. 125. & 126. Bonac. inp. Q. 2. P. 11. num. 9. Trullench. lib. 7. cap. 13. Dian. 2. num. 4. Less. lib. 2. cap. 13. Dub. 2. num. 4. a Sperta Sancte inp. Disp. 29. Sect. 7. num. 1424. ac cum multis Torrecilla in Sum. tom. 2. Tract. 2. Disp. 2. Sect. 2. cap. 4. n. 13. & 14.*

114 Non tamen (juxta veriorem, & probabiliorem sententiam) dicti custodes restituere tenentur pœnam, vel pœnas illis, quam, vel quas Rei, à custodibus accusati, fuisse, solutæ erant Publicano, vel alijs, quibus applicatæ fuerant, vel sunt, & ab ipsis custodibus pro officio accusarentur, neque vectigalium custodes non tenentur merces illas restituere, vel solvere, quas vectigalium exactor ibi acquietarus erat à vectigalia demandare, si hic à custode accusatus fuisset, id quod probavimus alibi. In pro hoc vide *apud Salmant. n. 126. Bonac. num. 10. Less. num. 72. Trullench. n. 8. Decisiones a Sperta Sancte ac Torrecilla* ut. sunctione pro hac parte alii quinque.

115 Sed pro complemento dictorum, quæ

comperto ſequentia ſerva (licèt circa eorum aliqua aliqua inter aliquos ſit controverſia.) Primò, quòd quando cuſtodes, Miniſtrique publici permittunt, & diſſimulant res, ex quibus nullum ſequitur damnum, neque vectigal, tributum vel aliquod annexum habent, ſed tantummodo pœnam, cuſtodes, vel Miniſtri tale quid facientes (quanvis aliàs peccent juxta quantitatem materiæ) reſtituere pœnam non tenentur. Communis.

126 Secundò cuſtodes non teneri reſtituere pretium à delinquente non denuntiando acceptum, ſicut neque Judicis pro iniqua ſententia ferenda, ſi illud non ab involuntariis extorſiſſent; id quod cum multis docet *Dicaſtill. ſup. cum aliis Torrecilla ſup. n* 15.

127 Tertiò neque teneri, ſi data operâ ſe abſcondant, ut ita liberiùs vetita ingrediantur loca, merceſque vetitas transferant, atque ſic ex inſidiis eos capiant, pœnaſque exigant: quia ex juſtitia eorum bona conſulere non tenentur, nec ex officio eos ſervare indemnes, à pœnis vel liberare, ſed potiùs contrarium tenentur efficere, proindeque eis ſe manifeſtare non tenentur; id quod eſt ita verum, ut nec tali fraude utentes contra charitatem peccent, modò id faciant, ut ſic meliùs vetita loca cuſtodiantur, titulum vel alium habeant honeſtum. Cum multis *Dicaſtill. ſup. num.* 175. *&* 176. *Rebel. lib.* 1. *Q.* 16. *n.* 3.

128 Quartò delinquentes cuſtodi munera offerentes, ut taceat, vel ut illis talia loca ingredi permittat, &c. non tenentur cuſtodi reſtituere damnum, ſi inde illi aliquod ſequatur, quia ipſe liberè conſentit, quando ingredientes in conſcientia reſtituere, ſolvereve non tenebantur, niſi capiantur. Tu circa hæc lege *Trullench. ſup. ac Dicaſtill ſuprà.*

LECTIO IX.

De ordine habendo in ordine ad reſtituendum inter cauſas per injuſtitiam ad damnum alterius concurrentes.

129 CErtum eſt apud omnes cauſas ad alterius damnum concurrentes, & cooperantes quandoque obligari ad partem, quandoque ad totum, & in ſolidum, videlicet quando aliæ partes, ſive compartes nihil reſtituunt, ſive quia nolunt, aut quia non poſſunt; ſed quando ad partem, & quando ad totum, non parva confuſio extat inter Auctores, quod nos hîc breviter ea claritate, qua poſſemus, faciemus, ad intelligentiam tamen hujus rei

130 Supponendum eſt, vel notandum primò quòd, ſi unus ex cooperantibus ad damnum totum damnum injuriato ſatisfacit, cæteri nihil ei reſarcire tenentur, quia jam plenè ei eſt ſatisfactum, cæteri autem ſatisfacere debent ei, qui totum injuriato reſtituit. Eſt communis, & Div. Thom. 22. Q. 62. Art. 7. ad 2. ibi: *Unę tamen reſtituente illi, qui paſſus eſt damnum, alius eidem reſtituere non tenetur, ſed illi, qui fuit principaliter in facto, ad quos res pervenit, tenentur aliis reſtituere, qui reſtituerunt.* Legatur etiam Art. 6. ad 3.

131 Secundò quòd, ſi multi ad idemmet damnum cooperati ſunt, ſed unus independenter ab aliis, tunc, caſus, unus reſtituere non tenetur in alterius defectum, nam eodem modo tenentur ad damnum, quo illius cauſæ fuerunt; at hi non fuerunt cauſa unius, ejuldemque damni ſimul, ſed quilibet damni diverſi, & hoc independenter ab aliis, igitur & in eo reſarciendo ſibi mutuò non ſuccedunt: quapropter, ſi multi eandem vineam depopulati ſunt à ſe independenter, quilibet totum pro ſua parte tenetur, aliis autem pro ſuis partibus nihil reſtituentibus. Iis ſic adnotatis,

132 Dicitur primò quòd ex illis, qui ſimul, & velut in unum, ad totum damnum inferendum concurrunt, ille, qui apud ſe rem habet, tenetur primo loco rem totam domino reddere, vel pretium ejus, ſi jam illam conſumpſit, & in hujus defectu tenentur reliqui; (& idem omnino in eodem ſenſu, quando res aliqua non fuit ablata, ſed tantummodo damnum fuit irrogatum) reſtituente tamen illo primo, reliqui ad nullam reſtitutionem tenentur. Ratio primi eſt: quia ille, qui apud ſe rem formaliter in ſe, vel in æquivalenti habet, quia ſcilicet ejus commodum, & utilitatem accepit, tenetur ex re accepta, ſubindeque totum reſtitutionis onus in ſe cum ipſa re acceptâ ſuſcepit, conſequenterque ratione rei acceptæ & utilitatem illius primo loco ad damnum domino reſarciendum tenetur. Ratio verò ſecundi eſt: quia qui pariter concurrerunt ad damnum, reſarcire tenentur damnum à ſe illatum: illo ergo primo non reſtituente, tenentur cæteri illud reſarcire. Ratio tertii eſt: quia illo primo reſtituente, non tenentur cæteri reſtituere damnificato, cùm jam ei per illum primum ſit ſatisfactum, uti ſupponitur, neque reſtituenti; quia talis in reſtituendo nullum patitur damnum, ex eo quòd nihil ex ſuo, ſed ex re accepta, vel jam ab ipſo conſumpta reſtituat. Eſt communis, & cum multis docent *Salmant. ſup P.* 5. §. 4. *num.* 140. *legatur Lugo Diſp* 19. *Sect.* 4. *n.* 119. *& Amicus Diſp.* 39. *n.* 50. Et ex doctrina hac

133 Reſolvitur quòd, ſi unus purâ ſit mandans, & duo, vel tres exequentes, ac exequentes apud ſe rem habent, vel illam conſumpſerunt, atque in utilitatem ſuam illam con-

ſumpſe

sumpserunt, sti, qui apud se rem habent, aut ex ea lucrum reportarunt, vel perdiderunt, rem dómino, ejus vel pretium restituere tenentur; (æquum enim est ut ille primo loco inter omnes restituere teneatur, qui rem apud se habet, aut ex ea lucrum reportavit, vel culpâ tua eam perdidit, &c.) illis tamen non restituentibus, tenetur mandans, ut ex dictis constat, & de se patet. ¶ Addit Amicus quòd, si sit possessor bonæ fidei ille, apud quem res ipsa exstitit, tenetur primo loco ratione rei habitæ restituere, & si illam bona fide consumpsit, tenetur ad id, in quo factus est ditior: si verò dato pretio bona fide eam comparavit, unum è duobus eligere valet; aut cum latrone contractum rescindere, vel rem domino reddendo contra latronem procedere. ¶ Si tamen aliquis ex sociis aliquid restituat, tunc ille, qui rem apud se habet, vel illam consumpsit, debet illi reponere quod restituit, quia non debet emolumentum ex sua malitia recipere.

134 Secundó dicitur quòd inter causas ad damnum cooperantes ea, quæ principalis est causa, tenetur primo loco, & reliquæ causæ solùm in illius defectu, principalique causâ restituente, reliquæ ad nihil tenentur nec principali, nec vero rei dòmino; non quidem dómino, ut ex dictis constat, non principali, quia ipse illos indemnes servare tenebatur, & quia eo ipso, quòd principalis induxerit alios, videtur juri suo cedere. Principali tamen nihil restituente, vel quia nolit, aut quia non habet unde, tunc singulæ minus principales tenentur in solidum. Communis, & cum multis *Rebel. lib. 2. Q. 15. num 1. Salmant. sup.* ¶ Ex aliis addemes quòd, si principalis causa restituat, & res apud aliam inveniatur aut in se, aut in æquivalenti, tunc, casus, causæ principali restituenti tota res est restituenda, vel ejus pretium, quia in jure dómini verè successit. ¶ Ex quo infert *Amicus sup num. 52. & cum Bonac. Less. & aliis Salmant. sup. num. 141.* quòd semper mandans, consilians, & quicunque alius, qui alium ad damnum inferendum induxit, tenetur primo loco (utpote causa principalis) illatum resarcire damnum, quia eo ipso, quòd nomine suo, vel in gratiam sui damnum fieri voluit, totum in se restitutionis onus suscepit, proindeque si aliæ causæ minus principales restituant, illis causa principalis refundere debet, licèt Amicus respectu causæ consulentis comparatæ cum exequente aliter discurrat, & ideo legendus.

135 Secundo loco inter causas principales tenentur exequutor, vel qui alterius nomine, & non sui intulit damnum, quia hic se habet tanquam morale instrumentum mandantis, & ultimo loco tenentur cæteri, qui putà consuluerunt, aut consenserunt, aut laudaverunt, aut animaverunt, vel qui recursum, obsequium, instrumenta, comitatum, &c. præbuerunt, & tandem qui tacuerunt, non obstiterunt, & non manifestarunt, si ad id ex officio adstricti erant. Communis, docetque *Trullench sup. Dub. 5 num. 6. cum Sayro, & Less. Bonac. sup. Disp. 1. Q. 8. P. 1. num. 5. cum Less. & Lugo Salmant. sup. num. 142.* ibi inferentes (idem quod cum aliis multis facit *Dicastill. sup. num. 225.*) quòd, si exequutor restituat, reliqui dómino rei nihil restituere debent, id quod jam constat ex dictis; ex qua doctrina etiam cum Amico

136 Inferes quòd, causâ principali totum damnum resarciente, reliquæ ad nihil tenentur, è contrà restituente totum damnum causâ minus principali, principalis causa à restitutione totius non liberatur; putà, restituit mandans, exequens tunc, casus, ad nihil tenetur. Contrà restituit exequens, tunc exequenti manet obligatus mandans; vel restituit principalis exequens, ad nihil reliquæ causæ, sive positivæ, vel negativæ, tenentur, è contrà una ex causis, positivè, aut negativè cooperantibus, restituit; tunc exequens principalis à restitutione non manebit immunis, sed restituenti causæ restituere tenebitur, quorum omnium eadem, & una est ratio: nanque qui in damno inferendo principalis est causa, totum restitutionis onus in se suscepit, sicut enim ipsi damnificativa tribuitur actio, ita etiam ipsi restitutionis onus tribui debet: ipsa ergo restituente, reliquæ manebunt immunes, non tamen restituentibus reliquis, vel earum aliqua, ipsa à restitutionis obligatione liberabitur. Legatur *Amicus sup. n. 58.*

137 Deinde cum eodem Amico iterum inferes quòd quando plures causæ, vel æquè principales, aut æquè secundariæ ad eandem damnificativam actionem concurrunt, ut multi mandantes, multi consulentes, multi exequentes, &c. singulæ pro damno à se illato, secundùm quod magis, aut minus influxerunt, vel lucrum reportaverunt, restituere tenentur, & in aliorum defectu singulæ tenentur in solidum, nam eodem modo ad reparandum damnum illatum unusquisque tenetur, quo concurrit ad illud inferendum; sed in casu omnes, & singulæ causæ æqualiter, & in eodem genere causæ concurrerunt: ergo æqualiter, & eadem proportione quælibet ad damnum resarciendum tenetur.

138 Attamen, cùm omnes totius sint causa damni, præter æquales portiones, ad quas quælibet tenetur, in solidum etiam in aliarum defectu singulæ tenentur, una tamen, vel duabus, &c. ex his restituentibus, tunc aliarum

quæ-

quælibet huic, vel his reſtituentibus reddere debet id ipſum, quod dòmino debebat, quia hæc una, vel plures reſtituentes pro aliis ſunt velut fidejuſſores earum, ſucceduntque in totum jus creditoris, aliàs, ſi, reſtituente una, cæteræ reſtitutionis laqueo non manerent ligatæ, tunc, caſus, deterioris conditionis eſſet reſtituens, quàm illi, qui in malitia ſua perſeverantes ſatisfacere quod debebant recuſabant, iſtique ex malitia ſua utilitatem, commodumque reportarent. Ex quo ulteriùs aliud maximum incommodum ſequeretur, ſcilicet quòd videns unus quòd ſi alter reſtitueret, ipſe à reſtitutionis onere immunis manebat per reſtitutionem ab altero factam, quilibet expectaret ut alter ad reſtituendum ſe moveret, ut per reſtitutionem ipſius liber à reſtitutione evaderet; unde oriretur quòd aut ferò, vel nunquam illatum damnum fuiſſet reparatum. Legatur *Benac. ſup. Diſp. 1. Q. 8. P 1. n. 14 & 15.*

139 Si autem ſermo ſit de cauſis negativè ad damnum concurrentibus, dicitur quòd, ſi cum cauſis poſitivè concurrentibus illas comparemus, non æquè immediatè ad reſtitutionem tenentur, ſed primo loco tenentur poſitivæ cauſæ, & in horum defectu negativæ; unde, ſi, te non clamante, non impediente, non manifeſtante, alteri damnum aliquod ſequatur, ſolùm in defectu aliarum poſitivarum cauſarum in ſolidum reſtituere teneris, ſicque teneris poſt omnes poſitivas cauſas. Cum multis *Lugo ſup. num.* 133. ¶ Si poſitivæ autem nihil de facto reſtituant, tunc comparando inter ſe ipſas cauſas negativas, una in alterius defectu totum reſtituere debet, hunc tamen inter ſe ſervando ordinem, videlicet ut primo loco teneatur Superior, qui non impedivit, 2. loco cuſtos rei, 3. teſtis, qui requiſitus juridicè veritatem cellavit; 4. non monens, & conſilium negans, ad quod ex juſtitia tenebatur. Legatur *Lugo ſup. n.* 135. Unde

140 Ex dictis omnes, & ſingulos caſus, qui in praxi occurrere poſſunt, facilè reſolvere erit, nos iſtos ponimus, tu alios diſcurre. Primò Petrus ex aliorum conſenſu nomine ſuo, & aliorum damnum intulit, ipſe, & alii primo loco tenentur in ſolidum damnum reſarcire: quia, cùm omnium conſenſu, & nomine damnum ſit illatum, omnes ad damnum concurrunt æqualiter primò; & quia, ſicut, ſi exequutor aliorum nomine, & non ſuo damnum intuliſſet, non teneretur ipſe primo loco, ſed ſecundo, ita ſi non ſolùm aliorum nomine, ſed etiam nomine ſuo intulit damnum, tenetur utique non minus, quàm cæteri loco primo. Cum aliis *Lugo ſup. n.* 135.

141 Secundò plures ad occidendum Petrum eum ſimul aggrediuntur, ex illis tamen ſolus unus exterminavit eum, ac occidit; tunc, caſus, omnes primo loco reſtituere tenentur, quia parum, vel nihil refert quòd tu ictibus tuis Petrum occidas, vel quòd tuis ictibus Petrum impedias, & detineas, ut ſic melius ab alio, vel aliis occidatur. *Lugo ſup. num.* 139. ibi dicens id intelligendum eſſe, quando in omnium nomine factum fuit homicidium; ſecus autem, ſi non ita, tunc enim aſſerit non teneri omnes æquè primo, ſed primo loco teneri percuſſorem, vel occidentem, reliquos vero in defectu illius, ut de eo dicitur, qui ſcalas ad conſcendendum furem apponit, vel aperit portas, ut ingrediatur, qui ſolùm in defectu furis, qui ſolus fuit exequutor damni, reſtituere tenetur.

142 Tertiò (& eſt caſus pro praxi valde notandus) cum Petro, & Franciſco ad furtum trecentorum aureorum concurriſti, illis verò portiones ſuas non reſtituentibus, vel quia nolunt, aut quia non poſſunt, totum tu illatum damnum reſtituiſti; attamen poſtea unus ex duobus antea reſtituere nolentibus, putà Petrus, pœnitentiâ ductus vult tibi refundere quantum tibi debet, adhuc Franciſco in ſua pertinacia exiſtente, reſtituereque nolente; in hoc caſu tenetur Petrus furti mediętatem tibi reſtituere, id eſt, centum quinquaginta aureos, quia portio 100. aureorum, quam Franciſcus accepit, nonque vult reſtituere, à vobis duobus reſtituenda erat in defectu Franciſci, ſi duo loco Franciſci ab initio ſolvere cõveniſſetis; idem ergo ſimiliter poſtea fieri debet, Franciſcus tamen vos indemnes quo ad ſuam portionem ſervare tenetur. *Rebel. ſup n. 5. Lugo ſup. n.* 138.

143 Hîc tamen pro praxi eſt valde notandum quòd in caſu illo, quo in alterius defectu ad reſtitutionem totius obligatus manes, ſi neſcias, vel prudenter dubites an ille alius, qui priùs reſtituere tenebatur, reſtituerit, tunc, caſus, non teneris ſatisfactionem totam exhibere, aut illam partem, quæ alteri incumbit, ſed tantùm partem illam, quæ tibi contingit; neque tunc, caſus, Confeſſarius tibi præcipere poterit ut in ſolidum reſtituas, vel tunc tibi recuſanti abſolutionem denegare, quia tunc, caſus, præſumere debes, vel potes alterum conſcientiæ ſuæ rectè ſatisfeciſſe, cùm malum non ſit præſumendum ſine fundamento ſolido; quare niſi de malitia alterius quo ad non reſtitutionem conſtet, judicare vales alium jam purgatum eſſe, in ſua jam eſſe conſcientia purum, atque ſecundùm debitum ſatisfeciſſe, ſolùmque attendere debes ad id, quod attigit tibi. ¶ In dubio tamen an alteri ſatisfeciſſet, diligentiam ad veritatem detegendam adhibere teneris, duo tamen, debita diligentiâ facta,

facta, exiſtente, reſtituendo tuam partem optimè ſatisfacis; quia tu non teneris ad aliam partem, niſi tantùm in alterius defectu; unde, cùm dubium ſit de tali defectu, dubium ſimiliter eſt de tali obligatione, & cùm tunc libertas, non obligatio poſſideat, tenet Axioma: *In pari dubio melior eſt poſſidentis conditio*; eó vel maximè, quia in dubio non eſt alterius peccatum præſumendum, atque adeó, niſi conſtet vel alium non reſtituiſſe, vel voluntatem, aut poteſtatem reſtituendi non habere, illius partem reſtituere, ac exhibere non teneris. *Salmant. ſup. n.* 152.

144 Sed rogabis an quando creditor, vel damnificatus condonavit uni ex damnificantibus, dicta condonatio extendatur ad alios? Affirmativè reſpondetur in caſu, quo cauſæ principali facta fuerit dicta condonatio. Ratio datur: nam, ut dictum manet, causâ principali ſolvente, cæteræ cauſæ à ſolutione liberæ omnino manent; ſed in caſu principalis cauſa per condonationem illam totum debitum ſolvit, à reſtitutioneque libera evaſit, cùm condonatio idem, ac ſolutio valeat: ergo, &c. ¶ Secus autem erit, ſi dicta condonatio facta non ſit cauſæ principali, ſed uni ex cauſis minus principalibus, vel ſecundariis, tunc enim principalis cauſa à reſtitutione libera non manet, ut ex dictis conſtat, non enim ſolutio cauſæ principalis ullo modo pendet à ſolutione cauſæ minus principalis. ¶ Item ſi cauſæ æquè primó, vel æquè ſecundo ſint obligatæ, non ex eo, quód condonatio fiat uni, ſequitur quod alteri. ſit etiam facta, eo quód obligatio unius ex alterius obligatione non pendet, ut de ſe patet. Ita ex multis *Turrecilla in Sum. tom.* 2. *Tract.* 2. *Diſp.* 2. *Sect.* 2. *cap.* 3. *n.* 14. *ad* 17. ibi ex aliis advertens quòd quando creditor uni ex damnificatoribus condonationem fecit, poteſt iſte condonationem ſibi factam à principali cauſa exigere. Legatur & *Bonac ſup. n* 18.

LECTIO X.

Utrùm quæ ob turpem cauſam accipiuntur, reſtitutioni ſint obnoxia, & quid de illis, qui gratis actus exercere tenentur?

ID, quod Lectionis hujus titulo ponitur, hic ab aliquibus excitari ſolet. Et licèt quid ad illud dicendum ſit, jam ex multis, quæ alibi dedimus, conſtare poſſit. Pro quo legendus *Tract.* 20. *cap. unic. Lect* 6. placet tamen hic de eo aliquid dicere.

145 Dicitur ergo neceſſariò reſtituendum non eſſe, ſed licitè retineri poſſe id, quod acceptum eſt ob turpem actum, vel cauſam, opere illicito jam patrato, vel exequuto, putà maleficio, homicidio, ſacrilegio, adulterio, divinatione, incantatione, &c. circa quod contractus, promiſſio vel facta erat; tunc enim & tenetur promittens, vel paciſcens ſolvere pretium, & rem exequens recipere illud, quin ad reſtitutionē talis pretii reſtituere teneatur. Eſt expreſſa in Div. Thom. 22. Q. 62. Art. 5. ad 2. & in 4. Diſt. 15. Q. 2. Art. 4. Q. 2. ubi ſic habetur: *Si autem Lex prohibuit actum, ex quo lucratur, ſed non lucrum, ſuppoſito actu, tunc, quamvis acquirendo tali actu contra Legem fecerit, tamen retinendo non facit contra Legem, ſicut cùm quis de lenocinio, vel meretricio lucratur, & ideo hæc retineri poſſunt.* Et iterum: *Alio modo aliquis illicitè dat, licèt ipſa datio non ſit illicita, ſicut cùm quis dat meretrici propter fornicationem; unde & mulier poteſt ſibi retinere quod ei datum eſt; ſed ſi ſuperfluè ad fraudem, vel dolum extorſiſſet, tenetur eidem reſtituere*, pro quo etiam plurimum facit Lex: *Idem ſi ob ſtuprum, ff. de cond. ob turpem cauſam*, ubi ſic legitur: *Meretrix enim turpiter facit, quòd ſit meretrix, non tamen turpiter accipit, cùm ſit meretrix*; ex quibus omnibus clariſſimè patet quàm vera ſit reſolutio data, quin ſit neceſſum aliquid aliud addere. Legantur *Salmant. ſup. cap.* 1. *P.* 6. *à Spiritu Sancto Tract.* 10. *Diſp.* 8. §. 3. *num.* 10. *Molina tom.* 1. *Tract.* 2. *Diſp.* 94. *Lugo Diſp.* 18. *Sect* 3. *num.* 45. *Trulhench. Decal. lib.* 7. *Dub.* 8. *num.* 10. *Bonac. Diſp.* 1. *Q.* 3. *P.* 2. *num.* 2. *Leſſ. lib.* 2. *cap.* 14. *Dub.* 8. *n.* 52. *& Azor lib.* 4. 3. *P. cap.* 21.

146 Sed ad plenam reſolutionem doctrinæ, ſive reſolutionis propoſitæ ſequentia nota. Primó quòd dicta meretrix tantùm pro ſui corporis uſu accipere poteſt id, quod à Lege extat taxatum, & ſi taxatum non eſt id, quod communiter aliæ fœminæ ejuſdem furfuris, ſtatûs, & conditionis accipiunt; unde fit quòd, ſi aliquis prodigus fuit in promittendo tantùm (& ſi ſub juramento promiſſionem feciſſet) ſolvere illud tenetur, quod vel taxatum eſt Lege, vel quod ſimilibus fœminis aliis debetur, ſolvique ſolet, minimè tamen exceſſum; quia idem peccatum eſt promittere prodigè, ac eſt prodigè dare: ſicut ergo prodiga promiſſio quo ad exceſſum illicita eſt, ita & datio prodiga illicita erit, & eſt quo ad exceſſum: prodiga nanque promiſſio non aufert in exequutione prodigalitatis malitiam, ſicut promiſſio mentiendi mendacii rationem in exequutione non aufert: promiſſio ergo talis dationis nulla eſt, nullamque obligationem inducit, promiſſio nanque rei illicitæ ſemper eſt invalida, & cùm juramentum vinculum non ſit iniquitatis, conſequenter dicendum quòd promiſſio talis, tametſi juramento firmata, ad exceſſum non obligat. Cum multis *Trulhench. ſup. num.* 2. *Salmant. ſup. num.* 166. *& ſeq.* (apud quos

contra-

contrarium probabile dicitur) unde etiam fit quòd meretrix exceſſum reſtituere tenetur, niſi in caſu, quo talis exceſſiva datio purè, & mere liberalis ſit, nonque tanquam in pretium facta, nam tunc meretrix illam retinere valebit.

147 Secundò quód, ſi meretrix ſimulatis verbis, vi, metu, fraude, vel dolo aliquid ultra juſtum pretium ab amaſio extorſit, putà finxit ſe virginem eſſe, aut nobilem, aut niſi à Rege cognitam non eſſe, aliis vel hujus generis viris, vel quòd tantùm fuit cognita ſemel, &c. tunc, caſus, reſtituere tenetur exceſſum, quia fraus, & dolus nemini debet patrocinari; unde ſolùm retinere poteſt id, quod ſine fraude, vel dolo merebatur, eo quód involuntariè, & invitus exceſſum reddat amaſius, utpote dolo, vel fraude deceptus, eſt expreſſum in Div. Thom. ubi ſup. *Sed ſi ſuperfluè ad fraudem, vel dolum extorſiſſet, tenetur eidem reſtituere.*

148 Tertió aſt, ſi blanditiis, illecebris, verbis amatoriis, facetiis, &c. aliquid ſupra juſtum pretium ab amaſio extorquet, tunc ad reſtituendum exceſſum non tenetur, quia hujuſmodi mendacia, amatoria verba, &c. ſunt in mulierculis iſtis valde conſueta, & frequentia, omneſque homines probè cognoſcunt illas quotidianas eſſe mulierum, præcipuè meretricum, technas, & unuſquiſque ſibi imputare debet, quód facilè finit ſe mendaciis ſolitis decipi, & volenti non fit injuria; unde omne pretium, vel præmium, quod ita ab amaſio meretrix extorquet, tuta conſcientiâ retinere poteſt, quin ad reſtitutionem obligata maneat. Cum aliis Salmant. ſup. num. 159. Trulhench. ſup. num. 7. Azor ſup. lib. 4. cap. 21. §. *Tertiò quæres*, & communis.

149 Quartó, ſi fœmina ſit valde celebris, aut illo miſerrimo officio non expoſita, tunc juſtum pretium taxari non poſſe dicitur; ſed quód ſui corporis uſus tantum valet, quantum ipſa illum æſtimare velit: quia in mercibus illis, quæ nec ad victum, neque ad veſtitum ſimpliciter ſunt neceſſariæ, nec quis ad emendum cogitur, ſed emit ad ornatum, delectationem, & hujuſmodi, uti ſunt pretioſæ margaritæ, gemæ, ſingularis pictura, &c. juſtum pretium eſt, fraude ſecluſa, illud, quod ex conventione paciſcitur; & idem dicendum in propoſito, dicuntque cum *Navar. Villalob. tom. 2. Tract. 11. Differ. 16. num. 9. Trulhench. num. 2. ſup. Bonac. cum aliis de Reſtit. Diſp. 1. Q. 3 P. 3. num. 6. multique alii.* Et pro dictis, ut videas quot ſint fœminæ vires, id audi, quod quidam occinebat olim.

Fœmina corpus, opes, animum, vim, lumina, vocem
polluit, annihilat, necat, eripit, erbat, aſerbat,
occidítque Animam, conſortia, fœdera, famam
debilitat, perdit ſocios, auferſque fideles.

Et alius.

Fœmina fas Sathanæ, fœtens roſa, dulce venenum,
Semper prona rei, quæ prohibetur ei:
Urit enim vultu, viſu, riſu, cute, cultu;
Hujus ab inſidiis, ut potes, eſto procul.

150 Hæc, quæ quo ad reſtitutionem hactenus diximus de meretricibus, extendenda ſunt ad alias fœminas, ſive publicæ fornicariæ ſint, aut occultæ, ſive ſit virgo, aut ſoluta, ſive uxorata, aut vidua, ſive Monialis; de omnibus enim idem dicitur, cùm in omnibus ſit eadem ratio, cum hoc tamen diſcrimine, quód meretricibus pretium petendi in Judicio actio datur, cæteris verò denegatur, ad evitandas rixas, ſcandala, atque majora incommoda, imò in ſui criminis pœnam pretio acquiſito privantur; ante tamen Judicis ſententiam illud petere, tutòque retinere poſſunt, virique in conſcientia illud ipſis ſolvere tenentur, turpitudinis actu ſequuto, vel habito. Cum aliis *Salmant. ſup. n. 158. multique alii.*

151 Procedit & etiam dicta doctrina, non tantùm de fœminis, ſed etiam de viris, de quibus dicitur etiam ad reſtituendum obligatos non eſſe, ſi à fœmina aliquis ob ſui turpem corporis uſum accipiat aliquid, ſicque proinde tenebitur fœmina pretium promiſſum maſculo reſtituere, & ipſe illud ſibi tutò retinere; quin potiùs dicitur quód æquiùs maſculus pretium, quàm fœmina recipit, cùm ipſe ex ſua domo plus, quàm ipſa ponat, pluſque præbeat, utpote ex propria ſua ſubſtantia donans. *Villalob. ſup. num. 11. Trulhench. ſup. num. 4. Sotus lib. 4. Q. 7. Art. 1.* ¶ Imò juxta Azor ubi ſup. nec maſculus ad reſtituendum manet obligatus, ſi ab altero maſculo (quod Deus non permittat) ob copulam contra naturam pretium ſimiliter accipiat, quanvis in foro fori in pœnam tam acerbi, & depravati delicti lucro acquiſito privetur, inſuper & puniatur; quia hic eadem etiam militat ratio. Legatur *Azor ubi ſuprà*

152 Si tamen vir aliquid fœminæ donet eo fine, ut illam ad turpitudinem moveat, & alliciat, & ut ſic turpem conſenſum extorqueat, (ſine ullo explicito, vel implicito pacto reſpectu talis conſenſûs) tunc, caſus, fœmina totum, quod ſic ſibi datum fuerit, tuta conſcientiâ retinere valebit, licèt uſum corporis ſui tali viro non concedat; in quo ſenſu loquimur, (ſi nanque conceſſerit, jam conſtat ex dictis quid ſit tenendum) quia tunc cenſetur illud gratis fuiſſe donatum, & ita cum multis *Salmant ſup. legendi num. 165.* pro quo etiam legatur *Rebel. P. 1. lib. 3. Q. 7. num. 6. & Leſſ. lib. 2. cap. 18. Dub. 16.*

153 Tenebitur verò fœmina, quæcunque sit illa, & etiam masculus restituere omne id, quod pro actu libidinoso accepit, si illud accepit ab iis, qui bona alienare non poterant, juxta citandos, sine facultate alicujus Superioris, uti sunt amens, prodigus à Magistratu sub Curatore positus, filiusfam. adhuc sub patria potestate existens, (nisi ex bonis castrensibus, aut quasi castrensibus munera donet) servus, minor, & omnes illi, qui sine licentia Superioris alicujus donare non valent, vel de suo non donant. Legantur Azor sup. §. *Ultimò queres*, ac Less. lib. cap. 18 Dub. 11. & cap. 12. Dub 14.

154 Utrùm autem id, quod nuper dicebamus, extendendum sit ad Religiosos? Isti enim aliquando amplam licentiam habent donandi, & expendendi; aliquando aliquid acquirunt sibi gratis donatum, aliquando arte, & industriâ sua aliquid lucrantur docendo, prædicando, pingendo, & de agibilibus multi sunt valde curiosi, qui varia valde pretiosa suis exauratis manibus conficiunt, & ornant, (quorum tempestate hàc non paucos cognoscimus) aliquando etiam iter agunt, licentiamque habent ad suum pro libito expendendum, & distrahendum viaticum in ipso itinere. Itaque quæritur an si Religiosus aliquis (quod Deus avertat) stimulis carnis agitatus, & convictus alicujus fœminæ usuram corporis faciat, ob turpem usum promissum pretium ei tribuere teneatur, & utrùm talis fœmina acceptum pretium, vel præmium restituere teneatur? Est sententia pro utraque parte probabilis; sed probabilior illa, quæ dicit Religiosum talem donationem efficere non posse, quòdque fœmina pro actu illicito minimè tale pretium sibi retinere valet, consequenterque quòd tale pretium Monasterio restituere debet, id quod latè probavimus alibi. Legantur *Salmant. sup. n.* 160. & 161. *Molina Disp.* 276. *Azor* 3 *P. lib.* 4. *c.* 21. *ac Less. lib.* 2. *cap.* 18. *Dub.* 11. *n.* 83.

155 Pro re tamen hac prætermitti non debet illud, quod ex aliis addunt *Salmant. num.* 161. ad finem, scilicet quòd Religiosus, cui concessa fuit facultas disponendi de aliquibus bonis in operibus piis, tuta conscientiâ potest puellæ, quam defloravit, alteri vel honestæ fœminæ, cui honorem abstulit, satisfacere de illis bonis, quanti prudentis arbitrio talis læsio æstimatur, & si fortè ex talibus fœminis filium, vel filios habuerit, ex eisdem bonis eis alimenta præbere, quia hæc omnia pia sunt opera, & peccato supposito, valde necessaria. ¶ Cui resolutioni alteram ex *Lugone sup. Disp.* 3. *Sect.* 7. *num.* 143. *in fin.* addere poteris, pro praxique observare, adhuc in nostra sententia stando, videlicet quòd illi, vel illæ, qui, vel quæ à Religiosis ob turpia aliquid acceperunt, à restitutionis onere excusari valebunt, si Religiosus, postquam dona fecit, (& meliùs, si antea) ad quod in usus pios efficiendum licentiam habebat, animum mutet, & id ipsum eidem fœminæ aliquo honesto titulo donet, putà quia pauper est, &c. hæc enim est pia donatio, & ad illam in casu etiam licentiam habet. Vide *Salmant. Tract.* 13. *cap.* 6. *P.* 6. *num.* 84. *fol. mihi* 348.

156 Rogabis primò an Regularis, Monachus, vel Religiosus, nunquid uxorata, filia, vel ancilla superiori, marito, patri, atque dómino restituere teneatur id, quod turpiter, & inhonestè fuit lucrata? Dicitur quòd Monialis, & Religiosus tenetur: quia, cùm uterque dominii sit incapax, quidquid acquirit, quocunque modo acquirat, Monasterio acquirit. ¶ De uxorata verò filia, & ancilla loquendo dicitur non teneri. Legantur *Salmant. sup. num.* 163. *ac Lugo sup. n.* 52.

157 Secundò rogabis an, si quis pretium accipiat, ut faciat aliquod malum, vel omittat aliquod bonum, teneatur in conscientia illud restituere, quod aliter alii inquirunt; an scilicet ex donatione illicita, & reprobata per Leges oriatur in recipiente restitutionis obligatio, vel utrùm acceptum ob turpem causam, vel ob peccatum committendum sit necessariò restituendum? Est sententia pro utraque parte probabilis ubi sup. P. 7. legendo per totum.

LECTIO XI.

Utrùm acceptum ob honestam causam sit restituendum; id quod alii aliter sic inquirunt; nimirum, an accipiens pro actu bono, quem gratis facere debebat, vel pro desistendo á malo, quem debebat omittere, illud quod accepit restituere teneatur?

158 DIcitur quòd Ministri Justitiæ ultra mortale peccatum, quod faciunt, quælibet dona, etiam liberaliter, & gratis eis delata, à litigantibus accipiendo; quia hoc omni Jure eis prohibitum extat, ut bene ex aliis adnotarunt *Salmant. sup. P.* 8 *num.* 174. & de quo etiam legendus est *Lugo Disp.* 37. *á n.* 128. *Sect* 11. restituere tenentur illud omne, quod acceperunt. Id quod verum, non solùm, quando pretium quis ab eo accipit, cui ex justitia actus, vel ejus omissio debetur, sed etiam quando recipit illud ab alio extraneo, id est, qui non sit familiaris, amicus, vel persona conjunctissima, ut filius respectu patris, uxor respectu mariti, frater respectu fratris, & è contrà, qui, cùm moraliter eadem persona censeantur, idem omnino dicendum de recepto ab

istis,

iſtis, ac de ab ipſamet litigante parte receptis. Reſolutionem hanc fusè probavimus alibi; pro nunc ſatis eſt legere *Salmant. ſup. P.* 8 *á n.* 174. *ad* 178. *&* 182. *ac* 183. *Rebel. lib.* 18. *Sect.* 20. *n.* 1. *Molinam tom* 1. *Diſp.* 83. *& Lugonem Diſp.* 37. *n.* 126.

159 Conſultò diximus: *Miniſtri juſtitiæ*, & etiam; *id quod verum, non ſolùm quando pretium, &c.* quia loquendo de eo, qui pretium recipit pro eo, quod facere, vel omittere debebat, non ex Juſtitia, ſed ex aliis virtutibus, vel motivis, etiam adhuc charitatis virtute incluſa, dicimus ad reſtitutionem non teneri. Ratio eſt: quia non ex violatione virtutis Charitatis, aut alterius, ſed ſolùm ex violatione virtutis Juſtitiæ (& hæc commutativa) reſtitutionis tantùm obligatio oritur; ſed quando aliquid recipitur propter opus ex Charitate debitum, & non ex Juſtitia, non Juſtitia, ſed Charitas violatur: pretium ergo recipens pro eo, quod facere, vel omittere debebat, non ex Juſtitia, ſed ex Charitate, vel ex aliis virtutibus ad illius reſtitutionem non manet adſtrictus. Cum multis *Salmant ſup. num.* 185. legantur etiam *Rebel. ſup. Q.* 21. *ac Lugo Diſp.* 18. *n.* 67. Unde caſus ſequentes.

160 Reſolves primò ad reſtitutionem teneri pretium accipientem, nè furetur, nè occidat, nè teſtis falſum teſtimonium dicat, vel ut verum teſtimonium præſtet, Judicem, nè injuſtam ſententiam proferat, vel ut juſtam dicat; electorem, ut pro digniori ſuffragium mittat, vel nè pro indigniori mittat illud, ſicarium pro non occidendo hominem aliquid accipiat. ¶ Similiter idem de eo, qui pretium accipit ut debitum ſolvat, ut depoſitum reddat, ut honorem, famamque reſtituat, ut legata legatario reddat in teſtamento relicta, ut rem inventam ſuo dómino tribuat. ¶ Idem de Tabellionibus, Notariis, Judicibus ultra taxatum, & juſtum ſtipendium petentibus, aut recipientibus. ¶ Idem de omnibus Principum Miniſtris, quibus eorum bona competit debitoribus, vel aliis ſecundùm eorum jura diſtribuere, ſi aliquid pro diſtributione, ſive ſolutione accipiant. ¶ Item de omnibus illis, qui ex teſtamento, vel alterius mandato debent, & tenentur aliqua bona inter cives, pauperes, virgines, vel viduas diſtribuere, & hoc, ſive explicitè, aut implicitè pretium exigant, & accipant; explicitè, ſi id in pactum deducat, putà dicat ſe a ſe petitum non facturum, niſi hoc, vel illud donetur ſibi. Implicitè autem, ſi litigantem detinet, negotium, vel ſolutionem retardat, tot vel moleſtias, & vexationes miſerrimo, & maximè ſi ſit exterus, vel peregrinus, homini facit, ut potiùs ille ad ſuam vexationem redimendam (& ſic magis involuntariè, & coactè, quàm ex voluntate, ac liberalitate) pretium ſupra debitum conferre eligat, aut indebitum donum exhibere ſit conſtrictus.

161 Secundò ad reſtitutionem non teneri quemcunque, qui pretium recipit, ſi illud pro eo, quod non ex Juſtitia, ſed ex virtutibus aliis tenebatur facere, accipiat, ſicque reſtituere non tenetur ille, qui pecuniam, donum vel aliud recipit, nè peccet, nè turpiter vivat, nè juramentum proferat, nè blaſphemet, nè lucrum omittat, nè jejunare deſinat, ut Baptiſmum recipiat, Chriſtianus fiat, nè ſacrilegium faciat, ut factum votum, vel juramentum ſervet, ut furtum, vel furem indicet, ut Proximum à morte defendat, ut extremè indigentem ab inopia ſublevet, ut à manibus latronis alterum liberet, ut confiteatur, ut Euchariſtiam Sacram in Paſchate recipiat. Pariter Medicus, qui ex charitate, & miſericordia pauperem infirmum curare tenetur, idque non vult facere, niſi ab eo, vel ab aliquo alio pretium recipiat. ¶ Item qui ex charitate domum Proximi ſui ab incendio, vel ipſummet Proximum ab aliquo gravi periculo liberare tenetur. ¶ Item qui pecunias recipit à fure, nè eum prodat, (dummodo non ſint ex pecuniis furtivis) quia ad hoc tenetur ex charitate ſolùm. In his igitur, & in aliis millibus caſibus, qui imaginari queunt, nulla eſt reſtitutionis obligatio, eo quòd tunc talia bona liberaliter donantur, & recipiuntur, licèt illicitè, eo quòd contra Charitatem pretium tale petatur; quæ omnia verificantur, etiam ſecundùm humanum Jus poſitivum. Legantur *Lugo ſup. num.* 74. *Rebel. ſup. Q.* 20. *ac Salmant. ſup. num.* 184. *&* 185.

162 Sed eſt dubium an, cùm juſtitia eſt dubia, vel pro utraque parte æquè probabilis, quo caſu favor juſtitiæ datur, & poteſt Judex ſententiam ferre pro quo litigante ipſe maluerit, & in hanc partem, vel in aliam ſe inclinare, teneatur reſtituere id, quod accipit, ut in hanc partem potiùs, quàm in aliam ſe inclinet, vel potiùs pro iſto, quàm pro illo ſententiam ferat? Et hæc concluſio non ſolùm procedit de Miniſtris Juſtitiæ, ſed etiam de aliis perſonis, ut de Electoribus, Suffragatoribus ad aliquam Cathedram, Capellam, aut dignitatem, quarum rerum electio in eorum poteſtate, & arbitrio ſit poſita ita taliter, ut pro libito quem maluerint eligere valeant. Ut tamen confuſio vitetur, de Judice ſingulariter ſermo erit, & *id*, quod de Judice dictum fuerit, neceſſariò aliis applicandum erit.

163 Pro hac re ſupponitur quòd in moralibus licitum eſt cuilibet ſequi opinionem verè, ſimpliciterque probabilem (& ſi ſit minus tuta) in conſpectu probabilioris, & tutioris,

vel, quod idem, probabiliori, & tutiori relicta, & hoc, quanvis probabilior, & tutior propria ſit opinio, quæ concluſio, ſeu reſolutio, prout patet, univerſaliter intelligenda eſt & in omni materia. Si tantùm Sacramentorum Miniſtros in Sacramentis conferendis, vel conficiendis, & Juſtitiæ Miniſtros in ſententiis dicendis, dandis, vel proferendis à generali regula hac excludamus; id omne, quod conſtat ex alibi dictis à nobis, & in hoc Breviario Tract. 1. Lect. 6. ubi pro intelligentia dictorum neceſſariò omnino legendum erit.

164 Ex ibidem dictis n. 130 etiam conſtat illicitum eſſe Judici quocunque in caſu ſententiam proferendi pro eo aliquid in pretium accipere, quippe contra cum ſtat Propoſit. 26. ab Alexandro VII. damnata, ſive ſtat talis Propoſit. damnatio, quæ ſic ſe habebat: *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius pro alio.*

165 Cæterùm, licèt ex præfata damnatione illius Propoſit. conſtet talem pecuniæ acceptationem à Judice pro ferenda ſententia factam illicitam eſſe, & peccaminoſam, non tamen ex ea conſtat invalidam eſſe, eo quòd in Decreto damnationis talis Propoſit. non datur verbum aliquod irritans, & annullans talem pecuniæ acceptationem, vel recipientem inhabilem reddens ad talis acceptæ pecuniæ dominium acquirendum, neque eum ad illius reſtitutionem obligans; unde adhuc diſputationi relinquitur locus, & facultas ad inquirendum illud, quod ſup. extat propoſitum. Circa quod jam vidimus cit. Lect. 6 num 130. opinionem dari pro utraque parte probabilem, vidimus & ibi num. 125. qualiter Judex ſe habere debeat in caſu opinionum utrinque æquè probabilium, atque adeò pro his ibi recurrendum, vel legendi *Salmant. ſup num. 176. ad* 181.

166 Sed circa Judicem nota contra dictam damnationem eum non ire, qui diceret licitè poſſe Judicem quodlibet munus (maximè ſi ſit comeſtibile) à litigante accipere, dummodo pro ferenda ſententia non ſit à litigante datum, & à Judice acceptum, ſed omnino liberaliter, & gratioſè titulo amicitiæ, &c. hoc enim in dicta Propoſitione comprehenſum non extat, ſolùm enim in illa dicitur: *Poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia*, & munus hoc, ut ſupponitur, pro ferenda ſententia datum non eſt, nec acceptum. ¶ Imò quanvis litigans pro ſententia ferenda (id quod ei in dicta damnatione prohibitum non extat) munera Judici daret, (idque Judici eſſet ignotum) Judexque tanquam ſibi gratis donata acciperet ea, adhuc ex vi dictæ damnationis illicitè non operaretur, quia Propoſitio illa damnata ſolùm loquitur de Judice accipiente pro ſententia ferenda, non verò de litigante, vel alio munera pro obtinenda ſententia donante, atque ad alios, extra Judicem, non debet extendi damnatio, id quod ex parte docet *Sanch. tom. 1. Conſil. lib. 3. cap. unic. Dub. 2. n. 1. & 5.*

167 Unde nota non eſſe licitum Judici (naturali Jure attento) pecunias, munera vel recipere pro eo, quòd prius pro uno, quàm pro alio circa aliam diverſam cauſam ſententiam ferat, vel clariùs, quòd quando duæ diverſæ diverſorum ſunt cauſæ concluſæ, in eodemque tempore exigit quælibet ut pro ſe ſententia feratur, liberumque eſt Judici pro qua voluerit priùs ſententiam dare, & poſtea pro altera unam & anteponere alteri; licitum tunc ei erit pecuniam accipere pro unam anteponendo alteri, cujus ſententiæ eſt *Laymann. & ſequutus à Diana 5. P Tract. 5. Reſol. 45.* Hoc enim diverſum quid eſt ab eo, quod ſuprà data damnata Propoſitio aſſerebat, ibi enim dicebatur: *Poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius pro altero*; id quod hîc non aſſerimus, ſed ſolùm quòd quando ſunt diverſæ, & hîc, ac nunc ſententiam ambæ æqualiter exigunt, eo quòd ambæ ſunt jam plenè probatæ, & eſt in arbitrio Judicis hujus anticipare ſententiam, illiuſque retardare, vel eam poſtponere alteri, pecuniam, vel aliud munus tanquam pretium accipere poteſt, vel ut prius litigium hoc, quàm aliud diverſum ſententiam ferendo determinet; id quod ab illo quid eſt diverſiſſimum, ut ipſi conſideranti patebit.

168 Præterea nota quòd in dictæ Propoſitionis damnatione nihil contra pretium Judici dantes decernitur, ut patet ex ipſa: unde damnata non manet opinio aliquorum aſſerentium litigantes tuta conſcientiâ donis, & muneribus Judicem attrahere poſſe, & allicere, ut potiùs pro ſe, quàm pro aliis judicet, & ſententiam ferat, quando pro utraque parte æqualis probabilitas extat, & Judex ſine muneribus ſententiam contra illum ferre volebat, cujus ſententiæ eſt *Petrus Navar. de Reſtit. lib. 4. cap. 2. Dub. 12. num. 111* ſunt & alii. Et idem dicitur in caſu, quo litigans probabiliter timeat quod vel Judex, aut alii Juſtitiæ Miniſtri aliquam ſibi in judicando injuſtitiam efficiant, tunc enim dicitur eum pecuniam, vel munera aliqua licitè eis dare, & offerre poſſe, ut ſic ſuam redimat vexationem, quia in dicta Propoſitione clauſum non manet, quòdque hoc licitè fieri poſſit, videre poteris *apud Sanch. tom. 1. Conſil. lib. 3. cap. unico, Dub. 3.* Tu rem conſidera in caſu utroque.

169 Hîc quæri ſolet an ille, qui ſe paupe-

rem

rem fingit, ut eleemoſynas acquirat, & ille, qui fingit hypocriſim, id eſt, ſe ſimulat virum probum, honeſtum, devotum, pium, Beatum, Sanctum, &c. & ob id Beneficium Eccleſiaſticum, aliquod vel aliud quodcunque officium, vel nummos aliquos acquirat, in conſcientia illud omne, quod ſic ſibi acquiſitum fuerit, renuntiare, vel reſtituere teneatur? De hac re jam dedimus ſup. Tract. 16. cap 2. Lectione 3. Sublect. 3. num. 83. ad 85. quantum ad rem ſatis, & ideo legenda quæ ibi ſunt tradita. Legatur etiam Azor 3. P. lib. 4. cap. 21. §. *Decimus igitur*, & Medina Q 23. *de rebus reſtituendis*, & ex ibidem doctrina tradita hîc nunc

170 Reſolves quid dicendum ſit de hoſpitalibus, domibus, vel Collegiis ad certas perſonas accipiendas, ſuſtentandas, &c. inſtitutis, & fundatis; ponamus. Eſt pia fundatio, (Luſitanè *Recolhimento de pobres, honeſtas, honradas donzellas*) ad fœminas aliquas iſtîus, vel illîus conditionis recolendas, vel recipiendas, ibi educandas, ſervandas, & tandem in Matrimonium ſua dote ducendas, vel de illis aliter curandas (cujus generis non paucas fundationes vidimus variis, diverſiſque Regnis, per quæ tranſmigravimus, tum hoc noſtro feliciſſimo, piiſſimoque, atque Catholiciſſimo Luſitaniæ Regno, quod Deus O. M. feliciter ſemper, ſemperque proſperanter, & ovanter conſervet, tueatur, atque gubernet, ad triumphumque agendum ſemper auxilium præbeat.) Eſt, inquam, dicta fundatio ad dictas recolendas, &c. fœminas; & ecce Maria alicujus earum prætendit ingreſſum, & ad hoc ſe fingit eſſe talem genere, natione, conditione, gradu, ætate, qualem ad admiſſionem illîus pia illa requirit, & petit fundatio; admittitur illa, & ibi ſuſtentatur, veſtitur, &c. quæritur ergo an peccet, & ad reſtitutionem teneatur? Affirmativè ad utrumque reſpondetur. Ratio datur: quia, ſi rei veritas nota eſſet, patefacta, & manifeſtata, minimè in talem piam domum (*Recolhimento*) admitteretur, vel reciperetur, quippe omnino involuntaria eſt dicta receptio, & cùm talis ſit, abs dubio peccat ipſa, reſtituereque tenetur. Ita Navar. cap. 18. n. 8. quem citat, ſequiturque Azor ſup. §. *Ex dictis ſequitur*, id quod etiam alii docent.

171 Idem dicitur, quando in óppido aliquo, aliqua vel Civitate, aut Villa legata pia ſunt aliqua (quæ à multis *Pietatis montes vacantur*) pro pauperibus fœminis, vel virginibus maritandis, conditionem iſtam, vel illam habentibus, fœminaque aliqua conditionem talem fingat habere, & ob eam ad id ſit admiſſa. ¶ Idem, quando in aliquo Templo, Oratorio, vel eorum portis, aut januis aliquorum miniſterio in ſubſidium certorum pauperum, vel pauperum mortuorum eleemoſynæ petuntur; eſt enim in aliquibus Civitatibus pia certa conſuetudo, (uti Hiſpali, & pro funere, & Sacro pro eis faciendo) conſtituitur unus, vel duo ad eleemoſynas petendas, vel conſuetudo eſt eleemoſynas petendi pro pauperibus illis, qui in Hoſpitali recolliguntur, curantur, ibique detinentur, (uti Siracuſæ accidit) tuncque enim, caſus, ſi in eleemoſynas colligentibus dolus, fraus vel aliqua adfuerit, nonque prædictum negotium fideliter agant, quis dubitat eum, vel eos & illicitè procedere, & ad reſtitutionem teneri totîus illîus, quod ſibi furripuerunt? Legatur *ubi ſup. Azorius*.

CAPUT III.

De circunſtantiis Reſtitutionis.

REſtitutionis circunſtantias ſequentibus verſibus communiter DD. proponere, aſſignareque ſolent, videlicet

Quis, quid, reſtituet, cui, quantum, quomodo, quando,

Ordine, quoque loco, quæ cauſa excuſet iniquum.

De quorum aliquibus præcipuè: *Quis, quid*, & *quantum*, ſatis ex ſupradictis manifeſtè conſtat, unde in ſequentibus tantùm de reliquis nobis brevis ſermo erit, & quia circunſtantia *cui* primo loco ſe offert, pro ea loco primo ſit

LECTIO I.

An ei, á quo accepta fuit res, vel ablata, reſtituere ſemper oporteat?

1 DE re hac agens Magiſter Angelicus 22. Q. 62. Art. 5. in corp. (legendus etiam in 4. Diſt. 15. Q. 1. Art. 5. Quæſt. 4. & Opuſc. 67. ac 73.) ait: *Dicendum quòd per reſtitutionem fit reductio ad æqualitatem commutativa juſtitiæ, quæ conſiſtit in rerum adæquatione, hujuſmodi autem rerum adæquatio fieri non poſſet, niſi ei, qui minus habet, quàm quod ſuum eſt, ſupplereatur quod deeſt, & ad hanc ſuppletionem faciendam neceſſe eſt ut ei fiat reſtitutio, á quo acceptum eſt*, ex quo jam clarè patet cui reſtitutio facienda eſt.

2 Dicitur ergo ſemper rem reſtituendam eſſe ei, à quo fuit ablata, ſi ille, à quo res fuit ablata, juſto aliquo titulo eam poſſidebat, de illa vel valebat diſponere, (etiam ſi rei dóminus verus non eſſet) non ſolùmque ei (intellige vel ejus hæredibus in ejus defectu) reſtituendam eſſe rem, ſed etiam omnia damna, & omnia lucra ceſſantia ei inde ſequuta, id eſt, ex non reſtitutione, vel injuſta detentione rei alienæ,

alienæ, hanc que reſolutionem intellige, quando certò ſcitur, ſive probabiliter cognoſcitur rei traditionem nociturā non eſſe dómino. Reſolutio, prout jacet, communis eſt, ac vera. Et

3 Quòd res reſtituenda ſit rei poſſeſſori patet, nam juxta *Div. Thom.* reſtitutio eſt actus commutativæ Juſtitiæ reducens inæqualitatem ad æqualitatē; ſed, ſi in caſu reſtitutio non fieret ei, à quo res eſt ablata, jam inæqualitas non reduceretur ad æqualitatem, ut patet: ergo, &c. ¶ Tum quia, ſi illi non reſtitueretur, jam ille commoditate privaretur illa, quam ex re illa licitè obtinere poterat, privaretur vel jure, quod in re illa habebat: ei ergo (non verò alteri, quanvis rei ſit dóminus verus) reſtituenda res erit, tum quia ei facienda eſt reſtitutio, cui injuria fuit irrogata, ut ſic inæqualitas ad æqualitatem reddatur; ſed ei, qui juſto titulo rem poſſidebat, injuria in rem talem ab eo auferendo fuit irrogata, quatenus ipſa, eo invito, ei fuit ablata: ei ergo tantùm, & non alteri reſtitutio facienda erit. Communis cum *Divo Thomā*.

4 Quòd autem omnia damna emergentia, ac lucra ceſſantia reſtituenda ſint etiam ex ſuppoſitione quòd omnia ea ei ex non reſtitutione, vel injuſta rei detentione ſequantur, conſtat ex dictis, & eſt res inconcuſſa apud DD. id quod verum etiam reſpectu illius, qui rei non eſt dóminus verus, eam tamen juſto titulo poſſidebat, putà *commodato*, *&c.* & in hoc caſu, ſi res vero dómino tradatur, obligatio inſuper adeſt admonendi eum, qui rem poſſidebat, & à quo fuit ablata, de eoque certiorem facere, ſcilicet ei dicendo rem traditam vero ſuo dómino eſſe, ut ſic ei omnis tollatur anxietas, & nè iterum rem reſtituat dómino. Legantur *Salmant. ſup. cap* 1. *P.* 11. §. 1. *num.* 199. *&* 200. *à Spiritu Sancto Tract.* 10. *Decal. Diſp* 29. *Sect.* 3. *Villalob. tom.* 2. *Tract.* 11. *Diffic.* 13 *n* 2. *Bonac. Diſp.* 1. *P.* 1 *num.* 1. *Rebel* 1. *P. lib.* 2. *Q.* 11. *n* 1. *& Molina Diſp.* 741. Unde ex doctrina tradita.

5 Reſolves primò furem rem ei reſtituere debere, cui res ablata tradita erat in depoſitum, commodatum, vel pignus, ei, cui res erat locata, ei, qui illius adminiſtrationem habebat, uti vir habet in bonis uxoris, tutor in bonis pupilli, curator in minoris bonis, paterfamilias in bonis filii non emancipati, item rem ſartori, fulloni, ſutori, lictori, œconomo, theſaurario, & hujuſmodi propter datas rationes.

6 Secundò teneris reſtituere, ſi à commodatario, vel depoſitario pecunias furatus es, quas depoſitas, vel commodatas ad annum putà habebat, ipſe autem pecuniis illis lucrabatur non parum, & quia per furtum à te factum illis privatur, jam non lucratur; teneris, inquam, totum illud lucrum ceſſans reſtituere, quanvis vero rei dómino rem reſtituas, & ſi in rem quærendo depoſitarius, vel commodatarius aliquid inſumpſit, illud ei etiam reſtituere teneris, quia illius damni ei cauſa fuiſti, ſicut ob eandem rationem fur expenſas eas reſtituere tenetur, quas in ſua quærenda re dóminus fecit. *Navar. cap.* 17. *num.* 29. *multique alii.*

7 Tertiò reſtituere teneris poſſeſſori bonæ fidei, ſi ex contractu depoſiti, pignoris, vel commodati rem ab eo accepiſti, quia horum contractuum fides ex ſe poſtulat ut res illi, à quo fuit accepta, reddatur, & ille juſto titulo eam poſſidebat, in tali tamen caſu priùs eum monere debes, eique dicere talem rem à ſe poſſeſſam, & à te in commodatum, &c. acceptam alienam eſſe, ut ipſam ipſe dómino ſuo reddat, & ex charitate monere etiam dóminum rei teneris, ut ſuam rem recuperare procuret. ¶ Sed, ſi lucrativo contractu illam ab eo accepiſti, non ei, ſed rei dómino reſtituenda res erit; quia nec tu, nec bonæ fidei poſſeſſor eam retinere poteſtis, cùm nec ille, nec tu ad illam habeatis jus aliquod; ſi autem oneroſo contractu illam ab eo accepiſti, contractum reſcindere poteris, quia cum tuo damno indemnem dóminum ſervare non debes; quòd ſi contractum reſcindere nequeas, dómino rem reddere debes, etiam ſi pretium amittas, quia jus habet ad illam Eſt enim res ſua, atque pro ſuo dómino clamat. Cum aliis *Salmant. ſup. n.* 201. *ubi legendi.*

8 Dictum eſt ſup. num. 2. *Si ille, á quo res fuit ablata, juſto aliquo titulo eam poſſidebat, de illa vel valebat diſponere*: nanque, ſi res aliter ſe habebat, non illi, à quo res fuit ablata, reſtituenda eſt; unde, ſi aliquid abſtuliſti ab uxore, famulo, ſervo, Religioſo, pupillo, minori, filiofamilias, &c. nemini ex illis rem reddere debes, neque ſatisfacis, ſi illis reſtituas, ſed cum eodemmet onere remanes, & ſic reſtituere debes marito, patri, Prælato, dómino, &c. teneris tamen illis reſtituere, putà filio, ſi ablata res eſt ex bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus; uxori, ſi res ſit ex bonis paraphernalibus; & etiam filio, pupillo, minori, & Religioſo, ſi rem ablatam apud ſe habebant ex conſenſu Tutoris, Curatoris, patris, & Prælati. Similiter etiam omnibus iſtis reſtituere poteris, ſi certò, indubiranterque ſcias ſtatim eos eam reſtituturos eſſe patri, marito, &c. ſic enim nulla dómino rei injuria irrogatur, ut patet. Item eis reſtituere poteris, ſi aliquod grave damnum tibi ab illis inferendum timeas in bonis vitæ, honoris, famæ, vel fortunæ.

tunæ. Cum aliis *Salmant. ſup. num. 223. à Spiritu Sancto ſup. 1441. Trulbench. lib. 7. cap. 14. Dub. 3. Rebel. ſup. num. 8. ac Molina Diſp. 741.*

9 Dictum etiam ſup. cit. in num. *intellige vel ejus hæredibus in ejus defectu*, id quod verum: ſi nanque rei dóminus jam defunctus fuerit, de reque illa nihil diſpoſuit, reſtitutio omnino illius hæredibus vel ex teſtamento, vel ab inteſtato facienda erit, quin pro Anima defuncti applicari valeat. Ratio eſt: nanque hæredes defuncti perſonam faciunt, vel repræſentant, illius aut vices gerunt, atque adeò in omnia illius jura ſuccedunt; cùm igitur defunctus verum jus in dictis bonis haberet, illaque bona intra defuncti bona computarentur, abs dubio idem jus hæredibus ejus competere debet, conſequenter eis defuncti reſtituenda ſunt bona, ſicut ei, ſi viveret, reſtituenda erant, nonque elargienda pauperibus, aut pro intentione, ſalute, &c. dómini applicanda. Quapropter, ſi non defuncti hæredibus, ſed pro ejus Anima in Sacris faciendis inſumantur, aut pauperibus erogentur, vel applicentur, item reſtitutio hæredibus facienda erit; quia jam defunctus eorum dominium non habet, ſed ipſius hæredes, jamque debitum non ſolvitur ei, *cui* pro illo tunc temporis debetur. Doctrina hæc expreſſa eſt in Div. Thom. 22. Q. 62. Art. 5. ad 3. (legendus etiam in 4. Diſt. 15. Q. 1. Art. 5. Quæſt. 4. ad 1. & 2.) ubi ſic: *Si verò ſit mortuus ille, cui eſt reſtitutio facienda, debet reſtitui hæredi ejus, qui computatur quaſi una perſona cum ipſo*, docetque communis Legantur Salmant. ſup. num. 202. Trulhench. ſup. num. 14. ac Molina Diſp. 742. Sed

10 Triplex excipitur caſus, primus, ſi res in individuo determinata erat, illiſuque poſſeſſor invincibili ignorantiâ laborabat, vel bona fide id ſibi licere putans, pauperibus erogaſſet eam, aut in operibus piis pro defuncti Anima applicaret, nam tunc ad iterum reſtituendum non teneretur; non quidem ratione rei alienæ, quia illam non habet, nec ratione injuſtæ actionis, quia in ſic faciendo bona fide proceſſit. ¶ Secundus, ſi illud, quod reſtituendum erat, quid modicum eſſet; & defuncto, quia pauper, ſuffragia competentia facta non fuiſſent, qualia certò fierent, ſi id tempore mortis ipſius comparuiſſet, idque totum tunc inſumendum fuiſſet in funere, aliiſque ſuffragiis piis, tunc enim, caſus, poſſet, & deberet illud pro ejus Anima applicari, vel ſaltem pars illa, quam præſumeretur applicandam fore, ſi tempore ejus ille noluiſſet Animam ſuam privare ſuffragiis, ut talia bona hæredibus ſuis ſalva relinqueret. ¶ Tertius, quando res modica eſſet, & de ejus hæredibus nulla adeſſet notitia, vel ſi erat, difficile erat pro rei qualitate, ac quantitate, & pro loci diſtantia talem rem apud eos poſſe deferri, in hoc enim caſu id ipſum, quod nuper, fieri poſſet, & deberet. *Molina ſup. Bonac. ſup. Q. 4. P. 1. n. 7. & alii* ¶ Quod ſi dominus defunctus non erat, erat tamen abſens, & ſperabatur brevi fore venturus, ſervanda erit res, in locoque tuto ponenda, ut venienti ipſi reſtituatur, ſi brevi non ſperabatur, reſque ad eum ſine expenſis magnis mitti non valet, tunc debet aut hæredibus, ſi quos habet, reſtitui, vel, his non ſtantibus, pauperibus, aut aliis operibus piis rem inſumere. *Trulhench. ſup. num. 15. à Spiritu Sancto ſup. n. 1443. & alii.*

11 Iterum dictum cit. num. 2. *hancque reſolutionem intellige, quando certò ſcitur, ſive probabiliter cognoſcitur rei traditionem nociturum non eſſe domino*, nanque ſi rei dómino, vel alteri nocitura foret, tunc pro tunc ei reddi non debet, nec poteſt, ſed ſervari, retinerique debet ad ei illam reddendam tempore, quo tale damnum, vel incommodum non ſequatur; id quod ſi non feceris, (ſi commodè, & ſine gravi tuo detrimento facere potes) peccas contra Juſtitiam cum obligatione reſtituendi, ſi res eſt temporalis, & contra Charitatem ſine reſtituendi obligatione, ſi ſit purè ſpiritualis; id omne, quod latè probavimus alibi; pro nunc ſatis erit legere *Salmant. ſup. §. 2.* per totum, vel potiùs *Div. Thom. 22. Q. 62. Art. 5. ad 1.* ubi ſic legitur.

Quando res reſtituenda apparet eſſe graviter nociva ei, cui reſtitutio facienda eſt, vel alteri, non ei debet tunc reſtitui; quia reſtitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui reſtituitur, omnia enim, quæ poſſidentur, ſub rationem utilis cadunt. Nec tamen debet ille, qui detinet rem alienam, ſibi appropriare; ſed vel reſervare, ut congruo tempore reſtituat, vel etiam alibi tradere tutiùs conſervandam. Hæc Sanctiſſimus Doctor, quo pro re nihil lucidius, nec clarius. Unde ex data doctrina

12 Reſolves primò. Petrus apud te gladium (vel aliud) habet; illum ad occidendum Franciſcum à te petit, non teneris, nec potes illi reddere gladium, & ſi reddis, Petri intentum cognoſcens, non ſolùm contra Charitatem peccas, ſed etiam contra Juſtitiam, & ad reſtitutionem damni ſequuti ex morte Franciſci teneris in ipſius occidentis defectu: quòd ſi gladium ad ſe occidendum ipſe petiit, tunc tantùm contra Charitatem peccas gladium illi tradendo, niſi inde ſequatur damnum uxori, filiis, vel ejus hæredibus, quia tunc ad reſtitutionem teneris; quòd ſi ille minaretur te occiſurum fore, ſi gladium ſuum ei non præberes, tuque prudenter judicares ſe ita facturum fore, tunc ſine peccato, ſineque reſtitutionis obligatione illi gladium conferre valebis: nam

Cum

tum gravi damno tuo non debes proſpicere pro bono alterius.

13 Secundò pecunias apud te Petrus depoſitas habet, à te ille expoſtulat illas ad illis Mariam ſolicitandam, eam vel illis ad carnalia peccata alliciendam, illas vel exigit ad malè expendendum, ad ſcortandum, ad illicitè ludendum; tunc contra Charitatem peccas tales pecunias ei reddendo, ſi ſpes eſt quòd talis pecuniarum denegatio illi profuit, & tibi ex earum denegatione damnum futurum fore non times, & ſic in caſibus aliis.

14 Tertiò peccare contra Juſtitiam, ad reſtitutionemque conſequenter teneri eum, qui commodat, vel vendit gladium, malcum, ſcalam, clavem, vel venenum, ſciens commodatarium, vel emptorem ea velle ad damnum tertio inferendum, & idem de eo, qui tyranno magnam pecuniæ quantitatem accòmodat ad injuſtum inferendum bellum, cum *Sayro decci Trullench. ſup. num. 5.* legatur etiam *Bonac. Diſp. 1. Q. ult. P. 1.* ubi alios conſimiles caſus reſolutos reperies.

15 Rogabis an liber maneas à ſolutione facienda, ſolutione facta creditori tui creditoris? Negant aliqui, ſed affirmativa ſententia & tenenda probabilior, veriorque evadit; id quod probavimus alibi, cum multiſque tenent, rectèque probant *Salmant. ſup. cit. P. 11. §. 4* legatur etiam *Trullench. cap. 15. Dub. 6.* Et ex ſententia hac jam vides quid inferatur; unde ſolùm hìc addere placet id, quod cum aliis inferunt Salmant. num. 222. à verſ. *Et ſimiliter* te, ſcilicet, licitè poſſe à nolente debitum tuo creditori ſolvere, vel reddere, quin ad hoc ullam juſtam rationem habeat, pecunias (vel aliud) ab eo occultè accipere, ut creditori, vel domino reddas, aut depoſitum, vel pignus illi in pignus dare: quia, ſi (in caſu) creditor, vel dominus ipſe rem modo dicto, id eſt occultè, accipere poteſt, etiam & tu negotium illius ſic gerens id ipſum facere vales.

SUBLECTIO I.

Utrùm à debitore nova facienda ſit reſtitutio, quando res, quæ juſſa eſt reſtitui per alium, ad creditoris manus non venit?

16 AD intelligentiam rei caſum ponamus, qui ſæpe numero contingere ſolet, frequentiſſimè enim contingit quòd debitor immediatè per ſemetipſum reſtitutionem facere nequeat, vel quia creditor nimis abſens extat, aut quia, & ſi propè, grave infamiæ, &c. periculum adeſt, ſi debitor immediatè per ſemetipſum reſtitutionem faciat; qua de cauſa Confeſſarium, alium vel virum pium, timoratæ conſcientiæ, & fidelem ad id faciendum eligit, eique debitum tradit, ut ſuo domino reddat; quo ita facto, contingit & etiam quòd res, antequam ad creditoris manus accedat, eique tradatur, caſu pereat, à latronibus in via aut rapiatur, vel quòd ipſemet nuntius de fideli infidelis factus ſibi uſurpet eam. Unde videndum an in hoc caſu à dicto debitore creditori ſuo reſtitutio nova facienda veniat? Pro re tamen hac

17 Eſt notandum primò licitum eſſe debitori cuilibet per Confeſſarium (vel per alium virum pium, atque fidelem) reſtitutionem facere, vel debitum ſolvere, ſi id neceſſarium ſit ad debitoris famam ſervandam, modoque hoc obligationi ſuæ rectè ſatisfacere: ſic enim ſufficienter debitum, illatum vel damnum reparatur; quòd enim debitum reddatur immediatè per debitoris manum, aut mediatè per manum alterius, omnino de materiali ſe habet, & de formali, quòd res domino ſuo reddatur. Legatur *Div. Thom. 22. Q. 62. Art. 6. ad 2.*

18 Secundò communiter, promiſcuèque loquendo nullum Confeſſarium, id quod à pœnitente reſtituendum eſt, reſtitui vel debet, in ſe, vel apud ſe ſuſcipere debet, ut ipſe per ſemetipſum reſtitutionem faciat; niſi in caſu, quo aliter creditori ſatisfieri nequeat, caſu tamen, quo id faciat, tunc ab eo, cui reſtitutionem facit, ſatisfactionis ſchedulam, vel atteſtatum ſuſcipere debet, quo dicatur talem à tali Sacerdote tali die, menſe, & anno tantam pecuniæ copiam (vel tale quid, ſive aliud) accepiſſe pro reſtitutione, nunquam tamen nominari debet principalis reſtituens, neque reſtitutio tempore eo, & loco, ut in pœnitentis ſuſpicionem deveniri queat, facienda erit.

19 Utrùm autem, ſive Confeſſarius, aut proprius, ſive alius, ex craſſa, & affectata ignorantia pœnitentem de obligatione reſtituendi, quam habet, monere neglexerit, ad reſtitutionem teneatur? Sunt qui affirmant, inter quos Sylvius cum aliis; ſed contrarium merito alibi loco ſuo dedimus, & probavimus; in eo autem conveniunt omnes, quòd ſi ex oblivione, vel inadvertentia pœnitentem de onere reſtitutionis non moneat, tunc ad nullam reſtitutionem tenetur, & in ſententia noſtra in nullo eventu non monendo ad reſtitutionem tenetur, & ſi non monendo peccet, cùm in ſuo officio deficiat, non inſtruendo pœnitentem de eo, quod facere debet, pro cujus Anima, & non pro aliorum utilitate ex officio tantùm proſpicere debet, cujus contrarium accidit in Civitatis Prætore, hic enim pro ſuorum ſubditorum bono ex officio proſpicere tenetur, ſicque impedire nè eorum alicui aliquod damnum ſequatur, id quod ſi non facit videns, vel

ſciens,

ſciens, & potens, ſequutum damnum reſtituere tenetur, non autem ſic Confeſſarius. Legatur *ſup. cap. 2. Lect. 8 n. 121.*

20 Tertiò quòd, ſi debitor, non ex creditoris conſenſu, vel arbitrio, ſed ex proprio ſuo marte miniſtrum elegerit ad rem debitam, vel pecuniam remittendam creditori, nuntiuſque periculoſus ſit, & infidelis, remque, vel pecuniam ſibi uſurpet, non ideo extinguitur debitoris obligatio, ſed iterum eandem rem, vel ejus pretium tenebitur ſolvere, quia adhuc creditor idem detrimentum patitur, nonque in ſuo debito eſt ſatisfactus; ſecus autem dicendum, ſi nuntius, rei vel portator à creditore deſignatus eſſet, vel ſi creditor debitori dixerit quòd eum, quem ipſe voluerit, ad rem ſibi mittendam eligat, tunc nanque, ſi res pereat, creditori peribit, eo quòd ad talem eligendum nuntium, vel portatorem conſenſum præbuit. ¶ Et idem dicitur, quando debitor Judicis juſſu, ſive imperio per talem, vel talem portatorem conſtrictus eſt ad remittendam rem creditori, reſque antequam creditori tradita eſſet periit; id omne, quod commune, & de quo legendi *Salmant. ſup. P. 9. num. 186.* loquendo ergo in ſenſu dato, quando ſcilicet debitor portatorem fidelem elegit, putà Confeſſarium, ad rem debitam, vel furatam creditori tradendam.

21 Eſt duplex ſententia, & utraque probabilis, ſed probabilior, & verior ea, quæ dicit quòd in caſu, quo reſtituenda ſit, eo quòd furata, vel rapta, tunc ſi res pereat, antequam ad creditoris manus perveniat, apud quem non eodem modo peritura erat, iterum debitorem ad reſtitutionem teneri, id quod jam conſtat ex dictis in ſuperioribus, multiſque contra alios tenent, & probant *Salmant. ſup. dicto P. 9. legendi à num. 187. ad 189.*

22 Quòd ſi res non ex delicto ſit debita, ſed ſolùm ratione rei alienæ, apud debitorem bona fide habitæ, putà quia eam invenit, tunc, ſi apud portatorem periit, nonque ad manus dòmini venit, liber eſt rem mittens à reſtituendi obligatione, non enim reſtituere tenetur ratione injuſtæ actionis, uti ſupponitur, neque ratione rei apud ſe habitæ, quia jam eam miſit per miniſtrum fidelem, ſolùmque, ſi ex ea factus ſit ditior, ad id, in quo factus fuerit ditior, tenebitur.

23 Si autem res ex contractu licito fuerit debita, putà ex mutuo, commodato, vel pignore, reſque ſit individua, ut hic liber, hic equus, hæc veſtis, &c. reſque abſque culpa debitoris pereat, creditori, ſuo vel dòmino perit, quin debitor ad reſtitutionem novam teneatur: non enim eam reſtituere tenetur ratione rei apud ſe habitæ, ut de ſe patet, neque ratione injuſtæ actionis; quia contractus fuit licitus, & ſine ſua culpa, ut ſupponitur, in manu portatoris res periit, & aliunde cùm res individua ſit, ſub creditoris dominio extat, atque adeò hic pereunte, ſuo dòmino periit. ¶ Excipe, niſi creditor debitori diceret quòd ei rem ſuam non mitteret, niſi per portatorem ab ipſo deſignatum, debitorque eam miſiſſet per alium, tunc enim, caſus, pereunte re, creditori vel non fuiſſet tradita, debitori periit, conſequenterque eam iterum reſtituere tenetur, ejus vel æſtimationem, quia res alteri tradenda culpâ ſua periit.

24 Si verò res in individuo debita non erat, ſed in genere, vel in ſpecie, ut tot pecuniæ, vel tot tritici, olei, vini menſuræ, &c. ab illiſque in via à latronibus expoliatus eſt portator fidelis, vel ipſe, infidelis factus, ſibi arripuit omnia, & fugam cepit; tunc iterum debitor reſtituere tenetur, quia res illæ adhuc ſub ejus dominio erant, atque adeò ipſi pereunt, non autem creditori, cùm adhuc ei traditæ non eſſent. Sed excipitur, niſi traditæ ſint creditoris famulo, alicui vel alteri domeſtico ejus, tunc enim dicitur debitorem à nova reſtitutione facienda liberum eſſe, quantumvis ad creditoris manus tales res non perveniant, quia, cùm creditoris famulus, ſive domeſticus ejus perſonam gerat, tradita ei re, dómino, ſive creditori traditam eſſe cenſetur. Tu circa hæc omnia, quæ Sublectione hac dicta ſunt, lege *Salmant. cit. P. 9.*

SUBLECTIO II. remiſſivè.

An, & cui reſtituere teneatur ille, qui theſaurum invenit?

25 DE re hac agit *Div. Thom. 22. Q 66. Art. 5. ad 2.* de ea & nos alibi egimus, & etiam, quantum fat eſt, in hoc Breviario Tract. 26. cap. 2. Lectione 7. Sublect. 1. à num. 99. ubi legendum, ſolùmque hìc venit notandum immunes omnino à reſtitutionis onere eſſe Hiſpanos, & Luſitanos, qui apud Indos (teſte Ferdinando Mendes Pinto, Auctoribuſque aliis graviſſimis) plurima Gentilium ſepulchra divitiis plena invenerunt, expoliaverunt, divitiaſque ſeparantes à Gentilium cadaverum oſſis, quibus permiſcuæ erant, eas ſibi retinuerunt, quia, ut ait Ferdinandus Mendes Pinto, ſuperſtitionis ſola causâ ibi eum oſſis erant permiſcuæ, dictaque causâ ibi abſconditæ, vel conditæ fuerunt (& idem dicendum hodie, ſi quid ibi ſimile eveniat.) Legatur *Bankes 22. Q. 66 Art. 5. Soyrus lib. 9 cap. 9. num. 12. & circa theſaurus Salmant. Tract. 12. cap. 2. P. 8.*

SUBLECTIO III. remissivè.

De bonis incertis, vel habitis pro derelictis, & quæ nunquam alicui domino applicata fuerunt.

26 DE re hac itidem egimus *Tract. 26. cap. 2. Lectione 7. in Sublect. 1.* & alibi, ubi legendum, ibi enim reperietur dicta bona inventoris, sive primi occupantis esse. Legatur etiam reformata *Ordinat. Lusitana lib. 2. tit. 26. Cabedo 1. P. Decis. 48. num. 9. Fagund. in 7. Decal. cap. 2. num. 4 & 6. ac Salmant. ubi sup. § 1.*

SUBLECTIO IV. remissivè.

De bonis ab uno deperditis, & inventis ab alio, debitaque diligentiâ facta, cujus domini sint ignoratur.

27 DE re hac agit *Div. Thom. in 4. Dist. 15. Q. 1. Art. 5.* nosque etiam alibi, *& in hoc Breviario Tract. 26. cap. 2. Lectione 7. à num. 107. ubi legendum.* Sed circa rem istam oportet hîc aliquid addere: ibi enim sententiam posuimus, quæ satis probabilis, qua dicitur quòd, si post debitam, sufficientemque diligentiam factam rerum talium dóminus non compareat, nec ejus aliquis hæres, tunc talia bona pauperibus, aliisque piis operibus necessariò applicari debere, quòdque semel dicta applicatione facta, (& idem dicitur, compositione per Bullam facta, prout tunc fieri valet) jam cessat restitutionis obligatio ita taliter, quòd, si fortè postea dóminus compareat, aut ejus aliquis hæres, nihil ei reddi debet. Pro quo

28 Venit notandum primò quòd nomine pauperum in præsenti non solùm intelligendi sunt qui ostiatim mendicant, sed etiam alii egentes secundùm suum statum, & conditionem, quibus eleemosyna sæpe tantò acceptior solet esse Deo, quantò secretior, & quantò maior eorum miseria esse solet. ¶ Item nomine pauperum veniunt Monasteria, indigentes Ecclesiæ, egenorum Hospitalia, Animæ Purgatorii, &c. unde talia bona pro Sacris faciendis applicari poterunt, (id, ad quod nos consilium præbemus) & quia sic verè domino rei, quod suum est, restituitur, cùm pro ejus Anima Sacrificia applicentur & etiam; & quia prædictæ Animæ Sanctæ in maiori, urgentioriique necessitate sunt positæ. ¶ Item pauperum nomine venit etiam inventor ipse, vel debitor, si verè sit pauper, veniunt & etiam pauperes consanguinei ejus, sicque proinde & sibi ipsi, & illis dicta bona applicare poterit, cùm nec ipse, nec illi deterioris conditionis esse debeant, quàm cæteri pauperes. ¶ Quòd si ipsius, & consanguineorum ejus paupertas clara non sit, sed dubium de ea adsit, tunc optimum consilium, distributionem hanc facere consilio Episcopi, vel Parochi, sive alterius viri prudentis, pii, ac timorati.

29 Secundò notandũ quòd, si distributio horum bonorum facienda sit inter pauperes, & opera pia, necessum non est (nisi fortè qui ea apud se habet, ea sibi, aut consanguineis suis applicare velit casu, quo eorum paupertas clara non sit, sed de ea dubium extet, ut tetigimus nuper) quòd id fiat authoritate Episcopi, aut Parochi, vel Confessarii, aut alterius viri prudentis consilio; sed poterit bona talia habens authoritate propria inter quoscunque voluerit pauperes, (dummodo verè sint pauperes) vel in alios operibus piis distribuere ea, pro quo legendi sunt Salmant. Tract. 13. cap. 1. P. 11. §. 3. num. 218. Azor 3. P. lib. 4. cap. 26. §. *Asserit opinio secundò*, Dicastill. de Restit. lib. 2. Tract. 2. Disp. 9. Dub. 14. num. 383. apud quos excipitur distributio facienda ab usurario, hæc enim omnino authoritate Episcopi fieri debet ex cap. Quemquam de usuris in 6. pro quo legatur Azor sup. §. *Si reges*, Molina Disp. 747. num. 3. ac Salmant. cit. in num.

30 Notandum tertiò necessum non esse quòd dicta distributio fiat inter pauperes ejusdem loci, vel òppidi, & multò minus quòd fiat inter pauperiores, circa hoc enim nihil decisum, determinatum vel extat, sed quòd inter pauperes, vel opera pia fiat, sive sint ejusdem loci, aut sint pauperiores, sive non, dummodo verè sint pauperes. ¶ Et certè, si inter pauperiores, ac sanctiores dicta bona dividenda forent ex justitia, vel ex præcepto, (quorum nihil adest, sed solùm quòd distributio inter pauperes, aut pia opera fiat) res hæc multis scrupulis obnoxia esset, esseteque insuper non parvam pœnam distribuentibus dare in investigando quis esset pauper, & quis pauperior, quis sanctior; & si absens esset, multùmque distans à loco, inter cujus pauperes distributio facienda erat, jam vides quid sequitur; cùm igitur oporteat distributiones has facillimas reddere, nè manibus hæreant, difficillimè restituantur bona, ut contingere solet, tenendum distributionem inter quoscunque, qui verè sint pauperes, fieri posse, atque debere. Legantur Salmant. sup. num. 215. Azor ubi sup Molina tom. 4. Disp. 747. §. *Utrùm autem*, Fagund. sup. num. 13. Navar. in Sum. Latina cap. 17. à num. 93. ac Sayrus Tract. 5. Dub. 7. num. 22.

31 Quartò notandum quòd quando dicitur possessorem bonorum illorum illa sibi retinere valere, (juxta dicta *sup. cit. in loco num. 27.*)

intel-

intelligi debet circa bona, non ex delicto poſſeſſa, poſſeſſa enim ex delicto ſibi retinere non valet, nè ipſe ex delicto ſuo ſibi lucrum reportet; atque adeò ea tunc, caſus, pauperibus, aut piis operibus tribuere debet. Cætera verò præter iſta optimè ſibi retinere poterit, uti diximus cit. in loco. Legatur *Lugo Diſp. 6. Sect. 12. num.* 133 *&* 143.

32 Notandum quintò quòd, ſi quis minutis, defectuoſiſque venditionibus panis, vini, olei, carnis, & hujuſmodi alicujus oppidi, Civitatis, vel Communitatis plures defraudavit, nimirum vel maiorem partem, aut æqualem ſaltem partem illius, tunc, ſi veriſimile ſit eoſdem iterum apud illos empturos, tenetur in eodem oppido, Civitate, vel Communitate aut res vilius vendere, vel augere pondus, & menſuram, quia ſic maiorum emptorum pars compenſabitur: ſi verò uni ex duobus, vel tribus certò ſcitur deberi, cui tamen ex illis certè debeatur neſcitur, dividenda eſt res, aut pretium inter illos. Communis, docentque cum aliis *Salmant. ſup. num.* 215. *Rebel. 1. P. de obligat. juſt. lib. 2. Q. 12. num.* 16. *Dicaſtill. ſup. num.* 366. *Azor ſup. Leſſ. lib. 2. cap.* 17. *Dub.* 6. plureſque alii. Legatur *Div. Thom. in* 4. *Diſt.* 15. *Q.* 1. *Art.* 5 *Quæſt.* 4. *ad* 3.

33 Sed hîc rogabis primò quid fiet caſu, quo res, cujus dóminus ignoratur, certò ſcitur alicujus eſſe infidelis, vel alterius hominis, de quo pro comperto habetur ab hac vita impœnitentem deceſſiſſe, factumque eſſe Inferni titionem? Dicitur quód, ſi dóminus rei exiſtit, ſive peccator, aut infidelis ſit, illi res tradenda eſt, vel ejus hæredibus, mortuo eo, ſi quos habet; ſi tamen viveret, & ei commodè mitti non poſſet, tunc pauperibus eroganda foret pro illius intentione, ut ſcilicet Dóminus Deus tali eleemoſynâ pro rei dómino facta moveatur ad illum vel ad gratiam adducendum, ſi peccator eſt, aut ſi infidelis, ad Fidem convertendum, id quod ad intentum medium eſt optimum, juxta Danielis conſilium Nabuchodonoſori præſtitum, Prophetia Daniel. cap. 4. num. 24. *Et peccata tua eleemoſynis redime.* ¶ Si autem dóminus rei mortuus eſſet, certòque conſtaret in Inferni eſſe cavernis, voracibuſque ignis flammis involutum, tunc ait Rebel ſup. lib 2. Q 12. Sect. 1. bona vacantia reputari debere. Legatur Auctor, & etiam Molina de Juſt. & Jur. lib. 4. Diſp. 746. *dicit. ſaltem*, Lugo ſup. n. 145. Fagund. Decal 7. cap. 22.

34 Secundò rogabis an Epiſcopi reſtitutionem prædictorum bonorum, quorum dóminus non comparet, ſibi reſervare valeant, excommunicareque eos, qui contrarium fecerint, vel fieri curaverint abſque auctoritate ipſorum? Negativè alibi reſolvimus, multiſque ibi rem iſtam probavimus, modòque pro eadem reſolutione ſtamus, ſtat & cum aliis *á Spiritu Sancto legendus in ſuo Confeſſarior. Tract. 5. Diſp. 14. Sect. 11. §. 5. num.* 986. *& ſeq.* conſtareque poteſt ex doctrina hactenus tradita, ſi bene fuerit applicata, atque adeò hîc pro re hac ſatis.

LECTIO II.

De circunſtantia quomodo *remiſſivè.*

35 COmmuniter eſt apud DD. receptum eo modo, quo res debetur, reſtitutionem faciendam eſſe. Et ita, ſi res eſt occultè debita, abſconditè reſtitutio eſt facienda, ſi eſt debita publicè, palam eſſe faciendam aſſeritur; putà, ſi quis publicus eſt uſurarius, publicè uſuras reſtituere debet, ſi publicè alium infamavit, publicè ejus famam reſtituere tenetur, &c. ut ſic offenſio, ſimul & ſcandalum aliorum tollatur; & in hoc nulli dubium extat, nec extare poteſt. Legatur *Div. Thom.* 22. *Q.* 62. *Art.* 1. *ad* 2. *& in* 4. *Diſt.* 15. *Q.* 1. *Art.* 5. *Quæſt.* 2. *ad* 11.

36 Ex ſupradictis conſtat, eſtque quid certum, quòd ille, qui immediatè per ſemetipſum reſtitutionem facere nequit, niſi ſe, vel delictum ſuum prodendo, manifeſtando, aut detegendo, eam per alium fidelem, pium, prudentemque virum facere tenetur, & ſic reſtitutio furti, quæ ſine manifeſtatione furis fieri non valet, differri poteſt uſque ad tempus, quo ſine tali damno fieri queat; ſicut & etiam certum quòd, quanvis reſtitutio facienda ſit publicè, ſi tamen ſecretò fuit facta, non eſt neceſſum iterum reſtitui publicè, dummodo aliter, id eſt, publicè, ſcandalo occurratur. Legantur *á Spiritu Sancto de Reſtit. Tract.* 10. *Diſp.* 30. *Sect.* 4 *num.* 1445. *Bonac. de Reſtit. Diſp. 1. Q. 6. P. unico, n. 1. & 2. ac Trulbench. lib. 7. cap.* 14. *Dub.* 11. *n.* 1.

37 Conſtat præterea quòd, ſi debitor per nuntium, vel portatorem minus fidelem, & periculoſum rem, aut debitum ad creditorem mittat, & nuntius rem ſibi uſurpet, tenetur debitor iterum rem, vel pretium ejus ſolvere, eo quòd ex ſua culpa res periit, quatenus per talem miniſtrum miſit eam, & creditor ob alterius injuriam, aut negligentiam non debet detrimentum pati. Excipitur tamen triplex caſus, primus quando talis nuntius, aut portator ab ipſo creditore fuit deſignatus, vel ex ejus conſenſu fuit electus. Secundus quando creditor libero arbitrio debitoris reliquit ut eligeret quem vellet, ad illi rem ſuam, debitum vel remittendum. Tertius quando debitor

Judicis imperio rem nuntio, aut portatori tradidit, ut eam ad creditorem ferret; in quo etiam *caſu*, ſi res periit antequam ad manus domini veniat, domino periit, & non debitori: *à Spiritu Sancto ſup. Salmant. ſup. P. 9 a num. 186. & communis.*

38 Sed eſt dubium an quando debitor fidelem nuntium, vel portatorem ad rem domino ſuo ferendam, aut portandam elegit abſque conſenſu dòmini, & res ipſa apud portatorem periit, aut caſu, vel quia à latronibus de portatoris manibus eripitur, aut quia ipſemet portator apud ſe malitiâ ductus detinet ipſam, eamque ſibi rapit, ad novam reſtitutionem teneatur debitor? Eſt ſententia utrinque probabilis, ſed probabilior ea, quæ dicit ad reſtitutionem novam debitorem adſtrictum manere, quando res ex delicto, putà rapinâ, furto, &c. eſt debita. Legantur *Salmant. ſup. num. 188. Trulbench. ſup. num. 6. ac Bonacina ſup. Q. 3. P. 9. n. 3. & 8.*

39 Dictum eſt: quando res ex delicto eſt debita, ſi nanque non ex delicto, ſed ſolùm vel ratione rei alienæ, bona fide retentæ, aut ratione juſti contractûs, vel quia rem inveniſti, & apud te retineas, aliter reſolvitur, diciturque quòd, ſi debitum ſit ratione rei alienæ bona fide habitæ, eo quia inventæ, vel aliter bona fide poſſeſſæ, tunc, caſus, apud omnes in confeſſo eſt quòd, ſi per fidelem nuntium rem ad dòminum miſiſti, ad nullam reſtitutionem teneris, licèt res ad dominum ſuum non perveniat, quia nec ratione injuſtæ actionis, nec ratione rei alienæ, quæ apud te non eſt, nec in ſe, nec in ſuo æquivalenti, ut ſupponitur, teneris.

40 Si verò res ex contractu licito debetur, putà ex mutuo, commodato, depoſito, pignore, &c. diſtinguitur; vel res in individuo tradendæ ſunt, ſive, quod idem, eadem res numero tradenda eſt, ut hic liber, hic equus, hæc veſtis, &c. & tunc, caſus, res miſſa, ſi pereat, creditori, non verò debitori perit. Ratio datur: quia illa numerica res, ſeu in individuo manens, adhuc ſub creditoris dominio manet, & res, ſicut ſuo fructificat domino, ita dòmino ſuo perit, conſequenterque debitor ad nihil amplius tenetur, quia nec ex injuſta actione, nec ex re aliena in ſe iterum ſubit obligationem talem. ¶ Si autem res non erat in individuo tradenda, vel eadem numero, ſed ſolùm eadem in genere, vel in ſpecie, tunc, caſus, quanvis per nuntium, vel portatorem fidelem ad dòminum mittatur, ſemper res debitori perit, conſequenterque ad reſtitutionem novam tenetur, ſi res ad dòmini manus non pervenit. Ratio eſt: quia quælibet res ſuo dòmino perit, ut nuper dicebamus, reſque talis quandiu ad creditoris non pervenit manus, ſub debitoris dominio extat: *à Spiritu Sancto ſup. n. 1447. Salmant. ſup. num. 191. Trulbench. ſup. a num. 5. Rebel. ſup. lib. 2. de Reſtit. Q. 13. Sect. 3. Clavis Reg. lib. 10. Tract. 5. cap. 9. num. 6. lib. 10.* dataque doctrina reſolutionibus ſequentibus clarior evadet. Unde

41 Reſolves primò debitorem ad reſtitutionem novam non teneri, quando inter eum, & creditorem conventum foret ut debitor rem non traderet, niſi ſoli nuntio, qui certum quoddam ſignum oſtenderet, daret, vel portaret, & accidit quòd fur quidam pactionem, vel conventionem iſtam audiret, ſignumque datum perciperet auribus, qui poſtea ad debitorem accedens, ſignum datum præſtitit, atque ſub eo rem expoſtulavit, reque à debitore accepta, pedibus addidit alas, cum illaque fugam cepit. Ratio datur: quia in hoc caſu debitor nullam commiſit culpam, ſed pactum rectè ſervavit, vel quia nuntius, qui ſignum tradidit, unam cum creditore perſonam gerit, ac per conſequens idem eſt, & valet illi rem tradere, ac illam creditori reddere; unde, ſicut, ſi re ipſa res ipſa creditori ipſi traderetur, debitor omnino immunis à ſolutione nova maneret, ita ſimiliter ſignum illud danti rem tradens. *Rebel. ſup. cum aliis, ac Trulbench. ſup. num. 8.*

42 Secundò ad reſtitutionem tenèbitur debitor, (contraria ſententia eſt probabilis juxta *Rebel. ſup. num. 14 cum aliis Benac. que* illam probabilem vocat *dicto P. 9. num. 13.*) ſi rem in individuo debitam domino per nuntium ab ipſo deſignatum non mittat, ſed mittat per alium, quem debitor ipſe ſemper expertus fuiſſet eſſe fidelem, ſed hic, & nunc ſibi rem talem arripuit. Ratio eſt: quia debitor pactionem inter ſe, & creditorem non ſervavit. Cum aliis *Trulbench. ſup. n. 10. ac Salmant. ſup. n. 190.*

43 Tertiò debitorem ad nullam reſtitutionem iterum teneri, quando creditori rem per ejus famulum miſit, ſciens eo ad ſimiles caſus creditorem uti; conſtat ex dictis. ¶ Sed quid, quando creditor famulo ſuo dixit: *Valde, creditorique meo tali das ut rem mihi debitam illico mittat, aliàs, &c.* non tamen ſervum, vel ullam aliam perſonam, cui res tradatur, deſignat, ſed tantùm famulo dicit ut debitorem de ſolutione admoneat; ipſe verò debitor rem famulo tradidit ignorans, & non explorans an famulus, vel nuntius eſſet fidelis, tenebitur nec ne ad reſtitutionem novam, ſi talis nuntius, famulus, vel ſervus cum re aufugiat illa, vel in via à latronibus expolietur? Affirmat *Benac. ſup. P. 9. n. 12.*

44 Quartò ad nullam reſtitutionem aliam debitorem teneri, ſi rem pignoratam, commodatam, depoſitam, vel locatam dómino mittat

per

per famulum ab ipſo debitore electum, quem ſæpe ſæpiùs ipſe fidelem eſſe fuiſſet expertus, ſive famulus ſit debitoris, ſive creditoris, & famulus talis modó ſit infidelis, remque ſibi retineat, & ſervet, nonque ſuo dómino tradat. Ratio datur: quia dominium rei commodatæ, pignoratæ, depoſitæ, vel locatæ penes creditorem ſemper remanet, & cùm res ſine debitoris culpa caſu in hoc pereat, creditori perire debet; ſecus dicitur, ſi ex culpa lata, & Theologica debitoris res ipſa periret, eo videlicet, quia nuntio rem traderet, quem ipſe ignorabat, nonque erat expertus an fuiſſet fidelis, vel quia in cuſtodienda re negligens eſſet. Cum multis *Bonac. ſup. num.* 6. 7. 9. & 10. ac ex parte *Salmant. ſup. n.* 191. circa medium.

45 Quintó, ſi mittas equum ad amicum, quem commodatum ab eo recepiſti, ſimul & nummos, vel pecunias ex mutuo, vel venditione, ſive emptione debitas, per nuntium fidelem, qui vel his omnibus aufugit, aut in via à latronibus fuit expoliatus, tunc, caſus, non teneris equum iterum reſtituere, bene tamen nummos, vel pecunias ſolvere. Ratio eſt: quia equus, cùm eſſet commodatus, ſub amici dominio erat, & per commodatum dominium non transfertur, pecuniæ verò, cùm eſſent mutuò acceptæ, ſub tuo dominio erant, per mutuum enim dominium transfertur, & ſic non amico, ſed tibi pecuniæ pereunt, ſubindeque ad illas iterum reſtituendas teneris, quia res quælibet ſuo dómino perit. Cum multis *Salmant. ubi nuper.*

46 Sextò valde probabile eſſe (licèt contrarium probabilius appareat) debitorem pecuniam Confeſſario, vel Paroche tradentem, ut domino, creditori vel ſolvat, quia debitor ipſe id per ſemetipſum facere non poteſt eo quòd infamiæ periculum habet, ad novam reſtitutionem non teneri, ſi res apud Parochum, vel Confeſſarium pereat, aut quia ipſe eam ſibi uſurpavit, vel quia alius ab eo illam furripuit, aut quia res aliter periit, nonque res creditori, vel dómino ſit tradita, & hoc quantunvis debitor ipſe de hoc notitiam certam habeat. Ita cum multis *á Spiritu Sancto ſup. Diſp.* 30. *Sect.* 4. *num.* 1448. probabileque ſentit *Bonac. ſup. num.* 8. *Clavis Reg. ſup. num.* 3. *Trulbench. ſup. num.* 11. *ac Fagund ſup. num* 2. quæ ſententia eſt valde notanda, utpote ad plures ſcrupulos deterrendos, cordiſque anxietates fugandas.

47 Septimò alterum caſum non minus favorabilem cum *Tambur. infert á Spiritu Sancto ibid.* ſcilicet, quòd, ſi Confeſſarius miſit pœnitenti rem alienam pauperibus dare, quia ipſe errore ductus, vel ſcientiæ defectu ita judicavit, pœnitenſque bona fide, Confeſſarii que juſſu confiſus, procedit, pauperibuſque rem erogavit, & poſtea vel ab eodem Confeſſario, vel ab alio, vel alia viâ, certó ſciret, non pauperibus, ſed dómino rei reſtitui debere, vero rei domino non iterum reſtituere tenetur, quia in caſu poſito non eſt dominus rationabiliter invitus, ſi eleemoſynæ illi non conſentiat, ita bona fide donatæ. Legatur *Tambur. in Decal. lib.* 8. *Tract.* 4. *cap.* 1. §. 4. *n.* 8.

48 Octavò Eccleſiæ Calicem dare voviſti per nuntium fidelem à te reputatum, illum Eccleſiæ miſiſti, ſed nuntius cum eo aufugit, non iterum novum alium Calicem dare teneris, quippe jam cenſetur votum, vel juramentum expletum per illam mediatam traditionem. Et ſi fortè nuntius Calicem illum, vel aliquid aliud per votum, vel juramentum Deo debitum in via abſque lata Theologica culpa amiſit, ad nullam reſtitutionem tenetur, quia nec ex re accepta, nec ex injuſta actione tenetur, ut de ſe patet; cum aliis *á Spiritu Sancto ſuprá.*

49 Nonò *Trulbench. ſup. cum aliis, & Sayrus ſup. num* 9. pro certo exiſtimant latronem occultum, & ob non reſtitutionem excommunicatum non amplius excommunicatione ligatum manere, ſi pœnitentiâ ductus rem, vel pecunias Confeſſario offerat, & tradat, ipſe Confeſſarius eum abſolvit, poſteaque eas dómino non reddat, nec etiam in excommunicationē reincidit, ſi ipſe pœnitens poſtea id ſciens, animum reſtituendi non habeat, quia abſolutè, nonque ſub ulla conditione fuit abſolutus, ſicut ille, qui in Jubilæo ab excommunicatione abſolvitur, animum habens cætera præſtandi, quæ ad ejus obtentionem ſignantur, licèt poſtea ea non præſtet, vel ponat, non reincidet; quia abſolutio præſtita fuit abſolutè, & non ad reincidendum. Legatur *Fagund. ſup. num.* 10.

50 Decimò obligationi Jubilæi ſatisfeciſti, Indulgentiamque in eo conceſſam conſequutus fuiſti, ſi eleemoſynam in eo pauperibus dare præſcriptam, per famulum, vel alium reputatum fidelem illam miſiſti, qui illam non dedit, ſed ſibi furripuit, non teneris, inquam, iterum eleemoſynam dare, & Jubilæum, ac Indulgentiam obtinuiſti. Ratio datur: quia re vera à parte rei poſuiſti id, quod ad Jubilæum, & Indulgentiam conſequendam in Jubilæo præcipitur, verè enim ſtipitem dediſti, ut pauper eum acciperet, quodque in Jubilæo præcipitur, verè impleviſti. ¶ Eó vel maximè, quia Summi Paſtoris primaria intentio ad dantis bonum principaliter reſpicit, & bonum temporale pauperis ſecundaria eſt ejus intentio, conſequenterque, quanvis hic ſecundus effectus deficiat, non videtur conditio deficere,

re, quæ ad Jubilæum, & Indulgentiam conſequendam requiritur. Legatur Sà verb. *Indulgentia*, n. 4. & Fagund. ſup. n. 7. & 8.

51 Undecimo internuntius, qui rem alteri donatam, ſive alteri donandam (extra eleemoſynam, vel cauſam piam) deferebat alicui, eam malitioſè detinet, ac eam donatario non tribuit, ita ut interim mandans, vel donans moriatur; ad duplicem reſtitutionem nuntius tenetur, alteram hæredibus donantis, quia mandatum morte illius ante acceptationem fuit revocatum, (contrarium quo ad hanc partem ut probabile tenet cum aliis *à Spiritu Sancto ſup. Diſp.* 11. *Sect.* 2. *num* 464.) donatario alteram, quia iniquè, & per injuſtam actionem cauſa fuit, nè donatarius acciperet, & qui alicui eſt cauſa damni, cauſatum illi damnum reſtituere tenetur. Molina tom. 2. de Juſt. Diſp. 263. §. *Juxta hactenus dicta*, & alii. ¶ Dictum eſt *Extra eleemoſynam, & cauſam piam*, quia in hoc caſu ſoli pauperi reſtitutio facienda eſt, & pauper acquiſivit jus ad eleemoſynam, eique facienda eſt reſtitutio, quia in cauſa pia illico transfertur dominium rei donatæ, ſive jus in donatarium, ut dictum eſt alibi. Legatur *ubi ſup. Fagundes.*

52 Ad hanc circunſtantiam *quomodo* etiam pertinet ſolutio illius difficultatis, nimirum an mutuum ſolvi licitè poſſit, non in pecunia aurea, vel argentea, ſed etiam in quacunque alia, putà in pecunia ærea, vel minuta? Et affirmativè reſpondetur, niſi aliter initio contractûs conventum fuerit. Cum *Barthol. & Sylveſtro Azor* 3. *P. lib.* 4. *cap.* 35. *ac Lugo Diſp.* 10 *Sect.* 9. *num.* 218. ¶ Et idem dicitur, ſi res ſit in depoſito tradita, cum hac tamen diſtinctione, ſcilicet quòd, ſi res depoſito data ſit ex rebus, quæ functionem recipiunt, uti pecunia, frumentum, oleum, vinum, & omnes illæ, quæ in numero, pondere, & menſura conſiſtunt, reſque depoſita, obſignata, vel in aliquo clauſa non tradatur, tunc ſatis eſt, ſi alia ejuſdem æſtimationis reddatur, quin ſit neceſſum eandem reddere numero; obſignata verò, & in aliquo clauſa, eadem numero, & ſpecie tradi, vel reddi debet, & idem etiam, ſi eſt ex rebus functionem non recipientibus: ſecus in rebus depoſitis ſecundi generis. Legatur ubi ſup. Azor, habeturque in L. *Inuavi*, *ff. locati.*

Si autem accideret quòd tempore, quo pecunia, &c. in depoſito erat, ejus æſtimatio à Principe, vel Republica aucta eſſet, tunc incrementum valoris illius ad pecuniæ, &c. dominum pertinere dicetur caſu, quo deponatur obſignata, vel in aliquo clauſa, aut de eo ſit conventum, ſecus, ſi non ita contingat. Legatur *Azor ſuprà.*

LECTIO III.

De circunſtantia quando, *&* quo loco *reſtitutio ſit facienda.*

53 UNumquemque teneri *ſtatim*, ac commodè poteſt, reſtitutionem creditori ſuo facere (idque ſub mortali, niſi juſto aliquo titulo excuſetur, vel niſi levitas materiæ, aut modica injuria exinde creditori naſcatur.) DD. commune eſt placitum, vidimus, & probavimus alibi, expreſsèque docet *Div. Thom.* 22 *Q.* 62. *Art* 8. (legendus etiam *in* 4. *Diſt.* 15. *Art.* 2. *Q.* 4. *ad* 3.) ubi ſic habetur.

Dicendum quòd, ſicut accipere rem alienam eſt peccatum contra juſtitiam, ita etiam detinere eam, quia per hoc, quòd aliquis detinet rem alienam, invito domino, impedit eum ab uſu rei ſuæ, & ſic ei facit injuriam; manifeſtum eſt autem quòd nec modicum tempus, licèt in peccato mortali, ſed quilibet tenetur ſtatim peccatum deſerere ſecundùm illud Lib. Eccl. cap. 21. *num.* 2. *Quaſi à facie colubri fuge peccata; & ideo quilibet tenetur ſtatim reſtituere, ſi poteſt, vel petere dilationem ab eo, qui habet uſum rei concedere.* Hæc Angelicus Doctor, id, quod hîc pro re ſatis. Sed

54 Obſerva primò quòd ly *ſtatim* non debet intelligi mathematicè, ſed moraliter, hoc eſt, ſtatim, ac commoditas, & opportunitas reſtitutionis occurrerit, & quando creditor prudenter judicabitur eſſe ex non reſtitutione rationabiliter invitus; quapropter (vero animo, & firmo propoſito reſtituendi ſuppoſito) non quælibet reſtitutionis dilatio erit mortale peccatum, ſed ſolùm illa, ex qua aliquod creditori damnum emergat, aut lucrum ceſſet, vel niſi ſit periculum aut quòd debitor animum mutet, vel quòd noviter impedimentum oriatur aliquod, reſtitutioni obſiſtens. Unde diligenter Confeſſarii advertere debent quòd dum in confeſſionibus pœnitentes inveniunt cum hujuſmodi debitis dilatis, aut non ſolutis, vel reſtitutionis eſſe in mora, quanvis illos ut ſolvant arguere, urgereque debeant, non tamen facilè eos Reos læthalis culpæ condemnare poſſunt, aut abſolutionis beneficium eis denegare, quando creditores debiti tui non ſunt neceſſitate preſſi, nullumque illis ex tali ſolutionis dilatione lucrum ceſſat, aut damnum emergit, & hoc etiam ſi multoties debiti petitionem repetat creditor.

55 Secundò obſerva quòd debitor ex delicto, vel quaſi delicto, *ſtatim*, ac commodè poteſt, reſtituere tenetur, aliàs cenſebitur eſſe in mora, & peccabit mortaliter: at verò debitor ex contractu, vel quaſi contractu tempore eo reſtituere tenetur, ex quo ſolutioni conſtitutus,

tus, & definitus elapſus eſt terminus, & hoc, quanvis de ſolutione à creditore non admoneatur, dies quippe ſtatuta, & determinata pro domino clamat, & interpellat, juxta *cap. fin. de locato, & conducto.* ¶ Et ſi terminus ad debiti ſolutionem non fuit deſignatus, non peccat tunc debitor, nec eſt in mora, ſi non reſtituat, antequam debitum petatur; niſi in caſu, quo debitum creditor non petat vel ob impotentiam, aut oblivionem, vel ob timorem, quia videlicet debitor perſona nobilis eſt, Magnatis, &c. timetque proinde creditor quòd, ſi ab illo debitum petit, aliquod inde ſibi damnum eveniat; in his enim caſibus reſtitutionis obligatio datur, quanvis debitum non petatur, ut de ſe patet, tuque paſſim apud DD. reperies. Legatur *Sanch. de Matrim. lib. 1 Diſp 28. P. 28. & Dicaſtill. de Reſtit. Tract. 2. Diſp. 10.*

56 Obſerva tertiò quód, ſi in contractibus ſolutionis faciendæ dies eſt deſignatus, & hoc fit in debitoris gratiam, tunc fieri poteſt ſolutio, vel reſtitutio ante deſignatum tempus, aut illum diem, & talis reſtitutio acceptari debet: ſi verò in creditoris gratiam, tunc ante deſignatum diem totum ſolutio, vel reſtitutio fieri non valet, nec peti poteſt. Unde, ſi Petrum hæredem inſtituiſti, & in teſtamento reliquiſti ut ipſe Paulo poſt decem annos ducatorum mille præſtaret, ſi tempus in gratiam Petri hæredis eſt appoſitum, utique ipſe tempus illud prævenire poterit, & mille ducatorum creditori ſolvere; ſi verò in gratiam Pauli, eo quod teſtatoris voluntas fuit ut Paulus ante ætatem perfectam, vel ante pubertatem completam legatum non haberet, ne illud imprudenter conſumeret, & prodigaliter dilapidaret, tunc, caſus, non poteſt Petrus tempus illud prævenire, neque legatum Paulo conferre; id quod ex *L. Eum, qui, ff. de annuis legatis* conſtare videtur, & de quo legendus Azor tom. 3. lib 4. cap. 37. Q. 1. verſ. *primò quæritur*, Dicaſtill. ſuprà. ¶ Ex quo ſequitur creditorem debiti ſolutionem, ante tempus in contractu, vel aliter deſignatum, petere non poſſe, niſi tantùm in triplici caſu, 1. ſi debitor ad inopiam vergit. ¶ 2. Si ut fugam capiat timetur. ¶ 3. Si poſt contractum incipit eſſe ſuſpectus, nam tunc aut poteſt debitum peti, aut poteſt cogi, ut cautionem præſtet ¶ Secus verò, ſi ante contractum, vel initio contractûs jam debitor erat ſuſpectus, tunc enim ſibi imputare debet, qui cum homine ita ſuſpecto contraxit. Ita nuper relati.

57 Rogabis primo utrùm ille, qui alienum morosè detinet, multa, & diſtincta numero peccata committat, & conſequenter an eorum numerum in confeſſione detegere teneatur; vel clariùs, an ſit novum peccatum tum mero diſtinctum non reſtituere, diverſumque ab eo, quod commiſſum fuit in contra Juſtitiam accipiendo rem alienam? Supponit quæſitum id, quod eſt verum, ſcilicet non reſtituentem (cùm poſſit) eſſe in continuo actuali peccato, vel poſitivo de reſtitutione rei alienæ, quia eadem iniqua rei alienæ detentio moraliter continuatur, vel privativo, eo quod omittit reſtitutionem, ad quam tenebatur, id quod tenet communis, & de quo legi poterunt *Salmant. ſup. num. 261. & 262. ac Leſſ. de injuriis fortunæ, lib. 2. cap. 12. Dub. 3. per totum.*

58 Reſolutio difficultatis iſtius, quæ gravis eſt, colligi poteſt ex his, quæ in hoc Breviar. dedimus 2. P. Tract. 11. cap. 5. Lectione 6. Subſect. 1. & 2. ubi legendum; quare ſolùm hìc adnotandum venit ex *Salmant. ſup. cap 1. P. 14. num. 265. ex Lugone de Pœnit. Diſp. 16. Sect. 14. num. 449.* & ex aliis non quamlibet retractationem ſufficientem eſſe ad conſtituenda plura peccata numero diſtincta, ſed debere eſſe efficacem, & per tempus aliquod perdurantem: quia, ſi per brevem morulam detur, & *ſtatim* ad priſtinum redeatur actum, non cenſebitur prior illa voluntas moraliter interrupta, id quod exemplis probant *Salmant. cit. in loco.* Sententia hæc, ait *Trulbench cap. 14. Dub. 10.* valde eſt fragilitati, ac ignorantiæ humanæ accòmoda, multùmque pœnitentes à ſcrupulis liberat, proindeque *Bonac. Diſp. 1. Q. 8 Punct. unico, num. 12. cum Molina* advertit, & bene, Confeſſarium in interrogando numerum peccatorum interruptorum in retinenda re aliena non debere ſcrupulosè multùm ſe gerere, ſufficit nanque inveſtigare ſpatium temporis, quo detenta fuit res aliqua, quo cognito, pauló plus, vel minus cognoſcet numerum peccatorum ad pœnitentis ſtatum. Sententiam iſtam tenent NN. Salmant. Scholaſt. tom. 3. Tract. 11. de Bonit. & Malit. Diſp 4. Dub. 5. num. 4. & Moral. cum aliis multis ubi proximè, ac tom. 1. de Pœnit. cap. 8. P. 1 num. 9. Trulbench. in Decal. lib. 7. cap. 5. Dub. 13. num. 6. & cap. 14. Dub. 10. num. 7. Molina tom. 3. de Juſt. Diſp. 754. verſ. *hac verò* circa medium, Leſſ. ſup. cap. 12. Dub 3 num. 20. Dicaſtill. lib. 2. Tract. 2. Diſp. 1. Dub 5. n. 66 & 67. Rebel lib. 2. de Reſtit. Q. 17. Sect. 2. 8 & 9. Clavis Reg. lib. 10. Tract. 5. cap 5. ſuntque pro ea plurimi alii.

59 Secundò rogabis qualiter Confeſſarius cum pœnitente non reſtituente, reſtitueque potente ſe gerere debeat? Dicitur quòd, ſi debitor totum debitum ſimul reſtituere, vel reddere poteſt, nonque ſic reſtituere vult, ſed tantùm per partes, tunc licitè à Confeſſario abſolvi non poteſt, eo quòd eſt in ſtatu peccati mortalis, conſequenterque incapax abſolutionis.

tionis. Legantur Salmant. Moral. ſup. P. 13. num. 256. Azor 3. P. cap. 34. verſ. *tertiò quæritur*, ac Trulhench. ſup. cap. 14. Dub. 8. Tract. 5. cap. 5. à num. 11.

60 Si autem pœnitens ſemel confeſſus, & abſolutus eſt cum reſtituendi propoſito, & tamen non reſtituit, ſi iterum confiteri vult, confiteri poteſt, & abſolvi, ſi iterum ex vero corde reſtituere promittit, verumque propoſitum reſtituendi eum habere à Confeſſario cognoſcitur. *Salmant. ſup. n. 258 Trulhench. n. 10. Sayrus n. 26. Dicaſtill. n. 17. & alii.*

61 Non tamen eſt abſolvendus publicus, manifeſtuſque uſurarius, niſi de facto reſtituat, vel de reſtituendo idoneam cautionem præſtet. ¶ Idem de raptoribus Eccleſiaſticis, prout colligitur *ex cap. 1. de Raptoribus*, dicitque Paludan. in 4. Diſt 10. Q. 2. Art. 6. Concluſ. 4. ¶ Et idem de quocunque publico peccatore, qui alieno ære tenetur, &c. talis enim nullatenus abſolvendus eſt, niſi vel de facto reſtituat, aut ſe cum creditore componat; aliàs grave eſſet ſcandalum, ſi talis ſine ſatisfactione data, eam potens dare, abſolveretur, ſatisfactione non data, ac ad ſacram Communionem accederet. Legatur *Sayrus ubi ſupra*.

62 Neque eſt abſolvendus qui ſæpe ſæpiùs, putà ter, aut quater, eidem, vel alteri Confeſſario reſtituere promiſit, potentque id non fecit, ſed priuſquam talis abſolvatur, debet de facto, & in effectu reſtituere, & hoc, licèt ſe firmum, verumque propoſitum reſtituendi dicat habere; quia merito timetur idmet-ipſum ſe facturum, abſolutione obtenta, cùm toties monitus fuiſſet, totieſque promiſiſſet, & toties defeciſſet. Sed circa hoc legantur *Salmant. ſup. à num 257. Molina Diſp. 756. num. 3. Trulhench. lib 7 cap. 14. Dub. 10 n. 11. ac Dicaſtill. lib 2. Tract. 2. Diſp. 9. Dub. 15. n. 17.*

63 Neque pariter eſt abſolvendus qui cùm æquè bene in vita reſtituere poſſet, reſtitutionem differt uſque ad mortem, dicens quòd in mortis periculo reſtitutionem efficiet, quia hic eſt in malo ſtatu. ¶ Neque pariter ille, qui poſitus eſt in periculo mortis, per ſeque metipſum eſt reſtituere potens abſque nota, & ſcandalo, alio vel incommodo de facto reſtitutionem facere, idque omittit, hæredibus, vel teſtamentariis relinquendo quòd poſt ejus mortem reſtituant, aliis vel amicis negotium hoc committendo, quia in tali caſu prudenter judicatur hunc verum, & firmum reſtituendi non habere propoſitum, ſi enim firmum reſtituendi haberet propoſitum, utique ſtatim, & cum effectu reſtitutionem faceret. Enim verò qui in vita non reſtituit, reſtituere potens, peccat mortaliter: qui ergo eſt in mortis periculo, ſive articulo, nonque reſtituit, potens, eſt in mortali peccato, in quo nemo exiſtens, niſi verè contritus, vel attritus, abſolvi non valet, & talis contritionem, vel attritionem veram non habet, cùm non faciat id, quod poteſt, & ad quod ex juſtitia tenetur. Accedit quòd talis homo ſine rationabili cauſa creditores ſuos exponit periculo debitum ſuum non recuperandi, cùm ſæpe numero hæredes, præcipuè Magnatum, id, communiter loquendo, vel nunquam, aut difficulter, vel tardiùs faciant, ſi enim ipſe, cujus potiſſimùm intererat, non conſuluit Animæ ſuæ dum viveret, multò minus poſt ejus mortem de ea alii curabunt. ¶ Et hoc maximè, quia multoties contingere ſolet vel quòd teſtamentum non appareat, aut ex induſtria abſcondatur, ſive rumpatur, vel quòd lites inter hæredes, & creditores excitentur, unde oritur aut quòd hæredes non reſtituant quod verè à defuncto debebatur, vel quòd poſt longiſſimum tempus, & cum non parum creditorum damno id faciant, quorum omnium unica cauſa eſt defunctus in vita ſua reſtitutionem non faciens. Sayrus ſeptem ſupra decem AA. adducens ſup. legendus num. 30. & 31. Azor 3. P. lib. 4. cap. 34. verſ. *Secundò rogès*, Trulhenc. ſup. num. 12. Dicaſtill. ſup. num. 15. Lugo ſup. num. 212. Salmant. ſup. num. 259. ad finem Puncti, multique alii.

64 Aliqui tamen ex dictis AA. duplicem limitationem apponunt: prim. quòd abſolvi poteſt talis moribundus pœnitens, non reſtituens, ſed in ſuo teſtamento relinquens quòd poſt ſuam mortem hæredes ejus debitum à ſe contractum reſtituant, ſi ex eo, quòd ipſe per ſeipſum in vita reſtitueret, aliquod ejus occultum manifeſtaretur peccatum, ſive delictum, aliquod aut ſequeretur ſcandalum. ¶ Secund. quando id faceret, quia putat hæredem, aut teſtamentarium meliùs id eſſe facturum. ¶ Sed nos nullam ex his limitationibus admittimus; non quidem primam, niſi fortè poſt mortem ex reſtitutione eadem inconvenientia appoſita non ſequantur, ac ſequerentur, ſi in vita reſtitutio fieret, ſi enim eadem ſequerentur, ad quid reſtitutionem reſervare poſt mortem? Nec etiam ſecundam, quia nunquam prudenter credi relinquitur quod hæres, aut teſtamentarius meliùs de Anima defuncti curabit, ac ipſemet de Anima ſua. Admittimus tamen (cum *Ledeſma, teſte Sayro ſup.*) quòd quando ibi, ubi moritur debitor, non eſt creditor, aut hæres illius, tunc bene valet, & licitum erit debitum in teſtamento relinquere, ut hæres, vel teſtamentarius reſtituat.

65 Similiter abſolvendum non eſſe dicitur eum, qui dubitat an aliqua ex his, quæ poſſidet, vero, ac juſto titulo ſibi retineat, nec curat, dum vivit, id inveſtigare, & examina-

re,

re, ſed ſolùm decernit id oneris ſuis hæredibus in ſuo teſtamento injungere, & examinare, hunc enim manifeſtè eſſe in ſtatu peccati mortalis docent *Dicaſtill. ſup. num.* 16. *& Molina ſup. num* 2.

66 Utrùm autem Confeſſarius, qui ante realem reſtitutionem pœnitentem reſtituere potentem, multotieſque Confeſſario id promittentem, nonque exequentem, abſolvit, teneatur ad reſtitutionem in defectu ipsius pœnitentis? Jam conſtat ex dictis, negativèque contra alios reſpondet *Bonac. ſup num.* 19. *Trulloench. ſup. num.* 19. & de quo legendus *Lugo de Pœnit. Diſp.* 22. *Sect.* 3.

SUBLECTIO.

Quo loco *reſtitutio ſit facienda.*

67 AD hoc dicitur quód, ſi reſtitutio ex re aliena eſt facienda, eo quòd illam reſtituens poſſeſſor eſt bonæ fidei, tunc facienda eſt ubi eſt debitor, vel ibi reſtituenda eſt, ubi res habetur, & cognoſcitur alienam eſſe, ſubindeque ſi dóminus talis rei fuerit abſens, non tenetur debitor propriis ſuis expenſis rem ei mittere; ſed ſi mittit illam, id propriis dómini rei expenſis facere debet, & dóminus rei eam ſibi mittenti expenſas factas ſolvere tenetur, id quod ſi facere nolit, ex re ipſa, vel aliter debitor accipere valet. Ratio datur: quia talis debitor poſſeſſor eſt bonæ fidei, & hic cum ſuo detrimento, & damno non tenetur ſatisfacere dómino, eumque ſervare indemnem, ſolùm enim ex charitate rem cuſtodire tenetur, dóminumque rei monere, juxta *L. Poſſeſſor, ff. de petit. hæredit.* quòd ſi dominum admonere non poteſt, vel quia valde diſtans, aut quia res mittenda parvi eſt momenti ita, ut ſi res ad ipſum mittatur, plus ſit expendendum, quàm ipſa res valet; tunc, caſus, ipſe debitor rem ipſam apud ſe retinere valebit toto eo tempore, quo ſperatur quód dóminus vel ipſam rem, aut pretium ejus poſſit habere, vel, quod melius erit, poterit ipſa res alicui pio loco tradi eo pacto, ut ſtatim, ac dóminus compareat, ei ipſam tradat.

Quòd ſi dóminus admoneri non valet, nec ulla ſpes eſt ut tempore adveniat aliquo, remque ſuam, aut ejus pretium recuperet, tunc aut conſanguineis ejus, vel in horum defectu pauperibus erogari valet, hanc enim voluntatem dómini rationabiliter eſſe præſumitur. ¶ Imò probabile eſt *apud Tambur. Decal. lib.* 8. *Tract.* 4. *cap.* 1. §. 8. *num.* 7. poſſe tunc debitorem ſecum talem rem retinere, quia tunc comparatur rei dominum ignotum habenti.

Aſt, ſi poſtquam debitor cognovit alienam rem eſſe, illam tranſtulit aliò, illam expenſis propriis reſtituere tenetur dómino, illis expenſis exceptis, quas feciſſet dóminus, ſi res à priori illo loco non fuiſſet translata, quia nemo cum detrimento, ac damno dómini rei rem ſuam alibi aſportare valet, niſi hoc bona fide fuerit factum, eo quòd ita expedire judicavit aſportans, nè ſcilicet res periret, in hoc enim caſu, quia utiliter negotium dómini geſſit, ad nihil tenetur. Hæc ferè omnia paſſim apud AA. reperies. Legantur *Fagund, ſup. cap.* 14. *num.* 22. *Trulbench. lib.* 7. *cap* 14. *Dub.* 9. *num.* 3. *Bonac. Diſp* 1. *Q.* 5. *P.* 1. *num.* 2 *Villalob. Tract.* 1. *Diffic.* 18. *num.* 3. *Azor ſup. lib* 4. *cap.* 32 *Lugo Diſp* 20. *Sect.* 8. §. 2. *á Spiritu Sancto Decal. Tract.* 10. *Diſp.* 30. *Sect.* 8 *ac Salmant. ſup. n.* 193.

68 Sed, ſi res reſtituenda eſt ex delicto, putà ex furto, ex uſuris, ex injuſta læſione, vel damnificatione, &c. tunc reſtitutio debitoris expenſis ponenda eſt in loco, ubi dominus reſidet, ibi eique tradenda, vel ubi dominus eam habiturus erat, ſi talis res non fuiſſet ablata. Quare, ſi dominus ob factum ſibi furtum, vel læſionem domicilium mutavit, cùm hoc damnum ex delicto alterius dominus paſſus ſit, delinquentis expenſis ponenda eſt res ubi dominus adeſt; quod intelligi debet, expenſis illis deductis, quas dominus rei feciſſet in ſuis tranſportandis rebus, quando domicilium mutavit; quia ſicut ratio dictat, ut ipſe non patiatur incommodum, ita ſimiliter dictat, ut ex reſtitutione lucrum non portet, ſed ſolùm quòd incolumis, & indemnis ſervetur; ſi autem dominus domicilium mutando maioribus expenſis rem tranſtuliſſet, quam malæ fidei poſſeſſor in reſtitutione facienda facturus eſſet, ad illum expenſarum exceſſum probabile eſt non teneri. Si tamen dominus rei expenſas nullas eſſet facturus, vel ſuæ induſtriæ cauſâ, vel cauſâ amicitiæ alterius, poſteaque res eſt cum expenſis mittenda, tunc debitoris expenſis mittenda erit, ut ſic dominus indemnis ſervetur. Ex quibus omnibus jam cuilibet ad particulares caſus deſcendere non multum difficile erit. Legantur *Salmant. ſup. P.* 10. *per totum, Clavis Reg. ſup. num.* 15. *& 16. Lugo ſup à num* 182. *Fagund. lib.* 7. *cap.* 24. *á num.* 37. *Molina tom.* 3. *de Juſt. Diſp.* 752. *Concinſ.* 3. *& ſup. cit.*

LECTIO IV.

***De circumstantia** ordo, scilicet quis ordo servandus sit in restitutione faciendâ, quando debitoris bona ad omnibus satisfaciendum creditoribus non sufficiunt?*

69 LEctionis titulus est clarus, loquitur enim in casu, quo debitor tuffitientia bona non habet ad solvendum creditoribus omnibus id omne, quod omnibus debet; si namque ad id bona sufficientia habeat, certissimum est necesse non esse ordinem ullum servare, sed singulis sua debita solvere, non attendendo an prius isti, an vero alteri posteriùs solvatur, quia ex hoc nullum alicui detrimentum evenit, ac proinde cui priùs, aut cui posteriùs solvendum sit, nullatenus assignare oportet. Quo sic stabilito,

70 Dicitur primò quòd res, cujus dominium translatum non est in debitorem, (uti res pignorata, depositа, commodata, locata, furtiva, res ad creditum data, pretio non soluto, &c.) si in propria, vel in eadem specie manet, & existit, reddenda est creditori illi, qui talis rei dominium habet, & ita semper præ aliis præferendus est; id quod verum, etiam si nulla alia suppetant bona ad solvendum creditoribus aliis. Ratio est in promptu, & clara: quia contra rectam rationem, & omnino ab æquitate naturali alienum est, quòd debitum à me contractum ex alienis bonis persolvam, satisfactionem non ex alieno, sed ex proprio faciendi est: cùm igitur istæ res propriæ non sint debitoris, sed creditoris, quia apud ipsum furatas, vel pignoratas, aut depositas habebat, illis dominium proprium privare non potest, ut alia debita solvat, hoc enim re vera est furtum facere ad satisfaciendas obligationes, quas ex justitia habet, id quod nullatenus effici valet. Communissima. Legatur a Spiritu Sancto lup. Disp. 24 Sect. 6 num. 145. Salmant. lup. P. 12 §. 1 num. 218 Azor 3. P. lib. 4 cap. 26. vers. *tertiò notandum*, Molina tom. 3. Disp. 760. vers. *quanvis autem*, Fagund. Decal. lib. 7 cap. 33. qui ibi sequentia infert.

71 Quod, si inter debitoris bona Calix, torques, equus, liber, vel quid simile reperiatur, de quibus certo constat furtivè furto sublata, vel perdita fuisse, & cujus hic ignoratur, nunc quamvis inventori alia habeat debita certa, quæ ex his inventis satisfieri poterant, hoc minimè ei licet debet, sed inventor tenetur Prælato Ecclesiastico, vel Episcopo Calicem tradere, ut illum alicui Ecclesiæ applicet; cætera autem, si prius debita diligentia facta, dominus certus non apparet, pauperibus, aut aliis piis operibus sunt applicanda, de debitis certis inventoris nulla curâ facta.

72 Secundò probabiliter dicitur (contrarium probabile est apud citandos) quòd debita certa semper præferenda sunt debitis incertis, illis videlicet, quorum dominus ignoratur. Ratio est: quia debita certa debentur creditoribus ex Jure naturæ, debita vero incerta debentur pauperibus ex Jure humano in sententia probabili; sed illa, quæ ex Jure naturæ debentur, semper præferenda sunt illis, quæ ex humano positivo Jure debentur: ergo, &c. Probatur minor: quia quando duo concurrunt præcepta, naturale unum, humanum & alterum, vel unum superius, & aliud inferius, si utrumque simul servari non potest, tunc præcedit obligatio naturalis, & præcepti superioris, cessatque, atque suspenditur obligatio ex humano præcepto, vel inferiori orta, ut de se patet, & in confesso est apud omnes; sed, ut modo supponitur, obligatio solvendi debita certa est de Jure naturæ, quod est præceptum superius, & obligatio solvendi incerta pauperibus probabile est quòd sit tantùm de Jure humano, quod est inferius: ergo, &c. ¶ Accedit quòd creditores certi jus ex commutativa Justitia habent ad illa bona, quod quidem non habent pauperes, ideoque dicitur quòd non possunt in Judicio agere, ut ipsis talia conferantur bona; sed ille, cui ex commutativa Justitia aliquid debetur, semper præferendus est ei, cui ex tali Justitia ei non debetur: ergo, &c. Et ita cum multis *Salmant. sup. num.* 230. *Lugo Disp.* 20. *Sect.* 1. per totam, multis ibi adductis, *Trulbench. sup cap.* 14. *Dub.* 12. *num.* 3. *ac Fagund ubi sup omnino legend. Legatur Div. Thom* 22. *Q.* 62. *Art.* 5. *in corp. & in* 4. *Dist.* 15. *Q.* 1. *Art.* 5. *Quæst.* 4. *in corp.* Et hinc

73 Resolvit *Sayrus lib* 10. *Tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 6. debita certæ personæ prius esse solvenda, quàm legata pia, etiam certæ piæ, certæ vel Ecclesiæ relicta, pro quo inter alios adducit *Div. Thom. Opusc.* 73. *de Usur. cap.* 18. & hujus hanc dat rationem: quia non sunt omittenda præcepta propter consilia, & cùm prædicta legata in dicto casu vel non debeantur, aut si debentur, non ex Justitia, sed ex consilio debita certæ personæ ex Justitia sint debita, inde fit quod priùs solvenda sunt debita illa, quæ certæ personæ debentur, & postea debita pia, quia alia bona superfunt, quia eleemosyna, vel pia oblatio non ex alienis, sed solùm ex propriis facienda venit, id quod rectè dictum extat.

74 Similiter debita, quæ ex contractu ab utraque parte onerofo (uti ex mutuo, emptione, permutatione, locatione, &c.) procedunt, semper præferenda sunt debitis ex contractu gratuito, uti est liberalis promissio, & gratui-

ta, acceptata, & hoc, quanvis obligatio hæc priùs extitiſſet. Exempli causâ, liberaliter alicui centum aureos promiſiſti, quos ipſe acceptavit; poſtea vero debita ex mutuo, vendito, vel ex furto, aut alio delicto contraxiſti, & modò ad hæc omnia ſolvenda debita ſufficientia bona non habes. Ecce caſus, (& ſi ſunt alii ſimiles) in quo dicitur ſemper præferenda eſſe debita certa ex contractu utrinque oneroſo, vel ex delicto (& hoc, ſive promiſſio ſimplex, & acceptata, gratuitaque obliget ex fidelitate tantùm, ut alibi vidimus, ſive ex Juſtitia ſimul, ut non pauci autumant.) Ratio datur: quia debita ex contractu, ſive ex delicto ſunt neceſſaria, debita autem ex promiſſione gratuita ſunt liberalia: hæc ergo poſtponenda ſunt, & anteponenda alia; ſicut opus ex conſilio ſemper operi ex præcepto poſtponitur, quia iſtud neceſſarium, illud autem voluntarium; confirmarique poteſt ex dictis antecedenti num. Et

75 Quia de legatis tetigimus, hîc hæc incidenter adnotare valebis, primum, quòd, ſi poſt teſtamentum conditum conditor illius rem in illo legatam alienavit, aut ex donatione mere gratuita, & liberali, nullaque neceſſitate compulſus; re vera cenſetur revocaſſe legatum, id quod *conſtat ex L. Legatum ſub condit. §. ult ff. de adim. legat. & ex L. Rem legatam, eod tit.* ¶ Et idem ex eiſdem Legibus dicitur, ſi nulla neceſſitate cogente, rem legatam, aut illius partem titulo oneroſo, pùtà venditionis alienavit. Et ſi dicti caſus contingant, iterumque legator rem legatam, quam alienavit, poſtea emat, aut aliter ejus dominium acquirat, non iterum reviviſcit legatum, eo quòd quod ſemel extinctum eſt, nunquam poſtea reviviſcit, niſi ſuſcitetur de novo, prout conſtat *ex L. Cùm ſervus, ff. de adimend. legat. & L. Qui res, §. Arcam, ff. de ſolut.*

76 Secundum, ſi legatum à debitore creditori relinquatur ſub conditione, ut eo ſit contentus pro debito, & ipſe illud acceptet, nihil ei amplius debetur. ¶ Tertium, ſi debitum non oritur ex Juris diſpoſitione, uti debitum, quo patres filiis dotem tradere tenentur, & quo tenentur eis ſuas portiones legitimas dare, hæc enim debita ex Juris diſpoſitione naſcuntur, tunc legatum à debitore creditori relictum non compenſatur cum debito, ac proinde poterit creditor illud in integrum accipere, & inſuper exigere debitum, niſi aliunde conſtet teſtatorem illud reliquiſſe in debiti compenſatione, ex quo *in L. unica, §. Sciendum, Cod. de rei uxor act*, & aliis in Legibus decernitur legatum à marito uxori relictum non eſſe cum dote computandum, ſed uxorem illud ultra dotem habere, quia maritus debebat dotem ex contractu inter utrumque celebratum, & non præcisè ex Juris diſpoſitione. ¶ Quartum, ſi debitum oritur ex Juris diſpoſitione, tunc legatum creditori relictum cenſetur in debiti compenſatione factum, niſi aliud ex teſtatoris mente aliunde conſtet. Authent. *Præterea, Cod. unde vir, & uxor, & L. Si cùm dotem, §. Si pater, ff. ſolut Matrim.* ubi (quando à patre dos filiæ debetur, eo quòd ſtatuit Lex quòd pater filiam ſub ejus poteſtate jacentem dotare teneatur) ſtatuitur ut ſi quid pater tali filiæ, aut filio teſtamento leget, computetur cum dote, quam illis tradere tenebatur, nec aliquid aliud pro dote accipere valeant, id quod etiam conſtat *ex L. Quoniam novella, & L. Omnino, Cod de inofficioſo teſtam.*

77 Probabiliùs dicitur tertiò (contrarium probabile eſt apud citandos) quòd in omnibus debitoribus, etiam privilegiatis, & hypothecariis, etiam quando res traditur emptori, & pretium ei creditur, ſemper venditor cæteris omnibus eſt præferendus in ſolutione pretii, vel illius rei (& idem in contractu permutationis.) Ita cum multis Salmant. ſup. legendi n. 231. ad 232. quibus adde Azor ſup. verſ. *ſecunda opinio*, Bonac Diſp. 1. Q. 8. P. 2. num. 8. Rebel. lib. 2. Q. 10. Sect. 1. & 2. num. 4. Sayrum in Clavi Reg. lib. 10. Tract. 5. cap. 10. num. 9. & Fagund. ſup. ¶ Utrùm autem inter debita ex contractu oneroſo, & debita ex delicto ſervandus ſit in ſolutione aliquis ordo, ſi debita non ſunt in propria ſpecie, vel non ſunt alicui creditori obligata, vel hypothecata? Variant DD. pro quo legi poterunt *Salmant. ſup. n. 234. ad 236.*

78 Plura alia de re hac, quæ alibi dedimus, hîc mittere placuit; quia res hæc non tam ad Confeſſarios, & Theologos, quàm ad Juris peritos pertinet; quare conſilium Confeſſariis damus quòd quando aliquid horum in confeſſionariis contingat, Confeſſarius pœnitentem ad Juris DD. remittat, non enim in hac materia Confeſſarius ſcientiæ ſuæ fidere debet, niſi ſit ſimul Juris prudentiæ profeſſor; tunc enim circa res has conſilium ſuum conferre valebit, atque pœnitentem de eo, quod agere debet, inſtruere; ſecus autem, ſi purè, & ſi doctus Theologus fuerit.

LECTIO V.

Quæ cauſa excuſet iniquum, ideſt, de cauſis intuitum, vel ad tempus à reſtitutione excuſantibus, & primò de ignorantia.

79 INter cauſas à reſtitutione excuſantes ignorantia eſt, quæ primum obtinet locum, & hæc duplex eſſe poteſt, alia *probabilis*,

lis, ſive invincibilis, illa videlicet, quæ, ſufficienti, & morali diligentiâ facta, vinci non valet, quæ poteſt eſſe duplex, *alia facti*, & *alia juris*; ignorantia *facti* tunc datur, quando quis bona fide alienum accepit vel per hæreditatem, aut per emptionẽ, &c. illudque bona fide apud ſe habet, retinet, & conſervat, putans, vel credens eſſe ſuam, & poſtea dubio exorto, ſufficienti diligentiâ poſita, ſcire non poteſt an ſit aliena: tunc autem *Juris ignorantia* datur, quando jus poſſidendi in ſe non parum obſcuritatis habet, vel non clarè conſtat an iſte contractus ſit licitus, vel illicitus, & an aliqui Juris ſapientes, & timorati judicent licitum eſſe talem contractum. ¶ Altera ignorantia dicitur *ignorantia vincibilis*, *craſſa*, vel *ſupina*, & hæc illa eſt, quæ ſi moralì, debitaque diligentiâ fieret, veritatem facilè quis deprehendere poſſet, atque cognoſcere cujus poſſeſſa res eſſet, id quod ſi non conſequitur, idcoc eſt, quia circa rem ſupinè ſe ponit, & de indaganda veritate nullo modo curat. Et de ignorantia plura vidimus prima hujus Breviarii Parte, Tract. 2. ubi legendum. His circa ignorantiam hic breviter poſitis,

80 Dicitur quòd, ſi ignorantia ſit invincibilis, ſive ſit facti, vel ſit Juris, ab obligatione reſtituendi excuſat. Ratio eſt: quia quando aliquis invincibiliter ignorans rem, quam poſſidet, alienam eſſe, illam apud ſe bona fide habet, ac retinet, retentio illa non eſt culpabilis, ut de ſe patet, ubi nanque talis eſt ignorantia, voluntarium non datur, & ubi non eſt voluntarium, nulla eſt culpa, neque peccatum, cùm voluntarium ſupponat, & ubi nullum eſt peccatum, nulla in caſu reſtituendi eſt obligatio ¶ Et idem omnino dicitur, quando aliquis dubitat an res ſit aliena, vel ſua, ſi dubium ſupervenìat poſtquam res bona fide poſſidetur, tuncque morali, ſufficienti diligentiâ adhibita, vel peritos, & doctos conſulendo, & adhuc permanet dubium; quia tunc melior eſt poſſidentis conditio; ſecus autem, ſi moralis diligentia non ſit adhibita. ¶ Dictum eſt: *Si dubium ſuperveniat*: quia ſi in illo tunc, quando res accipitur, & incipit poſſideri, dubium exiſtat, tunc, caſus, tale dubium a reſtitutione omnino non excuſat, quia hic non eſt bonæ fidei poſſeſſor, proindeque nihil ei ſuffragatur poſſeſſio; uti in Tract de Legibus vidimus. Legatur *Dicaſtill lib. 2. Tract. 2. Diſp. 10. Dub. 1. ac Fagund. lib. 7. cap. 25 a n. 2.*

81 Si autem ignorantia ſit vincibilis, craſſa, vel ſupina, ſive facti ſit, aut Juris, non à peccato, nec à reſtitutione excuſat. Ratio datur: quia talis ignorantia à voluntario non liberat, conſequenterque nec a culpa, qua ſtante, reſtitutionis obligationem neceſſe eſt ſtare. Communis. Legatur *Sanch. lib 9. de Matrim. Diſp. 32. num. 33. & Fagund. ſup. num. 3.* Unde hinc

82 Reſolves primò à reſtitutione excuſari eum, qui in re difficili peritos conſuluit, & ei illi dixerunt ſe ad reſtitutionem non teneri, vel dixerunt contractum licitum eſſe, cùm re vera in re illicitus ſit, & injuſtus. ¶ Secundò quod, licèt per unum teſtem omni exceptione maiorem conſtet hæredi teſtatorem alicui perſonæ magni momenti reliquiſſe legatum, non tenetur in conſcientia legatum ſolvere; quia non cogitur ad teſti uni fidem præſtandam, quando inde ſui, aut tertii notabile ſequitur damnum; communiter nanque dicitur: *Unus teſtis nullus teſtis*, unus vir nullus vir. *Trullench ſup. num. 1. Fagund. ſup. n. 4. ac Dicaſtill. ſup n. 21.*

83 Tertiò ille, qui bona fide rem alienam inter hæreditaria bona à patre accepit, vel dotatam ab alio, vel bona fide emit. Similiter ſi ignorat contractum, cujus vi rem poſſidet, fuiſſe uſurarium, &c. ad reſtitutionem non tenetur. Azor 3. P. lib. 5. cap. 39. verſ. *tertia cauſa*. ¶ Quartò ille tamen, qui emit rem à perſona ſuſpecta, putà à Milite, vel ruſtico ſupellectilem ſacram, pretioſam veſtem à mancipio, &c. minimè à reſtitutione excuſatur; habet enim ignorantiam vincibilem, craſſam, & ſupinam. *Sanch. ſup. ac Fagundes* omnino legendus circa caſum ſup. poſitum de hærede.

SUBLECTIO I.

De impotentia ad reſtituendum.

84 SEcunda cauſa à reſtitutione excuſans eſt impotentia, & hæc dupliciter conſiderari valet, primò *phyſicè*, ac ſecundò *moraliter*. Tunc autem *phyſica impotentia* datur, quando debitor nec de præſenti habet unde reſtituere poſſit, nec probabilem ſpem habendi de futuro habet, ex quo aliquid, ut reſtituat, acquirere poſſit; vel ſi aliquid habet, omnino neceſſarium eſt ad vitam agendam; & hæc procul dubio à reſtitutione excuſat, dum durat. ¶ *Moralis* autem impotentia tunc datur, quando licèt debitor de facto aliquid habeat, quod reſtituat, illo tamen ſine magno incommodo, jacturâ famæ, ſtatûs, aut ſine ſcandalo, &c. carere non valet; & de his duabus impotentiis hic brevis ſermo, & primò quo ad impotentiam phyſicam.

85 Dicitur ergo quòd impotentia phyſica ab onere reſtitutionis excuſat quandiu durat; eſt communis, & probatur (quæ probatio ad impotentiam moralem etiam deſerviet) primò: quia ad impoſſibile nemo tenetur, ut eſt quid paſſim tritum; ſed impotentiâ durante talis reſtitutio

ſtituio eſt impoſſibilis aut phyſicè, vel moraliter: ergo, &c. ¶ Secundò, quia, ut ſup. vidimus, ignorantia probabilis juris, vel facti, quandiu durat, à reſtitutione liberat: ergo etiam impotentia, quandiu durat, à reſtitutione liberare debet. Probatur conſeq. quia ideo ignorantia, quandiu durat, liberat, quia retentio rei alienæ cum illa non eſt voluntaria, nec peccaminoſa; ſed ſtante impotentiâ phyſica, vel morali, rei alienæ retentio non eſt voluntaria ita, ut ſit peccaminoſa: ergo, &c Hæc minor probatur: quia tunc retentio voluntaria, & peccaminoſa cenſetur, quando eſt contra voluntatem rationabilem dómini, vel creditoris; ſed in prædictis circunſtantiis dominus, vel creditor non cenſetur rationabiliter invitus: ergo, &c. Unde hinc

86 Reſolves primò quód, ſi debitor extremè indigeat, vel alia perſona, cui ex charitate debitor ipſe, & creditor ſuccurrere tenebantur, creditor autem in eadem non ſit neceſſitate poſitus, tunc, caſus, non tenetur debitor creditori ſuo rem illam reſtituere, ſive res ſit injuſtè, putà furto, aut juſto titulo debita, putà contractu licito. Et ecce unus ex caſibus, qui poſſunt accidere, furtivum, vel commodatum, aut pignoratum equum apud te habes ad te evadendum, vel tuos à periculo mortis, indiges illo ita, ut ſine illo evadere nequeas, quam indigentiam creditor non habet; non teneris tunc, caſus, equum reſtituere. Ratio eſt: nam in tali caſu omnia ſunt, & dicuntur communia, ſaltem quo ad uſum: illa ergo re bene uti poteris in tui utilitatem, vel tuorum, aut etiam aliorum in eadem extrema neceſſitate jacentium. Communis. *Leſſ. tom. 1. de juſt. lib. 2. cap. 16. num. 1. Trulhench. lib 7. cap. 15. Dub. 2. num. 1. cum Molina Fagund. lib. 7. cap. 25. num. 10.* legantur etiam *Salmant. ſup. P. 15.*

87 Excipitur caſus, quando creditor perſona ſit publica, ex cujus vita bonum commune, aut Reipublicæ pendeat, ſimulque ſit in neceſſitate extrema, in hoc enim caſu dicitur quòd adhuc cum periculo propriæ vitæ reſtituere illi teneris illud, quod debes. Ratio datur: quia in hoc caſu, etiam ſi talis publica perſona non eſſet creditor, ex charitate ob commune bonum tenebaris ſuccurrere illi, ut alibi vidimus, cum detrimento propriæ vitæ; multò ergo melius, & à fortiori ad illi ſuccurrendum, ſi fuerit creditor, obligatus eris.

88 Secundo, ſi tu in extrema neceſſitate poſitus ſis, & etiam creditor eadem extrema neceſſitate laboret, non teneris ei reſtituere (in ſententia probabili.) Ratio eſt eadem, quam dedimus ſup. num. 86. cui accedere poteſt primò quòd in neceſſitate extrema ceſſat jus gentium, ex quo orta fuit rerum diviſio, & in eo caſu res ad ſuum priſtinum ſtatum, quem ante diviſionem habebant, redduntur, atque adeò, ſicut ante diviſionem omnia erant communia, & primi occupantis, ſaltem quo ad uſum, ita & in caſu neceſſitatis extremæ. ¶ Accedere poteſt ſecundò quòd in eo caſu debitor maius jus ad rem habet, quàm creditor, creditor namque titulum tantùm neceſſitatis habet, debitor verò præter hunc ſimul poſſeſſionis titulum habet, & titulus juſtè poſſidentis, titulo neceſſitatis ſuppoſito, melior, potiorque eſt, quàm merus titulus neceſſitatis. Et id magis ex dicendis conſtabit. Legatur *Div. Thom. 22. Q. 62. Art. 5. ad 4. & Q 31. Art. 3. in corp* unde ſententiam iſtam docent *Azor tom. 2. lib 4. cap. 39. Sayrus in Clav. Reg. Tract. 5. cap. 6. num. 6. Fagund. ſup num. 14. Trulbench. ſup. num. 6. de Leſſ. ſup.* Et hinc

89 Infert citatus Trulhench. quòd, ſi ante tuum panem occupavi in ſolitudine, vel tuam tabulam in naufragio, aut equum in fuga, non teneor tibi reſtituere, etiam ſi in extremum periculum incideritis ambo. Quam doctrinam ad amplius *Dicaſtillus extendit lib. 2. Tract. 2. Diſp. 18. Dub. 3. num. 27.* quatenus aſſerit in extrema neceſſitate jacentem rem ab alio in eadem neceſſitate extrema jacenti eripere poſſe; quia tunc res eſt communis, & fit capientis eam; id quod non admittimus propter rationem ab ipſo allatam; quia, ſi res in neceſſitate illa fit capientis, jamque illam apud ſe habet, jam factus eſt dominus, conſequenterque injuſtitiam committet quicunque illam ab eo abſtulerit, furtumque committet, tenebiturque ad reſtitutionem. Unde melius Trulhench. videtur hunc caſum reſolvere, dicendo quod, ſi exiſtenti in neceſſitate extrema panem furripuiſti, teneris eum reſtituere, quia melior eſt poſſidentis conditio. Et idem in eo caſu eſt rem extremè indigenti ſubtrahere, ac illum occidere, id quod non licet, hujuſque ſententiæ eſt *Bonac. Diſp 1. Q ult P. 1. num. 34.* ¶ Si tamen caſus contingat, quòd eodem momento res à duobus in extrema neceſſitate jacentibus ſit occupata, tunc, caſus, unum è duobus faciendum erit, vel rem dividi, aut ſorte diſtribui, ſi res indivisibilis extat, id quod jam alibi vidimus, & docent *ubi ſup. Dicaſtil. & Leſſius.*

90 Tertiò ſimiliter poterit quis (creditore in eadem extrema neceſſitate relicto) parentibus, filiis, uxori, fratribus, propinquis, & amicis, laborantibus neceſſitate extrema, ſuccurrere, quando ſimul cum aliis creditori ſuccurri non valet. Ratio eſt: nam, cùm in extrema neceſſitate, ut conſtat, & dictum manet, omnia ſint communia, illa res apud debitorem exiſtens omnibus communis eſt, id eſt, tam creditori, quàm cuicunque alteri; ſed, eadem

dem neceſſitatis æqualitate ſuppoſita, debitor poteſt ex pietate conſanguineos, & amicos creditori præferre, ſicut ipſemet debitor in eadem neceſſitate exiſtens poteſt ſe creditori præferre, ut dictum eſt ſup. (conſanguinei enim in primo gradu reputantur quaſi eadem perſona, & amicus, ut communiter dicitur, *eſt alter ego*: ergo, &c. ¶ Eò vel maximè, quia ſimiles perſonæ ex debitoris manibus probabiliter rem talem licitè uſurpare valebant: ergo debitor juſtè, & licitè illam illis tradere valet; quando enim aliquis aliunde non habet, ex quo extremè indigenti ſubveniat, niſi tantùm ex re aliena, ex illa illi licitè ſuccurrere valet.

91 Quinimo additur, & aſſeritur non ſolùm in extrema neceſſitate id debitorem utè, ac licitè facere poſſe; ſed etiam teneri potiùs ſuccurrere patri, conſanguineis, & amicis, quàm creditori, daturque ratio: quia, quanvis jus creditoris jus ſit juſtitiæ, & fortius, quàm jus pietatis, quod eſt jus patris, &c. in his tamen circunſtantiis jus juſtitiæ ſuſpenditur, conſequenterque reſtitutionis præceptum non obligat; ſed obligat tantùm, & eſt maius, ac fortius jus pietatis; quia ex Jure naturali hoc provenit, & nunc in caſu neceſſitatis extremæ res ſint communes, & ad priſtinum ſtatum redactæ, fiantque illas tenentis, tenebitur debitor, cujus hîc, & nunc res talis eſt, potiùs patri, &c. ſubvenire, quàm creditori. Et quanvis debitor non teneatur (licèt poſſit) in extrema neceſſitate ſe creditori præferre, nihilominus tamen reſolvitur quòd poteſt, ſimul & tenetur, parentes, conſanguineos, & amicos creditori præferre ita taliter, quod, ſi contrarium fecerit, contra pietatem procedet, daturque ratio: quia reſpectu ſui poteſt debitor ex charitate juri ſuo cedere, illudque creditori tribuere, at cùm reſpectu patris, &c. jus pietatis obliget, reſpectuque amici jus amicitiæ, & in caſu poſito reſpectu creditoris jus juſtitiæ non obliget, quanvis debitor tunc, caſus, juri ſuo cedere poſſit, non tamen juri patris, & amici cedere valet, poteſt nanque quis ſuo cedere juri, ſed non alieno, conſequenterque licèt debitor non teneatur ſe creditori præferre, tenetur creditori præferre parentes, &c. Legatur *Fagund. ſup á n.* 17. uſque ad finem.

92 Utrùm autem ille, qui in extrema neceſſitate aliena conſumpſit, teneatur reſtituere poſtea, ſi ad meliorem fortunam deveniat, & nunquid ille, qui ex ſuis extremè indigenti ſubvenire non valet, aliena rapit, (id, quod tunc licitè facere valet non minus, quàm ipſe extremè indigens) ut extremè indigenti ſuccurrat, ad reſtitutionem poſtea teneatur, vel ipſe pauper extremè indigens teneatur, ſi poſtea potentior ſit factus? Probabiliter variant DD. legantur *ubi ſup. Leſſ. Clavis Reg. Fagund. Trullench. ac Diana Coordinat. tom.* 8. *Tract.* 7. *Reſol.* 13. *& Reſol.* 14. ubi curioſum caſum adducit.

SUBLECTIO II.

De eadem in potentia materia proſequitur, & quæritur utrùm neceſſitas gravis, ac jactura ſtatûs, quandiu durant, á reſtitutione excuſent?

93 Circa rem hanc hîc tanquam quid certum, nuncque jam temporis indubitatum ſupponitur, neminem licitè propria authoritate in neceſſitate, etiam gravi, aliena rapere poſſe, peccareque peccato furti, ſi id fecerit, ad reſtitutionemque teneri; quod quidem ſuppoſitum multipliciter apud AA. probatur, uti videre eſt *apud Sayrum lib.* 9. *cap.* 14 *num.* 17. *Leſſ lib.* 2. *cap.* 12. *ac Fagundes Decal.* 7. *cap* 27. ſed ſatis eſt dicere ab Innocent. XI. extare damnatum, & eſt Propoſit. 36. ab ipſo exterminata, quæ ſic ſe habebat: *Permiſſum eſt furari non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi*; conſequenter contrarium ad ſuppoſitionem dictam jam nunc, & deinceps ſuſtineri non valet. Legantur ſcribentes ſuper Propoſit. damnatis; hoc ita poſito,

94 Rogabis primó an quando creditor, & debitor ſimul in eademmet neceſſitate exiſtunt, excuſetur pro tunc à reſtitutione debitor? Et notanter dicitur, *ſimul in eademmet neceſſitate exiſtunt*: nanque, ſi debitor gravi neceſſitate laboret, qua non laborat creditor, nulli dubium eſt debitorem in aliud tempus debiti ſolutionem differre poſſe, & hoc maximè, ſi inde aliud damnum præter rei ſuæ carentiam creditori non ſequatur. Loquendo ergo in ſenſu propoſito, eſt ſententia pro utraque parte probabilis, ut videre eſt *apud Salmant. ſup. Punct.* 15. *num.* 273. Nos autem alibi pro parte creditoris ſtetimus, ibique rem probavimus. Legatur etiam *á Spiritu Sancto in Decal. Tract.* 10. *Diſp.* 31. *Sect.* 2. *num.* 1479. *Lugo Diſp.* 16. *Sect.* 7 *ac* 21. *Sect.* 2. *Trullench. ſup cap.* 5. *Dub.* 6. *& Leſſ. ſup. cap.* 16. *Dub.* 1. *n.* 19.

95 Secundó rogabis an, ſi debitor ſtatim debitum ſolvere non poſſit abſque gravi jactura ſtatûs juſtè acquiſiti, vel periculo illîus, poſſit (in eadem neceſſitate creditore non ſtante) reſtitutionem differre, donec ſine illo detrimento integrè reſtituere poſſit, hîc, & nunc aliquid ſolvendo, ſtatum ſolum minuendo juxta conditionem ſuam, & qualitatem? Reſponde.ur cum communi affirmativè, modò creditor ſimile detrimentum non patiatur, & in hanc impoſſibilitatem non ſe ſe conjecerit debitor,

debitor, bona ſua malè dilapidando (uti communiter facere ſolent aliqui Magnates.) Legantur *Salmant. ſup. cit. P. 15. à num. 267. ac Sayrus ſup. n. 23.* Et hinc

96 Bene inferunt *Dicaſtill. lib. 2. Tract 11. Diſp. 10. Dub. 3. Leſſ ſup. cap. 16. Dub. 1. num. 21. Salmant. ſup. num. 269. & Clavis Reg. ſup.* (id, quod & multi alii faciunt) non teneri reſtituere, ſed reſtitutionem poſſe differre, qui periculum Animæ ſuæ, vel ſuorum inde timeret, uti, ſi ob id cogeretur furari, aut alias injuſtitias facere, ſi cogeretur filiam ſuam proſtituere, uxoris pudicitiam alteri vendere, quia non aliter, reſtitutione ſuppoſita, ſe, vel ſuos alere poſſet. ¶ Similiter Doctorem, aut Juris peritum Bibliothecam, vel libros vendere non teneri, nec Militem militiam ſuam, nec artificem inſtrumenta, nec agricolam boves, quibus arat, & laborat, ad hoc ut inde reſtituant, ſi omnia hæc neceſſaria ſunt, ut ſib., vel familiæ decenter conſulant, illis congruam ſuſtentationem, & veſtitum acquirendo. Item nec corporis veſtem, operimenta lectuli, domûs habitaculum alienare tenentur; tenetur tamen quilibet officium conditionis ſuæ congruum exercere ad reſtituendum, ſi inde poſſit, quia tenetur omnia media de ſe ad ſatisfaciendum debito apponere.

97 Deinde nec tenetur Dux, aut Comes vendere Comitatum, nec nobilis alteri inſervire, aut ſupellectilem vendere ad ſui ſtatûs decentiam neceſſariam, nec omnes ſuos famulos, nec equos relinquere, & ornatum, qui prudentum arbitrio neceſſarius eſt, ut cum æqualibus ſuis converſetur, deambulet, &c. neque tenetur mechanicam artem edicere, & exercere, ſi ſciat; tenetur tamen paulatim ſtatûs plura minuere, oſtentationes ſcilicet ſuperfluas, in fauſtu famulorum, curruum, & equorum, in pretioſis veſtibus, cibis, & potu. Ex his enim paulatim detrahere debet, ſeque ad mediocritatem reducere, ut ex detractis creditoribus ſolvere valeat, prout deb t. Communis.

98 Ulterius neque adulterinus filius, qui bona fide hæreditatem æqualem legitimis fratribus comparavit, honorificumque ſtatum juſtè eſt conſequutus, in ſtatuque nobilium eſt conſtitutus, tenetur poſtea, dum ſibi conſtat de veritate, hæreditatem fratribus relinquere ſtatim; neque debitor ullus ad emendicandum eſt obligatus, ut ſic ſolvat, debitumque creditori ſuo reſtituat. ¶ Neque quis tenetur, ſi ex reſtitutione à ſe facta damnum aliquod contra bonum commune ſequatur, cùm commune bonum peculiari creditoris bono ſemper ſit præferendum. ¶ Neque quis tenetur, ſi reſtitutio in malum corporis, vel Animæ ipſius creditoris, aut aliorum redundet, veluti ſi creditor gladium putà petat ad ſe, vel alium mutilandum, aut occidendum. ¶ Neque tenetur, ſi inde furtum, proſtitutio mulieris, aut hujuſmodi alia Proximorum incommoda immineant, uſque dum prædicta incommoda omnino ceſſent, quia Charitatis ordo exigit ut Proximi honor, & fama corporalibus rebus anteferri debeant. Et

99 In univerſum hodie communis ſententia eſt (de quo legendus *ubi ſup. Fagund.*) neminem teneri cum jactura ſtatûs *juſtè acquiſiti* reſtituere ſtatim, ſed ſolutionem, ac reſtitutionem debiti poſſe differre, quo ad uſque ditior, potentior ve fiat, & hoc, ſive debitum ſit ex furto, & delicto, vel ex contractu; non enim æquitas poſtulat ut debitor reſtituendo in propriis bonis notabiliter gravetur, ut brevi creditoris conſulatur commodo, & maximè quia impotentia moralis, quandiu durat, à reſtitutione excuſat; hæc datur in caſu noſtro, quia id, quod valde durum, ac difficile eſt, cenſetur moraliter impoſſibile, & nihil magis durum, neque magis difficile, quàm cadere à proprio ſtatu, illumque perdere: nemo ergo cum jactura proprii ſtatûs *juſtè acquiſiti* reſtituere ſtatim tenetur, ſed ſolutionem, vel reſtitutionem differre valet uſque ad meliorem fortunam. Legatur *Sayrus ſup. n. 27.* Et hinc

100 Ille, qui bona fide aliena pecuniâ aliquem comparavit ſtatum, illumque juſtè acquiſivit, ſi poſtea intelligat, certòque ſciat pecuniam illam alienam eſſe, vel forſitan aliquod grave delictum ſtatui illi annexum oriatur, quod ſolvere non valeat, niſi à proprio ſtatu cadendo, non tenetur cum tali jactura reſtituere ſtatim, ſed ſolùm paulatim ſtatum illum minuere, ut dictum manet. ¶ Neque ſimiliter vendere domum, vel prædium, aut fundum notabiliter minus pretio juſto, putà ducentos aureos valentem, vendere pro cento.

101 Dictum eſt *cum jactura ſtatûs juſtè acquiſiti*, nanque non ita certum eſt utrùm teneatur quis reſtituere cum jactura ſtatûs ſui injuſtè acquiſiti, putà uſurarius, Mercator, Regis Miniſter, qui modo ordinario vivebant, & poſtquam prædicta officia obtinuerunt, & exercuerunt, per illicitoſque medios, & contra juſtitiam non parvam pecuniæ quantitatem acquiſierunt, vel bona alia immobilia, quibus omnibus ſe, familiamque ſuam ingenti, nobilique apparatu tractare cœperunt, de his enim dubitatur, & merito, an cum totali jactura talis ſtatûs ſtatim reſtituere teneantur? Negativam partem plures defendunt probabiliter. *Gabriel in 4. Diſt. 25. Q. 2. Navar. in Sum. Latina cap. 17. num. 58. & 59. ac Div. Antonin. 2. P. tit. 2. cap. 8 à columna 4* Sed

102 Affirmativa pars communiter defen-

ditur.

ditur, maximè si res malè acquisita adhuc in suo esse permanet, quia immobilis est, ut ager, fundus, prædium, & hujusmodi. Ratio prima datur: quia tunc restituendo non re vera cadit à proprio statu, sed alienum statum dimittit, revertiturque ad illum, qui erat proprius illius. (Supponitur quòd remanet cum bonis illis, quæ sunt necessaria hominibus illius conditionis, in qua erat priusquam per injustitias sublimiorem statum acquireret, sive quód sibi reservat alimenta ea, quæ necessaria sunt juxta conditionem sui pristini statûs, si in eo propria habuit; secus non, aliàs nanque ex iniquitate sua reportaret commodum.) ¶ Secunda est ratio: quia non amitteret proprium statum, sed alienum, nunquam enim debitor justus possessor fuit statûs illius: restituendo ergo à statu suo non cadit, cùm status ille suus non sit, sed alienus, neque privaretur bonis propriis, sed aliens. ¶ Ratio tertia ostenditur: quia non minor iniquitas est statum tueri, & conservare ex alienis, quàm comparare illum ex malè acquisitis. Et hinc

103 Resolves usurariorum filios, & aliorum, qui per usuras, & injustitias ad altiorem devenerunt statum, scientes omnia bona paterna, in quibus hæreditario jure successerunt per usuras, aut per alios contractus illicitos, & damnatos, aut injustitias alias, à patre acquisita esse, teneri parentum debita restituere, etiam cadendo à statu per injustitias illius acquisito; quapropter, si pater, & filius ex emendicato putà antea vivere solebant, tenebitur restituere filius, etiam si ad pristinum mendicationis statum reducatur, & deveniat; secus autem, si ex emendicato vivere non solebat, hocque ei sit ignominiosum, & contra ejus conditionem, & statum, quem antea habebat. Et hæc omnia intelligenda sunt, si mala fide rem, vel hæreditatem à parente filius accepit.

104 Secus autem, si bona fide à parente, aut ab amico res accepit, nam in hoc casu aliter discurrendum est: quia tunc vel dubitat, aut certus est tales res per injustitias acquisitas fuisse; si dubitat, & hoc dubium superveniat possessioni, vel postquam res bona fide possidere incepit, tunc moralem diligentiam adhibere tenetur, ut veritas detegatur, qua præmissa, si veritatem assequi nequit, obligatio restitutionis non adest, ut ex dictis de possessore bonæ fidei clariùs constat, & de quo legi poterunt *Fagund. sup. num* 21. *& 25. Sanch. lib. 2. de Matrim. Disp.* 41. *num.* 12. 21. *& 22. ac lib.* 1. *Decal. cap.* 10. *num.* 9. *ac Molina tom.* 1. *de Just. Tract.* 2. *Disp.* 35. *fin. & Disp.* 36. *Conclus.* 1.

105 Si verò postquam per aliquod tempus (quanvis diuturnum, non tamen tantum ut detur præscriptio) statum suum rebus illis conservavit per diligentiam debitam, certò moraliter inveniat rem, vel res à se habitas fuisse injustè contra justitiam acquisitas, sibique à latrone, usurario, &c. fuisse vel donatas, aut in testamento relictas, tunc cum jactura proprii statûs statim illas restituere tenetur. Constat ex dictis, ac docet communis. Legatur Fagund. sup. num. 26. Azor autem sup. lib. 4. cap. 39. vers. *sequitur quarto*, inter alia dicit quòd ille, qui bona fide suscepit, vel successit in bonis, ignorans ea esse injustè acquisita, & postea novit per injustitiam comparata, non tenetur illa statim cum tam gravi damno restituere.

106 Sed hîc nota ex *Sayro*, & ex aliis ab eo adductis *ubi sup. num.* 42. quód quando debitor rem restituendo omnibus creditoribus satisfacere nequit, probabilis tamen spes est, quòd post breve tempus diligentiâ sua aliquid acquirat, quo satisfaciat omnibus, tunc, casus, bene poterit, & ei licitum erit solutionem, vel restitutionem differre. Legatur Author. Sed hinc

107 Nullatenus licet inferre quòd, si debitor restituendo aliquo magno lucro privetur, & ex dilatione restitutionis magnum sibi lucrum obvenire sperat, hoc causa sit sufficiens ad differendam restitutionem, quia non est damnum pati in suis propriis rebus, neque justitiæ æquitas petit ut creditor rebus suis privetur ad hoc, ut ex eis emolumentum recipiat debitor. *Bonac. Disp.* 1. *Q. ult. P.* 1. *Leff. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 24. cum aliis *Salmant. sup. num.* 271. *& num.* 274. addentes quòd in omnibus eventibus, in quibus debitor justam causam ad restitutionem differendam habet, non tenetur ad restitutionem damni emergentis, & lucri cessantis, quod ex dilatione patitur creditor, si debita non sint ex delicto contracta, bene tamen si contracta sint ex delicto, quia in primo casu debitor non est in restituendi mora, cùm justam causam ad restitutionem differendam habeat, & qui in mora non est, ad lucra cessantia, & damna emergentia non tenetur. In secundo tamen casu, cùm debitor per suam actionem injustam illius damni causa fuisset, quod creditor patitur, inde est quòd ad damnum emergens, lucrumque cessans teneatur, quia par non est quód creditor ex debitoris delicto damnum patiatur. Hæc in substantia ipsi legendi.

108 Utrùm autem cum detrimento proprio in bonis superioris ordinis (qualia sunt semper spiritualia bona respectu omnium temporalium bonorum, & inter temporalia bona superioris ordinis sunt temporalis vita, libertas, sanitas, virginitas, membra, & etiam honor, & fama, quibus detractio, & contumelia

oppo-

opponuntur; reſpectu quorum omnium inferioris ordinis eſt pecunia, & quidquid pecuniâ, ac pretio æſtimatur) teneatur debitor bona inferioris ordinis à ſe habita ſolvere? Ad hoc pars negativa jam conſtat ex dictis in hoc Breviario multis in locis; pro nunc autem ſatis de re hac erit legere Salmant. ſup. P. 17. per totum, Fagund. ſup. cap. 28. Dicaſtill. lib. 2. Tract. 2. Diſp. 10. Dub. 3. & Diſp. 12. Dub. 10. num. 207. Leſſ. lib. 2 cap 10. Dub 7. num. 50. ac Sayrum lib. 10. Tract. 5. cap 6. verſ. *Exemplum dari ſolet.*

SUBLECTIO III.

De tertia cauſa abonere reſtitutionis excuſante, quæ eſt creditoris remiſſio, vel condonatio.

109 INdubitatum, communiterque receptum eſt apud DD. (*Divum Thomam 22. Q. 62. Art. 8.* eorum multi pro ſe adducentes) per condonationem, vel remiſſionem creditoris debitum omnino extingui, ſecundùm quod remiſſio fuerit, vel totaliter, ſi fuerit remiſſio totalis, aut partialiter, ſi fuerit partialis remiſſio. Et probatur; tum quia remiſſio eſt quædam donatio; ſed creditor, ſi eſt dominus rei, & ad donandum aliquo jure non eſt impeditus, rem ſuam in totum, vel in partem donare poteſt: ergo & illam remittere, & condonare. ¶ Tum quia creditoris remiſſio æquivalet ſolutioni; ſed ſolutio à reſtitutione liberat: ergo & remiſſio. ¶ Tum quia ſcienti, & volenti non fit injuria, ut de ſe liquet; ſed qui remittit, vel condonat debitum, vult quòd ſibi non reſtituatur: ergo, &c. ¶ Tum quia, ſicut liber creditoris conſenſus dilationem ſolutionis permittentis ab obligatione reſtitutionis ſtatim faciendæ liberat, ita ab obligatione reſtituendi in totum, vel in partem liberare valet.

110 Attamen ad hoc, ut remiſſio, vel condonatio creditoris valida ſit, & debitum extinguat, conditiones aliquas requirit; quarum prima eſt, ut ex parte remittentis, vel condonantis remittendi adſit poteſtas, ſi nanque creditor poteſtatem remittendi non habet, remiſſio eſt nulla, & invalida. ¶ Secunda, ut talis poteſtas à Jure non ſit impedita: (& hæc cum prima illa conditione coincidit) quia, licet creditor rei ſuæ ſit verè dominus, eamque proinde donare potuerit, abſolutèque loquendo remittere poſſit, nihilominus tamen poteſt eſſe Lex, quæ ob publicum, & commune bonum talem donationem, vel remiſſionem irritet, debitorem ad illam inhabilem, & incapacem reddendo. ¶ Tertia, ut remiſſio, vel condonatio ſit voluntaria, & libera, ac ſic ut abſit metus, fraus, dolus, minæ, preces nimis importunæ, ignorantia, ſeu omne id, quod vi æquiparatur, liberæque voluntati opponitur. Et hinc

111 Reſolves primò quòd ex defectu primæ conditionis, ſi filiusfamilias aliquid ex bonis parentum donavit, ſi ſervus ex domini bonis, reſtituendi obligationem remittere nequit ſine parentum, vel domini conſenſu, quia ſicut donatio fuit irrita, & nullius momenti, & poteſtatis defectu, ita & remiſſio irrita eſt, nullíuſque roboris. Et idem omnino dicitur de pupillo reſpectu tutoris, de minori, & amente reſpectu curatoris, de uxore reſpectu mariti, & de Religioſo reſpectu Prælati.

112 Secundò ex defectu ſecundæ conditionis Canonicus à Divinis Officiis abſens minimè retinere valet diſtributiones temporis abſentiæ correſpondentes, quamvis ab alio, vel aliis illarum remiſſionem obtineat, irritatur enim talis remiſſio, & condonatio *à Trident. Seſſ. 14 cap. 12. de Reformat.* ¶ Item Viſitatores Eccleſiaſtici, ſive Epiſcopus, aut Archiepiſcopus, ſive quicunque alius delegatus, qui præter ſumptus neceſſarios ad victum diebus in illis, quibus Eccleſiam viſitant, viſitatioque durat, aliquid accipiunt, tenentur illud reſtituere in duplum, tametſi remiſſionem, ac condonationem accipiant, id quod ſi intra menſem non fecerint, ab Eccleſiæ ingreſſu ſuſpenſi manent, ſi ſint Epiſcopi, vel Archiepiſcopi; & ſi fuerint alii, manent ſuſpenſi ab officio, & Beneficio quouſque ſatisfactio fiat, quia talis remiſſio irritatur à Jure in cap. *Exigit de cenſibus, & exactionib.* quæ Lex, quanvis pœnalis, obligat ante ſententiam Judicis, id quod clarè conſtat ex modo loquendi ipſius Legis, ut notat *Leſſius lib. 2. cap. 16. Dub. 2. num. 37.* Et hic ſpecialis caſus eſt in Lege pœnali.

113 Item Judex delegatus, ſi aliquid à partibus præter eſculenta, & poculenta libere data, quæ diebus paucis conſumi poſſint, accipiens, ad reſtitutionem tenetur, quacunque remiſſione non obſtante, vel ſi aliquid acceperit, quando partes ſunt notabiliter pauperes, vel ſi dum cogitur extra domicilium exire, pluſquam moderatas expenſas: ex cap. *Statutum de reſcriptis in 6.* & §. *Inſuper.* ¶ Item Inquiſitores ad idem tenentur, ſi prætextu officii Inquiſitionis aliquid extorſerint, quanvis donata liberaliter, & gratis remittantur. Clementina *Nolentes de hæreticis in 6.*

114 Tertiò ex defectu tertiæ conditionis non valet remiſſio, & condonatio involuntaria ſimpliciter, aut miſta ex voluntario, & involuntario, & ſic nulla, & irrita eſt illa, quæ fit ab ebrio, amente, furioſo, &c. ¶ Item invalida eſt illa, quæ facta eſt debitori fingenti ſe pauperem, cognatum, aut compatriotam, ſi

propter aliquem ex his titulis ei remiſſio facta eſt. *Dicaſtill. lib. 2 Tract. 2. Diſp. 10. Dub. 6. num. 104.*

115 Item non valet remiſſio, quam creditor ad debitoris inſtantiam facit, dicentis ut tot ſit contentus, putà 50. pro centum aureis, quos ei debet, aliàs nihil ei ſoluturum eſſe, (debitum enim eſt occultum, ſicque creditor debitorem in Judicio obligare non valet) quia metu facta, ſcilicet nè omne debitum amittatur. ¶ Si tamen abſque debitoris culpa creditor remiſerit aliquid, nè totum perdat, eo quod ob debitoris indigentiam, vel ob alias cauſas ſine debitoris culpa timet ſe totum recuperare non poſſe, & remittit debiti partem, ut ita partem aliam ſibi accipiat, valet remiſſio.

116 Item debiti remiſſio, vel ſolutionis dilatio non valet, nec à peccato excuſat illa, quæ fit, cùm creditor à debitore ſuo debitum non petit ob metum reverentialem, vel ob ignorantiam ipſius debiti, quia tunc creditor nec ſciens, nec ſponte debitum remittit, neque dilationem concedit. ¶ Sed ſi creditor de debito notitiam habet, & ob aliquem reſpectum voluntarium non tollens, debitum non petit, tunc debitor ſolutionem differendo non peccat; quia tunc probabiliter præſumitur dilationem illam libenter à creditore concedi. ¶ A reſtitutione & etiam excuſabitur debitor, poterit & etiam ſolutionem differre quoties ſibi conſtet de formali, vel præſumpta creditoris voluntate, hoc concedentis, vel quoties conſtat dòmino reſtitutionem diſplicere; unde fit quòd ſæpe filiusfamilias à reſtitutione excuſetur ob præſumptam voluntatem patris, deſumptam ex amore erga filium, ex quantitate rei ablatæ, & ex aliis circunſtantiis. Si tamen de voluntate dubitatur, reſtitutio fieri debet, quia poſſeſſio ſtat pro creditore, pro quo ſemper in dubio eſt ſtandum.

117 Non valet remiſſio debitori facta, qui ſuos creditores fallit ex ſuis multa occultando bonis, nè ad creditorum manus perveniant, poſtea autem diſſimulanter quærit compoſitionem ab eis de minori quantitate, quam dicit habere, cùm tamen totum ſolvere poſſit, (id quod non ſemel Mercatores aliqui faciunt) quia non ſponte, ſed coactè, & per fraudem remittunt. ¶ Neque pariter remiſſio valet (contra *Sylveſtr. & Clav. Reg.*) quando tertius agit cum creditore, ut remittat debitori partem crediti, accepta reliqua parte, quam debitor offert, ſi remiſſio metu amittendi totum ſit facta, ſecus verò, ſi abſque metu, dolo, vel fraude fiat. Eſt tamen ſententia pro utraque parte probabilis, quod minor pars creditorum, qui reclamarunt, conventioni per maiorem factæ ſtare tenetur, & ſic non eſſe illis reſtituendum pro rata pluſquam maiori parte ſolvatur.

118 Item ſi creditor plures debitores habeat, quia videlicet plures ad damnum ei inferendum concurſum dederunt, & uni ex illis debitum remittat, qui ſit cauſa principalis totius damni illati, reliqui à reſtitutione liberati manent; unde debitum remiſſum, ac condonatum mandanti, ac exequenti, qui cauſæ ſunt principales, etiam remiſſum, condonatumque manet reſpectu conſiliantis, palpantis, &c qui ſunt cauſæ minus principales, ſicut liber manet fidejuſſor per condonationem debitori principali factam, & hoc non alia ratione, niſi quia reliqui ſolùm in defectu principalis cauſæ tenentur: ſicut ergo, principali causâ reſtituente, reliqui à reſtitutione liberantur ſic per remiſſionem, vel condonationem principali factam; quia, ut dictum manet, condonatio ſolutioni æquiparatur. ¶ Attamen, ſi remiſſio, vel condonatio alicui ex debitoribus ſecundariis, & minus principalibus fuerit facta, non ob id debitor principalis à reſtituendo excuſatur, ſicut principalis debitor non excuſatur per remiſſionem fidejuſſori actionis factam, ſecundarii enim à principali dependent, ſed non è contrà, ac proinde licèt remiſſione principali facta, fiat conſequenter minus principalis, non tamen è contrà, ut de ſe patet, ablato nanque acceſſorio, non auferetur principale, ut conſtat ex cap. *Translator de Conſtitutionib.*

119 Si plures debitores fuerint, & omnes æquè primarii, vel æquè ſecundarii, & uni ex illis remiſſio facta fuerit, nullatenus reliqui manent liberati; quia obligatio unius non dependet ab obligatione alterius, neque illi eſt acceſſoria, ac proinde quilibet ex aliis ſuam partem ſolvere tenetur. Cæterùm propter remiſſionem uni factam cæteri gravari non debent, ac ſi non fuiſſet facta; quapropter, ſi Petrus, Franciſcus, & Joannes trecentos aureos ab Antonio furentur, & Antonius Petro ſuum remittat debitum, quod eſt centum, Franciſcus portionem ſuam ſolvere nolit, quæ etiam eſt 100. non ideo Joannes 200. ſolvere tenetur, ſed tantùm 150. quia Petrus tenebatur in defectum alicujus conſortis partem illius cum alio dividere in ſolutione, ſubindeque 150. ſolvere tenebatur, ſi aliquis ex ſociis portionem ſuam non ſolveret, & ſic per remiſſionem factam 150. extrahi debent; ideoque quando unus ſolvere recuſat, aliuſque vult ſatisfacere, 150. tantùm reddere tenetur. Hucuſque dicta (& alia) paſſim apud AA. reperies, licèt non conjunctim omnia in omnibus. Legantur *Benac. de Reſtit. Diſp. 1. Q. ult. P. 2. Azor 3. P lib. 5. cap. 39. Trullench. Decal. lib. 7. cap. 15. Dub. 4. Di-*

4. *Dicaſtill. lib. 2. Tract. 2. Diſp. 10 Dub. 6. Leſſ. lib. 2. cap. 16. Dub 2 Clav. Reg lib. 10. Tract. 5. cap. 8. Fagund. Decal. lib. 7. cap. 30. Lugo de Reſtit. Diſp. 21. Sect. 4. Buſembaum lib. 3. de Reſtit. Tract. 4. cap. 2. Art. 3. à Spiritu Sancto Tract. 10. Diſp. 20. Sect. 3. ac Salmant. cap. 1. de Reſtit. P. 16. per totum.*

SUBLECTIO IV.

De Ceſſione bonorum, ac de Excommunicatione.

120 CEdere bonis nihil aliud eſt, quàm tradere, ſive demittere bona ſua creditoribus cum certis ſolennitatibus, ut inde creditores ipſi ſibi compenſari poſſint, quod beneficium Jure Civili ob commune bonum fuit introductum, nè ſcilicet ii, qui debita contracta ſolvere non valebant, in carcerem detrudantur; ex hoc enim nullum creditoribus emolumentum obveniret, ſed ſolum debitorem nanciſceretur afflictio, ob quod *flebile, & miſerabile* remedium hoc à Legiſtis vocatur, eſt enim tale, quia ſi hoc non eſſet remedium, per totam vitam miſerabiles homines hi debitores detruſi in carceribus eſſent, ideoque Civile Jus, ut hoc evitaret, miſeriſque ſuccurreret, remedium hoc excogitavit, & poſuit, ut ſic ille, qui bonis ſuis creditoribus cederet, à vinculis liberaretur, nec aliquis eum in vincula conjicere poſſet; quod ita deciſum *in L. 1. Cod qui bonis cedere poſſunt*, & de Jure Luſitano habetur lib. 4. tit. 74. legantur Barbol. *in L. alia, §. Elegantes, num. 57. ff. ſoluto matrim.* ad fin. pag. 390. Phœbus tom. 1. Deciſ. 3. Bonorum ceſſatione facta, & ſuppoſita, debitor liberatur à carcere, nonque pro tali debito excommunicari valet, id quod conſtat ex cap. *Odoardus de ſolut. & L. 4 §. Sabinus, ff. de ceſſion. bonor.*

121 Bonorum ceſſio à reſtitutione liberat in externo foro, & etiam in interno, ſi impotens ſit qui cedet. Eſt communis. Poterit tamen debitor in conſcientia retinere, & occultare ex bonis, quibus aut ante ceſſionem, vel poſt ceſſionem acquiſitis gaudebat; ſed ſolùm illa, quæ ad parcè vivendum ſecundùm ſuum ſtatum neceſſaria videntur, unuſquiſque enim ad propria alimenta jus certum habet. Ex quo fit quòd, ſi mulier, & filii videant poſt mariti, & parentis mortem creditores omnia ſua bona ablaturos eſſe pro debitis à marito, & patre contractis, tuta conſcientiâ occultare poſſunt ea omnia, quæ prudenter judicaverint neceſſaria omnino eſſe ad vitam, ſtatumque ſuum honeſtè conſervandum; quin potiùs veritatem in Judicio occultantes, ſi ad hoc requiſiti fuerint, id eſt, ad juramentum de veritate præſtandum, poſſunt æquivocatione optimè uti, & ſic jurare nihil ex mariti, vel paternis bonis ſe occultaſſe, ſcilicet quod illis ſit debitum, non enim ſunt debita illis illa, quæ ad vitam, & decentiam ſtatûs ſunt neceſſaria, & ob eandem rationem, ſi forte aliqua cenſura, vel excommunicatio lata fuerit contra dicta bona occultantes, nullatenus illam incurrunt, quæ omnia reperies *apud à Spiritu Sancto ſup. Sect 4.* ibi multis aliis adductis, & cum aliis docet *Fagund. ſup n. 13.*

122 Non tamen bonorum ceſſio debitorem à reſtitutionis onere in conſcientia liberat, ſi poſtea ad meliorem fortunam devenerit ita, ut reſtituere poſſit: (& hoc, quanvis in loco publico bonorum ceſſio fiat, in quo caſu aliquis *apud Leſſ. hic num. 49.* illum à reſtitutione liberabant) quia per talem ceſſionem debitum fuit conſopitum, non verò extinctum. Eſt communis, & habetur expreſsè *in L. Cum & filiusfamilias, Cod. qui bonis cedere poſſunt*; ſed hoc intelligendum venit, ut bene *Leſſ. ſup. num. 48.* ſi debitor pluſquam ſibi eſt neceſſarium ad vitam, & ad ſuis ſtatûs decentiam, acquiſierit, nanque ſi non plus acquirit, dicitur quòd non tenetur.

123 Imò per Judicem expoliari non poſſe dicitur, neque in Judicio conveniri de illis bonis poſt ceſſionem acquiſitis, ſed potiùs, ſi in Judicio conveniatur, Judicis prudentis arbitrio relinquendum illi eſt id, quod ei, & ſuis ſatis ſit ad vitam tranſigendam, & ſecundùm ſtatum ſuum parcè vivendum. ¶ Tenebitur tamen debitor poſt ceſſionem, ſi officialis fuerit, officium ſuum, ut antea, exercere, ſi poſſit, ſeque non tradere otio, ut ſic, ſi aliquid ultra id, quod ſibi ad ſui ſtatûs decentiam neceſſarium eſt, ſupererit, ex illo reſtitutionem creditori ſuo faciat, omnia nanque neceſſaria media ad finem, ad quem obligatur, adhibere tenetur, conſequenterque ad officium ſuum exercendum.

124 Clericus tamen cedere bonis minimè poteſt, nec ob delicta in carcerem conjici valet, & hoc nè in opprobrium ſtatûs Eccleſiaſtici mendicare cogatur; quod ita verum, ut nec ipſe Clericus privilegio iſti renuntiare valeat, conſequenterque Clericus conveniri non valet, niſi quatenus facere poteſt, deductis neceſſariis expenſis ad vivendum, id quod colligitur *ex cit. cap Odoardus.* ¶ Nomine autem Clerici quis propriè veniat? Variant DD. ſed ſecundùm *Leſſ. hic num. 51. Trulbench. num. 6.* & alios intelligitur ille, & ſolus ille, qui ſecundùm *Trident. Seſſ. 23. cap. 6.* gaudet privilegio fori, ut ſunt primò omnes Sacris initiati. ¶ Secundò habentes Eccleſiaſticum Beneficium. ¶ Tertiò qui clericalem habitum, & tonſuram deferentes, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi

copi inserviunt. ¶ Quartò qui in Seminario Clericorum, Schola, aut Universitate de Episcopi licentia, quasi in via ad maiores Ordines versantur, habitumque cum tonsura deferunt. ¶ Hoc tamen privilegio Clerici conjugati non gaudent, quamvis Ecclesiæ alicui inserviant, gaudeantque Canonis, & fori privilegio, sed non cæteris Clericorum privilegiis. Ita in cap. *unico de Clerico conjugato in 6.* legatur à Spiritu Sancto sup. Sect. 4. Trulhench. sup. Dub. 5.

125 Ad excommunicationem nunc deveniendo, illud pro comperto habemus, quòd, si debitor est excommunicatus, & nominatim denuntiatus, vel notorius Clerici percussor, non ob id solutionem creditori suo differre valet, si nanque id posset, hoc maximus favor esset illi concessus, cùm excommunicatio nullum excommunicato præstet favorem, neque ei ut favor, sed ut medicinalis pœna, & ad resipiscendum imponatur. ¶ Similiter etiam à debiti solutione debitor non excusatur per hoc, quòd creditor sit excommunicatus, si non est excommunicatus vitandus, sed solùm toleratus, cum quo reliqui communicare valent, quia id illis non prohibetur, uti habetur *in cap. Extravag. Martini 5. Ad evitanda.*

126 Cæterùm non est ita certum, an quando creditor est excommunicatus vitandus, possit debitor solutionem differre, quippe sententia est, quæ dicit non solùm non posse licitè debitorem solutionem differre, sed etiam ad id teneri, quam sententiam non improbabilem dijudicat *Less. lib. 2. cap. 16. Dub 9.* ¶ Attamen contrarium omnino tenendum est, & dicendum tunc, casus, debitorem restituere teneri, si ad solutionem completus est præfixus terminus; tum quia nulla Divina, humana vel Lege à solutione tali liberatur debitor, non enim talis Lex apparet; tum quia excommunicatio creditorem jure, quod habebat, non privat, quod est petendi suum debitum extra judicium, (licèt in judicio privet) hic enim effectus inter effectus excommunicationis non reperitur, & cùm excommunicatio sit pœna, extendi non debet. Mittuntur alia.

127 Et in casu, quod debitor fuerit excommunicatus, quem jam diximus ad restitutionem teneri, si restituere non possit, ut absolvatur, licèt probabile sit juxta *Trulhench. infra num. 4.* quòd Confessario cautionem pignoratitiam præstare tenetur, vel juratoriam; æquè tamen probabile est ad tale quid non teneri, sed solùm in conscientiæ foro sufficere firmum restituendi habere propositum, in foro nanque pœnitentiæ, vel conscientiæ, deficiente possibilitate pœnitentis ad solvendum, tunc, casus, tantùm valet firmum ejus propositum, quàm pignorum, & fidejussorum datio, proindeque stante in pœnitente restituendi proposito firmo, licitè, & bene poterit Confessor eum absolvere, quamvis cautionem pignoratitiam, vel juratoriam non præstet, quippe juratoria, &c. cautio tantùm pro foro externo requiritur. Dicta reperies apud Trulhench. lib. 7. cap 15. Dub 10. Fagund. sup. cap. 20. a num. 26. Less. cap. 16. Dub. 9. Clav. Reg. lib. 10. Tract. 5. cap 8. num. 10. §. *Tertia causa*, & apud alios.

128 Utrùm Religionis ingressus, & Professio religiosa à Restitutionis onere liberare valeat, vel non, quidque debitor facere debeat, si Religionem ingredi velit, item an per occultam compensationem debitum extinguatur; & quid ad hoc, ut licita sit compensatio occulta, sit necessarium: item nunquid legitima præscriptio ab obligatione restituendi liberare valeat; & quid requiratur, ut legitima præscriptio detur, item an Judicis authoritas; & item nunquid compositio per Bullam à restitutione excuset? Hîc erat agendum, sed de omnibus jam sufficienter constat ex dictis toto hoc Breviario locis in variis; & fusiùs ex dictis alibi, atque adeó de illis hîc nihil agendum.

CAPUT IV.

De Restitutione ob furtum, homicidium, stuprum, raptum, & ablationem honoris, & famæ.

Remissivè.

1 IN tertia hujus Breviarii Parte Tract. 21. cap. unico per totum plura de furto, rapinaque vidimus; vidimus enim ibi quid, & quotuplex sit furtum, quale peccatum, qualiter à rapina differat: vidimus de parvitate materiæ, ob quam furtum à mortali excusatur, vidimus quomodo materiam à pluribus, vel ab uno repetitis vicibus furripere, sit, vel non constituat, vel non mortale peccatum; & de minutis furtis uni à pluribus sublatis; vidimus an detur necessitas aliqua, ob quam quis licitè sine rapina, vel furto, clam, vel occultè alterius rem, vel res accipere valeat. Vidimus de domesticorum furtis, nempe filiorum respectu parentum, & è contrà uxorum respectu virorum, & è contrà servorum, & famulorum, & de compensatione occulta. Vidimus & Tract. 25. ubi de dominio, de furtis Religiosorum, de furtis animalium, lignorum, pascuorum, thesaurorum, rerum inventarum, &c. vidimus & ea, quæ ad 5. 6. 7. & 8. Decalogi Præcepta pertinent. Et in talibus rebus quid sit, vel non restituendum, ex ibid. dictis constat, constare vel potest, unde de Restitutione circa materias has hic nobis pauca superfunt. Sit ergo

LE-

LECTIO I.

De furto in tributis, &c non ſolvendis, & de ejus reſtitutione, & primò quid ſit tributum, quas conditiones requirat, & á quo poſſit imponi?

2 *Tributum* ſive gabella nihil aliud eſt, quàm id, quod ſubditi ad Principis, vel Regis, ad communem utilitatem, & publicas neceſſitates ſuſtinendas ex obligatione contribuunt: hoc autem, quod à ſubditis ita contribuitur, nominibus variis appellari ſolet; appellatur nanque *Tributum*: *vectigal. Prætorium. Guidagium. Cenſus. Collecta, præſtantia, talia, ſtipendium, gabella; Alcavala; Decima; Siſa, est pro centum, Real da agua; los millones. O novo impoſto*, & innumeris nominibus aliis, quibus Rex quilibet in ſuo Regno tributum, quod vaſſallis ſuis quotidie imponit, ſolet inſigniri. Circa quod legi poſſunt *Molina tom. 3. de Juſt. Diſp* 661. & 663. *Fragoſo 1. P. lib. 3. Diſp. 8. § 2. á num. 18. Azor Inſtit. Moral. 3. P. lib. 5. cap. 18. Lugo de Juſt. Diſp. 36.* qui dicta nomina, reſque pro illis ſignificatam declarant, à quibus nos ſupereſedemus, quia ad intentum noſtrum parum, aut nihil conducunt.

3 Conditiones requiruntur quatuor ad hoc, ut tributum, gabella, vel quæcunque alia impoſitio ſit juſta. Prima ex parte cauſæ efficientis. ¶ Secunda ex parte materiæ. ¶ Tertia ex parte formæ, ¶ & quarta ex parte finis. ¶ Et ex parte cauſæ efficientis legitima auctoritas imponentis requiritur, videlicet, quòd ſit Superior habens ſubditos, & nullum Superiorem alium recognoſcens. ¶ Ex parte materiæ requiritur quòd tributum, vel gabella imponatur perſonis, ac rebus non exemptis, ac liberis ab omni gabella, & tributo. ¶ Ex parte formæ requiritur ut ſervetur diſtributiva Juſtitia, id eſt, ut detur juſta, & æqua proportio inter partes, ſive inter ſubditos, nè ſcilicet unus plus, quàm alius ſolvat, rerum, ſive bonorum cujuſque ratione attenta. ¶ Et denique ex parte finis requiritur ut tributum, vel gabella ſemper ob juſtiſſimas cauſas, & ob urgentes neceſſitates ponatur. Ita communis. Legatur *Azor ubi ſup. á.*

4 Summum totius Eccleſiæ Paſtorem tributa, ſive gabellas terris in illis, in quibus temporale dominium habet, imponere poſſe nemo eſt, qui ambigat, eſt enim terris in illis ſupremus dóminus in temporalibus, ſuperiorem alium non recognoſcens. ¶ Et non ſolùm hoc, ſed etiam nobis certum eſt eum poſſe ſaltem indirectè in aliorum omnium Chriſtianorum Regnis, & Ditionibus tributa, gabellas, &c. imponere per ordinem ad ſpirituale Eccleſiæ regimen, hanque poteſtatem communicare, delegare vel aliis; ſicque communiter dicitur Concilium generale legitimè congregatum ex poteſtate à Papa communicata tributa imponere poſſe; pro quo legantur *Lugo ſup. Molina Diſp.* 666. *Azor lib. 2. cap.* 33. *Dub. 3. num.* 10. & ibi citandi.

5 Inſuper tributa, &c. imponere poſſunt in terris, dominiiſque ſuis omnes Imperatores, Reges, ac Principes ſuperiores, Duces, Marchiones, &c. Superiorem non recognoſcentes, uti eſt Dux Florentiæ, & ſi qui ſunt alii. Et quo ad Imperatores, & Reges, conſtat ex cap. *Super quibuſdam*, & cap. *Innovamus*, & eſt notiſſima ratio: quia, cùm perſonæ iſtæ authoritatem accipiant, acceptam vel habeant à populo, ejuſque curam gerant, æquum, & congruum rationi eſt, ut ab eodem neceſſaria exigant, & accipiant ad ſuſtentationem dignitatis ſuæ, ſimul & ad populi curam gerendam; & etiam, quia tributa, gabellæ, collectæ, vectigalia, &c. imponuntur ad commune Reipublicæ bonum: nequeunt ergo imponi, niſi ſolùm ab illo, qui illius curam gerit. Eſt DD. omnium communis ſententia, ſicut & apud eoldem commune eſt ſub Regis nomine venire, & intelligi etiam quamcunque Rempublicam liberam, ſemetipſam per ſe ipſam gubernantem, qualis eſt Veneta, Genuenſis, & ſi quæ ſunt ſimiles. Legantur *Lugo ſup. Sect. 1. á n. 3. Diſaſtill. lib. 2. Tract. 20. Dub. 2. Illuſtriſſ. Tapia Dominicanus in ſua Catena lib. 4. de Legib. Q. 11. Art. 2. num. 1. Villalob. in Sum. 2. P. Tract. 8. Diffic. 13. num. 2. Larrea Allegat. 59. á num. 1. Antunes de Donat 3. P. cap. 1. n. 4.*

6 Et non ſolùm Principes Chriſtiani tributa imponere poſſunt, ſed etiam Principes infideles, & Ethnici: (ſi verè ſunt Principes, verumque alicujus ditionis dominium habent) talibus enim non ſolùm à ſubditis ſuis ſolvi tributa impoſita debent, ſed etiam ab eorum vaſſallis Chriſtianis, & ab aliis, qui ob mercimonium ad eorum terras deveniunt; id quod docent omnes, & conſtat ex illo Chriſti Domini Div. Matth. cap. 22. num. 21. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, ubi tributum jubetur Cæſari ſolvi, qui Ethnicus erat, & ex illo Divi Pauli Ep. ad Roman. cap. 13. num 7. *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum, cui vectigal vectigal*, tuncque temporis Ethnicos Principes Romani habebant. Legatur *Sanch. in Concil lib. 2. cap. 4. Dub. 5. & Lugo ubi ſup. num.* 16.

7 Dictum eſt *ſi verè ſunt Principes, verumque, &c.* nanque ſi non ita, eo quòd non juſto titulo, ſed injuſto poſſident Regnum, (pro eo Chriſtiano proprio Rege clamante) quia injuſtè fuit à Chriſtianis ablatus, (uti factum eſt à Turcis,

Turcis, & Sarracenis) tunc ipſis in conſcientia tributum ullum ſolvi non debet; quia illi non ſunt veri Reges, neque verum titulum habent; proindeque eorum Leges, &c. utpotè à non habente poteſtatem conditæ, vim, & vigorem non habent, neque in conſcientia obligant, ſaltem reſpectu Chriſtianorum, qui ibi habitant, aut illac tranſeunt. Sed

8 Excipe, niſi pactum de illis ſolvendis præcedat; hoc enim ſtante, re vera eſt ſolvendum tributum, ſive gabella, dummodo pactum liberum fuiſſet, & non metu extortum. ¶ Excipe etiam *calum, in quo ſine perjuriis*, ſcandalo, aut mendaciis tributum, ſive gabella negari non valet. ¶ Item ſi infidelis ille Princeps cum Chriſtiano Rege, cujus illud Regnum erat, pacem feciſſet, pro Regno ei annexum tributum ſolvendo, quia jam tunc ex voluntate veri dòmini non tyrannicè Regnum illud poſſideret. Legatur *Lugo ſup. legantur & Salmant. Tract.* 11. *de Legib. cap.* 2 *P.* 1. *an* 8.

9 Civitates non liberæ nullatenus poteſtatem habent imponendi tributa, gabellas, &c. niſi ex tacito ſaltem beneplacito Principis, vel Regis: (& in noſtro Luſitano Jure expreſſus conſenſus exigitur, ut ex Ordinat. conſtat lib. 1. tit. 66. §. 40) ſi enim ad id Civitates poteſtatem haberent, aut earum Senatores, quid foret, cùm ambitio in hominibus regnet, non nè non facilè gravarentur Cives, duriſſimaſque paterentur vexationes, & hodie ad hoc, mane ad aliud imponeretur gabella? Et quòd dictam poteſtatem ex ſe non habeant. Conſtat ex cap. *Innovamus* 10. *de cenſib. cap. ult. in tit. quia ſunt Regalia.* ¶ Poſſunt tamen ex communi civium conſenſu, & tacito ſaltem beneplacito Principis collectas aliquas (apud noſtrates *juntas* vocantur) imponere pro publicis ſuis neceſſitatibus occurrentibus ſublevandis, uti ad muros novos extruendos, vel veteres reficiendos, pontem, puteum, fontem, viam publicam muniendam, vel reficiendam, &c. id quod propriè dicitur collecta, contributio, ſeu collatio, non verò gabella, vel tributum. Circa hæc legantur *Azor ſup. Lugo ſup. á num.* 7 *Trulhench. lib.* 7. *cap* 9. *Dub.* 4. *Vveſembechius Conſil.* 27. *á num.* 10. *Avendañ. de exequend.* 2. *P. cap.* 14. *á num.* 1. *Flores de Mena lib.* 2. *Variar. Quæſt. Q.* 22. §. 1. *num.* 11. *& 12. ac Villalob. ſupra.*

10 Sed, licèt ex Jure Luſitano Regio (& idem de quocunque alio) Civitates, & eorum Prætores, vel Senatores ſine expreſſo Regis conſenſu gabellas imponere nolint, id non tollit quòd gravi, & urgentiſſima neceſſitate ſtante ita, ut recurſus ad Regem non adſit, in moraque periculum ſit, id effici poſſit, pro quo facit tritum Axioma illud: *Neceſſitas caret lege,* & illud, quòd *gravis, & urgens neceſſitas facit licitum id, quod aliàs illicitum erat* ex cap. *Quod non eſt licitum de reg. Juris*, facitque *L. Tutor, qui reportorium, ff. de adminiſtrat. tutor.* & de quo Eſcobar de Ratiociniis, cap. 14. à n. 10.

11 Similiter poterunt collectas aliquas ponere, quando cives nulla coactione moti, ſed ſponte, & unanimi conſenſu inter ſe convenirent ad aliquid ſibi valde neceſſarium, ut ſcilicet Civitas ab injuſto Prætore, à gravamine vel alicujus valde potentis eriperetur, vel ad aliquid, quod in privatorum utilitatem cederet, uti ad prædiorum, montium, vinearum, &c. cuſtodiam, id quod provenit ex ſolo contractu inter eos inito, de quo Bobadilla in Polit. lib. 5. cap. 5. num. 17. Avendañ. ſup. num. 7. vers. *primus caſus.* ¶ Idem dicitur, quando Civitas ex conſenſu Regio cenſus contra ſe, bonaque communia Civitatis habet, nonque poteſt ex communibus bonis redditus perſolvere, ſive penſiones, tunc enim dicitur ad tale quid cives collectare ſe poſſe, de quo legatur *Caſtill. lib.* 8. *Controverſ. cap.* 36. §. 5. *num.* 9. *& Flores de Mena ubi ſup. à num.* 21. *ac Salgado in Labyrinth.* 2. *P. cap.* 17. *num.* 78.

12 Cæteræ autem perſonæ, quæ Superiorem recognoſcunt, ſupremumque dominium non habent, uti ſunt ProReges, ſive ViceReges, Duces, Marchiones, Comites, & hujuſmodi, tributa, gabellas, vectigalia, &c. nullatenus imponere poſſunt, id quod ſi fecerint, in quintam excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrunt, ut ibi expreſsè decernitur, communiſque docet, id quod non tollit quòd eorum aliquis vectigalia aliqua imponere poſſit ex vi legitimæ præſcriptionis, aut ex vi conſuetudinis immemorabilis, cujus initii memoria non extet, nimirum quæ ſit centum annorum. Legantur ſup. Lugo num. 15. Dicaſtill. num. 21. Azor §. *Deinde quæres*, Trulhench. num. 1. ac Sanch. Dub. 2. 3. & 4.

SUBLECTIO I.

De cauſis juſtis ad imponenda, vel exigenda tributa.

13 A Nullo Rege, vel Principe tributa (quæ obligent, ſolvique debeant) impoſi poſſe, niſi tantùm ob juſtiſſimas, ac urgentiſſimas cauſas, quæ neceſſariò reſpiciant (non quidem particularem Principis utilitatem, libidinem, &c.) utilitatem publicam, publicum vel Regni bonum, unanimiter ore uno omnes fatentur; quòdque ex juſta, urgenteque cauſa tributo impoſito, ceſſante cauſâ, ceſſat ſimul tributum, conſequenterque non amplius ad illud ſolvendum ulla obligatio adeſt.

adeſt. Pro quo legantur *Illuſtriſſ. Tapia ubi ſup. Art. 2 num. 5. Suar. de Legib. lib 5. cap 15. n. 6. Vaſques de Reſtitut. cap. 6 § 1. Dub 2. n 22. Valenzuela Conſil. 99. num. 46. Antunes 2. P lib. 1. cap. 24. num. 94* unde quænam cauſæ ad tributa imponenda juſtiſſimæ ſint ſcire oportet. Sed ad hoc

14 Venit priùs ſciendum quòd, ut quilibet Princeps tributum aliquod juſtè imponere poſſit, ante tributi impoſitionem omnia tentare debet, nè ad tributum imponendum deveniat, atque adeò omnes priùs bonorum Coronæ redditus excutere debet, qui, ſi ad urgentem neceſſitatem ſuccurrendam ſufficiant, ad tributi impoſitionem neutiquam devenire poterit, juxta *Valenzuela Conſil. 99. num. 20. Balmaſeda de Collect. Q. 2. num. 20.* ¶ Teneri & etiam officia vendibilia vendere cum qualitatibus à Jure petitis, aiunt *Delbene de Comit. Dub. 3. Antunes 2. P. lib 1. cap. 14* ¶ Inſuper teneri ſumptus immoderatos reſtringere, Regalis domûs expenſas ad modum decentem, & honeſtum reducere; Miniſtrorum ſalaria, tam belli, quàm pacis, penſiones annuas, & alia, quæ tempore alio abundantiæ conceſſa fuerunt, omniaque hæc exequutioni mandare antequam ad imponendum tributum deveniat, aliàs tributum impoſitum juſtum non eſſe docuerunt *Valenzuela cit. Conſil. 99. num. 28. Araujo de Statu Civili, Diſp. 12. Diffic. 2. num. 5. Bobadilla lib. 5. cap. 5. num. 706. Cabreros de Metu, lib. 1. cap 23 num. 50. ac Marinis Deciſ. 258. n. 3.*

15 Præterea, ut tributum imponendum ſit juſtum, omnimoda per ordinem ad vires Regni, & populorum proportio requiritur, licèt nanque cauſa finalis tributi ſit juſta, nempe Regis neceſſitas, ſi tamen ad tributum ferendum Regni, & populorum vires non ſuppetunt, tunc tributum impoſitum juſtum non eſſe aſſeritur à multis. Pro quo legantur *Salas Tract. de Legib. Diſp. 15. Sect. 10. num 120. Rodrig. in Sum. 2. P. cap 74. num. 2. Turrian. in 22. tom. 2. Diſp. 45. Dub. 2. num. 7. Ortiz in Sum. cap. 22. num. 15. Vega in Sum. tom. 1. cap. 15. Caſu 3. Petr. Navarra de Reſtit. lib. 3. cap. 1. num. 227. Molfeſ. in Sum. tom. 2. Tract. 12. cap. 22. num. 36. Franciſc. à Ponte in Tract. de Poteſt. Pro regis tit. 4 de Regular impoſition. num. 46. Salon. de Juſt. in 22. tom. 2. Q. 77. Art 3. Villalob. in Sum. tom. 2. Tract. 8 Diffic. 13. num. 5. Petr. de Ledeſma in Sum. tom. 2. Tract. 8. & de hoc multi alii.* Sed

16 Audiamus cit. Salonium: *Proportio*, (ait) *& commenſuratio formæ tributi debet eſſe cum populo, ut imponatur, niſi juxta populi facultates, & vires, aliter iniquum eſt, & tyrannicum, ſi populus immoderatis vectigalibus gravetur, & in paupertem redigatur. Optimum ſiquidem eſt aquâ fontis uti, non tamen fontem ipſum exhaurire, & venas illius exiccare. Optimum, ut paſtor de lacte ſui gregis comedat, iniquum tamen illum excoriare. Itaque neque poteſt Princeps immoderata tributa ſubditis imponere, cùm non ſit dominus bonorum ipſorum, ſed illis tantùm uti poteſt, & debet ad ipſorummet ſubditorum utilitatem.* Hæc ille

Audiatur etiam Villalobos: *Los tributos es neceſſario que ſean de manera, que tengan proporcion con las haziendas de los particulares, que ſeria injuſto poner grandes tributos, quando los vaſſallos eſtuvieſſen pobres que no los pudieſſen pagar, porque ſi no ſe tiene attencion a la pobreza de los vaſſallos, deſtruidos ellos, queda deſtruido el Reyno, y el Rey.* Et

Pro dictis plurimum facit illud Prophetiæ Mich. cap. 3. ibi: *Audite, Principes Jacob, & Duces domûs Iſrael: Nunquid non veſtrum eſt ſcire judicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum; qui violenter tollitis pelles eorum de ſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum? Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriaverunt; & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ; tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos; & abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illo, ſicut nequiter egerunt in adventionibus ſuis.* Hæc ibi, ac pulcherrima alia, & ideo legendum totum illud cap. legatur & etiam Prophetia Jeremiæ cap. 23. num. 1. legatur ſimiliter *Solorzan Emblem. 72. & Amun. de Donat. 2. P. lib. 1. cap. 24. num. 93.* ac pro omnibus legatur *Div. Thom. Opuſc. aliàs 21. num. 40. Art. 6. & Lect. 2. ſuper cap. 13. Ep ad Romanos.*

17 Hæc videantur, & expendantur attentè à Regum Confeſſariis, Conſiliariis, ac Parlamentariis, antequam tributa ponantur, novaque duplicentur; nonque reſolvere, ut Regibus, & Principibus placeant, ſed veritatem declarare tenentur, quia de Anima cerrant, & de æternitate ir evocabiliter tractant, in qua nihil Rex tibi proderit, nihil Princeps, nihil Pro-Rex, nullus eorum favor, nullaque gratia; pro quo audiamus quid à Petro Ledeſma ubi ſup dicatur: *Lo que es cierto en Theologia, es que, ſi eſtas neceſſidades del Rey, y del Reyno no ſe pueden ſupplir de otra manera, juſtiſſimo es el tributo; ſi ſe pueden ſupplir de otra ſuerte, no es juſto, pero eſto el Rey, y los Conſejeros ſuyos lo han de juzgar, y han de dar cuenta a Dios ſupremo Juez.* Nunc deveniamus ad cauſas.

18 Dicitur ergo quód cauſæ juſtæ ad imponenda tributa ſunt ſequentes. Prima eſt propter bellum in defenſione Regni, vel Patriæ (& etiam propter bellum contra quoſcunque infideles, hoc enim etiam commune reſpicit bonum, publicamque utilitatem.) ¶ Secunda

...ſunta pro reſtituendo Principe in bello à ſe injuſtè illato, vel reſtituendo ejus filio in bello capto. ¶ Tertia ad liberandam Reipublicam ab aliquo tributo, five penſione. ¶ Quarta ad adventum Regis in Civitatem. ¶ Quinta cauſa inferendi tributi, vel illius Regis, (ut quod apud nonnullos, & quandoque hoſtia *ſtupra* vocitatur, & venatur. ¶ Sexta cauſa inferendi, vel inferendorum vectigalium, tributorum, pedagiorum communitatum, munerum, aut alterius publici onus inducendi. ¶ Septima cauſa communia pabula ſervandi. ¶ Octava cauſa collocandi Civitatem tempore epidemiæ, vel peſtis, & etiam fanis, ne annona extrahantur à Civitate. ¶ Nona cauſa conſervandi Principis authoritatem, quando ad triplo patrimonium quod habet. Legantur *Vasquez de Reſtit. cap. 6. §. 1. Ord. à num. 23. Lugo Diſp. 36. Sect. 2. n. 38. Sanchez. à num. 4. P. Trull. d. Diſp. 3. n. 4. Valſq. d. c. 1. Garcia d. cap. 4. num. 39. Lugo d. Diſp. 7. num. 7. & 8. Salonius de jure Dei num. 4. d. 1. cap. 18. à num. 5. Arriaga de Deo & P. cap. 1. à num. 9. Trullench. lib. 3. cap. 11. à num. 3. Lugo cap. 23. Molina de juſt. Ord. d. Diſp. cap. 8. & 9. Sanch. de Legib. lib. 1. cap. 9. à num. 16.*

19 Ex dictis hucuſque doctrinis reſolves primò quod, ſi Princeps negligentia ſua culpabili, debita vel contracta prodigalitate, bona, ærarium exhauſit, & alias, ex quibus ſolvere poſſet, expedita non habet, poſſit ad ea ſolvenda, ut ſolvere poſſit, ſuos ſubditos gravare, quia ſic poſſidens bona *aliena ſenſu lato*, &c. Sanch. d. Diſp. 3. n. 10. & licet alias imponere tributa ſine neceſſitate communi, vel Principis ſui, non poſſit, tamen ad ſolvenda debita, quæ ex culpabili prodigalitate contraxit, poterit, & hæc tributa à Regno exigere poterit. Sanch. d. Diſp. 3. n. 10. Lugo d. Diſp. 7. n. 7. & 8. Salonius de jure Dei d. num. 4. Molina de juſt. Ord. d. Diſp. 34. Valſq. d. c. 1. Garcia d. cap. 4. Trullench. d. cap. 11. Ord. d. Diſp. 3. Ord. d. Diſp. 4. Ord. d. Diſp. 5. Ord. d. Diſp. 6. Ord. d. Diſp. 7. Ord. d. Diſp. 8. Ord. d. Diſp. 9. Ord. d. Diſp. 10. Ord. d. Diſp. 11. Ord. d. Diſp. 12. Ord. d. Diſp. 13. Ord. d. Diſp. 14. Ord. d. Diſp. 15. Ord. d. Diſp. 16. Ord. d. Diſp. 17. Ord. d. Diſp. 18. Ord. d. Diſp. 19. Ord. d. Diſp. 20. Ord. d. Diſp. 21. Ord. d. Diſp. 22. Ord. d. Diſp. 23. Ord. d. Diſp. 24. Ord. d. Diſp. 25. Ord. d. Diſp. 26. Ord. d. Diſp. 27. Ord. d. Diſp. 28. Ord. d. Diſp. 29. Ord. d. Diſp. 30. Ord. d. Diſp. 31. Ord. d. Diſp. 32. Ord. d. Diſp. 33. Ord. d. Diſp. 34. Ord. d. Diſp. 35. Ord. d. Diſp. 36. Ord. d. Diſp. 37. Ord. d. Diſp. 38. Ord. d. Diſp. 39. Ord. d. Diſp. 40. Ord. d. Diſp. 41. Ord. d. Diſp. 42. Ord. d. Diſp. 43. Ord. d. Diſp. 44. Ord. d. Diſp. 45. Ord. d. Diſp. 46. Ord. d. Diſp. 47. Ord. d. Diſp. 48. Ord. d. Diſp. 49. Ord. d. Diſp. 50. Ord. d. Diſp. 51. Ord. d. Diſp. 52. Ord. d. Diſp. 53. Ord. d. Diſp. 54. Ord. d. Diſp. 55. Ord. d. Diſp. 56. Ord. d. Diſp. 57. Ord. d. Diſp. 58. Ord. d. Diſp. 59. Ord. d. Diſp. 60. Ord. d. Diſp. 61. Ord. d. Diſp. 62. Ord. d. Diſp. 63. Ord. d. Diſp. 64. Ord. d. Diſp. 65. Ord. d. Diſp. 66. Ord. d. Diſp. 67. Ord. d. Diſp. 68. Ord. d. Diſp. 69. Ord. d. Diſp. 70. Ord. d. Diſp. 71. Ord. d. Diſp. 72. Ord. d. Diſp. 73. Ord. d. Diſp. 74. Ord. d. Diſp. 75. Ord. d. Diſp. 76. Ord. d. Diſp. 77. Ord. d. Diſp. 78. Ord. d. Diſp. 79. Ord. d. Diſp. 80. Ord. d. Diſp. 81. Ord. d. Diſp. 82. Ord. d. Diſp. 83. Ord. d. Diſp. 84. Ord. d. Diſp. 85. Ord. d. Diſp. 86. Ord. d. Diſp. 87. Ord. d. Diſp. 88. Ord. d. Diſp. 89. Ord. d. Diſp. 90. Ord. d. Diſp. 91. Ord. d. Diſp. 92. Ord. d. Diſp. 93. Ord. d. Diſp. 94. Ord. d. Diſp. 95. Ord. d. Diſp. 96. Ord. d. Diſp. 97. Ord. d. Diſp. 98. Ord. d. Diſp. 99. Ord. d. Diſp. 100. Ord. d. Diſp. 101. Ord. d. Diſp. 102. Ord. d. Diſp. 103. Ord. d. Diſp. 104. Ord. d. Diſp. 105. Ord. d. Diſp. 106. Ord. d. Diſp. 107. Ord. d. Diſp. 108. Ord. d. Diſp. 109. Ord. d. Diſp. 110. Ord. d. Diſp. 111. Ord. d. Diſp. 112. Ord. d. Diſp. 113. Ord. d. Diſp. 114. Ord. d. Diſp. 115. Ord. d. Diſp. 116. Ord. d. Diſp. 117. Ord. d. Diſp. 118. Ord. d. Diſp. 119. Ord. d. Diſp. 120. Ord. d. Diſp. 121. Ord. d. Diſp. 122. Ord. d. Diſp. 123. Ord. d. Diſp. 124. Ord. d. Diſp. 125. Ord. d. Diſp. 126. Ord. d. Diſp. 127. Ord. d. Diſp. 128. Ord. d. Diſp. 129. Ord. d. Diſp. 130. Ord. d. Diſp. 131. Ord. d. Diſp. 132. Ord. d. Diſp. 133. Ord. d. Diſp. 134. Ord. d. Diſp. 135. Ord. d. Diſp. 136. Ord. d. Diſp. 137. Ord. d. Diſp. 138. Ord. d. Diſp. 139. Ord. d. Diſp. 140. Ord. d. Diſp. 141. Ord. d. Diſp. 142. Ord. d. Diſp. 143. Ord. d. Diſp. 144. Ord. d. Diſp. 145. Ord. d. Diſp. 146. Ord. d. Diſp. 147. Ord. d. Diſp. 148. Ord. d. Diſp. 149. Ord. d. Diſp. 150. Ord. d. Diſp. 151. Ord. d. Diſp. 152. Ord. d. Diſp. 153. Ord. d. Diſp. 154. Ord. d. Diſp. 155. Ord. d. Diſp. 156. Ord. d. Diſp. 157. Ord. d. Diſp. 158. Ord. d. Diſp. 159. Ord. d. Diſp. 160. Ord. d. Diſp. 161. Ord. d. Diſp. 162. Ord. d. Diſp. 163. Ord. d. Diſp. 164. Ord. d. Diſp. 165. Ord. d. Diſp. 166. Ord. d. Diſp. 167. Ord. d. Diſp. 168. Ord. d. Diſp. 169. Ord. d. Diſp. 170. Ord. d. Diſp. 171. Ord. d. Diſp. 172. Ord. d. Diſp. 173. Ord. d. Diſp. 174. Ord. d. Diſp. 175. Ord. d. Diſp. 176. Ord. d. Diſp. 177. Ord. d. Diſp. 178. Ord. d. Diſp. 179. Ord. d. Diſp. 180. Ord. d. Diſp. 181. Ord. d. Diſp. 182. Ord. d. Diſp. 183. Ord. d. Diſp. 184. Ord. d. Diſp. 185. Ord. d. Diſp. 186. Ord. d. Diſp. 187. Ord. d. Diſp. 188. Ord. d. Diſp. 189. Ord. d. Diſp. 190. Ord. d. Diſp. 191. Ord. d. Diſp. 192. Ord. d. Diſp. 193. Ord. d. Diſp. 194. Ord. d. Diſp. 195. Ord. d. Diſp. 196. Ord. d. Diſp. 197. Ord. d. Diſp. 198. Ord. d. Diſp. 199. Ord. d. Diſp. 200. Ord. d. Diſp. 201. Ord. d. Diſp. 202. Ord. d. Diſp. 203. Ord. d. Diſp. 204. Ord. d. Diſp. 205. Ord. d. Diſp. 206. Ord. d. Diſp. 207. Ord. d. Diſp. 208. Ord. d. Diſp. 209. Ord. d. Diſp. 210. Ord. d. Diſp. 211. Ord. d. Diſp. 212. Ord. d. Diſp. 213. Ord. d. Diſp. 214. Ord. d. Diſp. 215. Ord. d. Diſp. 216. Ord. d. Diſp. 217. Ord. d. Diſp. 218. Ord. d. Diſp. 219. Ord. d. Diſp. 220. Ord. d. Diſp. 221. Ord. d. Diſp. 222. Ord. d. Diſp. 223. Ord. d. Diſp. 224. Ord. d. Diſp. 225. Ord. d. Diſp. 226. Ord. d. Diſp. 227. Ord. d. Diſp. 228. Ord. d. Diſp. 229. Ord. d. Diſp. 230. Ord. d. Diſp. 231. Ord. d. Diſp. 232. Ord. d. Diſp. 233. Ord. d. Diſp. 234. Ord. d. Diſp. 235. Ord. d. Diſp. 236. Ord. d. Diſp. 237. Ord. d. Diſp. 238. Ord. d. Diſp. 239. Ord. d. Diſp. 240. Ord. d. Diſp. 241. Ord. d. Diſp. 242. Ord. d. Diſp. 243. Ord. d. Diſp. 244. Ord. d. Diſp. 245. Ord. d. Diſp. 246. Ord. d. Diſp. 247. Ord. d. Diſp. 248. Ord. d. Diſp. 249. Ord. d. Diſp. 250. Ord. d. Diſp. 251. Ord. d. Diſp. 252. Ord. d. Diſp. 253. Ord. d. Diſp. 254. Ord. d. Diſp. 255. Ord. d. Diſp. 256. Ord. d. Diſp. 257. Ord. d. Diſp. 258. Ord. d. Diſp. 259. Ord. d. Diſp. 260. Ord. d. Diſp. 261. Ord. d. Diſp. 262. Ord. d. Diſp. 263. Ord. d. Diſp. 264. Ord. d. Diſp. 265. Ord. d. Diſp. 266. Ord. d. Diſp. 267. Ord. d. Diſp. 268. Ord. d. Diſp. 269. Ord. d. Diſp. 270. Ord. d. Diſp. 271. Ord. d. Diſp. 272. Ord. d. Diſp. 273. Ord. d. Diſp. 274. Ord. d. Diſp. 275. Ord. d. Diſp. 276. Ord. d. Diſp. 277. Ord. d. Diſp. 278. Ord. d. Diſp. 279. Ord. d. Diſp. 280. Ord. d. Diſp. 281. Ord. d. Diſp. 282. Ord. d. Diſp. 283. Ord. d. Diſp. 284. Ord. d. Diſp. 285. Ord. d. Diſp. 286. Ord. d. Diſp. 287. Ord. d. Diſp. 288. Ord. d. Diſp. 289. Ord. d. Diſp. 290. Ord. d. Diſp. 291. Ord. d. Diſp. 292. Ord. d. Diſp. 293. Ord. d. Diſp. 294. Ord. d. Diſp. 295. Ord. d. Diſp. 296. Ord. d. Diſp. 297. Ord. d. Diſp. 298. Ord. d. Diſp. 299. Ord. d. Diſp. 300. Ord. d. Diſp. 301. Ord. d. Diſp. 302. Ord. d. Diſp. 303. Ord. d. Diſp. 304. Ord. d. Diſp. 305. Ord. d. Diſp. 306. Ord. d. Diſp. 307. Ord. d. Diſp. 308. Ord. d. Diſp. 309. Ord. d. Diſp. 310. Ord. d. Diſp. 311. Ord. d. Diſp. 312. Ord. d. Diſp. 313. Ord. d. Diſp. 314. Ord. d. Diſp. 315. Ord. d. Diſp. 316. Ord. d. Diſp. 317. Ord. d. Diſp. 318. Ord. d. Diſp. 319. Ord. d. Diſp. 320. Ord. d. Diſp. 321. Ord. d. Diſp. 322. Ord. d. Diſp. 323. Ord. d. Diſp. 324. Ord. d. Diſp. 325. Ord. d. Diſp. 326. Ord. d. Diſp. 327. Ord. d. Diſp. 328. Ord. d. Diſp. 329. Ord. d. Diſp. 330. Ord. d. Diſp. 331. Ord. d. Diſp. 332. Ord. d. Diſp. 333. Ord. d. Diſp. 334. Ord. d. Diſp. 335. Ord. d. Diſp. 336. Ord. d. Diſp. 337. Ord. d. Diſp. 338. Ord. d. Diſp. 339. Ord. d. Diſp. 340. Ord. d. Diſp. 341. Ord. d. Diſp. 342. Ord. d. Diſp. 343. Ord. d. Diſp. 344. Ord. d. Diſp. 345. Ord. d. Diſp. 346. Ord. d. Diſp. 347. Ord. d. Diſp. 348. Ord. d. Diſp. 349. Ord. d. Diſp. 350. Ord. d. Diſp. 351. Ord. d. Diſp. 352. Ord. d. Diſp. 353. Ord. d. Diſp. 354. Ord. d. Diſp. 355. Ord. d. Diſp. 356. Ord. d. Diſp. 357. Ord. d. Diſp. 358. Ord. d. Diſp. 359. Ord. d. Diſp. 360. Ord. d. Diſp. 361. Ord. d. Diſp. 362. Ord. d. Diſp. 363. Ord. d. Diſp. 364. Ord. d. Diſp. 365. Ord. d. Diſp. 366. Ord. d. Diſp. 367. Ord. d. Diſp. 368. Ord. d. Diſp. 369. Ord. d. Diſp. 370. Ord. d. Diſp. 371. Ord. d. Diſp. 372. Ord. d. Diſp. 373. Ord. d. Diſp. 374. Ord. d. Diſp. 375. Ord. d. Diſp. 376. Ord. d. Diſp. 377. Ord. d. Diſp. 378. Ord. d. Diſp. 379. Ord. d. Diſp. 380. Ord. d. Diſp. 381. Ord. d. Diſp. 382. Ord. d. Diſp. 383. Ord. d. Diſp. 384. Ord. d. Diſp. 385. Ord. d. Diſp. 386. Ord. d. Diſp. 387. Ord. d. Diſp. 388. Ord. d. Diſp. 389. Ord. d. Diſp. 390. Ord. d. Diſp. 391. Ord. d. Diſp. 392. Ord. d. Diſp. 393. Ord. d. Diſp. 394. Ord. d. Diſp. 395. Ord. d. Diſp. 396. Ord. d. Diſp. 397. Ord. d. Diſp. 398. Ord. d. Diſp. 399. Ord. d. Diſp. 400. Ord. d. Diſp. 401. Ord. d. Diſp. 402. Ord. d. Diſp. 403. Ord. d. Diſp. 404. Ord. d. Diſp. 405. Ord. d. Diſp. 406. Ord. d. Diſp. 407. Ord. d. Diſp. 408. Ord. d. Diſp. 409. Ord. d. Diſp. 410. Ord. d. Diſp. 411. Ord. d. Diſp. 412. Ord. d. Diſp. 413. Ord. d. Diſp. 414. Ord. d. Diſp. 415. Ord. d. Diſp. 416. Ord. d. Diſp. 417. Ord. d. Diſp. 418. Ord. d. Diſp. 419. Ord. d. Diſp. 420. Ord. d. Diſp. 421. Ord. d. Diſp. 422. Ord. d. Diſp. 423. Ord. d. Diſp. 424. Ord. d. Diſp. 425. Ord. d. Diſp. 426. Ord. d. Diſp. 427. Ord. d. Diſp. 428. Ord. d. Diſp. 429. Ord. d. Diſp. 430. Ord. d. Diſp. 431. Ord. d. Diſp. 432. Ord. d. Diſp. 433. Ord. d. Diſp. 434. Ord. d. Diſp. 435. Ord. d. Diſp. 436. Ord. d. Diſp. 437. Ord. d. Diſp. 438. Ord. d. Diſp. 439. Ord. d. Diſp. 440. Ord. d. Diſp. 441. Ord. d. Diſp. 442. Ord. d. Diſp. 443. Ord. d. Diſp. 444. Ord. d. Diſp. 445. Ord. d. Diſp. 446. Ord. d. Diſp. 447. Ord. d. Diſp. 448. Ord. d. Diſp. 449. Ord. d. Diſp. 450. Ord. d. Diſp. 451. Ord. d. Diſp. 452. Ord. d. Diſp. 453. Ord. d. Diſp. 454. Ord. d. Diſp. 455. Ord. d. Diſp. 456. Ord. d. Diſp. 457. Ord. d. Diſp. 458. Ord. d. Diſp. 459. Ord. d. Diſp. 460. Ord. d. Diſp. 461. Ord. d. Diſp. 462. Ord. d. Diſp. 463. Ord. d. Diſp. 464. Ord. d. Diſp. 465. Ord. d. Diſp. 466. Ord. d. Diſp. 467. Ord. d. Diſp. 468. Ord. d. Diſp. 469. Ord. d. Diſp. 470. Ord. d. Diſp. 471. Ord. d. Diſp. 472. Ord. d. Diſp. 473. Ord. d. Diſp. 474. Ord. d. Diſp. 475. Ord. d. Diſp. 476. Ord. d. Diſp. 477. Ord. d. Diſp. 478. Ord. d. Diſp. 479. Ord. d. Diſp. 480. Ord. d. Diſp. 481. Ord. d. Diſp. 482. Ord. d. Diſp. 483. Ord. d. Diſp. 484. Ord. d. Diſp. 485. Ord. d. Diſp. 486. Ord. d. Diſp. 487. Ord. d. Diſp. 488. Ord. d. Diſp. 489. Ord. d. Diſp. 490. Ord. d. Diſp. 491. Ord. d. Diſp. 492. Ord. d. Diſp. 493. Ord. d. Diſp. 494. Ord. d. Diſp. 495. Ord. d. Diſp. 496. Ord. d. Diſp. 497. Ord. d. Diſp. 498. Ord. d. Diſp. 499. Ord. d. Diſp. 500. Ord. d. Diſp. 501. Ord. d. Diſp. 502. Ord. d. Diſp. 503. Ord. d. Diſp. 504. Ord. d. Diſp. 505. Ord. d. Diſp. 506. Ord. d. Diſp. 507. Ord. d. Diſp. 508. Ord. d. Diſp. 509. Ord. d. Diſp. 510. Ord. d. Diſp. 511. Ord. d. Diſp. 512. Ord. d. Diſp. 513. Ord. d. Diſp. 514. Ord. d. Diſp. 515. Ord. d. Diſp. 516. Ord. d. Diſp. 517. Ord. d. Diſp. 518. Ord. d. Diſp. 519. Ord. d. Diſp. 520. Ord. d. Diſp. 521. Ord. d. Diſp. 522. Ord. d. Diſp. 523. Ord. d. Diſp. 524. Ord. d. Diſp. 525. Ord. d. Diſp. 526. Ord. d. Diſp. 527. Ord. d. Diſp. 528. Ord. d. Diſp. 529. Ord. d. Diſp. 530. Ord. d. Diſp. 531. Ord. d. Diſp. 532. Ord. d. Diſp. 533. Ord. d. Diſp. 534. Ord. d. Diſp. 535. Ord. d. Diſp. 536. Ord. d. Diſp. 537. Ord. d. Diſp. 538. Ord. d. Diſp. 539. Ord. d. Diſp. 540. Ord. d. Diſp. 541. Ord. d. Diſp. 542. Ord. d. Diſp. 543. Ord. d. Diſp. 544. Ord. d. Diſp. 545. Ord. d. Diſp. 546. Ord. d. Diſp. 547. Ord. d. Diſp. 548. Ord. d. Diſp. 549. Ord. d. Diſp. 550. Ord. d. Diſp. 551. Ord. d. Diſp. 552. Ord. d. Diſp. 553. Ord. d. Diſp. 554. Ord. d. Diſp. 555. Ord. d. Diſp. 556. Ord. d. Diſp. 557. Ord. d. Diſp. 558. Ord. d. Diſp. 559. Ord. d. Diſp. 560. Ord. d. Diſp. 561. Ord. d. Diſp. 562. Ord. d. Diſp. 563. Ord. d. Diſp. 564. Ord. d. Diſp. 565. Ord. d. Diſp. 566. Ord. d. Diſp. 567. Ord. d. Diſp. 568. Ord. d. Diſp. 569. Ord. d. Diſp. 570. Ord. d. Diſp. 571. Ord. d. Diſp. 572. Ord. d. Diſp. 573. Ord. d. Diſp. 574. Ord. d. Diſp. 575. Ord. d. Diſp. 576. Ord. d. Diſp. 577. Ord. d. Diſp. 578. Ord. d. Diſp. 579. Ord. d. Diſp. 580. Ord. d. Diſp. 581. Ord. d. Diſp. 582. Ord. d. Diſp. 583. Ord. d. Diſp. 584. Ord. d. Diſp. 585. Ord. d. Diſp. 586. Ord. d. Diſp. 587. Ord. d. Diſp. 588. Ord. d. Diſp. 589. Ord. d. Diſp. 590. Ord. d. Diſp. 591. Ord. d. Diſp. 592. Ord. d. Diſp. 593. Ord. d. Diſp. 594. Ord. d. Diſp. 595. Ord. d. Diſp. 596. Ord. d. Diſp. 597. Ord. d. Diſp. 598. Ord. d. Diſp. 599. Ord. d. Diſp. 600. Ord. d. Diſp. 601. Ord. d. Diſp. 602. Ord. d. Diſp. 603. Ord. d. Diſp. 604. Ord. d. Diſp. 605. Ord. d. Diſp. 606. Ord. d. Diſp. 607. Ord. d. Diſp. 608. Ord. d. Diſp. 609. Ord. d. Diſp. 610. Ord. d. Diſp. 611. Ord. d. Diſp. 612. Ord. d. Diſp. 613. Ord. d. Diſp. 614. Ord. d. Diſp. 615. Ord. d. Diſp. 616. Ord. d. Diſp. 617. Ord. d. Diſp. 618. Ord. d. Diſp. 619. Ord. d. Diſp. 620. Ord. d. Diſp. 621. Ord. d. Diſp. 622. Ord. d. Diſp. 623. Ord. d. Diſp. 624. Ord. d. Diſp. 625. Ord. d. Diſp. 626. Ord. d. Diſp. 627. Ord. d. Diſp. 628. Ord. d. Diſp. 629. Ord. d. Diſp. 630. Ord. d. Diſp. 631. Ord. d. Diſp. 632. Ord. d. Diſp. 633. Ord. d. Diſp. 634. Ord. d. Diſp. 635. Ord. d. Diſp. 636. Ord. d. Diſp. 637. Ord. d. Diſp. 638. Ord. d. Diſp. 639. Ord. d. Diſp. 640. Ord. d. Diſp. 641. Ord. d. Diſp. 642. Ord. d. Diſp. 643. Ord. d. Diſp. 644. Ord. d. Diſp. 645. Ord. d. Diſp. 646. Ord. d. Diſp. 647. Ord. d. Diſp. 648. Ord. d. Diſp. 649. Ord. d. Diſp. 650. Ord. d. Diſp. 651. Ord. d. Diſp. 652. Ord. d. Diſp. 653. Ord. d. Diſp. 654. Ord. d. Diſp. 655. Ord. d. Diſp. 656. Ord. d. Diſp. 657. Ord. d. Diſp. 658. Ord. d. Diſp. 659. Ord. d. Diſp. 660. Ord. d. Diſp. 661. Ord. d. Diſp. 662. Ord. d. Diſp. 663. Ord. d. Diſp. 664. Ord. d. Diſp. 665. Ord. d. Diſp. 666. Ord. d. Diſp. 667. Ord. d. Diſp. 668. Ord. d. Diſp. 669. Ord. d. Diſp. 670. Ord. d. Diſp. 671. Ord. d. Diſp. 672. Ord. d. Diſp. 673. Ord. d. Diſp. 674. Ord. d. Diſp. 675. Ord. d. Diſp. 676. Ord. d. Diſp. 677. Ord. d. Diſp. 678. Ord. d. Diſp. 679. Ord. d. Diſp. 680. Ord. d. Diſp. 681. Ord. d. Diſp. 682. Ord. d. Diſp. 683. Ord. d. Diſp. 684. Ord. d. Diſp. 685. Ord. d. Diſp. 686. Ord. d. Diſp. 687. Ord. d. Diſp. 688. Ord. d. Diſp. 689. Ord. d. Diſp. 690. Ord. d. Diſp. 691. Ord. d. Diſp. 692. Ord. d. Diſp. 693. Ord. d. Diſp. 694. Ord. d. Diſp. 695. Ord. d. Diſp. 696. Ord. d. Diſp. 697. Ord. d. Diſp. 698. Ord. d. Diſp. 699. Ord. d. Diſp. 700. Ord. d. Diſp. 701. Ord. d. Diſp. 702. Ord. d. Diſp. 703. Ord. d. Diſp. 704. Ord. d. Diſp. 705. Ord. d. Diſp. 706. Ord. d. Diſp. 707. Ord. d. Diſp. 708. Ord. d. Diſp. 709. Ord. d. Diſp. 710. Ord. d. Diſp. 711. Ord. d. Diſp. 712. Ord. d. Diſp. 713. Ord. d. Diſp. 714. Ord. d. Diſp. 715. Ord. d. Diſp. 716. Ord. d. Diſp. 717. Ord. d. Diſp. 718. Ord. d. Diſp. 719. Ord. d. Diſp. 720. Ord. d. Diſp. 721. Ord. d. Diſp. 722. Ord. d. Diſp. 723. Ord. d. Diſp. 724. Ord. d. Diſp. 725. Ord. d. Diſp. 726. Ord. d. Diſp. 727. Ord. d. Diſp. 728. Ord. d. Diſp. 729. Ord. d. Diſp. 730. Ord. d. Diſp. 731. Ord. d. Diſp. 732. Ord. d. Diſp. 733. Ord. d. Diſp. 734. Ord. d. Diſp. 735. Ord. d. Diſp. 736. Ord. d. Diſp. 737. Ord. d. Diſp. 738. Ord. d. Diſp. 739. Ord. d. Diſp. 740. Ord. d. Diſp. 741. Ord. d. Diſp. 742. Ord. d. Diſp. 743. Ord. d. Diſp. 744. Ord. d. Diſp. 745. Ord. d. Diſp. 746. Ord. d. Diſp. 747. Ord. d. Diſp. 748. Ord. d. Diſp. 749. Ord. d. Diſp. 750. Ord. d. Diſp. 751. Ord. d. Diſp. 752. Ord. d. Diſp. 753. Ord. d. Diſp. 754. Ord. d. Diſp. 755. Ord. d. Diſp. 756. Ord. d. Diſp. 757. Ord. d. Diſp. 758. Ord. d. Diſp. 759. Ord. d. Diſp. 760. Ord. d. Diſp. 761. Ord. d. Diſp. 762. Ord. d. Diſp. 763. Ord. d. Diſp. 764. Ord. d. Diſp. 765. Ord. d. Diſp. 766. Ord. d. Diſp. 767. Ord. d. Diſp. 768. Ord. d. Diſp. 769. Ord. d. Diſp. 770. Ord. d. Diſp. 771. Ord. d. Diſp. 772. Ord. d. Diſp. 773. Ord. d. Diſp. 774. Ord. d. Diſp. 775. Ord. d. Diſp. 776. Ord. d. Diſp. 777. Ord. d. Diſp. 778. Ord. d. Diſp. 779. Ord. d. Diſp. 780. Ord. d. Diſp. 781. Ord. d. Diſp. 782. Ord. d. Diſp. 783. Ord. d. Diſp. 784. Ord. d. Diſp. 785. Ord. d. Diſp. 786. Ord. d. Diſp. 787. Ord. d. Diſp. 788. Ord. d. Diſp. 789. Ord. d. Diſp. 790. Ord. d. Diſp. 791. Ord. d. Diſp. 792. Ord. d. Diſp. 793. Ord. d. Diſp. 794. Ord. d. Diſp. 795. Ord. d. Diſp. 796. Ord. d. Diſp. 797. Ord. d. Diſp. 798. Ord. d. Diſp. 799. Ord. d. Diſp. 800. Ord. d. Diſp. 801. Ord. d. Diſp. 802. Ord. d. Diſp. 803. Ord. d. Diſp. 804. Ord. d. Diſp. 805. Ord. d. Diſp. 806. Ord. d. Diſp. 807. Ord. d. Diſp. 808. Ord. d. Diſp. 809. Ord. d. Diſp. 810. Ord. d. Diſp. 811. Ord. d. Diſp. 812. Ord. d. Diſp. 813. Ord. d. Diſp. 814. Ord. d. Diſp. 815. Ord. d. Diſp. 816. Ord. d. Diſp. 817. Ord. d. Diſp. 818. Ord. d. Diſp. 819. Ord. d. Diſp. 820. Ord. d. Diſp. 821. Ord. d. Diſp. 822. Ord. d. Diſp. 823. Ord. d. Diſp. 824. Ord. d. Diſp. 825. Ord. d. Diſp. 826. Ord. d. Diſp. 827. Ord. d. Diſp. 828. Ord. d. Diſp. 829. Ord. d. Diſp. 830. Ord. d. Diſp. 831. Ord. d. Diſp. 832. Ord. d. Diſp. 833. Ord. d. Diſp. 834. Ord. d. Diſp. 835. Ord. d. Diſp. 836. Ord. d. Diſp. 837. Ord. d. Diſp. 838. Ord. d. Diſp. 839. Ord. d. Diſp. 840. Ord. d. Diſp. 841. Ord. d. Diſp. 842. Ord. d. Diſp. 843. Ord. d. Diſp. 844. Ord. d. Diſp. 845. Ord. d. Diſp. 846. Ord. d. Diſp. 847. Ord. d. Diſp. 848. Ord. d. Diſp. 849. Ord. d. Diſp. 850. Ord. d. Diſp. 851. Ord. d. Diſp. 852. Ord. d. Diſp. 853. Ord. d. Diſp. 854. Ord. d. Diſp. 855. Ord. d. Diſp. 856. Ord. d. Diſp. 857. Ord. d. Diſp. 858. Ord. d. Diſp. 859. Ord. d. Diſp. 860. Ord. d. Diſp. 861. Ord. d. Diſp. 862. Ord. d. Diſp. 863. Ord. d. Diſp. 864. Ord. d. Diſp. 865. Ord. d. Diſp. 866. Ord. d. Diſp. 867. Ord. d. Diſp. 868. Ord. d. Diſp. 869. Ord. d. Diſp. 870. Ord. d. Diſp. 871. Ord. d. Diſp. 872. Ord. d. Diſp. 873. Ord. d. Diſp. 874. Ord. d. Diſp. 875. Ord. d. Diſp. 876. Ord. d. Diſp. 877. Ord. d. Diſp. 878. Ord. d. Diſp. 879. Ord. d. Diſp. 880. Ord. d. Diſp. 881. Ord. d. Diſp. 882. Ord. d. Diſp. 883. Ord. d. Diſp. 884. Ord. d. Diſp. 885. Ord. d. Diſp. 886. Ord. d. Diſp. 887. Ord. d. Diſp. 888. Ord. d. Diſp. 889. Ord. d. Diſp. 890. Ord. d. Diſp. 891. Ord. d. Diſp. 892. Ord. d. Diſp. 893. Ord. d. Diſp. 894. Ord. d. Diſp. 895. Ord. d. Diſp. 896. Ord. d. Diſp. 897. Ord. d. Diſp. 898. Ord. d. Diſp. 899. Ord. d. Diſp. 900. Ord. d. Diſp. 901. Ord. d. Diſp. 902. Ord. d. Diſp. 903. Ord. d. Diſp. 904. Ord. d. Diſp. 905. Ord. d. Diſp. 906. Ord. d. Diſp. 907. Ord. d. Diſp. 908. Ord. d. Diſp. 909. Ord. d. Diſp. 910. Ord. d. Diſp. 911. Ord. d. Diſp. 912. Ord. d. Diſp. 913. Ord. d. Diſp. 914. Ord. d. Diſp. 915. Ord. d. Diſp. 916. Ord. d. Diſp. 917. Ord. d. Diſp. 918. Ord. d. Diſp. 919. Ord. d. Diſp. 920. Ord. d. Diſp. 921. Ord. d. Diſp. 922. Ord. d. Diſp. 923. Ord. d. Diſp. 924. Ord. d. Diſp. 925. Ord. d. Diſp. 926. Ord. d. Diſp. 927. Ord. d. Diſp. 928. Ord. d. Diſp. 929. Ord. d. Diſp. 930. Ord. d. Diſp. 931. Ord. d. Diſp. 932. Ord. d. Diſp. 933. Ord. d. Diſp. 934. Ord. d. Diſp. 935. Ord. d. Diſp. 936. Ord. d. Diſp. 937. Ord. d. Diſp. 938. Ord. d. Diſp. 939. Ord. d. Diſp. 940. Ord. d. Diſp. 941. Ord. d. Diſp. 942. Ord. d. Diſp. 943. Ord. d. Diſp. 944. Ord. d. Diſp. 945. Ord. d. Diſp. 946. Ord. d. Diſp. 947. Ord. d. Diſp. 948. Ord. d. Diſp. 949. Ord. d. Diſp. 950. Ord. d. Diſp. 951. Ord. d. Diſp. 952. Ord. d. Diſp. 953. Ord. d. Diſp. 954. Ord. d. Diſp. 955. Ord. d. Diſp. 956. Ord. d. Diſp. 957. Ord. d. Diſp. 958. Ord. d. Diſp. 959. Ord. d. Diſp. 960. Ord. d. Diſp. 961. Ord. d. Diſp. 962. Ord. d. Diſp. 963. Ord. d. Diſp. 964. Ord. d. Diſp. 965. Ord. d. Diſp. 966. Ord. d. Diſp. 967. Ord. d. Diſp. 968. Ord. d. Diſp. 969. Ord. d. Diſp. 970. Ord. d. Diſp. 971. Ord. d. Diſp. 972. Ord. d. Diſp. 973. Ord. d. Diſp. 974. Ord. d. Diſp. 975. Ord. d. Diſp. 976. Ord. d. Diſp. 977. Ord. d. Diſp. 978. Ord. d. Diſp. 979. Ord. d. Diſp. 980. Ord. d. Diſp. 981. Ord. d. Diſp. 982. Ord. d. Diſp. 983. Ord. d. Diſp. 984. Ord. d. Diſp. 985. Ord. d. Diſp. 986. Ord. d. Diſp. 987. Ord. d. Diſp. 988. Ord. d. Diſp. 989. Ord. d. Diſp. 990. Ord. d. Diſp. 991. Ord. d. Diſp. 992. Ord. d. Diſp. 993. Ord. d. Diſp. 994. Ord. d. Diſp. 995. Ord. d. Diſp. 996. Ord. d. Diſp. 997. Ord. d. Diſp. 998. Ord. d. Diſp. 999. Ord. d. Diſp. 1000. Ord. d. Diſp.

illud intelligi debet in caſu, quo Princeps ſimiliter tali neceſſitati ſubvenire non valeat. ¶ Tertio quod debet Princeps ſe continere ab expenſis parum neceſſariis, ne ſubditos ſua culpa gravet. ¶ Quarto quòd, ſi ad pinguiorem fortunam deveniat, tenebitur ad reſtitutionem illius tributi, eo quòd ſubditi ex ſua culpa damnum illud perceperint, id quod fieri poteſt excuſando ſubditos per aliquos annos à tributis, etiam licitis. ¶ Et advertit *Molina Diſp. 667. num. 5.* peccare Principes contra juſtitiam, quando inordinatis ſumptibus, & largitionibus periculo ſe exponent gravandi populos in futurum, eoſque eorum Confeſſarios, & Thelaurarios prævenire debere, ſcrupuloſque eis injecere in talibus ſumptibus ob grave periculum, cui ſe Principes exponunt gravandi populos exactionibus nimis, neceſſitate occurrente poſtea.

21 Inſuper poterit Princeps gabellas imponere, ſi ipſe culpa ſua, refragante fortunâ, ad ſtatum illum deveniat; & hoc non ſolùm ad detentorem Reipublicæ, ſed etiam ad decentem, & honeſtam ſui ſuſtentationem, de quo *Molina Ord. de rebus reſtituendis Q. 13.* ac etiam ſi ex iniqua Rectorum adminiſtratione populus debita contraxit, tributa imponere poteſt ad debita illa ſolvenda, quando ex Rectorum bonis, qui malè adminiſtrarunt, ſolvi non poſſunt. Cum *Sanch. Lugo* &c. de quo etiam legendus *Bugos. 1. P. lib. 2. Diſp. a n. 10.*

22 Secundò reſolves peccare mortaliter Principes, ſi ultra id, quod conſtitutum eſt, exigant propter cupiditatem lucrandi, vel propter inordinatos ſumptus, quia Princeps debet eſſe pater communis omnium, & non mercenarius, bonaque patrum tenuit, nonque rogulus eorum. *Principes* (ait Magiſter Angelicus de Charis. q. 101. art. 6.) *terrarum ſunt à Deum ſtituti, non poſſunt

que in totum fine, vel causâ legis, ceſſat omnino, & non obligat Lex; (ut vidimus Tract. de Legibus) unde ſicut ſi nova gabella ſine juſta cauſa de novo imponatur, non obligat, & tenetur Princeps in hoc caſu reſtituere, ſi vectigal exigat, ita ſi exigat, ceſſante causâ, ob quam fuit vectigal impoſitum. Azor ſup. §. *Secundò quæritur*, cap. 23. & §. *Quintò quæritur.* Contrarium in hoc tenet Medina in Tract. de rebus reſtituendis, Q. 14.

24 Quartò quòd, ſi Princeps tributa impoſita, & ſoluta in ordine ad commune bonum, malè, & inutilibus uſibus expendat, ſi cauſa, ob quam tributa fuerunt impoſita, adhuc perſiſtit, & non dum præterit, tenetur Princeps ſuis ſumptibus, ſive expenſis omnia ſupplere; ſi tamen cauſa, ob quam impoſita tributa fuerunt, præterit, & neceſſitas, vel cauſa illa non extat, tunc quidem mortaliter peccavit Princeps, malè tributa expendens, non tamen ad reſtitutionem tenetur, quia juſto jure impoſita ſunt, licèt malè fuerint conſumpta. *Azor ſupra.*

25 Quintò quòd juſtiſſima cauſa erit ad imponenda tributa illa ſubditis *illis* imponere, qui contra ſuum verum, & legitimum Principem injuſtè ſe rebellarunt, aut contra ipſum graviter deliquerunt, (non enim in hoc caſu neceſſaria eſt alia neceſſitas, ratio, vel cauſa præter delictum, aut rebellionem) & hoc partim ad compenſandum totum id, quod ad eos juſtè debellandum expendit, partim in juſtam pœnam ſuæ rebellionis, ac delicti commiſſi. Cum aliis *Lugo ſup. num.* 22.

26 Sextò injuſtum eſſe contra ipſam naturam, æquitatemque naturalem, conſequenterque non obligatorium, ac ad reſtitutionem obligans, tributum, quod imponitur in rebus illis, quæ neceſſariæ ſunt præcisè ad pauperes, uti eſt *panis, bovina*, vel *ovina caro ſagum, oleum, ſal*, id quod communiter probatur *ex L. Univerſi 5. L. Omnium 6. Cod. de vectigalibus*, docentque Driedo lib. 2. de Libert. Chriſtiana, cap. 5. Layman de Juſtitia Tract. 3. P. 1. cap. 3. num. 3. ad fin. Mena lib. 2. Variar. Q. 21. num. 128. Vellaſco de Privileg. pauperum 1. P. Q. 37 num. 11. Solorzanus de Jure Indiar. tom. 2. lib. 1 cap. 16. num 28. multique alii; eleganterque ſcripſerunt, & probarunt de pane Magiſter Joan. Martines Dominicanus in ſuis politicis Diſſert. 5. Illuſtriſſimus Tapia ejuſdem Dominicanæ Familiæ lib. 4. de Leg. b. Q. 11. Art. 8. & 9. ¶ De Donativis idmetipſum dicitur, ac de Tributis. De Donativis autem videre poteris Menchaca Illuſtr. lib. 1. cap. 1. Larrea Allegat. 39. & 40. Cevallos Q. 578 Bobadilha in Polit. lib 2. cap. 16. Valenzuela Conſil. 99. Leonzillus de Privileg. pauperum 2. P. Privileg. 330. Molina de Juſt. Tract. 2. Diſp. 661. Diana Coordinat. tom. 7. Tract. 6 Reſol. 10. ad 13. & alibi.

SUBLECTIO II.

De obligatione ſolvendi tributa, & de peccato illa defraudantium.

27 EX dictis conſtat quòd, ſi tributa, gabellæ, vel vectigalia, &c. fuerint juſta, ſubditi in conſcientia ſolvere illa tenentur. Et ex hoc jam clarè patet reſolutio difficultatis illius, quam AA. excitant, an ſcilicet tributa, vel vectigalia fraudantes mortaliter peccent, ad reſtitutionemque teneantur? Ad quod breviter dicitur quòd, ſi tributum eſt juſtum quo ad totum, quo ad totum ſolvi debet; ſi quo ad totum injuſtum, nihil fraudans reſtituere tenetur, quanvis petatur, eo quòd in conſcientia non debetur; ſi verò fuerit juſtum quo ad partem, & quo ad partem, id eſt, quo ad exceſſum injuſtum, debet ſolvi quo ad partem juſtam, non verò quo ad injuſtam. Eſt communis, (licèt alii contrarium teneant) legatur Fragozo 1. P. lib. 3. Diſp. 8. num. 21. §. *Probabilius eſt deberi in conſcientia*, Sanch. in Conſil. 1. P. cap. 4. Dub. 1. Trulhench. lib. 7. cap. 12. Dub. 4 Leſſ. lib. 2. cap. 33. Dub. 8. Lugo ſup. Sect. 4. ac Bonac. ſup. Diſp. 2. Q. 2. P. 1.

28 Suppoſita tamen obligatione ſolvendi in conſcientia tributa, ſtat difficultas an talia tributa, &c. debeantur in conſcientia, ſi non petantur? Ad hoc dicitur probabiliſſimam eſſe partem negativam; pro qua legantur Thomas Hurtad tom. 2. Reſol. Moral. Tract 8. Reſol. 9. Leander à Murcia tom. 1. Diſquiſit. Moral. lib. 2 Reſol. 11. Thom. Sanch. in Conſil. tom. 1. lib. 2 cap. 4. Dub. 9. apud quos plures, cum quibus hoc valde probabile dicit, & probat Pater Torrecilla tom. 2. Encyclopæd. verb. *Tributum*, qui legendus à num 8. ad 15. Et hinc

29 Reſolves primò quòd ille, qui palam, rectaque viâ tranſit, ſolvere vectigalia, & pedagia non tenetur, quæ ſolvuntur ratione tranſitûs per portam, vel pontem, quia exactores ibi non ſunt, vel non viderunt; quia juxta dictam ſententiam gabella non petita in conſcientia non debetur.

30 Secundo quòd, ſi gabellarius ſe remittit conſcientiæ illius, qui ſolvere debet, & ſimpliciter dicit quod ſolvat juxta id, quod portat, vel quod emit, aut vendidit, quódque dicto ejus ſtabit, id quod ita facit, vel quia amicus, aut quia viam illam frequentat, gabellariique lucrum repetitis gabellis auget, ideo-

que gabellarius cum eo ſummo rigore non agit, ſed amicabiliter, ut ſæpe numero redeat, tunc, caſu, ſolvendi gabellas quo ad totam quantitatem mercium obligatio non aderit, quia in hoc caſu quo ad aliam rationabilem quantitatem libera condonatio adeſſe videtur. Et ex hoc capite (quod frequens eſt) aſſerit *Sanch. num.* 18. plures Mercatores excuſari à ſolutione illius partis, quam defraudarunt; id quod etiam cum *Vaſquez tenet Lugo num.* 46. ¶ Utrùm autem, ſi gabellarius, vel cuſtos portantem merces, vel eas vendentem ſub juramento de mercium quantitate interroget, teneatur portans, vel vendens ſub reſtitutionis onere veritatem detegere, vel illam negare æquivocatione aliqua, vel amphibologiâ loquendo? Variant DD. pro quo legantur Azor 3 P. lib. 5. cap. 22. §. *Quintò quæritur*, Sanch. ſup. Dub. 10. ac Torrecilla ſup. n. 14.

31 Tertiò quòd in caſibus, quibus tributum vel non datur, quia injuſtum, vel & ſi detur, non debetur, niſi petatur, ſi excommunicatio contra non ſolventes, vel occultantes fuerit lata, tales tali excommunicatione non manent ligati, eo quòd talis excommunicatio duntaxat contra eos fertur, qui illa ſecluſa talia tributa, &c. ſolvere tenebantur ſub gravi, & tales talia occultantes ad id non tenentur, conſequenterque excommunicatione tali non manent ligati. Cum *Sanch. Lugo n.* 47.

32 Quarto quòd in caſu, quo Mercatores aliquando aliquid de tributis defraudant, quod reſtitutioni obnoxium non eſſet, non ideo poſtea res, quas vendunt, tenentur vendere viliùs, quàm valent pretio currenti, ſed poſſunt eas currenti pretio vendere, quin ad ullam reſtitutionem teneantur. Ratio eſt: nam ſicut non ſolùm illi, qui de longe expenſis magnis afferunt panem, & alias merces, cariùs eas vendere poſſunt, ut ſic ſibi ſumptus compenſare queant, ſed etiam qui æquales merces ex vicino loco affert, quia ſicut illi ſumptus magni ſufficiens, honeſtuſque titulus eſt, vel ſunt, ut dicti Mercatores cariùs res ſuas vendant, ut ita pro factis expenſis ſe compenſent, ita pariter pretium currens, quod eſt juſtum, ſufficiens, honeſtuſque titulus eſt ad hoc ut quilibet currenti pretio res ſuas vendat, licèt nullas habeat factas expenſas. Sic ſimiliter Mercatores, qui aliquando aliquid de tributis defraudant, quod reſtitutioni obnoxium non eſſet, cariùs (ſicut cæteri, qui tributa minimè defraudarunt) res ſuas vendere valent, quia illas currenti pretio vendunt, & plus illud, quod lucrantur, fructus ſuæ induſtriæ extat. Legatur *Lugo ſup. num.* 49. circa finem.

33 Quintò quòd in caſu, quo aliquis pauper tate laborat, & gabellis ſolutis non poteſt cum illo, quod reſtat, ſe, ſuoſque alere eo quòd multa debita contraxit, vel ob alias cauſas gabellam ſolvere non tenetur, quia priùs propriæ, quàm Regiæ neceſſitati ſuccurrere debet. ¶ Imò ipſum Regis Miniſtrum dictis pauperibus dictas gabellas remittere debere, vel poſſe, eo quod in dicto caſu ab ipſo ſtatuto, vel Lege gabellæ videntur remiſſæ; cum multis docet Sanch. ſup. cap. 4. Dub. 15. Legatur Azor ſup. § *Sextò quæritur*, ubi conſimilis caſus affertur.

34 Sextò quòd in caſu, quo quis ſit dubius de juſtitia tributi, vel gabellæ, ſive dubium ſit negativum, aut ſit poſitivum; quando ſcilicet utrinque ſunt rationes probabiles ad tale tributum, vel gabellam ſolvendum, non eſt in conſcientia obligatus in ſententia valde probabili. Et quo ad dubium negativum probatur: quia in dubio ſemper onus probandi incumbit ei, qui petit; unde, cùm Princeps, & exactor tributi ſit petens, probandi tributum eſſe juſtum, ſicque debitum, incumbit ei onus: dum ergo is poſitivè tributi juſtitiam non probat, ſubditus ad illud ſolvendum obligari non debet, nec poteſt, licèt ipſe tributi injuſtitiam probare non valeat, debita diligentiâ ad dubium depellendum ſuppoſita.

35 Quòd autem non teneatur, ſi dubium ſit poſitivum, probari videtur: quia multi probabiliter aſſerunt ſubditum probabiliter opinantem rem præceptam illicitam eſſe, vel præcipientis poteſtatem excedere, poſſe non obedire. Et illi, qui dicunt ſubditum tunc, caſus, obedire teneri, excipiunt, quando res præcepta difficilis eſt, grave vel ſubdito incommodum affert, id quod aſſerit *Sanch. de utroque dubio lib. 6. in Decal. cap 3. num. 7. & lib. 6. Conſil. cap 3. Dub.* 10. ibique cum Soto dicit ſententiam Judicis, quæ non continet manifeſtam injuriam, & injuſtitiam, obligare quidem pro foro externo, non tamen pro conſcientiæ foro, ſecluſo ſcandalo, & ſic ſupponere videtur quòd quando probabiliter eſt injuſta, non obligat Reum ad obediendum in conſcientiæ foro, quod in caſu noſtro (ait Lugo, qui eſt hujus ſententiæ ſup. Sect. 6.) magis locum habet, ubi Lex tributi non tam videtur Judicis ſententia, quàm petitio debiti, & hæc doctrina eſt valde notanda, quia ad alia plura deſerviet. Legatur etiam Torrecilla ſup. num. 16. ad 18. & in Sum. 2. P. Tract. 2. Diſp. 4. cap. 3. Azor ſup. cap. 22. §. *Secundò dicendum eſt*, Trullench. lib. 7. cap. 12. Dub. 4. num. 15. Diana cit. Tract. 6. Reſol 32. & in locis ibi ad marginem à Spiritu Sancto in Decal. Tract. 10 Diſp. 7. Sect. 3. n. 252. circa finem.

36 Si autem ſcire velis qualiter ſe gerere debeant

debeant qui votis, ſuffragiis vel ſuis ad impoſitionem tributorum, gabellarum, &c. aut donativorum concurrunt. Lege Lugonem ſup. Sect. 3. per totam, & Dianam ubi ſup. cit. Tract. 6 Reſol. 15. & ſeqq. ¶ Item ſi ſcire velis an credendum ſit Principi, ſi aſſerit ſe gravem neceſſitatem habere ad novum imponendum tributum? Lege Dianam ubi ſup. Reſol. 5. & 35. §. *In Reſol. 15. hujus Tract.* Leſſ. de Juſt. lib. 2. cap. 3. Dub 8. num. 36. Delbene de Comitiis, Dub. 2. Marines Deciſ. 92. num. 8. Grammaticus Deciſ. 105. num. 10. Araujo de Statu Civili, Diſp. 12. Diffic. 2 num. 5. ad fin. Barboſ. in Clement. 1. de Probat. ¶ Præterea ſi ſcire velis quid debeant facere Principes, quando eorum Officiales aliquid extorſerunt ab eorum ſubditis præter ordinem Juris? Lege Div. Thom. in Opuſc. 21. ad *Ducillam Brabantiæ.*

SUBLECTIO III.

Præcedentis Sublectionis materia proſequitur.

37 ROgabis primò an creditor Regis, qui nullatenus ab eo creditum ſuum recuperare poteſt, poſſit, ut ſibi compenſet, gabellam Publicano non ſolvere? Ante reſolutionem pro hac re ſupponitur primò cum *Leſſio ſup. num. 75.* quòd, ſi vectigal non ſit venditum, vel locatum alteri, ſed ipſe Princeps illud per ſuos Miniſtros exigit, tunc non eſt dubium compenſationem licitam eſſe, ſi ad compenſationem juſtam conditiones requiſitæ adſint.

38 Secundò ſupponitur cum *Lugone ſup. num 77.* ſubditum non ſolùm poſſe (dato quòd poſſit, de quo infra) uti compenſatione adversùs Regem ſuum debitorem, ſed etiam adversùs Publicanum, cui Rex gabellam locavit, quando Publicanus ipſe titulo alio ei aliquid debet, quod recuperare non valet: quia, cùm emolumentum illius gabellæ ad Publicanum pertinere dicatur, poterit ſubditus illam partem, jam ex Regia locatione Publicano debitam, ſibi retinere, ut pro eo compenſet id, quod ſibi Publicanus debet.

39 Supponitur tertiò eſſe probabile quòd, ſi Petrus putà factus fuit creditor Regis poſtquam merces introductæ fuerunt, ex quibus Publicano debebatur gabella, poteſt compenſatione uti, & Publicano gabellam non ſolvere, quia etiam in eo caſu gabella Regi ſolvenda non fuiſſet, ſi per ipſum eam exigeret, vel per ſuos Quæſtores, Publicanoque illam non locaſſet: ergo neque Publicano conductori ſolvi debet, quia hic non habet jus exigendi, niſi in caſu, quo Regi ſolvendum foret; cùm igitur in dicto caſu Regi non fuiſſet ſolvendum, idem aſſerendum de Publicano conductore, quod tenet *Vaſques Opuſc. de Reſtit. Dub. 3. num. 41. Legatur Lugo ſup num.* 80 ubi contrarium habetur, quod verius videtur.

40 Quartò ſupponitur quòd non ſolùm in caſu, quo Rex Publicano gabellam conduxit, putà per tot annos, ſed etiam in caſu, quo totum jus ad exigendam gabellam, vel ipſam gabellam alteri, putà Marchioni, Duci, vel Civitati, abſolutè vendidiſſet, fas eſt creditori Regis gabellas fraudare, illas non ſolvere, vel occulta compenſatione uti, quanvis ex hoc aliquod gabellarum damnum ſequatur emptoribus; non enim apparet diſparitas, cur quando tributum eſt locatum, poſſit creditor Regis fraudare gabellas, ſibi vel compenſare, non ſolvendo eas, & non quando tributum venditum eſt, ſive gabella. *Lugo contra Turrianum, Molinam, & Vaſques, vide Trulhench. ſup. n. 20.*

41 Supponitur quintò quòd, ſi poſt venditionem tributi Rex denuo alia gravia tributa imponat, quæ ſimul cum illo præcedenti nimis ſubditos gravent ita, ut tota illa tributorum collectio injuſta videatur, & ſubditi ad hæc poſteriora ſolvenda cogantur, quorum fraudatio difficillima, vel impoſſibilis eſt propter maximam diligentiam exactorum, tunc ſubditi prius illud tributum licitè fraudare poterunt, quanvis hoc in præjudicium illius, qui illud emerat, cedat: quia id eſt omnino per accidens, & maximè, quia per additionem aliorum tributorum jam illud prius tributum redditur injuſtum, aggravando nimirum ſubditos, jam aliunde gravatos, non potentes ſolvere illud, quando coguntur ſolvere alia; unde, cùm emptor ſolùm acquiſierit jus ad exigendum tributum illud quandiu juſtum perſeverat, fit inde ut jam non debeatur illi tale tributum, (ſicut nec Regi debetur) cùm in his circunſtantiis deſierit juſtum eſſe. *Lugo ſup. num.* 83.

42 Sextò ſupponitur quòd tributum, ſive gabella ſemper in ſe imbibitam habet conditionem illam eſſentialem, vel quaſi, ut quoties juſtitiæ cauſa, aut neceſſitatis, qua impoſita fuit, ceſſaverit, debeat etiam ceſſare debitum, ſive gabella; hæcque legitima cauſa exigendi ceſſare poteſt, non ſolùm quando neceſſitas, ob quam petita, vel impoſita fuerat, ceſſat, ſed etiam ſi alia nova tributa fuerint impoſita, quæ ſi ſolvantur, priorem gabellam graviorem reddunt, cujus ratione jam non obligat quæ antea obligabat, eo quòd aliarum additione graviſſima redditur; unde in caſu ſubditus ſolùm obligabitur ad hanc, vel illam ſolvendam, non autem ſimul ad omnes. Quibus ſic jactis,

43 Jam facilis videtur reſolutio dubii *ſup. num.*

num. 37. appoſiti. Dicitur ergo probabiliter in eo caſu compenſationem fieri poſſe, non ſolvendo gabellam; id quod ſic probari videtur: primò, quia gabellarum redemptores non cenſentur in eo ullum detrimentum pati, quod ipſis non ſit voluntarium, & adſit; quia longè minoris redimunt vectigalia, quàm valent, ſcientes multas fraudes in eis committi, & ſic in ipſo contractu cenſentur eſſe parati talia ſubire incommoda. ¶ Secundò, quia conductor maius jus non habet, quàm principalis, ſcilicet Rex, eo quòd totum jus, quod acquirit, à Principis jure aſſiduè dependet, & conductor nihil aliud conduxit, niſi ipſummet jus, quod principalis, vel Princeps habebat, & effectus aſſiduè dependet à cauſa, nonque maiorem vim, quàm ſua cauſa habere poteſt: conductor ergo maius jus habere non poteſt, quàm ipſe Princeps eo tempore habet ad exigendum vectigal; unde, cùm ratione juris, quod ego vicissim in Principem habeo, Principis jus elidatur compenſatione, conſequens eſt ut in conductorem jus illud à me exigendi vectigal transferri non poſſit. Mittuntur alia. Legatur *Lugo ſup. tota Sect. 5. Sylveſter verb. Gabella, Molina Tract. 3. Diſp. 674. num. 10. Leſſ lib. 2. cap. 33 Dub. 10 num. 75. Fragozo 1. P. lib. 3. Diſp. 8. num. 43. ac Vegga in Sylva lib. 5. Caſu 661.*

44 Secundò rogabis an cum mala fide civili poſſit in utroque foro gabellarum præſcriptio adeſſe? Eſt duplex ſententia, ſed affirmativa probabilior videtur, eamque docet Sanch. tuetur, & probat, ac ideo legendus in Conſil. lib. 2. cap. 3. Dub. 10. Concluſ 1. ubi dicit: *Suppoſita opinione, quam amplexus ſum dubio præcedenti, ſcilicet non teneri quenquam ad gabellas, donec petantur, certiſſimam credo hanc ſecundam propter rationem dictam*: hanc etiam tenet expreſsè Vaſques Opuſc. de Reſtit. cap. 6. §. 3. Dub. 6. Suar. tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 27. num. 2. Hurtad. Reſol Moral. de poſſeſſore malæ fidei, Tract. 8 cap. 1 Reſol. 10. qui num. 198 hæc addit: *Ex quo ſit quòd, cùm ſit valde probabile quòd, ſi quis occultè, & ſecretò tranſvehat merces, & eas vendat, non teneatur ſolvere gabellas, niſi petantur, ita etiam eſt valde probabile quòd etiam præſcribat intra tempus à Lege taxatum, non ſolùm in Lege Civili, ſed etiam in foro Animæ. Ita Suares, &c.* & ita Hurtado.

45 Rogabis tertio quid dicendum ſit de gabellarum Cuſtodibus, illis ſcilicet, qui ex officio invigilare tenentur, nè ſine gabellis ſolutis res introducantur, vendantur, &c. an videlicet iſti teneantur ad reſtitutionem damnorum, quæ ex ſua culpa, negligentia, vel diſſimulatione ſequuntur? Ad hoc jam conſtat ex dictis cap. 2. Sect. 4. & ex ibid. dictis affirmativè reſolves. Et legantur *Salmant. ſup. num. 135. à Spiritu Sancto Tract. 10. Diſp. 29. Sect. 7. num. 14. 24. Dicaſtill lib. 2. Tract. 2. Diſp. 4. Dub. 8. num. 159. & 169. Benac. de Reſtit. Diſp. 1. Q. 2. P. 11. num. 9 Trulhench. lib. 7. cap. 13. Dub 3 num. 4. Leſſius lib. 2. cap. 13. Dub. 10. n. 71. Torrecilla in Damnatis Tract. 5. Conſult. 17. & 18 ac Diana citandus.*

46 Quartò rogabis (& hæc maior eſt difficultas, quàm præcedens, & de qua latè alibi egimus) an dicti Cuſtodes, & etiam Cuſtodes hortorum, vinearum, ſaltuum, ſtagnorum, lacuum, paſcuorum, montium, agrorum, aliorum vel locorum ad Principem, Regem, Communitatem, &c. pertinentium, qui ex contractu ſe obligarunt ad hæc omnia cuſtodienda, ob eamque cauſam ſtipendia accipiunt, & acceperunt, teneantur non ſolùm ſequuta damna domino reſtituere, ſed etiam ad reſtitutionem pœnarum, quas delinquentes Publicano ſoluturi erant, ſi à Cuſtodibus ipſis pro officio accuſarentur? In hoc etiam eſt ſententia pro utraque parte probabilis, quarum nos alibi negativam amplexati fuimus, & ſufficienter probavimus. Legantur ſup. citati Diana Coordinat. tom. 8. Tract. 7. Reſol. 24. §. *Mihi verò*, verſ. *unde Cuſtos non tenetur*, ac Reſol. 35. §. *Sed contrariam.*

SUBLECTIO IV.

Quæ perſonæ à tributis, & gabellis ſint exemptæ, & hìc de non Eccleſiaſticis agitur.

47 TItulus id, quod apud omnes eſt certum, ſupponit, ſcilicet aliquas eſſe perſonas, quæ à tributorum, gabellarum, &c. manent exemptæ, quia, *ut ſup num.* 3. dicebamus, una ex conditionibus ad tributi juſtitiam eſt, quòd ponatur perſonis, ac rebus non exemptis, ſive liberis ab omni tributo ſibi imponendo. Unde ſemper ſupponitur aliquas adeſſe perſonas ab illis ſolvendis exemptas; id quod merito à poteſtate ſuprema effici valet, & fit, cùm ad rectam Reipublicæ gubernationem ſpectet, ut qui de ipſa eximiè meriti ſunt, & qui eam ſuo ſanguine, & vitæ periculo tutati ſunt, ultra alios particulariter remunerentur; id quod cum aliis advertit *Lugo ſup. Sect. 7.* ubi bene cum *Sanch.* ſequentia notat, nimirum privilegium hoc valere plus, vel minus, juxta verba illius; quare niſi aliud explicetur, valet tantùm pro ipſo, cui conceditur, & ejus vitâ durante. Si autem concedatur pro filiis, & etiam pro nepotibus, non valet pro omnibus poſteris in perpetuum, niſi id explicetur. Et ſi conceſſio ſimpliciter, abſolutèque fiat, quanvis *Sanch.* aſſerat ſolùm ad vitam concedentis durare, nos tamen cum *Lugone* aſſerimus etiam

poſt

poſt concedentis mortem durare, quando abſque ullo limitante verbo privilegium tale conceditur, cùm regula ſit generalis quód Principis beneficium, gratia, facultas, & favor non expirat concedentis morte. Legatur *Molina Diſp* 672.

48 Supponitur etiam ad aliquem à ſolutione tributi, vel gabellæ, &c. eximendum ſemper juſtiſſimam, rationabilemque cauſam requiri; aliàs ille, qui exemptionem concederet, abs dubio illicitè procederet, eo quòd hoc in aliorum præjudicium cederet, qui plus hac de cauſa ſolvere cogerentur. ¶ Imo addit Molina ubi nuper §. *Abſque legitima* id non licere, etiam ſi ab aliis non exigat id, quod exempti ſoluturi erant, tum quia nefas eſt abſque rationabili cauſa eam in Republica inæqualitatem efficere, ut ſcilicet aliqui contribuere teneantur, non verò alii. ¶ Tum nanque, ſi temporis progreſſu tributorum redditus ad ſubveniendum bono communi ſufficientes non fuerint, oportebit tunc magis eos gravari, qui exempti non ſunt. ¶ Tum quia, ſi à principio, quando tributa ſtatuuntur, Lex fieret, qua lanciretur ut quidam illa ſolverent, alii non ita, nulla tunc interveniente legitima causâ ejus inæqualitatis, Lex utique eſſet injuſta, nonque proinde adſtringens. ¶ Idem verò eſt, etiam ſi poſtea temporis progreſſu idem ſtatuitur privilegiis irrationabilibus, ex juſtave cauſa non habentibus ortum, legitima tamen, rationabilique causâ ſubſiſtente, extra dubium eſt hanc exemptionem licitè aliquibus concedi poſſe, & de facto à tributorum, ſeu gabellarum ſolutione multi reperiuntur exempti, hi qui ſint, patebit ex jam dicendis.

49 Itaque primó quando Rex alicui Publicano locat gabellam, jus vel illam exigendi ei vendit, ipſe Rex à gabella ſolvenda liber manet, quia ſemper Rex intelligitur exemptus, nunquamque gabellam ſolvere debuit, ſicut ſi Eccleſia alicui decimas locat, non debet ex propriis prædiis locatori decimas ſolvere, eo quòd illa prædia nunquam obligationi decimandi fuerunt ſubjecta. ¶ Utrùm autem Publicanus ille, cui Rex vendidit, vel locavit jus exigendi gabellas, ſi poſtea jus illud vendiderit alteri, vel locaverit, maneat liber ab obligatione ſolvendi gabellas iſti ſecundo venditori? Non concordant DD. ut videre eſt *apud Sanch. ſup. cap.* 4. *Dub.* 59. legatur etiam *Lugo ſup. num.* 97.

50 Secundò ab omni gabellarum genere eximuntur pauperes illi, qui omnino pauperes ſunt, neque habent unde vivant, niſi aut ex eleemoſynis publicis, vel privatis, aut ex mercede, quam lucrantur per ſingulos dies, quæ ad victum, & ſuſtentationem naturæ illis omnino eſt neceſſaria. ¶ Et hoc, vel quia, ut ait *Salon*, omnino iniquum eſſet obligare pauperrimos illos ad onera Reipublicæ cum aliis ſublevanda, vel quia, ut ait *Trulhenchus*, non minus debemus ſolvere debita, quæ aliis privatis creditoribus debemus, quàm vectigalia, cùm ex juſtitia teneamur ad utrumque: ſed illi, qui ſolùm ea habent, quæ præcise, & omnino neceſſaria ſunt victui, & naturæ, ad creditoribus ſuis privata debita ſolvenda non tenentur, neque ergo tales dicta vectigalia ſolvere tenebuntur; hujus ſententiæ eſt *Sanch in Conſil.* 1. *P. lib.* 2. *cap.* 4. *Dub.* 15. *num.* 2. ubi dicit quód, ſi alicujus paupertas eò deveniret, ut ſe, ſuoſque alere non poſſet, etiam cum mediocri lucro, quod ſolùm alcavala, & aliis vectigalibus illi ex negotiatione ſupereſt, aut propter paucitatem pecuniæ, quam negotiationi exponere poſſit, aut quia habet multos filios, aut quia multa debita contraxit, aut propter alias neceſſitates, non tenetur ſolvere alcavalam, aut alia vectigalia.

51 Tertiò à Regiis tributis eximuntur viri aliqui nobiles, & perſonæ condecoratæ in dignitatibus, ac illuſtres, quo privilegio horum nobilium etiam gaudent uxores, privilegium enim hoc viris ratione nobilitatis conceditur, quod ad eorum uxores extenditur, & permanet etiam in viduis *ex L. Fœmina, ff. de Senatorib. & L.* 1. *Cod. de dignit lib* 12. ii tamen exempti non manent, neque Rex eos eximere valet à tributis, vel vectigalibus ſuæ Civitatis, vel Communitatis, id eſt, exempti non manent à tributis illis, quæ ſuis Civibus imponit Communitas in ordine ad commune bonum Communitatis ipsius, putà ad erectionem pontis, fontis, &c. quia Rex efficere nequit quód ad ſuæ Reipublicæ levanda onera non teneantur quicunque ſunt membra illius, cùm bonorum Reipublicæ non ſit dominus. *Salon* 22. *tom.* 2. *hic Art.* 6. *Controverſ* 1. *Fragoſo legendus ſup. num.* 69.

52 Hic tamen obiter nota cum *Trulhench. & Sanch. ſup.* eum, qui in rei veritate non eſt nobilis, ab aliis tamen reputatur ut talis, qua de cauſa ab eo tributa non exigunt, eſſe in conſcientia tutum, ſi bona fide, & ſine fraude ex parte ſua ut talis habetur, vel propter Habitum, vel ob aliam cauſam. ¶ Et idem, quando re vera ignobilis eſt, & ab aliis pro tali habetur, ſed quia dives eſt, & ab eo indigent, tributum ab eo non exigunt, modó ipſe non impediat petitionem illius. ¶ Si verò fraude ſe nobilem fecit, uti ſi per falſos teſtes nobilitatem ſuam probavit, tenetur reſtituere populo id, quod ipſe ſolvere tenebatur; & quo ad præteritum damnum ſummam aliquam in beneficium populi illius expendere tenetur, & quo ad futurum;

rum; quia scilicet tam ipse, quàm ejus successores gabellas in futurum non solvent, restitutio fiet, erigendo in populo aliquod opus pium, ut Hospitale, &c. perpetuos illi census assignando, vel procurando à Rege gratis, vel pretio nobilitatem (Rex enim nobilitates has, necessitate urgente, vendere potest, juxta *Sotum lib. 3. Q. 3. Art. 7. Conclus. 4.* sicut etiam ex justa causa nobiles creare valet, ut ait *Sylvester Gabella 4. Q. 9.*) relatione vera facta, minimè tamen personâ detecta, eo quod bona, quæ sunt inferioris ordinis, cum honoris, & famæ jactura restituere non tenemur.

53 Et quòd Nobiles ab aliquibus tributis sint exempti constat *ex L. 3 §. 1. ff. de munerib. & honoribus, & ex L. à munerib. ff. de vacat. muner.* in specieque tradit *Guido Decis.* 384. quinam Nobiles apud Nationes alias sint immunes, Nationes quælibet sibi viderint, de eoque legi poterunt *Fragoz. sup. num. 63. Pardalor. lib. 1. rer. quotid. cap. 3. §. 1. num. 1. ac Lazarte cap. 19. in principio.* ¶ Quo ad nostrates vero constat *ex Ordinat. lib. 1. tit. 66. §. 42* quinam sint illi, qui à solvendis gabellis, collectis, seu talis sint immunes, per hæc verba: *Fidalgos, Cavalheyros, Escudeyros de linhagem, e todas as pessoas de mayor qualidade, que as sobreditas; e assim mesmo Doutores, Licenciados, Bachareis em Theologia, Canones, Leys, ou Medicina, que forem feytos por exame em estudo Geral; e assim os juizes, Vereadores, Procurador do Conselho, e Thesoureyro no anno, em que servirem, e algumas pessoas, que taõ pobres sejaõ, que principalmente vivaõ por esmola.* Circa quod

54 Nota primò quòd in casu, quo aliquis Nobilis, seu Eques Tabellionis, seu Procuratoris officio fungatur, non ideo jam nobilitatis obtentæ privilegium amittit, consequenter. que non potest ratione officii ad cum mechanicis, & plebeis solvendas gabellas compelli, ut tenet *Gutier. lib. 1. Pract. Q. 137. n. 14 & Covar. in Pract. c. 19. num. 7* ¶ Secundo quod id, quod dictum est de Doctoribus in Sacra Theologia, &c. intelligendum etiam est de Magistris in præclara artium facultate constitutis, cùm in ea facultate sint Doctores, gaudentque proinde eorum privilegiis, ut tenet à Costa in suis Addit. ad formam liberorum Annot. 53 à n. 7. quod non semel Ulyssipone in Senatu Supplicat. judicatum fuisse testatur Barbosa in Remiss. ad lib 3. tit. 59. §. 15. num. 4. per textum ibi: *Os Doutores feytos em estudo universal por exame.* ¶ Tertio quòd à Doctorum privilegiis excluduntur omnes illi, qui ad doctorandum facultatem habent absque illo examine prævio, & extra studium universale, quia, deficientibus conditionibus dispositionis, deficit, & corruit ipsa dispositio *juxta Gloss. in L. Mancipia, verb. advocandum, Cod. de servit. fugit.*

55 Quartò ex Lusitano itidem Jure à solutione gabellarum eximuntur illi, qui Præceptorias, seu *Comendas* Ordinis Domini nostri Jesu Christi, seu aliquam Tenentiam, vulgò *Tença*, vel panem civilem cum Habitu ejusdem Ordinis habent, ut expresè habetur lib. 2. Ordinat. tit. 11. *E tudo o que asima dito he, queremos, &c* & tenet Valasc. Consult. 131. n. 5. & Barbos. in Remiss. ad dictum tit. §. ult. n. 2. quod tamen privilegium ad eorum uxores non extenditur, de quo *Cabed. 1. P. Decis. 98. num. 5.*

56 Utrùm autem dictum privilegium, quod in hoc Regno habent Equites Militiæ Christi ad non solvendas gabellas, extendatur etiam ad illos, qui in eo Equites sunt Divi Benedicti, & Sancti Jacobi, concedit *Molina de Tributis Disp. 663. num. 6.* & negat *Fragoz. sup. cum aliis num. 62.* nisi contraria consuetudo non solvendi sit usu recepta.

57 Si autem Hispanus, vel Castellanus lector scire velit quid in suo Regno circa dictos, vel alios Commendatarios erit dicendum, sciat, si perlegat in L. 9. tit. 18. lib. 9. novæ Collect. ibi: *Ordenamos, y mandamos que los Commendadores de los Ordenes de San Tiago, Alcantara, Calatrava, y San Juan, &c.* videatque simul *Lazarte cap. 19. num. 92. Bobadilla lib. 2. Politica, cap. 18. num. 264 Garcia de Nobilit. Gloss. 8. num. 8. Gutier. Pract. lib. 3. Q. 14. num. 87. Vincent. de Franchis Decis. 280. & Mena Variar. lib. 2. Q. 21. n. 245.*

58 Eremitæ Professionem non facientes, neque habentes certum modum vivendi ab Ecclesia approbatum, non sunt à tributis, gabellis, &c. exempti, sicut nec à potestate seculari, neque Canonis privilegio gaudent. ¶ Secus tamen dicitur, si vivant sub obedientia alicujus Prælati, ac Congregationis, quæ dictis privilegiis gaudeat, quia tunc tanquam Conversi illius Congregationis dictis privilegiis gaudebunt. ¶ Et idem dicitur de Tertiariis Ordinis nostri Carmelitani, Sanctorum Dominici, Augustini, ac Francisci, & siqui sunt alii; circa quod vide *Flores de Mena lib. 2. Variar. Q. 21. à num. 195. ac 204. Gutier. de Gabell. Q. 95. à num. 7. Emmanuelem Rodrig. tom. 3. Quæst. Regul Q. 74. Art. 11. Fragoz. 1. P. lib. 2. Disp. 4. §. 3. num 3. 4. & 11. ac lib. 3. Disp. 8. §. 5. num. 60 qui ibi num 61.* addit Confraternitates laicas debere vectigalia solvere ex venditione, & emptione, quando Episcopi, aut Summi Pontificis auctoritate non sunt erectæ, neque eorum bona ad pias causas, seu pia opera sunt deputata, quod idem extendit ad Hospitalia, & Collegia instituta pro sustentatione scholasti-

corum

corum pauperum; ſecus, ſi Epiſcopi auctoritate ſint inſtituta, nam tunc jam Eccleſiaſtica dicuntur, conſequenterque ex emptione, venditione, aut permutatione bonorum ipſorum gabellam non debent. Vide *Barboſ. in Remiſſ. ad Concil. Trident. Seſſ.* 22. *cap.* 8. *num.* 7. *& duob. ſeqq.*

SUBLECTIO V.

De Tributis, Gabellis, &c. circa Eccleſiaſticas perſonas reſolvuntur aliqua.

59 CErtiſſimum, ac indubitabile omnino eſt apud omnes Eccleſias omnes, omnes in Sacris conſtitutos, omneſque Eccleſiaſticas perſonas, & omnes earum res, ſive ſint patrimoniales, aut donatione, emptione, vel alio quocunque titulo habitæ, immunes eſſe à tributis, gabellis, pedagiis, & ſimilibus. Id quod clarè habetur in cap. *Quanquam* de cenſib. in 6. cap. *Non minus* de immunit. Eccleſ. cap. *Clericus*, §. 1 eod. tit. lib. 6. L. *Placet*, Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Authent. *Nulla Communitas*, L. *Presbyteros*, Cod. de Epiſcop. & Clericis, Can. *Tributum* 23. Q. 8. Can. *Secundum*, & Can. *Sancitum*, & aliis, conſtatque ex Trident. Seſſ. 25. cap. 20. de Reformatione.

60 Imò cum veriore, & probabiliore ſententia ſentimus talem exemptionem ſolvendi tributa, &c eſſe de Jure Divino, (de humano Eccleſiaſtico, & Civili eſſe nullus eſt, qui dubitet, niſi fortè adhæreat hæreticis, quorum aliqui cum Joan. Wicleff in Concil. Conſtant. Seſſ. 45. damnati fuerunt, quatenus ſic ☞ proferebant: *Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus, id eſt, ex habitu, non ſolùm actu delinquentibus*, & iterum: ☞ *Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & poſſunt Parochiani propter peccata ſuorum Prælatorum ad libitum ſuum eas auferre*, & hoc reſpicit ad Jus Divinum) id quod patet ex illo facto Joſeph Lib. Geneſ. cap. 47. qui totam terram Ægypti Regi tributariam fecit præter terram Sacerdotum, quibus etiam ex publico cibaria dabantur, patet & ex aliis miſſis brevitatis causâ. Legantur *Barboſa lib.* 1. *de Jure univerſ. cap.* 39 § 5. *á num.* 1. *ad* 8 *Suar. ad Reg. Anglia lib.* 4. *cap* 22. *&* 30. *Molina de Juſt. Tract.* 2. *Diſp.* 670. *Gutier. de Gabell. Q.* 92. *á num.* 17. *Antonel. de Regim. Eccleſ. lib.* 4. *cap.* 5. *Martha de Juriſdict.* 4. *P. Caſu* 1. *cum ſeq. Caſtill. lib.* 5. *Controverſ. cap* 9. *á num.* 18. *Mena Pract. lib.* 2 *Q.* 21. §. 4. *num.* 174. *Laſtra ad tit. de Conſuet. Q.* 3. *num.* 58. *Diana Coordinat. tom.* 9. *Tract.* 1 *Reſol.* 1. *Legatur & Div. Thom. Lect.* 1. *ſuper cap.* 13. *ad Roman. &* 22. *Q.* 16. *Art.* 1. Et ex hactenus dictis ſequentia.

61 Reſolves primò (& eſt pro praxi valde notandum) quòd etiam gratis dato, nonque conceſſo, talem immunitatem ex ſolo humano, Eccleſiaſtico, ſive Civili Jure oriri, non inde ſequitur poſſe extingui, revocari vel poſſe à poteſtate Civili; (imò non eſt multùm clarum an ab Eccleſiaſtica poteſtate revocari valeat) tum quia fuit abſoluta, & perpetua ex concedentium mente, & omnis donatio abſoluta, & perpetua revocari non poteſt; tum quia Orbis Chriſtianus, à quo authoritatem Principes habent, in hanc exemptionem conſentit, ſicque jam in poteſtate Principis eam non eſt revocare, ſicut illud, quod ſemel Regni conſenſu alienatum eſt, repeti non valet; tum quia facta fuit ad remuneranda beneficia ſpiritualia, quæ Regna ab Eccleſia percipiunt, & id, quod ad remunerandum beneficia jam eſt conceſſum, non iterum revocari poteſt, niſi ejus loco concedatur æquivalens aliud. Legatur *Leſſ. ſup. Dub.* 4. *num* 35. ¶ Et adde cum *Lugone num.* 101. neque perſonam Eccleſiaſticam exemptioni huic renuntiare poſſe, quia non eſt illi conceſſa, ſed ſtatui, in cujus præjudicium talis renuntiatio cederet. ¶ Imò multi addunt neque ex conſenſu Epiſcopi poſſe talem perſonam dictam renuntiationem facere, nec factam valere ob eandem rationem. Legatur *Diana Coordin. tom.* 9. *de Immunit. Tract.* 2. *Reſol.* 4. *&* 5.

62 Secundò reſolves quòd omnino immunis eſt à dictis tributis omnis Eccleſia, ſive ſecularis, aut Regularis utriuſque ſexûs, & quæcunque alia, cujuſcunque generis ſit, cujus nomine veniunt etiam hoſpitalia, locaque pia alia, & non ſolùm dicta loca eadem exemptione funguntur, ſed etiam bona, ſive mobilia, aut immobilia; & ſic veſtes, & vaſa ſacra illarum, quando aliquid ex officina mercatorum emitur, vel aliunde adducitur ad Eccleſiarum uſum, ſicut etiam res deputatæ in eleemoſynas ad pauperum ſuſtentationem, & pia opera, dicta libertate congaudent; prout cum aliis docent *Truthench ſup. num.* 4. *Lugon.* 101. *& alii.*

63 Tertiò exemptos etiam eſſe Clericos omnes ſacrorum Ordinum, & omnes Beneficiarios, quia hi vel firmiter Eccleſiaſtico ſtatui ſunt addicti, ſive actu Eccleſiæ inſerviunt, & etiam Beneficiarii, quanvis non ſint in Sacris, dummodo vivant in habitu, & tonſurâ clericali, & in actuali Beneficiorum ſint poſſeſſione. ¶ Item ex Jure communi Clerici non conjugati, etiam non Beneficiati, imò & primæ tonſuræ, quanvis in aliqua Eccleſia non inſerviant, ſi in habitu clericali incedant, co-

ronam-

ronamque deferant, quia ſunt Eccleſiaſticæ perſonæ.

64 Diximus *Clerici non conjugati*, nanque ſi conjugati ſint, etiam cum una, & virgine; conveniunt DD. *apud Sanch. in Conſil. 1. P lib. 2. cap 49. num 2.* & ut quid ſibi certum tenet *Lugo ſup. num.* 103 eos exemptione hac non gaudere, & hoc, quanvis habitum clericalem, & tonſuram deferant, & ſolùm hujuſmodi Clericis privilegia conceduntur duo, nempe *fori* in criminalibus, & *Canonis*, ut patet *ex cap uniço de Cleric. conjug. in* 6. ¶ Excipe tamen conjugatos Clericos Græcos, ii enim immunitate gabellarum gaudent, ſicut etiam legitimæ eorum uxores, & filii, patrum ipſorum vitâ durante. ¶ Clerici tamen noſtri minorum Ordinum, mortua uxore, ſi unica, & virgo erat, exemptionem hanc à tributis recuperant, & ſi habitum, & tonſuram non reaſſumant, quia hi verè ſunt Clerici, nonque conjugati, & ſolis conjugatis tale privilegium aufertur.

65 Diximus etiam *ex Jure communi*, nanque, particulari Jure attento, ſive conſuetudine aliqua legitimè introducta, & tacito Summi Paſtoris conſenſu approbata, aliter dicendum eſt; & ſic per Luſitanam Legem lib. 2. tit. 11. per totum, à tributis, gabellis, & exactionibus ſolùm eximuntur Clerici in Sacris conſtituti, ut patet verbis ex illis: *Os Clericos de Ordens Sacras*; unde conſtat quòd reliqui omnes, niſi ſint Beneficiati, & incedant clericaliter, à dictis tributis, &c. non eximuntur; & idem in Caſtellana Lege decernitur 2. tit 4. lib. 1. Recopilat. circa dicta duobus his num. vide *Fragoſo ſup. a num.* 310. *ac Trulbench num. 26 Lugo num.* 105. qui dubitat, an laicus habens in ſua familia unum, vel duos filios Clericos, aut etiam Beneficiarios, debeat ex gabella extrahere partem juxta id, quod Clerici ipſi conſumunt, & pro utraque parte probabilem ſententiam ponens affirmativam elegit.

66 Quartò exemptos eſſe à ſolutione gabellarum Novitios de bonis ſuis propriis, quæ retinent, cùm ſint pars Communitatis Eccleſiaſticæ, & pars fruatur immunitate totius, in favorabilibuſque pro Religioſis verè ſint habiti, omnibus Religionis privilegiis fruantur. ¶ Idem dicitur de Colonis Regularium, & de eorum Partiariis, quia privilegium hoc eſt reale, & cum re ipſa tranſit, quæ adhuc eſt ſub dominio Religionis, id quod maximè verificatur, quando in ipſo contractu eſſet expreſſum quòd Colonus exemptionem hanc retineret, & quando fructus, ex quorum emptione petitur gabella, adhuc à communi ſolo Eccleſiaſtico non ſunt ſeparati ¶ Similiter idem aſſeritur de emphyteuta ſeculari in emphyteuſi Eccleſiæ rem habente in caſu, quo adhuc dominium directum apud Eccleſiam maneat, non verò quando dominium directum transfertur, ſolumque onus manet ſolvendi Eccleſiæ annuum cenſum. Contrarium tamen cunctis in hoc num. dictis ſuos habet patronos, ſed pro dictis ſtat *Lugo à num.* 106. cum aliis multis, cum multis & etiam *Trulbench. n.* 29.

67 Quintò, ſi bona illa, quæ modò ad dominium Eccleſiaſticæ perſonæ veniunt, (quod idem, quando aliqua bona, ex quibus ignobilis tributum ſolvebat, tranſeunt ad perſonam nobilem tributo exemptam) antequam ad illius dominium venirent, ſubdita erant gabellæ ſolvendæ, & onus, vel tributum illud dictis bonis erat perpetuum, & mere reale, ad Eccleſiaſticas perſonas cum illo onere tranſeunt; ſecus, ſi reale non erat, ſed ratione perſonæ erat impoſitum; pro quo omnino legendus eſt *Sanch. ſup. cap. 4. Dub. 57. à num. 4.* legatur & etiam *Lugo à num.* 109. *ac Trulbench. num. 5.*

68 Sexto nullus Eccleſiaſticus ſolvere gabellas tenetur, quando impoſitæ ſunt, & cedunt in bonum Communitatis, cujus ipſe eſt pars, putà ad reficiendos pontes, muros, aquæ ductus communes, & hujuſmodi: quia, ſi in his caſibus Eccleſiaſtici à gabellarum ſolutione exempti non forent, ferè ad nihil immunitas eorum reduceretur, cùm communiter gabellæ ad has ſimiles, vel æquales neceſſitates imponantur, & imponi ſoleant, ex quibus utilitas publica redundat, conſequenterque etiam in Clericos, qui illius Communitatis ſunt partes. In hoc enim (ait, & bene *Lugo ſup. num.* 13.) conſiſtit eorum exemptio, ut propter eorum dignitatem, ac Beneficia ſuperioris ordinis, quæ populus ab iis continuò accipit, immunes ſint ab hujuſmodi oneribus communibus, ſicut & viri nobiles ob merita progenitorum ſuorum à tributis multis ſunt immunes, quæ in communem, & publicam utilitatem ſolvuntur, & à recipiendis Militibus in hoſpitium, licèt receptio hæc ad communem, publicamque utilitatem ſit neceſſaria. Ita *Lugo* octo ſupra viginti DD. pro hac parte afferens, *ac Molina Diſp.* 672.

69 Septimo imò (ut ſup. tetigimus) nec Eccleſiaſticus ullus licitè à Jure talis immunitatis cedere valet, nec Epiſcopus, Archiepiſcopus, vel Patriarcha, neque totus Clerus ad hoc licentiam licitè præbere valet, ut patet ex cap. *Adverſus de Immunit. Eccleſ.* & docetur ab omnibus, ſed ſemper Summi Paſtoris expreſſus conſenſus adeſſe debet. In caſu tamen, quo ob neceſſitatis urgentiam expectari non valeat, conſentiunt DD. poſſe Epiſcopum, & Clerum licitè conſentire, circa quod *Suar. ad Regem Angliæ lib* 4. *cap.* 26. poſſe id aliquando fieri, neceſſitate urgente, ad inchoandum tributum,

ad

ad illud tamen continuandum Pontificis Summi conſenſum neceſſariò peti debere: ſentimus ergo quòd in caſu talis urgentiæ operis ſumptus ex ſecularium bonis titulo tributi, ſive gabellæ deſumi debent, quòdque Eccleſiaſtici conveniant, ſub peccatoque ſe obligent ad contribuendum ad expenſas pro parte ſua ex illa die, qua ſeculares concurſum dederunt, ſi, recurſu ad Summum Pontificem facto, Pontifex Summus in eo conveniat. Sic viâ recta procedere eſt, aliter eſt, non ſemitas rectas aſſumere, ſed ſiniſtras, obliquas, & valde extortas

70 Sed quid in caſu, quo tributum, vel gabella Eccleſiaſticos ipſos in particulari reſpiciat; putà ſi flumen perdat aliquos agros vicinos, quorum aliqui ſunt Eccleſiæ, vel Clericorum, neceſſeque ſit flumen dominorum illorum expenſis divertere alió, quibus dominis ſolis utilis eſt illa diverſio; vel ſi agri illi propter nimiam humiditatem inutiles ſint, & neceſſe ſit aperire foſſam, ut fructiferi reddantur, neceſſe vel ſit aquæ ductus facere ad irrigandos aliquos agros, alioquin parum utiles ſine beneficio tali, & ſic in ſimilibus aliis caſibus? Probabiliter pro utraque parte variant DD. legatur Lugo ſup. num. 129. Fragoz. ſup. num. 310. verſ. *Secunda propoſitio*, ac Trulhench. ſup. num. 6. 7. 8. & 9.

71 Octavó Clericus negotiationem exercens ſolvere gabellam tenetur, & tunc dicitur negotiari, quando rem emit, ut eam invariatam cariùs vendat, uti ſi emat panem, vinum, oleum ad revendendum. ¶ Si tamen hæc omnia emat abſque intentione iterum revendendi, ſed ſolùm ad ſui, ſuæque familiæ ſuſtentationem, cæterùm poſtea recognoſcit hæc ſibi neceſſaria non eſſe, aut ſe poſſe, illis maiori pretio venditis, alias res ſimiles veliori pretio emere, & vendat, tunc negotiator non dicetur, nam Lex non reſpicit ea, quæ raró, vel per accidens fiunt. ¶ In caſu tamen, quo gabellarum exactori non conſtet an quæ Clericus advehit, advehat negotiationis causâ, Clerici juramento omnino ſtare tenebitur, niſi ex circunſtantiis aliud colligatur. ¶ Et quòd Clericus negotiator gabellas teneatur ſolvere expreſsè conſtat ex cap. *Quanquam in 6.* eſtque commune placitum DD. & pro noſtratibus conſtat ex Luſitana Lege tit. 11. ibi: *Porèm, ſe qualquer das ditas peſſoas* (hoc eſt Eccleſiaſtica) *comprar, ou vender quaeſquer couſas por trato de mercadoria, ou por via de negociaçaõ, pagará fiza, como ſe fora leygo*; ut autem clariùs negotiator propriè dicatur, non ſatis eſt ſemel, aut iterum negotiari, ſed requiritur quòd hoc pluries exerceat, (*por trato, ou por via de negociaçaõ*) & hoc eſt id, quod eſt neceſſarium ad incurrendas negotiatorum pœnas, ut patet *ex L. Licet, & L. Semper, § D. Adrianus cum L. ſequenti, ff. de jure immun. Barthol. in L. Marium, §. Qui queſtum, ff. de adult.* Et hinc

72 Sequitur primò quód Clericus vendens frumentum, oleum, vinum, & ſimilia ex propriis ſuis prædiis recepta, propriè negotiator non dicitur, neque proinde ad gabellæ ſolutionem tenetur, prout docet Bald. *in L. 1. ſi per Gloſſ. ff. de tributar.* Tiraquel. de pœnis temper. cauſa 51. num. 161. Item eximuntur à gabellis patrimonialia Clericorum bona, & ea, quæ ad Clericos hæreditario jure, vel donatione, &c. adveniunt, quia ratione mutationis in aliam privilegiatam perſonam onus inhærens rei ratione perſonæ non privilegiatæ in privilegiatam, exemptamque perſonam non transfertur, uti habetur *in L. Paulus per Procuratorem*, docetque ibi Barthol. num. 3. ff. de acquirend. hæred. fructus tamen, & redditus Eccleſiaſticorum hanc exemptionem amittunt, quoties translati fuerint in laicos, quia non jam tunc Eccleſiaſticorum ſunt bona. Quando verò bona Clerici cum fratre, nepote, vel alio laico communia ſunt, ſolùm exemptione hac gaudent pro parte Clerici, ſervanda tamen erit conſuetudo. Legatur *Trulhench. num. 24. & 25. ac Fragoz. num.* 314. quem etiam videre poteris *num.* 322. ſi ſcire velis an Clerici Rectores alicujus Parochialis teneantur de bonis patrimonialibus in aliena Parochia ſolvere decimas? Qui ibi affirmativè reſpondet; quid autem dicendum ſit ſuper cap. *Nuper de Deciſmis* conſtat ex jam dictis alibi.

73 Secundo ſequitur Clericis prohibitum non eſſe causâ neceſſitatis neceſſaria ad vitam, victumque quærere ex aliquo honeſto munere. Unde dicitur quód poſſunt locare animalia, ut boves, oves, jumenta, & ſimilia ad certum pretium, quòdque poſſunt emere aliquid, ut poſtea melioratum cariùs vendant, poſſuntque animalia emere, ut in agris propriis nutriant, & cùm creverint, partuſque ediderint, ea, fructuſque eorum revendant, & emere lanas, &c. ut ex illis aliquid conficiant, quod vendant; hoc enim potiùs artificium, & induſtria dicitur, & non negotiatio, & hoc præſertim, ſi ad neceſſitatibus ſuccurrendum fiat. Legatur *Trulhench. ſup. num.* 20. ¶ Imó ab aliquibus dicitur eos per alios, licèt non per ſeipſos, negotiari poſſe, id quod videtur colligi ex Clement. 1. de vita, & honeſt. Clericorũ, ubi Clericis interdicitur officium Tabernarii, aut Macellarii per ſeipſos exercere, & ſic videtur id per alios efficere poſſe, tabernaſque habere, in quibus per alios in domo ſua vinum vendere faciant. Legatur *Trulhench. n.* 19. *& Fragoz. n.* 313.

74 Sequitur tertiò quód, ſi ſit ſtatutum à ſecu-

secularibus factum, quo prohibeatur è Regno, Civitate, vel oppido equos, frumentum, vinum, &c extrahere, nisi priùs aliquo tributo soluto, & si aliter fecerint, amittant rem, quam extraxerint, non comprehendit Clericos, nisi Pontificis licentia adsit; cum multis *Trulbench. sup. num.* 23. ¶ In casibus autem, in quibus Clericus gabellam solvere tenetur, in conscientia eam non tenetur solvere, nisi de eo ter priùs sit admonitus, ut à talibus contractibus, vel emptionibus, & venditionibus abstineat. Fragoz. n. 316. § *Idem dicendum est.*

75 Rogabis primò an in istis casibus, in quibus possunt, vel etiam debent prædicti Clerici contribuere, possint reluctantes à seculari potestate cogi? Negativè respondetur, & asseritur à suis Superioribus ad id cogi debere, nisi in contrarium adsit privilegium à Papa, aut consuetudo ab ipso scita, & tolerata. Ratio datur: nam Ecclesiastici generaliter exempti sunt à jurisdictione seculari, tam quo ad personas, quàm quo ad bona, & sic nequaquam ratione bonorum à seculari potestate conveniri valent, neque ratione eorum à seculari Judice multari, seu molestari, nè scilicet per unam viam concedatur Judici quod per viam aliam eidem negatur, quod liquet ex cap. unico de Clerico conjug. ¶ Si Clericus tamen Tutor sit laici, pro pupillique debito conveniendus sit, id fieri debet coram Judice seculari, & è contrà, si laicus sit Clerici pupilli Tutor, coram Ecclesiastico Judice conveniri debet; quia in utroque casu perinde est, ac si pupillus conveniretur. *Sanch. in Consil.* 1. *P. lib* 3. *cap. unico, Dub.* 50. *num.* 11. *&* 12. *Trulbench. sup. num.* 31. *Lugo sup. n* 131. *& alii.*

76 Secundò rogabis quæ pœnæ incurrantur ab imponentibus, vel exigentibus gabellas à personis Ecclesiasticis? De hac re videndi sunt explicantes Bullam Cœnæ Domini. Hîc tibi breviter dicitur incurrere excommunicationem latæ sententiæ cum onere restituendi acceptum ex cap. *Quanquam de censib.* incurrere etiam excommunicationem *Bullæ Cœnæ* 18. ¶ Unde sequitur hanc excommunicationem incurrere etiam exigentes quæcunque onera, & recipientes ab ipsis, etiam quando sponte dant, similiter excommunicantur etiam procurantes auxilium, consilium, vel favorem præstantes, & hoc sive fit per se, aut per alios directè, vel indirectè, cùm Clericorum, Ecclesiasticorumque bona, ficut personæ ipsæ, omnino exempta sint ab omni vectigali solvendo, tam reali, quàm personali. ¶ Imò probabilissimum est hac excommunicatione ligari Decuriones, seu Rectores Civitatis imponentes gabellas, seu impositionem super carnibus, vino, & similibus ad eximendam rem publicam ære alieno pressam, unde Ecclesiastici damnum patiantur, eo quòd obligantur carius emere. ¶ Quod procedit etiam, quando dicta contracta fuerunt ob communem utilitatem tam Clericorum, quàm laicorum. ¶ Quod si contracta fuerint propter commodum laicorum, vel propter culpam Rectorum, seu Decurionum, non est dubium (ait *Lugo sup. num.* 320.) imponentes, seu exigentes excommunicationem incurrere. Legatur *Trulbench. num.* 33. *Lugo num.* 115. *ac Diana Coordinat. tom.* 5. *Tract* 2. *Resol.* 237. *ad* 278. *& locis ibid. ad margin. Et ibidem Resol.* 262. videbis & etiam an à Militaribus Equitibus Divi Jacobi, Alcantaræ, &c. gabellæ imponi, & exigi queant. De aliarum rerum restitutione latis ad nostrum intentum quo ad furtum, & rapinam constat ex jam dictis in hoc Breviario.

LECTIO II.

De restitutione propter homicidium, & mutilationem, ac damna ex ipsis sequuta, & quibus facienda sit restitutio.

QUo ad omne id, quod Lectionis hujus titulus imbibit, satis erat legere ea, quæ in tertia hujus Breviarii Parte, ubi de homicidio, & alibi dedimus. Sed circa hoc placet hîc pauca aliqua dare.

77 Itaque pro re hac hîc inquiri solet an pro vita ablata, mutilatione, vel cicatrice, præscindendo à damnis aliis inde sequutis, aliqua facienda sit restitutio? Est sententia pro utraque parte valde probabilis; sed negativa probabilior apparet, quam cum multis (contra alios plures) docent, & probant *Salmant. tom* 3. *Tract.* 13. *cap.* 2. *P.* 6. ubi legendi, & est etiam legendus *Diana Coordinat. tom.* 8. *Tract.* 5. *Resol.* 78 ibi dicens, vel inferens quòd, si vir nobilis, aut alius occisus sit, qui nihil lucri faciebat, nihil restituendum erit. ¶ Item nihil restituendum esse homini libero pro deformitate resultante ex vulnere, nisi inde damnum temporale resultet. ¶ Item quòd qui fustibus, vel alapâ aliquem percutit, non tenetur pro injuria compensationem pecuniâ facere, sed tantùm pro damnis temporalibus, si quæ inde sequantur; id omne, quod dicunt *Salmant. sup. num* 83. qui ibi addunt quòd, si servo deformitas, vel mutilatio aliqua fiat, ob quam minus valeat, illud restituendum, totumque servi pretium, si occidatur. Addunt præterea num. 84. ex justitia homicidam non teneri Sacrificia, suffragia, orationes, ac eleemosynas pro occiso offerre. Legatur *Diana.*

78 Quæritur etiam (& est id, quod jam constare posset ex proximè dictis (quid restituendum

tuendum ſit ob damna ex homicidio, vel mutilatione ſequuta? Dicitur quod reſtituere omnia damna tenetur, quæ ex ſua injuſta actione parti læſæ, vel ejus hæredibus, aut aliis ſequuntur. ¶ Unde primò tenetur reſtituere expenſas neceſſariò factas in curatione morbi, vel vulneris. ¶ Secundò damna emergentia, & lucra ceſſantia. ¶ Tertiò damna etiam ex morte ſequuta, quæ hæredibus, & aliis inde provenunt. *Salmant. ſup. P. 7. à num.* 88 *cum aliis Diana ſup. Reſol.* 77. ¶ Apud quos reperies non teneri lædentem, vel occidentem integrum reſtituere quæſtum, quod occiſus, mutilatus, vel vulneratus erat lucraturus; ſed extrahendas eſſe expenſas omnes, quas ipſe facturus eſſet, ſi viveret, vel ſanus eſſet. ¶ Quartò reſtiendum non eſſe quantum ipſe occiſus, vel mutilatus erat lucraturus, ſed tantùm quanti illa ſpes lucri æſtimatur, attentis circunſtantiis perſonæ, loci, ac temporis, veriſimile eſt fore lucraturum. ¶ Quintò quòd, ſi quis membrum alicujus injuſtè fecet, aut debilitet, obligationi ſuæ ſatisfacit, ſi ei lucrum ceſſans ſolvat, annuatim aliquid ei donando, vel expendendo, quantum tale lucrum in ſpe æſtimatur. ¶ Sextò quòd, ſi quis eum occidit, qui aliàs morte naturali, vel ex juſta ſententia Judicis proximè erat moriturus, ſolùm reſtituere tenetur illud, quod intra illud medium tempus erat lucraturus, & hoc non ipſi, ſed hæredibus, aut creditoribus ſuis. ¶ Septimò homicidam non teneri ſolvere moderatas expenſas factas in ſepultura occiſi. Legantur *cit. Salmant. ſimul & Diana.*

79 Communiter limitatur tradita doctrina; primò quando occiſor, vel vulnerans in gravi neceſſitate eſſet conſtitutus, tunc dicitur quòd, ea ſtante, nihil reſtituere tenetur, de quo jam conſtat ex alibi dictis. ¶ Secundò, ut dicta reſtitutio circa divites, & nobiles locum non habeat, & etiam quando certò credit occiſor, vulnerans, vel mutilans quòd hæredes occiſi, vel mutilati reſtitutionem non ſunt admiſſuri. ¶ Tertiò quando unus provocatur ab alio, & provocantem occidit, vel mutilat, & idem, quando duo provocant ſimul ad invicem, & eorum unus alium occidit, vulnerat, vel mutilat, tunc dicitur quòd occidens, &c. nihil reſtituere tenetur. Legantur *Salmant. cit. in Puncto.* Et

80 *Apud Dianam cit. in loco à Reſol.* 61. inter alia ſequentia reperies. Primum, quòd, ſi quis invaſorem ſuum occidat, vel mutilet excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, ad reſtitutionem tenetur pro ratione tantùm excеſſûs (vel, ut cum aliis aiunt *Salmant. ſup num.* 98. ſecundùm maiorem, vel minorem culpam, quam habuit in excedendo.) ¶ Secundũ, quòd, ſi injuſtè invaſus, ſive ſit nobilis, vel ignobilis, ſive Clericus, aut Regularis, fugere potens, & non fugiens, ſed invadenti reſiſtens, eique ſe opponens, eum occidat, vel mutilet, aut vulneret, nihil reſtituere tenetur. ¶ Tertium, quòd qui actualiter invadentem res ſuas occidit, vel mutilat, nihil reſtituere tenetur. ¶ Quid autem dicendum, ſi non actualiter res ſuas invadentem, ſed poſtea eum occidat ad recuperandas res ſuas, etiam in caſu, quo judicialiter eas recuperare poſſet? Vide eundem *Dianam Reſol.* 62. *apud quem Reſol* 67 etiam reperies an, & qualiter ex occiſione facta in duello reſtitutionis obligatio adſit, ſi ex duellantibus aliquis occidatur, vel mutiletur. Et

81 Iterum eundem *Dianam ibid.* legere debes, ſi ſcire velis primò an quando quis advertit ex homicidio à ſe facto, vel faciendo damnum aliquod tertio alicui ſequuturum fore, reque vera ſequatur, illud reſtituere teneatur? Secundò an, ſi occiſus habeat hæredes legitimos, nempe filios, & omnia interfectori remittat, filiis damnum ſequutum teneatur reſtituere? Tertiò & quid, ſi damnum per accidens ſequatur fratribus occiſi, ejus familiaribus, & amicis? ¶ Quartò & quid de damno creditoribus occiſi ſequuto? ¶ Et quid, ſi mancipium abſque culpa dómini aliquem occidat, vel mutilet, an ſcilicet dòminus aliquid reſtituere teneatur? ¶ Et an, ac quando ex homicidio caſuali reſtitutionis obligatio naſcatur? ¶ Et quid de homicidium, vel mutilationem mandante, conſentiente, conſiliante, &c. de quibus Quæſtionibus omnibus clarè conſtat quid ſit tenendum ex à nobis Breviario hoc dictis.

82 Iterum quæritur quibus perſonis titulo alimentorum teneatur homicida reſtituere? Dicitur cum communi, & veriori ſententia quòd occiſor ſolùm neceſſariis hæredibus, qui ſunt parentes, filii, & etiam uxor, alimenta præbere tenetur. (Alimentorum nomine veniunt omnia neceſſaria ad vitam ſecundùm decentiam ſtatûs, & ut familia ſecundùm qualitatem, & ſtatum conſervetur, prout alibi vidimus.) Et ita cum multis legendi *Salmant. ſup P. 8. à num.* 101. *ad* 109. *Diana ſup. Reſol.* 72. cum quibus advertit primò quòd homicida nihil uxori occiſi reſtituere tenetur, ſi ipſa uxor ex occiſione mariti notabile nocumentum non accepit, vel ſi æquè commodè nubere poſſit, licèt velit innupta in ſua viduitate perſiſtere, aut etiam quando alius liberaliter ipſam alendam ſuſcepit. ¶ Secundò neque etiam parenti occiſi, niſi fortè ſit hæres, vel filius occiſus eum alebat, eique aliunde non ſit proſpectum. ¶ Tertiò probabile eſſe quòd, ſi occiſus, dum viveret, de pretio non convenit,

& parentes, ac uxor alimentis non egeant, neque filii neceſſariis ad vitam, non teneri homicidam ante Judicis ſententiam aliquid reſtituere. ¶ Quartò in omnibus juribus debitorum realium, quæ defunctus ante mortem habebat, atque in omnibus expenſis, &c. in curatione factis hæredes neceſſarios ſuccedere, eiſque id omne reſtituendum eſſe. Cum multis à *Diana Reſol. 72. ducetur, ac á Salmant. ſuprá.*

83 Rogabis quænam pœnitentia à Confeſſario imponenda ſit homicidæ? Ad hoc dicitur quód inprimis occiſori jubere debet quód reſtituat omnia damna hæredibus, &c. ex occiſione ſequuta, juxta dicta, & etiam quod, ſi occiſo conſanguineis, vel propinquis occiſi graviter injuriosa fuit, humiliter ab eis deprecetur veniam. ¶ Secundò in pœnitentiam ei injungere poteſt ut pro defuncti Anima Sacrificia aliqua applicet, eleemoſynas aliquas eroget, jejunia exerceat, Roſaria, & Litanias recitet, Altaria ad lucrandas Indulgentias viſitet, &c. cum occidenteque rigidus in pœnitentia injungenda ſe oſtendere debet, nè ipſe ad iterum occidendum de facili moveatur. Legantur *Salmant. ſup. n.* 85.

LECTIO III.

De Reſtitutione ratione ablata famæ, & honoris, ac ratione adulterii, & ſtupri. Remiſſivè.

DE reſtitutione facienda ratione honoris, & famæ ablatæ ſufficienter egimus Tract. 22. cap. 2. ad quem locum Lectorem remittimus. ¶ De obligatione reſtituendi ratione adulterii, &c. exaratum eſt, quantum ſatis, Tract. 12. cap. 7. ubi legendum. ¶ De obligatione ſtupratoris ex eodemmet Tractatu 12. conſtat. Ad quæ loca pro his omnibus remittimus Lectorem.

TRA-

TRACTATUS XXVIII.

DE CONTRACTIBUS IN COMMUNI, & in particulari.

IN materia de Contractibus non ſemel, ſed ſemel, & iterum reſtitutionis obligationem conſurgere quid valde notum eſt, ac omnibus tritum; & cùm in præcedenti Tract. actum de Reſtitutione ſit à nobis, placuit de Contractibus, ac de obligatione reſtituendi, quæ ex contractibus ſequitur, Tractatum hunc præcedenti immediatè conſurgere, de eoque ſermonem facere; tum ut præcipuorum eorum contractuum, qui paſſim inter homines occurrunt, aliqualem tyronibus noſtris notitiam demus, tum ut nihil ex præcipuis, quæ ad reſtitutionis notitiam pertinent, prætermittamus. Pro quo ſit ergo

CAPUT I.

De Contractibus in genere.

QUia circa materiam de Contractibus generales aliquot deteguntur regulæ, ad contractus deſervientes omnes, quarum notitiâ cujuslibet contractûs naturam, obligationemque cognoſcere maximè pendet, opere pretium duximus de Contractibus in communi, vel in genere hîc agere, ut poſtea ad ea, quæ cujuslibet in particulari naturam concernunt, deſcendamus.

LECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Contractus, quomodo perficiatur, ac obligeat?

1 COntractus in tota ſua latitudine tripliciter conſiderari valet, primó latiſſimè, & pro omni pacto, vel conventione, ex quo, vel qua obligatio nulla oritur, cujus exemplum eſt donatio, quæ à rei traditione incipit. ¶ Secundò minus propriè, ac ſolùm circa unam partem obligationem inducens, cujus exemplum eſt promiſſio acceptata, in qua promittens ſolùm obligatur, non vero acceptans. ¶ Tertió ſtrictè, & maximè propriè, ac circa utramque partem obligationem parturiens, cujus eſt exemplum emptio, & venditio, in qua emptor tenetur tradere pretium, ac venditor rem pro pretio emptam, quorum duo priores non ſunt propriè intelligendi nomine contractûs, ſed ſolùm nomine pacti. Pactum nanque ſolùm dicit mutuum conſenſum in eandem rem, quæ vox communis eſt omnibus aliis, & pactum ſe habet, ſicut inferior, contractus autem, ſicut ſuperior, cùm omnis contractus ſit verè pactum, non tamen è contrà. Contractus igitur latè ſumptus, & qui cum pacto coincidit, comprehenditque omnes contractûs gratuitos, & alios, ex quibus ſolùm ex parte unius gignitur obligatio, ut in promiſſione, donatione, depoſito, pignorato, &c. ſic ab AA. definiri ſolet: *Eſt conventio duorum obligationem ſaltem in alterutro pariens*; pactum autem juxta L. 1. ff. de pactis *eſt duorum, vel plurium in idem placitum conſenſus*, vel juxta L. 3. ff. de publicatio. *eſt duorum conventio*, ſcilicet ad aliquid agendum, vel non agendum. Legatur Scotus 4. Diſt. 16. Q 1 §. *Ad ſolutionem.*

2 Contractus verò propriè, & ſtrictè dictus ſic ab Ulpiano in L. *Labeo*, *ff. de verb. ſignific.* definitur dicendo quòd eſt *ultrò, citróque obligatio*, id eſt, duorum, vel plurium in idem conſenſus, ultró, citróque obligationem pariens, ut in emptione, venditione, &c cernitur; venditor nanque obligatus eſt ad mercem præſtandam, & emptor ad pretium præbendum, in qua definitione Juris conſultus non per formam, genus, & differentiam contractûs explicavit naturam, ſed per effectum, contractus nanque obligationem parit, nonque

que eſt ipſa obligatio, ſed obligationis eſt cauſa. *Sotus lib. 6. Q. 2. Art. 1.* ita contractum perfectum per genus, & differentiam definivit, dicens quòd *eſt conventio inter duos, ex qua utrinque naſcitur obligatio.* Nos verò breviùs, & clariùs ita illum diffinimus: *Eſt actus Juſtitiæ commutativæ utrinque obligans*, ubi ly *actus* ponitur loco generis, nam contrahere eſt agere, & non quicunque agit, contractum celebrat, cæteræ verò particulæ differentiæ loco ponuntur.

3 Obligatio juxta Inſtitut. de obligat. dicitur quòd *eſt vinculum Juris, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ, vel faciendæ*, huicque obligationi ex altera contrahentis parte actio, ſive jus rem tanquam ſibi debitam petendi, etiam in Judicio reſpondet. Et obligatio, quæ ex contractu provenit, duplex eſt, *naturalis*, ſive in conſcientiæ foro; una *civilis*, ſive in foro externo alia, ex quibus *naturalis* illa dicitur, quæ oritur ex natura rei, in foroque conſcientiæ tenet, nullo etiam Civili Jure inſpecto, qualis obligatio ſimplicium promiſſionum, & pactorum nudorum; obligatio & etiam, quam habet ille, qui rem ultra juſtum pretium vendit, non tamen ultra dimidium juſti, hic enim ex juſtitia pretii exceſſum reſtituere in conſcientia tenetur, eſtò in externo foro, nè lites multiplicentur, contra eum actio non detur. *Naturalis* autem, *ſimul & Civilis* illa dicitur, quæ ex natura rei oritur, & inſuper Civili Jure actionem in Judicio concedente, adversùs obligatum fatetur, qualis obligatio pactorum veſtitorum; ſicque reſtituere obligatur ille, qui rem vendidit ultra dimidium juſti pretii à Lege, vel à Judice ſtatuti.

4 Porrò obligatio quandoque oritur ex contractu perfecto, ut ex dicendis conſtabit, quandoque ex contractu imperfecto, vel quaſi contractu, ut patet in illis, qui ex officio ad aliquid tenentur, prout tenetur Tutor, Curator, negotiorum geſtor, Medicus, & ſimiles; qui ex officio tenentur ad procurandum bonum pupilli, minoris, ſubditi, &c. & quidem ex juſtitia, qui contractus multoties fit, nobis inſciis, & invitis. Putà Petrus utiliter gerit negotium amici abſentis, & ignorantis, obligatur ex juſtitia ad utiliter agendum, & cum eo quaſi contraxiſſe videtur, & tamen inſcio amico. Item officio Judicis quis cogitur ſuſcipere tutelam, vel curam Pauli, jam quaſi contrahit cum Paulo, & tamen invitus cogitur, & compellitur hujuſmodi onera ſuſcipere, ac ſuſtinere, in quo etiam non intervenient voluntate pupilli obligatur ex juſtitia ad ejus rem bene gerendam.

5 Dividitur autem primò contractus perfectus, & abſolutus in contractum nominatum, & in innominatum; *innominatus* eſt, & dicitur ille, qui ſpecifico nomine caret, cujus quatuor aſſignantur ſpecies in L. *Naturalis* in princip. ff. de præſcriptione verbor. ſcilicet: *Do, ut des, Do, ut facias, Facio, ut des*, & *Facio, ut facias*; do tibi panem, ut des mihi vinum, eſt: *Do, ut des*; do tibi panem, ut in meo fundo labores, do tibi centum, ut litem non perſequaris, vel ut a tali operatione deſiſtas, eſt: *Do, ut facias*. Si autem laboras, ut tibi Petrus det centum, vel ſi ab aliquo opere abſtineas, ut ipſe tibi det centum, eſt: *Facio, ut des*. Si verò ejus fundo laboras, ut ipſe aliquam artem te doceat, vel ut apud aliquem pro te intercedat, eſt: *Facio ut facias*; quòd ſi fuerit dubium an contractus nominatus, innominatus vel fuerit, ut innominatus judicari debet. ¶ Contractus nominatus dicitur ille, qui ſuo ſpecifico nomine gaudet, cujus plurimas ſpecies aliqui DD. enumerant, ſed ſequentes tantùm in medio ponimus; videlicet: *Emptio*, & *venditio*, *mutuum*, *cambium*, (ad quos ſocietatis, & aſſecurationis reducuntur contractus) *permutatio*, *commodatum*, *locatum*, & *conductum*, *emphyteuſis*, & *feudum*.

6 Deinde ſecundò dividitur contractus *in explicitum*, ſive formalem, & *in implicitum*, vel *virtualem*, aut interpretativum; quorum primus fit verbis, vel ſignis exprimentibus internum contentum, & hic propriſſimè dicitur contractus. ¶ Secundus autem fit abſque ulla pactione expreſſa, qualis eſt tutela, & quicunque alius, ex quo quis ex officio pro alterius bono reſpicere debet; & hic non eſt propriè contractus, ſed quaſi contractus.

7 Tertiò dividitur *in lucrativum*, & *oneroſum*. Primus dicitur ille, in quo nihil rependitur, uti *promiſſio*, *donatio*, *commodatum*, *teſtamentum*, *legatum*; ſecundus dicitur ille, in quo pro accepto rependitur aliud, rependi vel debet, uti *emptio*, *venditio*, *locatio*, *conductio*; vel ille eſt, quo ex utraque parte inducitur obligatio, & per utroſque plenum rei dominium quandoque transfertur, ut *in donatione*, *venditione*, & hujuſmodi, quandoque autem ſolùm dominium utile, vel uſus rei, ut in *commodato*, *locato*, &c.

8 Quartò dividitur in *nudum*, & *veſtitum*; nudus in ſola conventione conſiſtit, omnique firmamento caret, nec adimpletus eſt ex altera parte, vel juramento firmatus, qualis eſt contractus innominatus. Et etiam contractus, qui cum rei traditione perficiatur, non dum res eſt tradita. ¶ Veſtitus autem ille eſt, qui aliquid amplius habet, Juriſque Civilis robur, & hic quinque modis fieri valet, ſive veſtiri. Primo, ſi ex altera parte ſit adimpletus. ¶ Secundo, ſi adſint verba, formulaque ſtipulationis accedat, uti ſi uno interrogante: *Ennſpalium*? reſpondeat

pondeat aliter: *Emo*, vel *spondes centum*? respondeat: *Spondeo*, id quod fiebat olim, sed hodie pactum ad inducendam obligationem civilem verè vestiri, confirmarique solet scripturâ privata, vel publica. ¶ Tertio, si adsint literæ, quibus aliquis confiteatur sibi fuisse satisfactum, & hoc licèt non ita esset, & vocatur *acceptilatio*. ¶ Quarto, si pactum, sive contractus nomen specificum habeat, ut contractus nominati *emptio*, *venditio*, *locatio*. ¶ Quinto, si juramento firmetur.

9 Quintò dividitur contractus in absolutum, & conditionatum, quorum primus est qui fit independenter à quacunque conditione. Secundus autem qui ab aliqua extrinseca conditione dependentiam habet, uti dono tibi hoc, vel illud, si ad Presbyteratum ascenderis, aut si navis ex India venerit; atque adeò contractus conditionati valor ab adventu, sive veritate conditionis adjectæ omnino dependet, eaque non stante, vel non adimpleta, obligationem ullam non parit.

10 Contractus substantialiter, & intrinsecè quadrupliciter perficitur, nempe rei traditione, scripturâ, verbis, & consensu. Sic communiter Contractus, qui *rei traditione* perficitur, perfectus non censetur antequam res ponatur, ut *donatio*, *mutuum*, *commodatum*, *depositum*, *pignus*, nam antequam res donata tradatur, erit quidem promissio, non verò donatio. ¶ *Scriptura* perficitur, quando contrahentes non intendunt contractum perficere donec coram Notario, & testibus in scriptis perficiatur; quare ante scripturam completam singuli resilire possunt, nisi contrarium aliunde constet. Debent etiam scripturâ perfici contractus illi, ad quorum valorem, vel formam de Jure scriptura requiritur, uti ad contractum emphyteusis de rebus Ecclesiasticis, & ad contractus illos, qui insinuatione indigent. ¶ *Verbis* perficitur ex certa forma verborum, qua contrahentes uti solent, uno interrogante, respondente alio, uti: *Spondes mihi dare centum*? respondet alter: *Spondeo*, vel: *Dabis mihi centum*? *Dabo*, hoc tamen, ut dictum manet, antiquo solo Jure necessarium erat, in Jure nanque modus hic contrahendi rejicitur; sicque hodie quælibet verba voluntatem utriúsque contrahentis exprimentia satis sunt ad contractûs valorem, § 2. *Instit. de verb. oblig. Legatur Lugo de Just. tom. 2 Disp. 22. Sect. 3. n. 23.*

11 *Consensu* perficitur contractus, non in aliqua verborum forma, sed in quolibet actu externo, vel signo, quo contrahentium consensus sufficienter cognoscatur, ut est emptio, venditio, locatio, conductio, societas, mandatum ex §. *unico Instit. de obligat. ex consensu.* ¶ Sed adverte primò quòd, si dubium sit, contractus sit? Semper contrahentium mens attendi debet, ut inde contractûs cognoscatur qualitas; quia agentium actus ultra eorum intentionem non operantur. ¶ Secundò adverte nos sup. dixisse contractus substantialiter, & intrinsecè quatuor modis perfici, hîc nanque loquimur de perfectione contractûs quo ad essentiam, & non quo ad effectum; quo ad effectum enim contractus tunc est perfectus, quando impletur id, ad quod obligat. Cæterùm hoc non est aliquid intrinsecè pertinens ad ipsum contractum, sed est illius effectus, & sic Matrimonium perfectum est in ratione contractûs, & si postea conjugalis non ponatur copula, ad quam ipse matrimonialis contractus ordinatur.

12 Statim, ac contractus censetur perfectus, illico obligat in conscientiæ foro ita, ut alter sine altero ex contrahentibus resilire non possit, & hoc maximè in contractibus, qui reciproco consensu partium perficiuntur; sed quilibet pacto stare tenetur, eo quòd ex perfectione contractuum civilis, & naturalis obligatio nascitur, quæ non dissolvitur, nisi per easdem causas, per quas generatur. *Obligatio civilis* obligatio est pro foro externo producens actionem, & exceptionem in altero ex contrahentibus, & in utroque, si uterque sit obligatus. *Naturalis* autem *obligatio* in contractibus est obligatio ex justitia, & in conscientia obligat sub mortali His jungitur obligatio *antidoralis*, seu *antidora*, qua scilicet quis tenetur suo benefactori esse gratus: sed hæc tantùm debitum morale inducit, quod non est præceptum. Jungitur & etiam obligatio, quæ *honoraria* dicitur, quæ latè etiam naturalis nominatur, & obligat tantùm ex fidelitate, & ex veritate, qua homines honorarii verbum suum honorare procurant. Et hæc nullatenus sub mortali obligat. Est tamen propria hominum boni nominis quæ frequenter in simplici hominum verbo reperitur, uti: *A fé de homem de bem, que tenho de comprir minha palavra*, &c. Unde

13 Resolves primò quòd contractus illi, qui scripturâ perficiuntur, nullatenus ante illam obligant, ea tamen confecta non possunt contrahentes sine mutuo consensu resilire. Et idem dicitur, vel dicendum de contractibus illis, qui rei traditione perficiuntur, in quibus, antequam res tradatur, potest alteruter resilire, sed non postea; si tamen consuetudo, Lex municipalis, vel contrahentium intentio circa obligationem contractuum aliquid determinet, tali determinationi standum erit.

14 Secundò quòd omnis contractus, etiam nudus, liberè factus, si contrahentes sint habiles, naturalem obligationem parit, ac in foro

consci-

conſcientiæ obligat ita, ut parte invita, reſiliri nequeat, niſi Civili Jure talis contractus ſit irritus, vel detur irritandi poteſtas, Jure nanque naturæ tenetur quis id, quod promiſit, præſtare, acceptante altero, ſive onerolo, aut gratuito promiſerit titulo; ſi tamen contractus poſitivo Jure aliquo irritus fuerit, non obligat; qua de cauſa, licèt contractus impuberi, & alienatio fundi dotalis, aliique permulti contractus naturali Jure validi eſſent, & in Animæ foro obligationem inducerent, illam non pariunt, eo quòd tales, ſimileſque contractus irriti, & nulli reddantur. Hæc autem poteſtas irritandi, & annullandi contractus apud ſupremos Principes reſidet, & maxime Eccleſiaſticos; ſicut nanque homines privati conditiones aliquas contractibus apponere poſſunt, de factoque multoties apponunt ita, ut illis ſubſiſtentibus validi ſint, & non ſubſiſtentibus illis, reddantur invalidi, ita à ſortiori ſupremus Princeps id facere poterit, de factoque ab Eccleſia factum eſt in contractu matrimoniali clandeſtino, multis & contractibus aliis à Principibus aliis.

15 Tertiò quòd ex mutuo contrahentium conſenſu contractus diſſolvi valet, nanque res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, diſſolvive poteſt. ¶ Item quòd altero id, quod promiſit, obſervare nolente, etiam alter reſilire poteſt, quia non ſe aliter obligare voluit, niſi altero perſeverante in voluntate ſe obligandi, & pactum, vel contractum ſervandi. ¶ Item, ſi alter ex parte ſua implevit, & poſuit id, quod promiſit, non poteſt alter, primo renuente, repetere, quia per poſitionem rei promiſſæ jam pactum, vel contractus veſtitus eſt, ſubindeque in Judicio actionem parit. ¶ Item quòd aliqui ſunt contractus nudi, qui Juris privilegio obligationem civilem etiam pariunt, quales ſunt donatio acceptata ante traditionem *ex L. Si quis argentum*, §. *ult. Cod de donat.* promiſſio dotis *ex L. Ad exactionem*, *Cod. de act. promiſſ.* promiſſio, qua aliquis ſe pro alio ſolutum promiſit: §. *De Conſtitut. Inſtit. de action.* pactum nudum pignoris, ut notat Barthol. *in L. Juris gentium in princip.* prope fin. ff. de pactis, & quædam alia, quæ recenſentur à Gloſſa in dicta *L. Jur Gent.* §. *Sed cum nuda*, verb. *igitur*, ff. de pactis.

16 Quartò quod, licèt ex aliis pactis, vel contractibus nudis obligatio civilis non oriatur, oriuntur tamen alii effectus, adhuc in externo foro ratione obligationis naturalis, quæ adeſſe ſupponitur. Et primò exceptionem pariunt, ut ſcilicet pacto illo ab exactoris petitione ſe defendere poſſis. ¶ Secundò ſoluti repetitionem impediunt. ¶ Tertio fidejuſſor accedere poteſt, & efficaciter ſe obligare, & tunc datur actio, ſi non adverſùs paciſcentem, ſaltem adverſùs eum, qui pro illo fidejuſſit. ¶ Quarto poteſt retineri pignus. ¶ Quintò tribuunt jus compenſandi in conſcientiæ foro ita, ut ſi quid alibunde Petro debebas, poteris (ſervatis ſervandis) compenſare pro illo, quod ex pacto, vel contractu nudo ipſe tibi debebat; id quod in externo foro verificari dicitur etiam; de quibus omnibus *Molina Diſp. 253. & Lugo ſup. à num 51.* quæ maximè verificantur, ſi pactum, vel contractus nudus juramento firmetur. Hæc omnia, quæ hactenus a principio ſcripta ſunt, reperies (eſto non omnia in omnibus) *apud Bonac. hic Diſp. 3. P. 1. num. 4. Rebel. 2. P. de obligat. Juſt. lib. 1 Q. 1. & 2. Azor 3. P. lib. 4 cap. 1 & 2. Dicaſtill. lib. 2. Tract. 3. Diſp. 1. à Dub. 1. ad 5. Trullench. Decal. cap. 16. Dub. 1. & 2. Lugo tom. 2. Diſp. 22. Sect. 1. 2. 3. & 5 à Spiritu Sancto Decal. Tract 10. Diſp. 10. Sect. 1. & 2. Salmant. Tract. 14. de Contractib. cap. 1. P. 1.* & apud quamplures alios.

17 Rogabis primò quiſnam internus conſenſus ſit omnino neceſſarius ad valorem, & obligationem contractûs? Ad hoc ex multis à nobis in hoc Breviario jam traditis ſufficienter conſtat; lege *in 3. P. Tract. 17. cap. 1. Lect. 3. & alibi, vel Salmant. Tract. 17. de Voto, cap. 1. num 21. & Tract 9. cap. 1. P. 3. Lugo ſup. Sect. 4 n. 36. & de Sacram. in gener. Diſp. 8. Sect. 8.*

18 Secundò rogabis utrùm contractus, cui dolus, vel error cauſam dedit, ſit firmus, & validus? Ad hoc ſatis conſtare poterit ex his, quæ dedimus *2. P. Tract. 12 cap. 5. Lect. 1. vel vide Salmant. Tract. 9. de Matrim. cap. 9. per totum, ac cap. 10. & Tract. 14. cap. 1. P. 1. à Spiritu Sancto de Juram. Sect 18. Fagund 2. Decal. lib. 2 cap. 13. Bonac. de Contractib. Diſp. 1. P. 1 §. 5. Sanch. de Matrim lib. 7. Diſp. 18. & lib. 10. Diſp. 9. Molina Diſp. 209. Dicaſtill. lib. 2. Tract. 3. Diſp. 1. Dub. 6.*

LECTIO II.

Utrùm, & qualiter metus vitiet contractum?

19 QUid, & quotuplex ſit metus, pluraque alia pertinentia ad metum vidimus *ſecunda hujus Breviar. Parte, Tract 11. c. 2. Lect. 2. legenda per totam.* Et, licèt ea, quæ ibi exarata relinquimus, ſatis erant ad ſciendum id, quod ſub hujus Lectionis titulum cadit, placet tamen aliquid in medium adducere ad Lectoris gratiam. Illis ergo ſuppoſitis, (& à curioſo lectis) quæ cit. loco præſtitimus,

20 Dicitur, & aſſeritur primò quòd metus ille, qui ab intrinſeco provenit, uti eſt metus, qui à cauſa naturali incutitur, ut à fera mortem

mortem minante, vel à tempestate, naufragio, ægritudine, morbo, infirmitate, bello, peste, &c. non irritat, aut viciat contractum. Ratio est: nam talis metus idem est, ac si metus non esset, vel non esset appositus, cùm talis metuens sponte sua ad hoc obligetur ex se, & non ab alio tertio, ex sua enim propria voluntate illud medium eligit, putà eleemosynam pauperi dare, ut à malo, vel periculo illo, quod timet, immunis evadat; quapropter, sicut validus esset contractus, si metus ille non esset appositus, item validus est, quanvis talis ille apponatur metus; consensus nanque præstitus in tali casu semper liber est, id quod, & non amplius, ad cujuscunque contractûs valorem requiritur. Communis.

21 Secundò idem dicitur, & asseritur de contractu metu levi inito, licèt talis metus det causam contractui, si, omnibus circunstantiis inspectis, fuerit levis, nonque sit respectivè gravis; id quod patet *ex L. Nè timorem 7. ff de eo, quod metûs causâ fit* ibi: *Metus vani non est expectandus, sed is, qui in constantissimum cadit*, ubi, ut vides, metus *vani hominis*, qui est vir inconstans metu levi motus, pro nihilo reputatur, constat etiam ex ff. de reg. Jur. ubi dicitur: *Vani timoris nulla est excusatio.* Et ratione, nam talis metus contractum non irritat Jure naturæ, cùm nec illum irritet metus gravis, ut infra videbimus; neque contractum irritat ex Jure positivo, ut constat ex Juribus datis: ergo, &c. Legatur *Basil. Pontius lib. 4. de Matrim. cap. 10. num. 3. Medina de Restit. Q. 3. Causa 4. Lugo à num. 134.* & ea, quæ dedimus *cit. in loco, ac Salmant ubi sup. de Contract. cap. 1. P 2. n 9 & de Matrim. cap. 9 n. 30.*

22 Dicitur, & asseritur tertiò metum gravem à causâ libera justè incussum non irritare contractus. Et hoc, sive talis metus sit ad extorquendum consensum, vel contractum, sive non; vel à publica authoritate incutiatur, sive à privata, aut talis metus malis sit ex illis, quæ ex Jure malefactorem obligari petunt ad contractus, uti si stupratori metus mortis incuteretur, nisi cum à se defforata virgine nuberet, sive sit ex illis, quæ talem obligationem secum non afferunt, ut pœnam. Et

23 Probatur primò *ex L. Si mulier 21. ff. de eo, quod metûs causâ*, ubi sic legitur: *Si mulier contra patronum suum ingrata facta, sciens se ingratam, cùm de suo statu periclitabatur, aliquid patrono dederit, vel promiserit, nè in servitutem redigatur, cessat edictum, quia hunc sibi metum ipsa infert.* Ecce resolutionis decisio; patronus enim in dicto casu justè poterat ob mulieris ingratitudinem illam in servitutem reducere, ipsa tamen metuens nè in servitutem à patrono justè reduceretur, patrono aliquid dedit, vel promisit, in quo casu dicit clarus ille textus talem donationem valere, nonque irritam esse: *Cessat edictum, quia*, &c. & glosl. verb. *quia* in tali illo *quia* vim faciens, illud glossat, & ita dicit: ideo non revocari donationem, *quia* patronus justè poterat ob ingratitudinem in servitutem fœminam illam revocare.

24 Secundò probatur: quia in casu, quo metus à naturali causa incutiatur, non irritat contractus, ut dictũ manet: ergo etiam in casu, quo à causa libera incutiatur, si justè fuerit incussus. Conseq. probatur: quia idem est metum à causa libera incuti, si justè incutitur, ac à naturali incuti causa, uti ex textu: *Quia hunc sibi metum ipsa infert*, liquidò patet. Et bene quidem, quia consensus non extorquetur injustè, aut per injustitiam, ordo enim Justitiæ petit ut cogatur, & is, qui cogitur, non est rationabiliter invitus, cùm jure cogatur, & ipsemet sibi metum inferat; quapropter, licèt in casu videatur apparenter ab extrinseco cogi, re vera tamen coactio illa provenit ab intrinseco, oritur enim ex natura ipsius delicti, & sic à seipso, qui delictum perpetravit, cogi dicitur: ergo idem dicendum de metu justè incusso à causa libera. Mittuntur alia. Legantur *Salmant. hic P. 2. n. 9. & de Matrim. ubi sup. n. 43.*

25 Dicitur, & asseritur quartò quòd metus, inspectis omnibus, gravis, & à causa libera injustè incussus ad extorquendum contractum, nullo Jure, sive naturali, aut positivo humano, contractus tam lucrativos, quàm onerosos irritos reddit; sed omnes validi remanent, (aliquibus paucis exceptis) & supponit assertum patientem metum, verè, & ex animo assensum præbere, licèt metu gravi extortum: nanque, si verè, & ex animo non consentiret, ex hoc præcisè capite contractus omnes nulli, ac irriti manerent, licèt extrinsecè consensus signa præberet. Et

26 Probatur tertiò: nam ea, quæ ex metu fiunt, simpliciter, & absolutè sunt voluntaria, ac solùm secundùm quid involuntaria, juxta *Div. Thom. 12. Q. 6. Art. 6.* sed ad valorem contractûs ex natura rei solùm requiritur voluntarium simpliciter; & absolutè tale: ergo in casu asserti ex natura rei, vel jure naturæ irriti non erunt contractus.

Confirmatur primò: quia ille, qui ex metu mortis adorat Idòla, voluntariè id facit, & ideo mortaliter ita adorando peccat; similiter qui ex tali metu Ordines suscipit, voluntariè, & validè operatur: ergo & in casu nostro; ad valorem nanque contractûs Jure naturæ solùm requiritur consensus, vel voluntaria operatio, qui, vel quæ in dicto casu datur; uti supponitur.

Secundò confirmatur: quia ille, qui ex

[illegible] eſt [illegible], *Deus* [illegible] *Deus* [illegible] *Deus* [illegible]

30 Quòd, si postquam contractus factus est ex metu injusto dante illi caulam ad possessorem alium bona fide tranſeat, tunc potest ille, qui metum passus est, illam ab eo exigere, qui nullo modo metûs fuit causa, & hic illam illi tradere tenetur, ut patet *ex L. Si cum exceptione, §. Prædius de eo, qui metûs causâ.* Res enim vitio illo affecta cum illo ad alium possessorem transit; & id præcipuè verificatur in sententia asserente irritum esse talem contractum, (quæ probabilis est) quia dominium rei in tali sententia non amittit is, qui metum patitur; quapropter, si velit, bene poterit contra tertium possessorem illum actionem incipere; qui si oneroso contractu rem habuit, contra venditorem poterit postea agere, qui de evictione tenebitur, ac si alienam rem vendidisset. Et ut contractus modo dicto rescindatur, parum refert an ab altero contrahentium, nunquid ab alio tertio metus incutiatur, quia res metu acquisita eo semper vitio in quemcunque possessorem transit affecta; ut clarè constat *ex L. Item si cum exceptione* 14. §. *In hac actione* 3 *ff. de eo, quod metûs causâ.* Legatur Sanch. lib. 4. de Matrim. Disp. 8. num. 7. & Disp. 9. num. 6. Salmant. sup. num. 13. ad 15.

SUBLECTIO.

Aliqui ex doctrina tradita deducuntur casus.

31 EX doctrina tradita aliquos casus particulares oportet pro praxi ad medium trahere, ex quibus deduci poterunt alii. Deducitur itaque primò omnes venditiones, emptiones, transactiones, concessiones, promissiones, donationes, contractus, distractus, sive contractuum rescissiones, & in universum omnes, ac quoscunque consensus per metum gravem injustè extortos irritari posse unà cum omnibus actis inde sequutis. *Trulbench. sup. n. 4. N. Stephan. de Contract. in commun. cap. 4. n. 9.*

32 Secundò eum, qui est per metum injuriam passus, rem amittendó, eam recuperare licitè posse, occulta compensatione utendo, si alia viâ eam obtinere non valet; id quod ex alibi dictis liquet, & constat.

33 Tertiò ea, quæ metu gravi, vel levi, sed injusto acquisita sunt, restituenda esse, (secus, si justo metu sint acquisita) tunc enim metum incutiens ad restitutionem damni injustè illati tenetur. Cum multis *Dicastill. lib. 2. Tract. 3. Disp. 1. Dub 7. num* 113. *qui ibi num.* 114. addit quòd in civili, & externo foro contra metum incutientem non datur actio, nisi metus sit gravis; in foro tamen conscientiæ restituenda esse omnia, imò etiam in foro externo juxta *Sanch. & Layman*, quia, licèt non detur actio, nisi metus sit gravis, officio tamen Judicis rescinditur contractus ex metu minori initus, eo quòd æquum non est Judicem permittere ut metum incutiens ex culpa sua commodum reportet.

34 Quartò, si morbo gravi correptus alicui eleemosynam larga manu dedisti, ut eriperet te ab illo periculo, licèt ex metu gravi id feceris, valida, & irrevocabilis extat talis donatio, quia metus fuit ab intrinseco; & similiter validum est votum in naufragio, vel aliquo alio periculo emissum; cum *Sanch. Lugo sup. num.* 113.

35 Quintò, si puellæ pater, vel frater tibi minaretur mortem ob illicitum cum illa tractatum, & tu ad evadendum periculum promitteres illi matrimonium cum ea contrahere, valet votum, sive promissio, cùm metus hic verè sit ab intrinseco. Et idem, quanvis sit ab extrinseco ad extorquendum votum, cùm dicto casu talis metus sit justè illatus. Legantur *Salmant. de Voto, cap. 1. n* 161. *& seq.*

36 Sextò, si quis alteri aureos centum promittit, si ipse de latronum manibus eum eripiat, tunc valet talis promissio, estò ex metu sit facta, irritarique non potest, quia non ad contractum eliciendum fuit facta, sed ad aliud valde diversum, ut patet.

37 Septimò, (contra *Rebel. & Benac.*) si Rex justo titulo adversùs alium Regem tutò bellum gerere potest, potest & etiam ei pacem offerre, dummodo filiam suam accipiat, vel propriam filiam in matrimonium ei præstet, quia sicut pro stabilienda pace alia in pactum deduci valent, sic & matrimonium modo resilienti à promissione hac pœna non ponatur. *Lugo num* 162.

38 Octavò, si quis ob homicidium putà damnatus ad mortem eligeret, vel sponte sua, aut oblatione Judicis, vel pactione partis, cum filia, aut uxore defuncti matrimonium contrahere, ut mortem evaderet, validum, si nuberet, matrimonium foret, quia ex justa Judicis sententia pœnæ fit compensatio, & ipse liberè talem compensationem sibi assumit, tanquam medium, ut à morte evadat. *Basil. Pontius cap. 19. n. 10 Aversa Q 4 Sect. 4. & alii.*

39 Nonò, si quis capite plectendus cum meretrice eligeret nubere ex consuetudine terræ, vel ex Judicis concessione, quanvis talem mortem aliàs non evaderet, nisi cum illa nubendo, (modo talis timor, vel metus ei non esset incussus ad matrimonium extorquendum, sed in pœnam alterius delicti) tale matrimonium valeret, quia tunc pœnæ compensatio datur, ut loco mortis matrimonium eligatur. ¶ Id quod etiam verificari dicitur, & si

talis metus injustè incussus esset vel à Judice, sive ab aliquo alio particulari, sed non ad matrimonium extorquendum, quia etiam tunc matrimonium ut medium, ad periculum illud evadendum eligitur. Cum multis *Salmant. num.* 45.

40 Decimò validum est matrimonium excommunicationis metu initum ab eo, qui sponsalia contraxit. ¶ Valida donatio ab adultero facta ex metu justæ accusationis incusso ab eo, qui jus accusandi habebat. *Amicus Disp.* 17. *num.* 29. ¶ Validum matrimonium, si quis sponsalia promisit, & à Judice ea adimplere cogitur. ¶ Item si quis sub spe matrimonii virginem defloravit. ¶ Et etiam si quis simpliciter eam cognovit, nonque eam dotare valet, tenetur enim eam ducere, vel dotare, Judicis præcedente sententiâ, ut vidimus alibi.

41 Undecimò, si pater, vel frater juveni deprehenso cum filia, vel sorore minaretur se eum apud Judicem accusaturum, nisi promittat cum illa nubere, & nubat, valet promissio, & matrimonium, teneturque juvenis ad illam ducendam: quia per talem metum non infertur injuria juveni, sed ipse ex se cogitur ad id, ad quod tenetur, & Jura solum matrimonium, metu injustè incusso, irritare communiter dicitur, & asseritur.

42 Duodecimò, si latroni, vel homicidæ quis minaretur se eum coram Judice accusaturum, nisi ejus filiam ducat, etiam promissio ab eo facta tali metu valet, sicque matrimonium contrahere tenetur, quia propriè talis metus ad matrimonium non incutitur, sed offertur ut medium ad evadendum malum, quod justè incuti valet, neque in hoc accusator injustè procedit, cùm ei optionem det, vel ut matrimonium eligat, aut malo, quod ei justè inferri potest, se subjiciat. *Salmant. suprà.*

43 Decimoterriò (ut quid probabilius) si Judex injustè delinquentem ad mortem damnaret, & eum liberare promitteret, si ejus filiam ducat, illeque ex mortis metu nuberet cum illa, quam alias nullatenus vellet habere uxorem, valet matrimonium, quia ad matrimonii consensum extorquendum non ei incutitur metus, sed ei ad evadendum periculum ex alio capite sibi impendens modus offertur; & sic voluntate sua matrimonium eligit, ut se à tali periculo liberet, ut patet in casu de matrimonio cum meretrice sup. allato. *Salmant. sup. num.* 49.

44 Utrùm autem, si Judex justè secundùm allegata, & probata aliquem ad matrimonium ineundum cogeret, qui reipsa, & coram Deo ad id non teneretur, matrimonium esset validum, & quid si injustè secundùm allegata, & probata, juste tamen secundùm rem? Variant DD. legantur *Lugo sup. num.* 163. *Sanch. Disp.* 13. *n.* 8. *ac Salmant. sup. n.* 51.

45 Decimoquartò, si ægrotum mederi Medicus nolit, nisi cum sua sorore, vel filia nubat, valet matrimonium, juxta plures, quos adducunt *Salmant sup. n.* 53.

Sed in hoc casu melius cum distinctione proceditur, & dicitur quòd vel Medicus ex alio fine ægrotum curare recusat, ægrotusque ipse ad eum movendum tale matrimoninm offert, & tunc bene cum dictis AA. dicitur tale matrimonium valere. Aut Medicus ad matrimonium extorquendum renuit curare ægrotum, & tunc adhuc sub distinctione proceditur, & dicitur quòd vel opera Medici non est simpliciter necessaria ad curationem talis ægroti, eo quòd alius esset, qui æquè bene posset ægrotum mederi, & nihilominus ægrotus ipse ad eum movendum ex sua libera voluntate dictum matrimonium inire promitteret, & tunc dicitur tale matrimonium valorem accipere.

46 Sed si Medici opera simpliciter necessaria esset, quia non esset alius, & necessitas valde urgeret, tunc, casus, credimus matrimonium tale invalidum esse, quia, quanvis timor oriatur ex morte, nihilominus Medicus in tali casu curationem necessariam denegans procul dubio injustè metum incutit gravem, sicut si in extrema necessitate jacenti subsidium ad vitam necessarium denegaret, impendere potens, nisi cum filia, aut sorore nubere vellet, in uno enim, & in altero casu metus ille esset injustè incussus ad extorquendum consensum, subindeque nullum matrimonium redderet. Sic tenent Aversa Sect. 4. §. *Adnotare etiam*, Pontius lib. 4. cap. 19. num. 15. Rebel. Q. 11. Sect. 2. num. 16. Salmant. sup. de Matrim. num. 54. & alii, ac ex doctrina casus plures resolvi valent.

47 Decimoquintò (ut quid probabilius) si metus gravis fuerit injustè incussus per ordinem ad matrimonium, estò non respectu alicujus particularis, vel determinatæ personæ, sed indeterminatæ, vel in genere ad nubendum solùm, non tamen cum hac, vel illa determinata persona, in casu, quo metum patiens ad nubendum determinatus non esset; vel si determinatus esset in genere, ad nubendum tamen cum aliqua determinata persona, putà filia Petri, metu gravi cogeretur, vel cum aliqua ex tali Civitate, vel genere ejus voluntati relinquendo ut eligeret ex eis quam vellet, matrimonium nullum evaderet. Cujus sententiæ sunt *Sanch. de Matrim. lib.* 4. *Disp.* 12. *Pontius lib.* 4. *cap.* 14 *Dicastill. Disp.* 4 *Dub* 8. *n.* 88. *cum multis Salmant. de Matrim. cap.* 9. *n.* 40.

48 Decimosextò metus propriè reverentialis,

tialis, qui eſt futuri mali exiſtimatio, quod nobis ab his metuimus, in quorum legitima poteſtate ſumus, & quos cultu, & honore dignamur, matrimonium irritat, & quoſcunque contractus; ſecus autem, ſi metus reverentialis propriè talis non fuerit, qui eſt, quando parens, maritus, ſuperior, tutor, curator, &c. talis conditionis eſt, ut nonniſi leviter tantùm offendatur ex eo, quòd ei obedientia negetur, tunc enim contractus ex tali metu factus non irritatur, nanque ſi talis metus ſufficeret ad irritandos contractus, quidquid filius faceret poſtulatus à patre, uxor à marito, ſubditus à Prælato, &c. irritum eſſet, quia metu, & reverentiâ id facere dicerentur. Et hæc ſententia eſt communis. ¶ Et idem, quod dictum eſt de metu reverentiali propriè tali, dicitur etiam, & in eodem ſenſu de precibus nimis importunis. Legantur *Dicaſtill. ubi ſup. Dub. 7 n. 117. ac 118 Trulbench. lib. 7. cap. 10. Dub. 4 Salmant. ſup. num. 38. Sanch. cit. Diſp. 9. & lib. 1. de Matrim. Diſp. 8. ac Lugo ſup. Sect. 7. n. 149. & 150.*

49 Decimoſeptimò ſi fingas advenire hoſtes juſtè occiſuros cives omnes præter Religioſos, quibus nocere nolunt, & Petrus putà dolo hoc circunventus, metuque occiſionis occupatus Monaſterium ingrediatur, ut Monachus fiat, in eoque profiteatur, valebit Profeſſio, quia dolus, & error non fuit circa ſubſtantiam, licèt Profeſſioni cauſam dederit. ¶ Et idem, ſi revelationem confingas, quòd Deus iratus Petro propter ejus peccata vult anno ſequenti eum de medio tollere, niſi reſipiſcat, & Petrus eo metu Religioſus fiat, ut ſic imminentem mortem fugiat; valebit Profeſſio, quia, licèt fuerit ex dolo, non tamen ex metu injuſto, cùm Deus juſtè id exequi poſſet. *Lugo ſup. num* 169.

50 Decimooctavó duo ſocii, & amici erant, quorum unus, cùm ſciret alterum in ſuperiori cubiculo cum meretrice, vel amaſia in lecto cubare, ut amicum ſuum deterrere poſſet, & ab illo peccato, malo vel ſtatu avertere, immiſit ignem per funiculum ſulphure unctum, quem funiculum prius ſuramine ſubtili ab inferiori cubiculo ad lectum uſque alligaverat, quo repente lectulus cœpit ardere, quem ignem amicus alter in cubiculo cum meretrice recubans in pœnam ſui peccati à Deo immiſſum fuiſſe credens, ſtatim ad Ordinem Religioſorum ſe contulit, profeſſus eſt, & laudabiliter vixit; talis Profeſſio fuit valida, quia licèt ex metu facta, non tamen ex metu injuſto formaliter, ſed ex dolo. *Lugo ſup. legatur.*

LECTIO III.

An contractus ſine ſubſtantiali juris ſolennitate facti validi ſint, & in conſcientia obligent?

51 DUm in titulo ponitur: *Sine ſubſtantiali juris ſolennitate facti* ſupponitur id, quod eſt certum, nimirum quòd, ſi ſolennitas accidentalis deficiat, non ideo irritus redditur contractus, id quod clarè in matrimonio cernitur, quod verè ſubſiſtit abſque proclamationibus, & aliis ſolennitabus accidentalibus: Lex enim non irritat, ſed ſolùm prohibet ſine ſolennitatibus fieri, & non eſt idem prohibere fieri actum, ac illum irritare, cùm plurima ſint, quæ Lege prohibentur, quæ tamen facta, & ſi illicitè, tenent, ut conſtat *ex cap. Ad Apoſtolicam de Regular.* patet & etiam in matrimonio facto ab habente ſimplex Caſtitatis votum, quod factum tenet, & ſi illicitè ſit factum. Et hic non eſt ſermo de contractu matrimoniali, neque de Profeſſione religioſa: nam, ſi in his ſolennitas Juris ſubſtantialis deficiat, nullíter fieri in confeſſo eſt apud omnes, ſed eſt ſermo de contractibus aliis; de quibus loquendo

52 Dicitur quòd circa rem hanc duplex graviſſima ſententia extat, & utraque ſatis probabilis, ut videre eſt *apud Salmant. tom. 3 tract. 14. cap. 1. P. 6.* & apud ab ipſis ibi adductos; probabilior tamen ſententia apparet, & eſt illa, quæ docet nullos eſſe in conſcientiæ foro tales contractus, pro eaque ſtant cum duodecim *Salmant. cit. in loco.* Et

53 Probatur primó: quia Eccleſia, & Reſpublica in contractibus modum, & formam præſcribere poteſt, quo modo, & formâ non ſubſiſtentibus, nulla in contractibus obligatio oriatur; quia, cùm contractus civilis res ſint Principum judicio ſubjectæ, & hi communi totius Reipublicæ bono providere teneantur, omnino neceſſarium eſt illis ad rectam Reipublicæ gubernationem hanc poteſtatem concedere, ſeu admittere, ſcilicet quòd pro contractûs valore, etiam in conſcientiæ foro, modum, & formam ſubſtantialem apponant, qua deficiente, contractus omnino deficiat, & qua ſubſiſtente, ſubſiſtat, adhuc in conſcientiæ foro, id enim multoties expedit bono communi ad evitandas contractuum frequentes fraudes, & dolos; congruum igitur eſt, rationique valde conſonum hanc eis poteſtatem concedere.

Secundò, quia ipſimet contrahentes conditiones aliquas in contractibus apponere poſſunt, ut ipſamet experientia teſtatur, quibus deficientibus, contractus omnino deficiat, & eorum nullus maneat in conſcientia ligatus: idiptum

idipsum ergo poterit Ecclesia, Princeps, & Respublica facere, non enim negandum est Reipublicæ, &c id, quod personæ singulari conceditur, cùm Respublica & commune bonum, & particularium attendat.

Tertio, quia Leges irritantes contractus non fundantur in falsa præsumptione, sed in solida veritate, ad fraudes evitandas, & pericula, quæ communiter in contractibus contingere solent; constat autem quòd Leges, quæ fundantur in fraudis, ac doli periculo, semper obligant, adhuc fraude, vel dolo deficiente de facto, nam quod fraus, vel dolus de facto deficiat in hoc, vel illo casu, hoc est mere per accidens, mereque contingenter, & Lex de communiter contingentibus non est, neque curat: (uti vidimus Tract. de Legib. & de quo legi poterunt *Salmant. Tract.* 11. *cap.* 2. *á num* 82.) Leges ergo contractus irritantes in conscientia obligant; quilibet ergo in conscientia stare tenetur, secundùm quod Lex pro illo contractu decernit; si igitur Lex decernit quòd contractus, hac solennitate non posita, sit nullus, nullus re vera erit, & nullatenus contrahentium conscientias ligabit.

Quarto denique, & efficaciùs, quia Ecclesia Sancta contractum matrimonii irritavit, quando sine Parochi, & testium præsentia fit, decrevit enim in dicto casu consensum talem irritum esse, & nullam prorsus obligationem adhuc in conscientia parere, id quod verum habet, etiam si nullus dolus, nullaque fraus intercesserit, quia semper, ut intercedat, periculum adest: id ergo, quod in hoc contractu ob commune bonum factum est, poterit etiam in aliis contractibus fieri, & de facto constat ita factum esse circa alienationem bonorum Ecclesiæ sine debita solennitate factâ, & etiam circa alienationem à pupillo factam sine authoritate Tutoris, quæ invalidæ sunt in conscientiæ foro, etiamsi constet nullum interesse dolum, deceptionem, vel fraudem.

SUBLECTIO.

Ex doctrina tradita casus aliqui trahuntur ad chartam.

54 EX doctrina tradita aliquos placet ad medium trahere casus, ut illis visis, consimiles resolvantur alii. Itaque resolvitur primò invalidam esse alienationem, invalidos & esse pupillorum contractus sine authoritate Tutorum, & Curatorum celebratos, de re immobili, vel pretiosa, quæ servando servari potest, id enim omne irritat Jus tali modo factum: *L. Si minor, Cod. de prædiis minor.* & est communis.

55 Secundò quòd, quanvis tam gratuiti, quàm onerosi contractus, deficiente substantiali solennitate Juris, deficiant, sint nulli, nonque valeant, res tamen accepta in oneroso contractu, alia re æquali tradita, retineri valet; sed hoc non virtute contractûs, cùm sit invalidus, sed titulo compensationis loco rei æquali traditæ, donec repetatur, & restituatur illa alia res tradita, in hoc enim casu retinens nullam alteri injuriam facit, cùm æquale tra iderit; secus verò in contractibus gratuiti.; quia in istis ad retinendum titulus deficit, nanque cùm voluntas in donante gratis sine solennitate non sufficiat ad transferendum dominium, non est titulus retinendi rem illam acceptam, ac proinde ante Judicis sententiam restituenda erit. *Lessius lib.* 2. *cap.* 3. *de Testam. Dub.* 3. *num.* 36. *Molina Tract.* 2. *Disp.* 81. *& á Spiritu Sancto ubi sup. Sect* 6. *num.* 449.

56 Tertió (contra *Molinam sup. Mantica de Conject. ultimar. volunt. lib* 2. *tit.* 14. *num.* 10. *Less. sup. Dub.* 3 *& alii*) testamenta sine solennitate substantiali requisita in utroque foro invalida esse, nullamque obligationem in conscientia inducere. Covar cap. 1. *Cùm esses* de testam. num. 8. & alii à Sanch. de Matrim. lib. 1. Disp. 7. relati.

57 Quartó hæres ab intestato nihil restituere tenetur hæredi instituto in tali testamento non solenni, quia tale testamentum ita se habet, ac si nunquam fuisset factum; poteritque dictus hæres ab intestato occulta compensatione uti, si hæres, vel legatarius institutus in testamento non solenni aliqua viâ legatum, aut hæreditatem adierit. Et idem in aliis contractibus (contrarium est probabile. (Legantur *Salmant. sup num.* 52. *Lugo Sect.* 9. *num.* 158. *Clavis Regia lib.* 3. *cap.* 7. *ac Less. cap.* 19. *num.* 21. *legantur dicenda Tract.* 29. *cap. Sect* 2. *num.* 28. *&* 29.

58 *Molina autem Tract.* 2. *Disp* 81. addit hæredem ab intestato in exteriori foro compelli posse ad jurandum, ut declaret an ipse sciat testatoris voluntatem fuisse eam, quæ in testamento minus solenni explicatur, & si concedat, cogendus est, non ex vi testamenti, sed ex propria confessione restituere legata, vel hæreditatem juxta testatoris voluntatem. Et si jurare renuat, addit *Lugo legendus num.* 156. pro confesso habetur: in nostra tamen sententia ad nihil tenetur hæres ab intestato, cùm ex testamento non solenni nulla obligatio oriatur. Legatur *Dicastill. de Contract. lib.* 2. *Tract.* 3. *Disp.* 1. *Dub.* 8. *án.* 137.

59 Quintó si hæres institutus in testamento minus solenni hæreditatem accipiat, non potest non solvere legata legatariis eo testamento relicta propter solennitatis defectum,

eo

eo enim ipso, quòd ipse vult eo testamento tanquam valido uti, debet ejus legata legatariis omnibus solvere, nam si valet quo ad hæreditatem, cur non quo ad legata? Legatur *Lugo num.* 262.

60 Sextó qui per fraudem, vel dolum, & similia probat, & defendit rem ex testamento minus solenni sibi deberi, peccat contra Justitiam, & ad restitutionem accepti tenetur. *Dicastill sup. num.* 143. *ibi num.* 145. addens quód testatoris voluntas in chirographo à se scripto non obligat in conscientia, quia non habet vim testamenti, nisi fortè illa scriptura sit inter liberos. Legatur *Vasques de Testam. cap* 3. *Dub.* 1. *& Lugo n.* 264.

61 Septimó attamen, licèt testamentum minus solenne non valeat quo ad reliqua in ipso contenta, valet tamen quo ad omne id, quod est pium, vel valet in legatis ad causas pias, (cujus nomine veniunt Ecclesia, Monasterium, Hospitale, pauperes, Divinus Cultus, suffragia, & quidquid præcipuè Dei intuitu, & finis supernaturalis sit, de quo *Molina tom.* 1. *Disp.* 134 *in princip & Salmant. infra à num.* 16.) quinimo eo ipso, quòd de voluntate testantis, aut legantis constet, tenetur ille, ad quem spectat, omnia in conscientia implere, quacunque ratione veritas innotescat, in foro autem externo, eo ipso, quòd veritas probetur; quod patet ex cap. *Relatum de testam.* & ex cap. *Cùm esses* eod. tit. id, quod habet locum, tam in seculari, quàm in Ecclesiastico foro. Et hoc est communiter receptum apud DD. legatur Covar. in dicto cap. *Relatum*, & Vasques sup. num. 12.

62 Utrùm autem testamentum principaliter ad pias causas factum valeat etiam quo ad legata profana, si solennitas desit? Probabiliter pro utraque parte variant DD. circa quod legatur *Molina Disp.* 134. *Lessius lib.* 2. *cap.* 19. *Dub.* 2. *num.* 9. *Dicastill. sup. num* 149. *& de Testam. Disp.* 1. *Dub.* 10. *& præcipuè num.* 129. *ac Salmant. infra n* 19.

63 Octavó & ex dictis in hoc casu 7. sequentia inferes, primò ad valorem testamenti ad causas pias duos, vel tres testes sufficere, qui alioquin in aliis negotiis plenam probationem facere possint, sive sint masculi, aut fœminæ, prout notat *Sanch. lib.* 4. *Consil cap.* 1. *Dub* 7. *num.* 4. unde ad eum, qui testatoris dispositionem impugnare velit, omnino probare spectat defectum in testem, ob quem ad fidem faciendam non esset idoneus, alioquin enim quilibet idoneus censeretur. Molina sup. §. *Ratio est*, & Less. cap. 19. Dub. 2. n. 5.

64 Nonò imò valde probabile est quód ad valorem testamenti ad causas pias nullus requiritur testis in conscientiæ foro, si aliàs de veritate constet, quanvis de Canonico Jure, ut probari in Judicio possit, duo saltem requirantur testes: quia, cùm præsentia testium sit de Jure Civili, & aliunde testatoris voluntas sine Notario, & testibus stare possit, essentialiter non exigitur præsentia eorum. Molina sup §. *Quin cum eodem*, Vasq. sup. & alii à Dicastill. num. 146. adducti.

65 Decimó inferes secundó quòd, si hæres per schedulam, vel scripturam indubitatam defuncti, aut quia eum audivit, sciat ipsum aliquid ad pias causas statuisse dare, ad id exequendum obligatus in conscientia manet, licèt testes non fuerint: quia omnis solennitas Juris Civilis, & ejus necessitas omnino est in casibus his de medio sublata, proindeque obligatio hæredis in conscientia resultare debet. *Menoch. lib.* 2. *Consil.* 224. *cum aliis Dicastill sup. num* 148 *vide dicenda Tract.* 29. *cap.* 4. *Lect.* 8.

66 Imo, quanvis sine vocibus, sed solùm per nutus, & absque ulla solennitate defunctus in ordine ad causas pias voluntatem suam declarasset, valet dispositum, & tenebitur hæres in conscientia id observare. Ita cum multis Diana sup. §. *Ex eodem fundamento*, Salmant. legendi Tract. 14. cap. 5. §. 3. per totum.

67 Undecimó inferes tertiò. Si defunctus aliquid tibi occultè, & sine ullo teste dedit, ut illud post ejus mortem in pios usus expendas, ut vel tibi tanquam pauperi assumas, posse te, & debere inter pauperes, vel causas pias expendere, quanvis nulla scriptura intervenerit, asseritur; quapropter, si defunctus licitè, & validè in morte de his disponere poterat, non teneris respondere ad edicta, etiam si cum censuris publicentur, ut defuncti omnia publicentur, vel manifestentur bona à quocunque fuerint detenta, vel occupata. *Sup. Molina, Salmant. & alii.*

68 Duodecimò inferes quartó solenne testamentum, & si sit ad pias causas, revocari posse per aliud testamentum ad pias causas, sed non solenne; quia testamentum validum posterius re vera revocat prius factum, & cùm in hoc casu posterius testamentum, & si non solenne, sit validum, utpote ad pias causas factum, re vera revocabit prius factum etiam ad pias causas. *Molina Disp.* 153. *Bonac de Contract. Disp.* 3. *Q.* 1. *P.* 3. *num.* 16. *ac Dicastill. sup. cum aliis n.* 147.

69 Decimotertiò inferes quintó valere testamentum ad pias causas, quanvis in eo nullus instituatur hæres, quia de Jure gentium ad valorem ultimæ voluntatis hæredis institutio non requiritur, estò de Civili Jure ad legata profana talis conditio desideretur. *Molina Disp.* 134. referens alios, & tenet *Less. sup. Dub.* 2. *num.* 8.

70 Deci-

70 Decimoquartò & si quis in suo testamento instituat hæredem, & consanguineum, vel extraneum, & piam causam; si careat tale testamentum solennitate debita, valet solùm quo ad institutionem piæ causæ, & non quo ad aliam institutionem. Cum multis *Salmant. sup. num.* 19. Et si testamentum minus solenne contineat institutionem hæredis profani, principaliterque factum fuerit non ad piam causam, valent legata pia in eo relicta. Leff & Vasq. ubi sup & Molina §. *Contra verò.*

71 Decimoquintò si contingat testatorem mori, vel loquelam amittere, aut testamentum non continuare ex aliqua causa, postquam hæredem instituerat, & legata ordinaverat aliqua, certòque constaret testamentum non esse finitum, eo quod testator hæredes alios instituere volebat, & ulteriùs progredi, testamentum tale non valet, licèt sit inter liberos, constat *ex L. Si quis cùm testamentum, ff. de testam.* Dictum est: *Certòque constaret*, in dubio nanque testamentum valeret, & perfectum judicaretur, ut ex dicta L. constat ibi: *Labeo autem hoc verum esse existimat, si constaret voluisse plures hæredes pronuntiare.* Semper tamen valebit testamentum, si causâ pia instituatur hæres; & si causâ pia hæres non sit institutus, valebit quidem quo ad legata pia in eo relicta. Ad causas enim pias nulla alia solennitas in testamento requiritur, nisi quæ sufficiens sit, ut de testatoris voluntate constet. Covar. cap. *Relatum*, Molina dicta Disp. 134. ac Salmant. Tract. 14. cap. 5.

72 Decimosextò sed adverte cum *Dicastill. sup. num.* 153. in dicto casu non semper integram hæreditatem restituendam esse, cùm sæpe merito dubitari possit aliqua legata à testatore relinquenda fore, si testamentum perfecisset; unde pro qualitate dubii arbitrio prudentis hæredi ab intestato aliqua legata retineri possunt; quòd si aliàs de testatoris animo constaret quòd scilicet omnia vellet in causas pias relinquere, tunc non poterit hæres ab intestato aliqua sibi retinere; sed omnia illa, quæ aliàs retinere posset, in piis causis expendere debet. Constaret hoc maximè, si testator declarasset antea voluntatem suam esse tantùm circa causas pias testamentum condere, vel si is testator ex illis esset, qui tantùm ad causas pias testandi facultatem habent, quales Prælati Ecclesiastici aliqui esse solent.

73 Decimoseptimò si testamentum ante Tabellionem, & requisitos testes jam sit confectum, antequam tamen apud testatorem, sive coram ipso legatur, contingat testatorem mori, non valet, quia scriptura, quæ non legitur, potest aliud alienum à mente testatoris continere. *L. Fideicommissum*, §. *Quoties, ff. de legatis.* ¶ Si tamen Notario, simul & testibus certò constaret talem scripturam, vel testamentum nihil alienum à mente testatoris continere, validum esset in utroque foro: testamenta nanque nuncupativa in scriptis fieri non petunt, subindeque sicut non requiritur quòd scribantur, ita nec quòd scripta legantur, dummodo mens testatoris sufficienti numero testium probetur. *Salmant. sup. n.* 28.

74 Decimooctavò quando quis in suo testamento dicit se schedulam apud suum Confessarium, vel apud personam aliam reliquisse scriptam, in qua continentur aliqua legata, alia vel voluntatis suæ dispositio habetur, quòdque vult omnia in ea contenta adimpleri, sicut si in suo eo testamento posita essent; quidquid in ea schedula (dummodo certò constet testatoris esse) continetur, re vera adimpleri debet, ac si in tali testamento expressè, & formâliter esset appositum, quia virtualiter in illo testamento continetur. Et expliciti, & impliciti eadem est ratio, virtus & eadem. L. 2. *de Rescript.* L. *Cùm quis, ff. de reb. creditis*; & tenent Salmant. supra.

75 Decimononò si testator non plenè liberè testamentum confecit, vel quia mentis impos erat, sive quia coactus per vim, fraudem, vel dolum, aut per errorem illud disposuit, quod aliàs non ita disponeret, testamentum tale non valet; & ideo, si quis ex errore alium instituerit hæredem, vel legatarium, falsò putans eum filium suum, consanguineum vel esse; aut ab eo esset deceptus, dicendo se illi tot contulisse beneficia, &c cùm ita non esset, in utroque foro dispositio facta non tenet: *L. Si puer, Cod. de hæred. instituend. L. Si per errorem*, nihil enim tam contrarium est consensui, quàm error. ¶ Et idem omnino dicitur de precibus importunissimis, & de eo, qui impedit nè alius testamentum faciat, vel nè jam factum immutet, prohibens nè adveniat Tabellio, aut testes, vel alia viâ. Testamentum tamen valebit, si testator absque vi, fraude, vel dolo fecerit illud, tamet si suadens ex odio, vel pravo affectu ad alium moveatur ad suadendum testatori, nè inimicum suum instituat hæredem, tunc enim contra Charitatem peccabit, sed non contra Justitiam, & ideo ad restitutionem non tenebitur. *Salmant. sup. num* 30. *&* 31. Vide circa dicta *Trulbench. Decal. lib.* 7. *cap.* 18. *Dub.* 3. *&* 4. *Bonac. de Contract. Disp.* 3. *P.* 3. *& Molina tom.* 4. *Disp.* 81. *&* 134.

LE-

LECTIO IV.

An, & quomodo contractus invalidi juramento confirmari valeant?

76 UT Lectionis titulus intelligatur, adverti debet aliud esse an juramentum contractui appositum, sive adjectum sit validum, & aliud an contractum ipsum confirmet, unum nanque ab alio est separabile, potest enim esse validum, quin confirmet contractum, & tunc primo modo solùm ex Religionis virtute obligat, nè scilicet Deus falsò in testem adducatur, nullum proinde jus alteri tribuit; secundo autem modo jus justitiæ ei tribuit, in cujus favorem fuit juramentum factum; primo modo, scilicet quando est validum, sed non confirmat contractum, relaxari valet absque præjudicio tertii, & relaxatione obtenta, ejus tota cessat obligatio; ea tamen non obtenta, si id, quod promisit, non adimpleat, perjurus erit, non tamen injustus contra Proximum erit, & si qui juravit, juramenti relaxationem non vult petere, obligationi suæ satisfacit momentanea solutione, hæc enim sola promissa est, eaque posita, statim id, quod solutum fuit, repeti poterit, quia non promisit non repetere, sed dare, vel solvere, & aliàs ex tali contractu ille, qui accepit, nullum ad restituendum jus habet. ¶ Secundo autem modo, nempe, quo juramentum contractum confirmat, contractus ratione juramenti irrevocabilis manet, juransque obligatus manet non solùm ratione juramenti, sed etiam ex justitia ad illum servandum, neque juramenti relaxationem obtinere valet, cederet enim id in præjudicium tertii ob jus acquisitum. Et si ob causam aliquam gravem juramenti relaxatio fuerit obtenta, adhuc contractus validus, & firmus persistit ita, ut datum repeti non valeat, sed ex contractu obligatio remanet, qui jus contrahenti dedit, hæcque transit ad jurantis hæredes, solùmque prædicta relaxatio deserviet, ut circa contractûs valorem in Judicio agere queat. His sic agnitis,

77 Dicitur primò quòd omne juramentum promissorium (de hoc hic sermo) præstitum homini de re licita, & quæ sine peccato exequi valet, in conscientia obligat, nec sine perjurio omitti valet, nisi tantùm quando aut cum contractu Jure humano juramentum ipsum irritatur, vel quando exhibitum est in favorem tertii, & ab eo non acceptatur, aut non est acceptationis capax. Communis, cum multisque docent, & bene probant *Salmant. legendi dicto Tract.* 14. *cap.* 1. *P.* 7. *n.* 57.

78 Dictum est *juramentum promissorium præstitum homini*, quia si soli Deo factum sit, ultra hoc, quod est rem non esse malam, debet esse bona, & honesta, Deoque placens, alioquin Deus promissionem non acceptat. ¶ Dictum est etiam *de re licita*, de re nanque illicita illud non solùm non obligat, sed peccatum foret illud exequutioni mandare. Cap. *Quando de jure jur.* ibi: *Juramentum non ut esset iniquitatis vinculum, est institutum.* Nemo enim ad peccandum obligari valet. ¶ Dictum est iterum *nisi tantùm quando, &c* nam, ut constat ex Trident. Sess. 26. cap. 26. de Regular. irritatur omnis renuntiatio, etiam cum juramento à Novitio sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii inter duos menses proximos ante Professionem facta, nec sic facta effectum sortitur, nisi Professione sequuta, quia ad rectum regimen spectat, ut subditorum voluntas quo ad actiones externas à Superioris sui voluntate dependeat, ut sic eorum actiones dirigi, & limitari possint, prout expedire visum fuerit ad commune bonum, quam potestatem seculares etiam Principes habent, qui ob publicum bonum possunt etiam irritare aliquos contractus juramento firmatos, vel celebratos *ex L. Non dubium, Cod. de Legibus.*

79 Dictum est rursus *aut exhibitum in favorem tertii, & ab eo, &c.* omnis nanque promissio in favorem tertii facta semper hanc conditionem tacitam in se imbibit: *Si is, in cujus favorem exhibetur, acceptaverit, aut acceptationis fuerit capax*; cessante autem conditione, juramentum etiam cessat, quia sub ea conditione, nonque aliter fuit exhibitum, vel quia, cùm juramentum sit accessorium, actûs, supra quem cadit, naturam sequitur; accessorium nanque semper sequitur naturam principalis; quod *Suar. lib* 2. *de Juram. cap.* 39. extendit ad juramentum in favorem hominis factum, intuitu tamen Dei; uti si quis juret, vel etiam voveat Deo se eleemosynam daturum pauperi; paupere postea non acceptante, liber manet à tali juramento, vel voto, quia etiam hîc dicta conditio imbibita jacet. Nemo enim, qui donat, donat animo introducendi beneficium invito, ac repugnanti. Secus tamen quando juramentum fit Deo instar voti de re meliori, quæ ad maius robur juramento firmatur, uti si jurares te non iturum, te in Religionem ingressurum; quia tunc, licèt non acceptetur ab homine, acceptatur à Deo, eique placet ut impleatur, nullamque conditionem imbibit, & si tunc virtute Religionis juramenti in conscientia obligat. Cum aliis *Salmant. sup. n.* 59.

80 Secundò dicitur quòd quoties contractus à Jure irritatur, vel irritabilis, & rescindibilis redditur in odium creditoris, juramento non firmatur. ¶ Item nec juramento firmatur, quando ob bonum commune per se, &

directè simili modo irritatur. ¶ Attamen, si solùm à Jure fiat rescindibilis, in commodum particulare ejus, qui juravit, contractus, aliàs rescindibilis redditur ad nutum irrevocabilis, inducitque obligationem justitiæ in eo, qui juravit. Tres partes resolutio continet, &

81 Prima probatur: quia quoties Jus contractus in odium creditoris rescindit, aufert ab eo omne jus adversùs jurantem, non manet igitur contractus firmus, licèt juramentum, si licitè impleri possit, sit implendum, sicut impleri debet ob reverentiam Deo debitam juramentum factum usurario de usuris solvendis; & juramentum ex metu latroni factum de solvendo centum, &c. cæterùm, cùm creditor nullum acquisivisset jus adversùs jurantem, ob injuriam ei illatam merito in creditoris odium reprobatur, sicque contractus manet nullus, aut revocabilis sicut antea.

82 Secunda pars ita probatur: quia quando contractus ob utilitatem publicam reprobatur, illicitè impletur, si sub juramento illi stare promittatur, eo quòd nullus particularis privilegio in publicum bonum concessum renuntiare valet, cùm publicum jus privatorum pacto tolli non possit, *C. diligenti de foro competenti*, & ideo non obligat adhuc ex Religione juramentum Clerici renuntiantis privilegio fori; quia id sine peccato servari non valet, renuntiatio autem est invalida, quando est in præjudicium totius Ordinis; sed nec potest, nec tenetur juramentum servare, quia id sine peccato fieri non potest. ¶ Item est invalidum juramentum Clerici, qui suo foro renuntians, se coram seculari Judice comparere promittit, propter eandem rationem.

83 Item non valet juramentum metu extortum, oppositum Matrimonio metu contracto, vel sponsalibus eodem modo factis; quia talia Matrimonia, & sponsalia ob favorem publicum prohibita sunt, eo quòd odia, lites, pugnæ, &c. quibus Respublica perturbaretur, ex illis sequerentur; proindeque non solùm tale juramentum non confirmat contractum, sed etiam reputatur invalidum. ¶ Et idem est de juramento, quo quis Professionem, aut alia vota jurare cogitur, quia ejusmodi vota ob bonum etiam publicum prohibentur.

84 Similiter juramentum, quo Clericus donationem concubinæ factam confirmat, non valet; quia etiam prohibitum est in favorem publicæ utilitatis, & honestatis, ut probat Covar. cap. *Quamvis pactum*, P. 2. §. 1. num. 12. ¶ Neque juramentum Militis, quo confirmat donationem meretrici factam, ob eandem causam, sicut colligitur *ex L. Miles* 41. §. *Mulier*, *ff. de testam. Militis.* ¶ Neque valet juramentum non accusandi aliquem, quem alias ex Lege, aut officio, vel ex præcepto Judicis, aut Prælati accusare, sive denuntiare teneris, & sic de aliis; hæc omnia *Salmant. sup. num.* 67. *Lugo num.* 197. *& alii.* ¶ Tertia autem pars ex se constare videtur; sed legantur *Salmant. sup. num.* 68.

85 Dicitur tertiò juramentum non firmare contractum ex natura sua irritum, vel irritabilem, licèt juramentum sit validum, si de re licita fuerit, bene tamen, si addatur contractui, qui habet obligationem naturalem, vel qui est ex natura sua validus. Quòd non firmet contractum ex natura sua irritum, vel irritabilem ex eo constat; quia juramentum est accessorium contractui, ipsique adhæret, atque adeò illius naturam sequitur: si ergo contractus ipse independenter à positivo Jure ex natura sua est irritus, vel irritabilis, debet juramentum naturæ talis contractûs se conformare, subindeque illum firmare non valet. ¶ Quòd sit validum, si de re licita fuerit, probatione non indiget, cùm constet juramentum debere impleri semper, quòd sine peccato, & sine dispendio salutis æternæ adimpleti valet. *Less. cap.* 17. *Dub.* 7. *num.* 56. *Trullench. sup. cap.* 16. *Dub.* 5. *num.* 14. *Bonac. de Contract. Disp.* 3. *Q.* 1. *P.* 1. *n.* 7. Et

86 Quòd si contractus naturalem obligationem inducat, juramentum firmetur, in hunc modum probatur: quia juramentum non aufert omnia remedia Juris, & facti, quibus obligatio illa elidi poterat, eo quòd tales contractus solùm irrevocabiles erant, quatenus Lex ad illorum rescissionem petendam actionem dabat; constat autem quòd Jura hujusmodi actionem negant, adhibito juramento, & dicunt irrevocabiliter servandos esse tales contractus *cap. Cùm contingat de jure jur. cap. Quamvis pactum de pactis*: ergo omnino firmus, ac irrevocabilis manet. ¶ Item, licèt contractus sit omnino irritus, & nullam obligationem pariat, potest promissio non revocandi naturalem obligationem inducere, cùm talis promissio non irritetur à Jure. Unde, si juramentum accedat, illam confirmabit; quapropter contractus ille sine injuria revocari non valet; quia promissio non revocandi jus alteri tribuit, ut non revocetur contractus. Communis, & cum multis *Salmant. sup. §. 2. legendi.*

SUB-

SUBLECTIO.

Ex doctrina tradita resolvuntur aliqui casus præter relatos.

87 EX tradita doctrina resolves primò quòd, si quis juret non revocare testamentum, juramentum adimplere tenetur, aliàs esset perjurus; sed testamentum juramento non firmatur, cùm ex natura sua usque ad mortem sit revocabile, dicente Paulo: *Testamentum non valet, nisi intercedente morte testatoris.*

88 Secundò, si quis juret non revocaturum promissionem absenti factam antequam acceptetur, juramentum valet; sed talis promissio juramento non firmatur; quia promissio ante acceptationem ex natura sua revocabilis extat; unde, si antequam acceptetur revocetur, non acquiritur jus adversùs jurantem.

89 Tertiò juramentum non firmat contractum, simulato consensu factum, cùm Jure naturæ sit nullus, & id, quod est nullum, juramento firmari non valet. ¶ Neque firmat contractum, qui defectu scientiæ non fuit circa substantiam rei, qua supponit illum substantialiter nullum, non enim qui ex errore consentit in auricalcum, putans esse aurum, si postea juret se talem servaturum contractum, ad illum servandum obligatus manet, nisi detecto errore, suo juri cedens novum consensum præstet.

90 Quartò juramentum non firmat votum, quod à principio fuit nullum, sicque qui votum emisit vel ex imperfecta deliberatione, aut de re alia, quam intendebat, si postea juramentum addat, ad illud adimplendum non tenetur.

91 Quintò qui sine Parocho, & testibus matrimonium contraxit, ubi Trident. publicatum est, & receptum, si postea juret se tale matrimonium servaturum, tale juramentum non obligat, quia matrimonium fuit nullum ex veri, & legitimi consensûs defectu. Legatur *Amicus tom. 4. Disp. 17. num. 117.*

92 Sextò juramentum non firmat contractum, in quo gravissima, & enormissima continetur læsio; & in hoc casu locum habet beneficium *Legis Rem majoris, Cod. de rescind. vendit.* proindeque poterit deceptus ex ea agere, etiam si expressè, & cum juramento renuntiaverit, justique pretii excessum donaverit; quia hoc casu læsio contingens dolo comparatur, talisque contractus censetur dolosus, & propter doli præsumptionem jurans non videtur tantæ læsioni consensisse, consequenterque contractum esse de Jure naturæ irritum, & similiter juramentum, quia contra bonos mores Juris naturalis, proindeque nec opus est juramenti relaxationem exigere, ex æquitate tamen absolvendus est jurans à juramento, ut ad rescissionem contractûs agere possit. Legatur *Trulbench. sup. cap. 16. P. 5 n. 6.*

93 Septimò juramentum metu gravi extortum, (putà latroni minanti mortem, nisi ei centum sub juramento promittas) licèt non confirmet contractum, est validum, obligatque ad ejus impletionem, tamet si metum incutiens nullum jus acquirat, sicque illius relaxatio peti possit, vel adimpleri instantanea solutione, & statim repeti datum; (excipiendo semper contractus illos, qui ob publicam utilitatem reprobantur à Jure, si cum metu gravi fiant, qui sic facti sunt omnino invalidi, & etiam juramentum super illos cadens, uti Matrimonium, religiosa Professio, & sponsalia, prout ex dictis constat) id quod ex Div. Thom. 22. Q. 89. Art. 7. ad 3. & ex *cap. Debitores de jure jurand.* constare videtur, cum multisque docent Salmant. legendi sup. n. 62.

94 Octavò omnes contractus, de quibus datur in Jure potestas illos rescindendi, juramento firmantur, fiuntque irrevocabiles, uti sunt omnia pacta nuda, contractus minorum de re mobili sine auctoritate Tutorum, aut Curatorum, donatio inter patrem, & filium non emancipatum; inter virum, & uxorem promissio solvendi, vel non repetendi quod credito, vel vetito ludo ludens amiserit; fidejussio mulieris publico Instrumento facta, & non sine illo; renuntiatio successionis in hæreditate paterna, promissio instituendi hunc, vel illum hæredem; non revocandi testamentum, vel solvendi centum in pœnam, si id revocaverit, (quanvis testamentum ipsum juramento non firmetur) donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum, quanvis aliàs Jure sit revocabilis. Legantur *Salmant. sup. num. 71.*

95 Nonò non tamen juramento firmatur promissio pœnæ in sponsalibus adjectæ, quæ prohibita est *in cap. Gemma de sponsalib.* sed potiùs tale juramentum invalidum redditur; quia versatur circa rem prohibitam ob publicum bonum. *Trulbench. sup. num. 5. Salmant. ubi num-per.* ¶ Idem de contractibus rerum immobilium pupillorum, aut minorum absque Judicis auctoritate celebratis. ¶ Idem de contractu prodigi absque consensu Curatoris illi designati. ¶ Idem de reliquis contractibus, qui substantialem solennitatem in Jure assignatam non servant. Legantur *Salmant. sup. n. 73.*

96 Decimò mulier jurans de non revocando fundo dotali contra Legem vendito, non tenetur ad illum tradendum, si non dum est traditus; quia in promissione de non revocan-

do non includitur promiſſio de tradendo, & ex alia parte ad illum tradendum non obligatur ex vi pacti, vel contractûs principalis, qui per Legem irritus manet, & inefficax ad obligandum. Deinde neque talis mulier de evictione tenetur, cùm neque ad illam teneatur ratione promiſſionis de non revocando contractu, nec ratione principalis contractûs; quia, cùm hic ex lege ſit irritus, & promiſſione jurata non confirmatus, nullum in emptorem dominium transfert, ſed totum remanet apud venditorem: quare, ſi fundus dotalis emptori venditus, eique traditus, fortuitò pereat, non emptori, ſed venditori perit, quia quando res ſine culpa poſſeſſoris fortuito, vel caſu perit, dómino ſuo perit. Sed pro hoc omnino legendus eſt *Amicus ſup. n.* 115.

97 Ad quem autem pertineat prædicta juramenta relaxare, quando nimirum juſtitiæ obligationem ſecum non afferunt, ſed ſolum vinculum Religionis? Variant DD. quorum aliqui dicunt per poteſtatem ſecularem id fieri poſſe; alii autem per ſolam Eccleſiaſticam poteſtatem, & omnes probabiliter reſolvunt. Legantur *Salmant. ſup. num.* 65. *Bonac. ſup. à num.* 16. *ac præcipuè Lugo Diſp.* 22. *Sect.* 8. *num.* 237. *&* 243.

LECTIO V.

Quænam perſona licitè, ac validè contractus celebrare valeant, vel non?

98 Dicitur (ſitque generalis regula pro omnibus caſibus ſtatim ponendis, & pro ſimilibus aliis) quòd omnis ille, qui rationis uſum habet, habetque liberam, & abſolutam ſuorum bonorum adminiſtrationem, ac ſpeciali Jure non ſit impeditus, bene, & pro libito poteſt quemcunque contractum celebrare; ſecus, ſi rationis uſu careat, vel & ſi rationis uſum habeat, ad ſua bona adminiſtrandum à Jure ſit impeditus. Eſt communis, vera, & omnium, quæ, licèt conſtare ſufficienter poſſit ex dictis 3. *P. Tract.* 16 *cap.* 2 *Lell.* 3. *Sublect.* 4. ubi legendum, breviter tamen ita

99 Probatur: quia contractus eſt actus humanus, humano modo factus, id quod minimè in rationis uſu carentem cadere valet. Deinde contractus ſit ad transferendum dominium unius in alium; ſed ille, qui bonorum ſuorum liberam, & abſolutam adminiſtrationem non habet, (& idem, ſi uſu rationis careat) eorum dominium in alterum transferre non valet; & è contrà ille, qui uſum rationis habuerit, liberamque, & abſolutam, nonque impeditam ſuorum bonorum adminiſtrationem habet, habilis eſt ad transferendum dominium in alios: ergo, &c. Unde probabiliter ſequentia reſolves.

100 Primò furioſus, dum talis fuerit, validè contrahere nequit: *L. In negotiis, ff. de reg. jur. & L.* 1. §. *Furioſus, ff. de action & obligat.* id quod verum ob datam rationem, & ſi ſub juramento contractum confirmet, & ideo furioſus non teſtatur: *L. Furioſum, C. qui teſtamentum facere poſſunt*, nec Religionem profitetur, cap. *Conjugati*; nec Matrimonium contrahit, cap. *Dilectus de ſponſal.* nec baptizat, nec Baptiſmum recipit, niſi neceſſitatis in caſu, ut periculo mortis; nec delinquit, nec occidendo alium irregularitatem incurrit: *Clement. Si furioſus de homicid.* unde non ſolùm civiliter, ſed nec etiam naturaliter obligare, vel obligari poteſt; eo quòd uſu rationis careat, id, quod omnino neceſſario requiritur ad obligationem, etiam naturaliter; unde furioſo aſſignatur per Legem Curator, ut ejus bona adminiſtret. ¶ Adverte tamen quod, ſi furioſus lucida intervalla habeat, tunc tempore illo, quo rationis uſu potitur, quemcunque contractum bene per ſeipſum celebrare valet, nec pro illo tunc valet Curator in adminiſtrationem bonorum ejus ſe intromittere; furore tamen iterum redeunte, ad ſuum officium iterum Curator redire debet, furioſique bona, ſicut antea adminiſtrare. Et ſicut furioſus contrahere nequit, ita ebrius, dormiens, & infans.

101 Secundò prodigi à contractu rejiciuntur illi, quibus jam a Magiſtratu bonorum ſuorum adminiſtratio eſt interdicta, & Curatori commiſſa, *L.* 15 *cui bonis, ff. de verb. oblig.* & neque in foro conſcientiæ, nec in foro fori contractus à prædictis facti obligant, cùm ſint ipſo Jure nulli; neque hidejuſſor dictorum contractuum obligatus manet ex eadem Lege; & qui aliquid habuerunt, & acquiſierunt ex dictis contractibus, ad reſtitutionem tenentur, cùm Jus contractui reſiſtat, ut notat *Filiuc. in Tract. de Societ. cap.* 7. *& Leſſ. cap.* 17. *Dub* 8. quod intellige, niſi in dictis contractibus Curatoris conſenſus accedat, nam tunc valebit contractus. *L. Si Curatorem. & L. Certi conditio, ff. ſi certum petatur.* ¶ Utrùm autem tali prodigo detur beneficio Legis reſtitutionis in integrum, (de qua jam alibi) ſi in contractu Curatoris voluntate facto læſus fuerit, & nunquid, ſi talis prodigus contrahat ſine Curatoris conſenſu, & contractum jure jurando confirmet, valeat contractus? In utroque caſu duplex eſt opinio probabilis. Legatur *Azor* 3. *P. lib.* 6. *cap.* 14. *ac Salmant. ſup. n.* 34.

102 Tertiò mutus, ſimul & ſurdus à nativitate contrahere nequit, ſi contractus certa quædam verba requirat; poteſt tamen celebrare contractus eos, aut quali contractus, qui con-

consensu, nonque verbis efficiuntur; & sic inire potest contractum emptionis, & venditionis, locationis, societatis, mandati, mutui, commodati, depositi, & pignoris; potest & etiam hæreditatem adire, alterius negotia gerere, & Matrimonium celebrare, quia in his omnibus casibus satis est, si consensus ad contractum requisitus per eum signo aliquo externo, vel motu corporis ostendatur, sitque aliquis fide dignus, qui testificetur se bene talem nutum percipere, & intelligere, vel quid talis nutus tali signo, vel motu, aut nutu indicit, indicare vel velit. Et hoc verum, sive sit in Judicio, aut extra illud. Legatur *Barthol. in L. Mutuam, ff. de acquirend. hæredit.*

103 Quartò servi emptitii, dum in eo statu sunt, naturaliter, licèt non civiliter, alterum sibi, & se alteri obligare possunt, seu contractus celebrare, ex quibus naturalis obligatio oriatur; & ideo, si aliquid promiserint, promissionem implere tenentur, si absque dòmini præjudicio id facere possunt. ¶ Item emptitius servus cum suo dòmino verè contrahere potest ita, ut dominus ejus ex vi contractùs verè maneat ei obligatus, & è contrà ipse respectu dòmini. ¶ Si autem servus contractum celebravit, ex quo naturaliter obligatus maneat, postea manumissus repetere nequit quod solvit suo creditori, & creditor solutum apud se retinere tuta conscientiâ potest. ¶ Et si servus fidejussorem adhibeat, iste tenetur, si pignus pro eo sit datum, obligatum est creditori; *ex L. Naturaliter, & L. Quod fidejuss. §. de fideiuss.* Legatur Lugo tom. 2. de Just. Disp. 22. Sect. 10. n. 280. & Salmant. sup. P. 5. n. 35.

104 Quintò quicunque Rex, sive Princeps cum suis subditis etiam contrahere valet; *L. Cæsar, ff. de publican. & vectigalib.* & eum naturaliter, subindeque in conscientia obligatum manere indubium est, & communis docet. ¶ Est & probabile eum etiam civiliter obligatum manere in contractibus, vel quasi contractibus, de quo Baldus *in L. Princeps, ff. de Legib.* & Albericus *in L. de officio Procuratoris Cæsaris.* Sed communis sententia contrarium tenet. Legantur *Salmant. n.* 36.

105 Sextò Tutor, & Curator neque immediatè per se, nec mediatè per alium cum pupillo, & minori ullo modo contrahere valent, sed quilibet cõtractus inter eos factus omnino prohibitus extat: *L. Cùm ipse, C. de contrahend. emption. L. Non licet;* pro quo facit Jus Regni Castellæ *L. 4 tit. 5. Part. 5. L. 23. tit. 1. lib 5. nova Compilat.* Jus & Lusitanum lib. 1. Ordinat. tit. 88. num. 29. docetque Molina Disp. 224. legatur & etiam Fagund. lib. 5 cap. 13. n. 7. à Spiritu Sancto in Decal. Tract 10. Disp. 17. n. 796. ac Salmant. suprà.

106 Septimò quilibet Judex in suo territorio cum suis subditis contrahere non valet, *L. 1. C. de Contract. Judic.* ¶ Octavò Exequutores testamentorum nullo contractu res sui defuncti accipere valent, nisi auctoritate Judicis, vel Coexequutoris. ¶ Nonò neque Advocatus, lite durante, cum his, qui litigant, contrahere quit; *L. Quisquis, C. de postulando* ¶ Decimò neque Medicus cum infirmo, quem curat, infirmitate durante, *L. Medicus, C. de var. & extraord. crim.* ¶ Undecimò generaliter omnes negotiatorum gestores emere nequeunt, aut alio contractu habere res, circa quas negotiantur. *L. Non licet, L. Si emptione, ff. de contrahend. empt.* Salmant. sup. n. 37.

107 Duodecimò uxores contrahere nequeunt absque consensu mariti, nisi fortè de paraphernalibus bonis, ubi liberam illorum administrationem habent, quia administratio cæterorum bonorum, etiam dotalium, penes maritum remanet. ¶ Decimotertiò marius respectu bonorum dotalium contrahere non valet, licèt eorum administrationem habeat, quia non dominus, neque Maioratûs vincula bona alienare valet ob eandem rationem.

108 Decimoquartò filiifamilias puberes licitè, & validè cum quibuscunque aliis viris de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus contrahere possunt ita, ut non solùm naturaliter, sed etiam civiliter maneant obligati, quia talium bonorum liberam administrationem habent (ut dictum est alibi.) *Instituta de inutilib. stipulat. § Item inutilis 6. & L. 39. ff. de action. & obligat.* ubi dicitur: *Filiusfamilias ex omnibus causis tanquam paterfamilias obligatur; & ob id agi cum eo, tanquam cum patrefamilias, potest.* ¶ Non autem item de bonis adventitiis, quorum dominium utile, & administratio spectat ad patrem, multòque minus de bonis profectitiis, quorum dominium totum est penes patrem; bene tamen hæc adventitia, & profectitia bona alienare poterunt ex consensu, saltem tacito, patris; *L ult. §. Filius autem, C. de bonis, quæ liberis*, nisi talia bona immobilia sint, aut mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, (quæ quidem ea esse dicuntur, quæ per triennium conservari possunt) nam tunc præter consensum patris Judicis consensus, vel sententia requiritur *ex L. Non solùm, L. Ob æs alienum, Cod. de prædiis minorum.*

109 Filius autem familias impubes de quibuscunque bonis suis, etiam ex consensu, & auctoritate patris, nullo contractu civiliter obligari valet; (bene tamen naturaliter) *Instituta de inutilib. stipulat. §. Sed quod diximus* 10. bene tamen minor, & pupillus puberati proximus Tutoris, aut Curatoris auctoritate contrahere potest, civiliterque obligari, ut ibid.

habe-

habetur §. *Pupillus* 9. Et ea datur disparitatis ratio: quia scilicet pupillus Tutorem sibi obligatum habet, ut eum convenire possit, si malè suam auctoritatem præstet, non tamen sic filius patrem ob naturalem reverentiam, virtutemque pietatis: *L. Eum oportet*, §. *Sub hac tamen.* ¶ Posse autem ipsos sine auctoritate Tutoris, aut Curatoris contractus celebrare, qui non in eorum præjudicium, sed in propriam utilitatem cedant, apertè constat *ex* §. 1. *Instit. de authorit. Tutorum*, ubi sic legitur: *Siquid dari sibi stipulentur, non est necessaria Tutoris authoritas, quòd si aliis promittant pupilli, necessaria est Tutoris authoritas, nanque placuit meliorem quidem suam conditionem licere eis facere, etiam sine Tutoris authoritate, deteriorem verò non aliter, quàm cum Tutoris authoritate.* Et hîc est ubi solùm, ut ait Glos. *contractus claudicat quandoque.* Et hinc

110 Sequitur primò quòd, si pupillus contractum celebret, putà rem emat absque Tutoris authoritate actione civili, compelli invitus non potest stare contractui, quòdque emptionis pretium solvat; ipse tamen pupillus, si contractui velit stare, actione civili venditorem ad sibi tradendam mercem pro constituto pretio compellere potest. ¶ Secundò quòd, si pupillus, & etiam minor Curatorem habens, ludendo perdidit aliquid, contractu vel alio aliquid promisit, solvere non tenetur, cùm exceptione Legis civilis se defendere valeat. Si autem de facto creditori solvit, potest is tuta conscientiâ rem retinere, donec repetatur ab eo per beneficium Legis talem concedentis repetitionem. Legantur *Salmant. sup. à num.* 39. *Less. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 61. *Sanch. lib.* 6. *de Matrim. Disp.* 38. *num.* 21. *Laymann lib* 4. *Tract.* 17. *num.* 10. *Sannig. Dist.* 11. *de just. Q.* 3 *num* 9. *Molina tom.* 1. *Disp.* 224. *Diceast. lib* 2 *Tract.* 3 *Disp.* 1. *n* 177. *&* 280. *ac Bonac. Disp.* 3. *Q.* 1. *P.* 5.

111 Religiosos solenniter professos nullatenus contrahere posse absque Prælati licentia clarissimè constat, quia ob paupertatis votum nullius rei pretio æstimabilis dominium habent, nec habere possunt, neque habent velle, & nolle, cùm voluntatem suam in Superiorum suorum voluntatem transtulerint, juxta cap. *Si Religiosus de Eccles. in* 6. *cap. ult. de Sepult. in* 6. *cap Non dicatis* 12. *Q.* 1. ¶ Prælati verò, & administratores bonorum communium ab eis constituti bene contrahere possunt, in multis tamen casibus nullo modo, nisi omnino dependenter à Capituli, vel Communitatis consensu, solùmque ad usus aliquos determinatos; id omne, quod constat ex jam alibi dictis.

112 Hîc erat agendum seorsim de beneficio restitutionis in integrum; quid sit, unde proveniat, quibus competat, &c. sed de hoc sufficienter egimus *in* 3. *hujus Breviarii Parte Tract.* 18. *cap.* 2. *Lectione* 3. *Subsect.* 2. per totam, ubi legendum; agendum & erat de his, qui sponsalitium, & matrimonialem contractum celebrare valent: sed de his in 2. Parte jam sufficienter relinquitur actum, ubi Lector recurrere debet, ubi etiam reperiet, qualiter, & in quibus casibus sponsalitius contractus dissolvi queat. De contractibus celebratis sub conditione, sub causa, sub demonstratione, sub modo, &c. hîc non agitur ob datam rationem *Tract.* 12. *cap.* 5. *Lectione* 2. *n.* 17.

LECTIO VI.

Quomodo possint, & debeant rescindi contractus?

113 PRo re hac supponitur primò (& est id, quod etiam titulus Lectionis supponit) contractus *validè* fuisse celebratos, si nanque ab initio invalidi fuerunt, vel quia prohibiti, aut quia sine tali, vel tali solennitate, sive formâ, vel quia sine scriptura, & tot necessariis testibus, aut quia fraude, dolo, vel metu extorti, &c. certum omnino est tunc, casus, nulla rescissione indigere, cùm nunquam validi fuissent, uti supponitur.

114 Secundò supponitur quòd hoc, quod est contractum rescindi, est obligationem illam, quam contractus validus de se inducebat, de medio tollere, sive vinculum illud, quo contrahentes ad aliquid agendum, vel non agendum erant ligati, abscindere, sive divellere. Dicta autem obligatio (sive vinculum) fundari potest, vel in honestate, gratitudine, seu æquitate morali, aut in necessitate, & quando in necessitate fundatur, importat debitum vel charitatis, sive Religionis, aut Justitiæ, vel alterius virtutis, quia non semper ex contractu justitiæ obligatio exoritur; Religiosus nanque Professionem faciens contractum facit, (ut dictum alibi) obligat enim se ad non sine Superioris licentia exeundum è claustris; item ad obediendum, paupertatem servandam, &c. quæ obligationes non sunt rigorosæ justitiæ, sed vel obedientiæ, sive Religionis, vel Justitiæ tantùm legalis.

115 Deinde obligatio, quæ ex justitia oritur, potest esse, vel *naturalis*, aut *civilis*, quarum *naturalis* illa dicitur, quæ oritur ex contractu absque ullo respectu ad forum externum, putà si ambo contraximus sine scriptura, sine testibus, vel sine adminiculo alio, quo in externo foro talis contractus probari queat; tunc adhuc in foro interno, vel conscientiæ obligati manemus, & obligatio hæc, propriè loquen-

loquendo, naturalis vocatur; quia ex contractu naturaliter resultat, & pullulat. *Civilis* obligatio dicitur illa, quæ aut legibus constituta, vel certo Jure Civili est comprobata, tantùmque ad externum forum pertinet, in externoque foro probari valet, & hæc semper naturalem obligationem supponit, vel illam præsumit. ¶ Rursus obligatio alia est *personalis*, alia *realis*, & alia *mista*; prima directè tendit ad personam, & indirectè ad rem: secunda directè tendit ad rem, & indirectè ad personam; tertia autem partim ad rem, & partim ad personam tendit.

116 Supponitur tertiò quòd omnis contractus, quicunque ille sit, sive nudus, aut vestitus, sive nominatus, vel innominatus, sive gratuitus, aut onerosus, ex se, & ex natura sua naturalem parit obligationem, semperque in Poli, vel conscientia obligat foro ita, ut una pars contrahens, alterâ rationabiliter invita, ab eo non possit in conscientia recedere; quæ suppositio est per se nota, constatque ex dictis Lectione 1. num. 3. & 11. docentque *Molina tom. 2. de Just. Disp. 257. Less. tom. 1. de Just. lib. 2. cap. 17. Dub. 4 num. 19. Bonac. de Contract. Q. 1. P 1. & communis.* Quibus suppositis, scire restat an aliquando hoc vinculum, vel hæc obligatio ex contractu valido orta inter contrahentes tolli, rescindive possit? quod est idem, ac quærere id, quod Lectionis hujus titulus sonat. Ad quod jam

117 Dicitur quod (excepto matrimonii contractu) omnes contractus Jure naturæ sola contrahentium voluntate tolli, rescindive possunt; & hoc, sive res adhuc sit integra, putà si emptionis, & venditionis contractus sit celebratus, conventumque sit de pretio, & re, res tamen ex parte vendentis non sit tradita, neque pretium ex parte emptoris, vel pars illius sit data, in quo casu solo mutuo contrario consensu potest dissolvi, & rescindi contractus in utroque foro. Sive res jam non sit integra, id est, quando res ex una parte est tradita, & pretium illius ex altera, vel pars pretii, & rei, aut quando pars pretii, seu arrha pro initio solutionis, & exequutionis contractûs datur. Et in hoc casu, stante mutuo contrario consensu exteriùs expresso, contractus in foro Poli dissolvitur, non autem in foro fori. Prima pars probatur: quia obligatio per quas causas ponitur, per easdem tollitur; sed ponitur per consensum: ergo per consensum tollitur, vel tolli potest; sicut namque contrahentes potuerunt sua voluntate contrahere, ita voluntate contraria contractum tollere poterunt; constatque ex pluribus Legibus, missis brevitatis causâ. Legatur *Molina tom. 2 de Just. Disp. 273. Anton. Gom. tom. 2. Var. cap. 2. num. 21.* ¶ Secunda autem pars patet ex prima, & probat *Fagund. de Emption. lib. 5 cap. 39. à n. 7. cum Molina cit Disp. 255. ac 257.* Unde

118 Resolvitur primò quòd quando contractui ex una parte est satisfactum, nullus contrahentium, tam de Jure Canonico, quàm Civili licitè valet à contractu recedere, vel resilire, repugnante altera parte; quia, secundùm utrumque Jus, in quovis contractu, impletione ex una parte posita, sive facta, ex altera parte pœnitentiæ locus non datur, quæ non dum ex parte sua implevit: quando ergo uterque contrahentium pro sua parte id adimplevit, ad quod se obligavit, neutri est pœnitentiæ locus, nisi communis consensus adsit. Est communis, teste *Gomes tom. 2. Var cap. 8. num. 3 legatur Molina tom. 1. de Just. Tract. 2. Disp. 258* Et resolutio hæc est adeò vera, ut, si contractus in testamento sit factus, & ab utraque parte, vel ab una tantùm impletus, testamento irrito revocari nequeat, quia, ut bene *Gama Decis. 339. num. 1. & 4.* licèt Jura decernant ut ea, quæ testamento fiunt, ejus fortiantur naturam, *L. 1. §. Si filius, ff. de legat. 3.* debent intelligi in iis, quæ de sua natura effectum ultimarum voluntatum habent; qualem effectum ex natura sua non habet contractus, & ideo si contractus in testamento fiat, revocato testamento, non revocatur contractus. Legatur *Fagund. de Contract. lib. 1. cap. 25. num. 3.*

119 Secundò resolvitur quòd, parte altera repugnante, nefas est, tam in foro Poli, quàm solo Ecclesiastico, & Civili, à contractibus nominatis, qui solo mutuo partium consensu perficiuntur, resilire, quia obligatio contractuum, tam forensium, quàm naturalium, ex mutuo partium consensu intrinsecè oritur: solo ergo mutuo dissensu debet dissolvi; quia, ut nuper dicebamus, res per quas causas nascitur, per eadem tollitur. *Molina sup. Disp. 258. Gomes sup. cap. 9. Less. lib. 2. cap. 17. Dub. 4. num. 19.* ¶ Excipitur tamen societatis contractus, quando usque ad certum tempus non fuit celebratus, nam iste ex natura sua exigit ut dum altera pars illum non implet, possit alia ab eo resilire, repugnante altera.

120 Resolvitur tertiò quòd, si postquam contractus utriúsque contrahentis consensu est firmatus, unus contrahentium ex parte sua illum implere noluerit, alteri parti licitum erit, secundùm Jus Civile, Canonicum, naturale, & gentium, à tali contractu resilire, sive recedere. ¶ Imò licitè repetere poterit, si quid parti alteri dedit; quia in omnibus pactis, & contractibus respectivis, in quibus ex utraque parte obligatio datur, semper tacita servandi pactum conditio inest, *si alius servaverit.* Et quidem

quidem frangenti fidem non eſt ſervanda fides. *Molina Diſp.* 258. multique alii. ¶ Item, ſi unus fuerit in mora implendi contractum, alter, eo invito, in conſcientiæ foro, tam ſecundùm Jus Civile, quàm Canonicum, ab eo reſilire valebit, quin morosus alterum ab hoc receſſu impedire valeat, licèt dicat ſe ad purgandam moram eſſe paratum. Regula: *Mora de reg. jur. in 6.*

121 Quartò reſolvitur quòd quando contractus (adhuc ex utraque parte conſenſu poſito) non dum eſt perfectus, eo quòd aliquid amplius ad ſuam integram perfectionem requirit, poteſt quis, *ſecundùm Jus Civile*, interim dum ille eſt imperfectus, à tali contractu recedere, quia talis contractus clauditur intra terminos nudi pacti, & pactum nudum Jure Civili obligationem non parit. *L. Juris gentium 7. §. fin. ff de pactis, L. Ex placito, C. de rer. permut.* tenetque Molina Diſp. 257.

122 Dictum eſt *Jure Civili*; quia certum eſt ex pacto nudo poſt mutuum conſenſum obligationem naturalem oriri, unde in conſcientiæ foro Jure naturæ, pacto nudo, & ſub mortali, ſi materia ſit gravis, contrahentes ſtare tenentur, quia ſolo naturali, gentiumque Jure ſtando, mutuo conſenſu præſtito, naturalis reſultat obligatio in contractibus omnibus, ſive nominatis, aut innominatis, & antequam Civile Jus introductum eſſet, jam dicti contractus ex ſolo mutuo conſenſu obligabant. *Molina ſup. ac Fagund.* cum multis aliis, qui cum illis docent num. 9. hoc juxta Canonicum Jus etiam habere locum; hoc enim Jus pro Tribunali ſuo à nullo contractu valido, aut pacto permittit recedere.

123 Reſolvitur quintò quòd tam ſecundùm Jus Civile, & Canonicum, quàm Luſitanum, quicunque donator in conſcientiæ foro à quacunque donatione liberali, & gratuita reſilire poteſt, dum illam donatarius non acceptavit vel per ſe, aut per Tabellionem, vel per alium, qui de Jure loco illius acceptare valet; (quæ reſolutio adeò vera eſt, ut aſſerat *Leſſius ſup. cap 17. num. 25.* quòd ex donatione non acceptata nullum jus donatario acquiritur, etiam ſi illam donator juramento confirmet) & quòd hæc reſolutio ſit vera, jam conſtat ex hactenus traditis. Legatur *cit. Leſſ. Molina ſup. Diſp. 258 Sanch lib. 1 de Matrim. Diſp. 6. ac Faguna. n. 14.*

124 Sextò reſolvitur quòd quando venditor ante traditionem rei, & pretii emptori arrham præbet in ſignum celebrati contractûs, ac pro maiori ſecuritate illius, poteſt ipſe emptor, venditore invito, à contractu arrham amittendo recedere. ¶ Item, ſi venditor eam ab emptore accepit, poteſt etiam à contractu recedere, emptore invito; ſed tunc emptori duplam tenetur reddere arrham, illam ſcilicet, quam accepit, & aliam æqualem, ut ita contractus ex utraque parte æqualis reddatur, quia hæc contrahentium voluntas tacita eſſe videtur, ut arrharum amiſſione ſint contenti; & ita in Luſitana decernitur Lege lib. 4 tit. 2. §. 1. in novis, docetque Rebell. 2. P. de obligat. Juſt. lib. 9. Q. 1. Sect. 2. Molina tom. 2. Diſp. 338 §. *Quando juſta*, & Fagund. ſup lib. 5. cap. 6. num. 2. ac 3 ibi cum aliis advertens talem arrharum pœnam, cùm ſit conventionalis ante Judicis ſententiam, poſt Partis petitionem deberi, id quod etiam adnotavit *Molina tom. 1. Diſp. 91.* adnotarunt & alii.

125 De Jure tamen Luſitano unus ſolus excipitur caſus, in quo quando arrha datur pro ſigno tantùm initi contractûs, & firmitate maiori illius, neuter contrahentium, altero invito, à contractu licitè reſilire valet, amiſſa arrhâ; id eſt, quando contractus per Proxenetas inter Mercatores, ſive naturales, vel alienigenas celebratur; quia in hoc Regno ſemper hoc in uſu fuit in dictis contractibus, & hæc eſt ratio ab Ordinatione allata, tenentque *Molina, & Rebell. ſuprà.*

126 Sed, ſi ad commune Jus attendatur, quando arrha datur pro ſigno initi contractûs, maiorique firmitate illius, nullus contrahentium, adhuc amiſſa arrhâ, à contractu recedere licitè valet. ¶ Et non deſunt AA. qui aſſerant quòd ille, qui à contractu recedit, ultra arrhæ amiſſionem ad intereſſe omne tenetur; alii aſſerunt prædictam arrham ab intereſſe detrahendam eſſe *Fagund. cum aliis num. 5.* ¶ Utrùm autem debeatur gabella in caſu, quo, data arrhâ in ſignum initi contractûs, ac pro maiori illius firmitate, de communi conſenſu contrahentes à contractu reſiliant, vel altero, tantùm alio invito, adhuc amittendo arrham? Negativa ſententia eſt probabilior. Legatur Molina §. *Sed dubium eſt*, Fagund. num. 7. & Rebell. 2. P. de oblig. Juſt. lib. 9. Q. 1. n. 13.

127 Cæterùm, ſi arrha detur pro initio ſolutionis, vel pro initio ſimul ſolutionis, & pro ſigno initi contractûs, ac ob maiorem illius firmitatem, tunc nullus contrahentium, altero invito, licèt arrham amittere velit, à contractu licitè recedere valet; quia jam tunc res non manet integra, cùm jam ad pretii ſolutionem proceſſio adſit, (quod idem tenet in contractu locationis, ſicut & venditionis) & ita expreſsè deciditur in Ordinat. Luſitanis lib. 4. tit. 2. num. 3. ibi: *Naõ ſe poderá já mais alguma das Partes arrepender*, (in ſenſu dato) *e ſair do contrato ſem conſentimento da outra Parte, ainda que queyra perder o dinheyro, que deu em parte da paga, ou em final, e paga, ou outro tanto, como o*

que

que recebeu, &c. ubi toto eo titulo legendum erit. Legatur *Molina dicta Disp.* 338. *num.* 3 ¶ Quod si detur dubium an data sit dicta arrha pro signo initi contractûs, & maiori firmitate illius, nunquid verò pro initio solutionis, vel pro utroque simul? Dicendum erit dari pro signo initi contractûs, & pro parte pretii; si ad commune Jus attendatur juxta *Bald. in L. Si fundus, ff. de L. commisso*, dari tamen pro signo tantùm initi contractûs, si attendatur ad Jus Lusitanum; quia hæc antiquissima Regni consuetudo est. Legantur *Fagund. sup. num.* 9. *& Molina.*

128 Et si de arrhis loquamur, quas de consuetudine hujus, & Castellæ Regnis à maritis promittuntur uxoribus, dicimus primò uxores post Matrimonium per copulam consummatum hujusmodi sibi acquirere arrhas, proindeque Matrimonio soluto, simul cum dote eas sibi solvendas esse, de illisque arrhis uxorem ipsam disponere posse, etiam si prius marito ab hac vita discedat; si tamen de illis ante mortem non disponat, in eis, sicut & in dote succedunt hæredes ejus ab intestato, & hoc in utroque Regno, juxta *Molinam tom. 2. de Just. Disp* 431. *num.* 2. ¶ Neque dicta mulier (quidquid dicant alii) ad nuptias secundas transiens filiis prioris matrimonii reservare tenetur arrhas prædictas, sed de illis, sicut de aliis suis bonis disponere potest, consequenterque poterit de tertio in Lusitania, & de tertio, & quinto in Castella instituere Maioratum, & meliorare quemcunque filiorum suorum, aut etiam id cuicunque extraneo relinquere (excepto tertio in Castella) non minus, & idem efficere potest de tertio, aut de tertio, & quinto reliquorum bonorum suorum, & idem etiam, si ad secundas nuptias transeat. Molina num. 9. apud quem, & apud Rebell. verb. *Arrha* multa alia de his arrhis reperies, & apud eos, quos dedimus 2. *P. 7 tract.* 12. *cap.* 1. *Lectione* 4. *n.* 85.

SUBLECTIO.

De modis aliis, quibus contractus rescindi possunt.

129 SEcundò dicitur contractum rescindi posse ex vi *pacti retro venditionis*, de quo sermo erit infra cap. *de Empt. & Vendit.* Lect 5. à num. 80. & etiam ex contractu, qui dicitur *ex pacto Legis commissoriæ, & adjectionis in diem*, de quo etiam ibid. cap. 3. L. 3. solùmque hic venit notandum *ex Fagund. de Emptim. cap.* 45. *Molina tom.* 2. *de Just. Disp.* 378. *ac Gomes tom.* 2. *Var. cap.* 2. *num.* 5. quòd quando res sub hac forma venditur: *Vendo tibi hoc prædium viginti putá argenteis, vel aureis ea conditione, ut si intra annum tibi restituero pretium, res sit inempta*, restituto, & oblato postea pretio, non statim à venditore dominium rei sibi comparatur iterum ante ipsius rei traditionem: (sicut comparatur, quando ex pacto Legis commissoriæ, aut ex pacto de in diem adjectione venditio rescinditur) quia generalis regula est neque per contractum, nec alio modo dominium rei comparari sine rei traditione, nisi tantùm in casibus in Jure expressis, atque exceptis, quales sunt tantùm contractus ex pacto Legis commissoriæ, & de in diem adjectione.

130 Tertiò dicitur rescindi optimè posse in utroque foro contractum, si res infra, vel ultra dimidium justi pretii sit vendita. (Et de hoc etiam si in eo celebrando nullus interveniat dolus, nulla vel fraus, aut voluntaria deceptio, sed bona fide fuerit utrinque, vel ex altera tantùm parte celebratus.) Ratio datur: quia ubi fraus intercedit, non est voluntas ineundi contractum, consequenterque rescindi potest, vel debet, aut, ut melius dicatur, contractus talis est nullus, & ut vigorem obtineat de novo celebrari debet; sed in contractu, in quo res infra, vel ultra dimidium justi pretii venditur, & emitur, vera fraus (licèt quandoque materialis) intervenit: ergo, &c. Et ita habetur *in L. Rem maioris pretii, C de rescind. vendit.* & in Ordinat. Lusitan. novis. lib. 4. tit 13. ibi: *Se for achado que o vendedor foy enganado alem da metade do justo preço, póde desfazer a venda por bem do dito engano.* Et de emptore idem asseritur. Legatur *Molina Disp* 349. §. *Quo ad emptionem, & Rebell. de obligat. Just.* 2. *P lib.* 9. *Q.* 3. *Sect.* 2. *n.* 7. Et hinc

131 Resolves primò quòd venditor licitè vendere potest secundùm justum pretium supremum, ac emptor secundùm justum pretium infimum emere, & ambo vendere, ac emere secundùm justum pretium medium; neque tunc est obligatio rescindendi contractum, cùm emptor, & venditor intra totam latitudinem supremi, ac infimi pretii liberè, & licitè vendere, ac emere queant. ¶ Et exemplo sequenti scies quando res infra, & ultra dimidium pretii venditur, ac emitur, videlicet, si res venditionis in tempore, currenti pretio spectato, infimo valebat aureos decem, & aureis quatuor vendita fuerit, aut quatuor cum dimidio, tunc talis venditio dicitur facta fuisse infra dimidium justi pretii, quia est infra quinque, quod est dimidium decem. Item si rigoroso pretio decem valebat, & aureis sex fuerit empta, dicitur facta ultra dimidium justi pretii, quia sex est ultra dimidium decem, & tunc, casus, ex parte utriûsque contrahentis rescindi valet contractus ob fraudem ibi inventam.

132 Secundò resolves quod, si venditor

læsus fuit ultra dimidium justi pretii, & beneficio Legis ad rescindendum contractum uti voluerit, tunc in emptoris arbitrio erit illum rescindere, dando rem, & accipiendo pretium præstitum, vel rem ad justum reducere pretium, prout sibi magis placuerit efficere unum, vel alterum. ¶ Similiter, si emptor rescindere illum maluerit, eo quòd rem ultra dimidium pretii emerit, idem arbitrium venditoris erit; quia semper rescissionis, & reductionis ad æqualitatem Reo danda est optio, ac ita in cit. Ordinat. Lusitana num. 1. disponitur dum ibi sic legitur: *E querendo o vendedor desfazer o contrato por a dita razaò, ficará a escolha no comprador ::: E querendo o comprador desfazer o contrato por bem do dito engano, ficará a escolha no vendedor.* Legatur etiam ibi num. 2. & 3. ubi ad rem illam alia adsunt.

133 Resolves tertiò (pro conscientiæ foro) quòd ille, qui sciens, & animadvertens limites justi pretii excedit in vendendo, permutando, locando, &c. vel quemcunque alium onerosum celebrando contractum, licèt ille excessus non sit ultra dimidium justi pretii, mortaliter contra justitiam peccat, contractumque in conscientia ad æqualitatem reducere tenetur; si verò bona fide contractus fuit celebratus, excusabuntur contrahentes à peccato, si autem mala ex una parte, bona autem ex alia, tenetur ille, qui mala fide usus est, statim contractum ad æqualitatem reducere, & restituere excessum, vel defectum illius. Ratio est: quia in contractibus inter rem venditam, & pretium ejus æqualitas servari debet: ergo excessus ab æqualitate hac, & læsio illius peccatum est contra Justitiam, maius, vel minus, quo maior, aut minor fuerit excessus. ¶ Si fuerit dubium an quis limites justi pretii excesserit, diligens examen facere debet ad hoc, ut veritas detegatur, & si, debita diligentiâ facta, adhuc permaneat dubius quòd justum pretium fuerit excessum, nihil in conscientia recipere potest. Pro quo legatur *Div Thom 22. Q. 77. Art. 1. Molina Disp. 350. ac Fagund. sup. á num. 6.* ubi contrariam sententiam dicit improbabilem. Dictum est *pro conscientiæ foro*; quia in foro exteriori ei non conceditur actio, qui ultra dimidium justi pretii non fuit deceptus, ut ex dictis, & Lusitanis Ordinat. constat ubi suprà.

134 Quartò resolves quòd quando contractus Judicis authoritate rescinditur, & Partium consensu distrahitur, restituiturque res, & pretium ejus accipitur, non est restituenda res (quidquid alii in contrarium probabiliter dicant) cum omnibus suis fructibus jam perceptis. ¶ Tum quia emptor verè dominium illius rei ita comparavit, & res suo fructificat dòmino. ¶ Tum quia, si ante rescissionem contractus periisset, emptori, non verò venditori periisset: ergo ei fructificat etiam, quia commodum, & incommodum ad rei dominum pertinet. ¶ Tum & maximè, quia etiam venditor toto eo tempore, quo contractus non fuit rescissus, potitus, & usus fuit pretio, quin cum suis usuris, vel emolumentis, proventibus, vel utilitatibus illius eum restituere teneatur, sed solum ipsum nudum pretium; pari ergo ratione emptor in recompensationem talium proventuum pretii rei fructus retinere poterit. Quæ omnia intellige, nisi inter Partes conventum sit aliud, nam tunc contrahentium verbis omnino erit standum. Legantur *Anton. Gomes 2. Var. cap. 2. n. 24. ac Molina Disp. 349.*

135 Sed pro externo foro, secundùm Jus Lusitanum loquendo, in casu rescissionis contractûs fructus restitui debent à die, seu tempore litis contestatæ, nisi læsio sit enormissima: nam tunc jubentur fructus restitui cum re à tempore venditionis, sed hoc post Judicis sententiam, etiam si in Libello non petantur; quæ omnia locum habent in omnibus contractibus utrinque onerosis, uti venditionis, licèt sub hasta publica fiant, in locationibus, permutationibus, &c. quod tenet *Molina Disp. 349. Fagund. á num. 13. & Ordinat. Lusitana* (quæ est omnino legenda) *sup lib. 4. tit. 13. per totum, & lib. 3. tit. 66. num. 1.* ¶ Ab hac doctrina in Lusitano Jure excipiuntur omnes artifices assumentes quodcunque opus pro certa pecuniæ summa, cùm enim sint Magistri, ac in arte periti, scire debent valorem, & pretium operum, quæ assumunt, proindeque in foro fori non debent audiri, licèt dicant se ultra dimidium justi pretii deceptos fuisse. Ita *in Ordinat. sup. n. 8.* id quod etiam verificatur (teste *ubi sup. Molinâ*) de Jure Castellæ. ¶ Dictum est *in foro fori*; nanque in foro Poli aliter discurrendum est, semperque dicendum quòd contrahentes de justitia tenentur contractum ad æqualitatem justi pretii reducere, aliquod lucrum moderatum relinquendo artificibus, nanque ipsa naturalis ratio expostulat ut officiales ipsi aliquod ex labore suo moderatum lucrum recipiant, nonque sine ulla utilitate inserviant.

136 Quintò quòd stando Lusitano Juri *sup. tit. 13. num. 9.* & etiam (juxta *Fagundes cap. 41. num. 1.*) Juri communi, & Castellæ non possunt contrahentes renuntiare beneficio L. 2. cap. de rescindenda vendit. & juri, quod habent ad rescindendam venditionem propter excessum, aut defectum, ultra, vel infra dimidium justi pretii, & hoc licèt in contractu expressis id asserant verbis, sive quando contrahunt dicant se libentissimè donare excessum, sive defectum justi pretii, si fortè in contractu

tractu intervenerit; quia hæc Lex rescindendi contractus in illis eventibus non in commodum hujus, vel illius particularis fuit facta, ut illi renuntiare valeat, sed in commodum, & utilitatem communem fuit exhibita, & sic particularis illi renuntiare non valet; sed hoc in foro externo, & non in conscientiæ foro; quo circa, si de vero animo donandi talis excessus, vel defectus justi pretii constet, valebit talis donatio, tenebunturque Confessarii obligare contrahentem ad standum illi, si contrahentes dicant se id vero animo donandi fecisse.

137 Sed, si detur casus, quo ille, qui rem infra dimidium pretii justi emit, illam alteri vendidit, donavit, alio vel modo distraxit, tunc adversùs primum emptorem actio datur, qui rem vendidit, &c. ut vel saltem pretium usque ad justum augeat; non tamen actio datur adversùs tertium possessorem; quia dicta actio personalis est, non verò realis, quod expressè decernitur *in Ordinat. Lusitan. sup. num. 4. & tenet Molina Disp.* 349. *ac Gomes* 2. *Var. cap.* 2. *n.* 22.

138 In casu tamen, quo primus emptor non solvat, quia non potest, &c. secundùm Jus commune (& etiam Lusitanum, quod semper cum communi conformatur, quando non habet Legem circa aliquid, prout hic non habet) datur actio adversùs tertium possessorem, quocunque titulo rem possideat, si ipse tertius possessor sciat illum, à quo rem accepit, eadem læsione alterius tertii, eodemque pretio infra dimidium justi pretii eam acquisivisse. Ratio datur: nam eo ipso, quòd rem illam cum ea scientia emit, vel titulo oneroso acquisivit, obligationi huic se exponere voluit, nimirum restituendi illam, vel reducendi contractum ad pretium justum, sicut qui rem alienam emit, sciens alienam esse, eo ipse se exponit obligationi restituendi illam vero domino, si comparuerit. Et hæc actio contra tertium possessorem solùm intra quadriennium intentari valet. Quæ omnia cum multis docet *Covar.* 2. *Var. cap.* 3. *ac Molina Disp.* 328. *&* 329. Re tamen ipsa jam extincta, vel in manu tertii possessoris non existente; quia jam illam distraxit, probabile est quòd adversus illum jam non datur actio, & oppositum est probabilius. Sed circa hoc ultimum vide *Fagund. lib.* 5. *cap.* 41. *num.* 5. *&* 6. ac deinceps, ubi alia resolvit, & seq. in cap. ¶ In quibus autem casibus sponsalitius dissolvatur contractus, alibi vidimus.

LECTIO VII.

Utrùm pœna contractui addita ante judicis sententiam in conscientia debeatur?

139 LEctio id, quod est certum, supponit, nempe validè, & licitè pœnam resilienti, vel contractum non observanti apponi posse, id quod cum multis probat *Lessius lib.* 2. *cap.* 20. *Dub.* 15. *num.* 128. *Bonac. de Contract. Disp.* 3. *Q.* 3. *P.* 7. *num.* 1 quatuordecim DD. adducens *Sanch. lib* 1. *de Matrim. Disp.* 72. cum multis *Lugo de Contract in gen. Disp.* 22. *Sect* 15. *n.* 397.

140 Ut tamen id licitè fieri valeat, & pœna contractui addita licita sit, tres conditiones requiruntur, quarum prima est, ut pœna non apponatur in fraudem usuræ, vel ad usuram palliatam, uti esset, si mutuator mutuatario pœnam apponeret, ut si intra tot dies non solvat, ultra capitale aliquid amplius solvat, &. ad palliandam usuram constat id fieri, quando scis terminum statutum brevem adeò esse, ut debitor intra illum solvere non possit. Vide *Bonacinam.*

141 Secunda conditio est, ut debitor culpabiliter pactum transgrediatur; quia ubi nulla est culpa, nulla pœna debetur, necessariò nanque pœna culpam supponit, ex quo aliqui inferunt non teneri ad pœnam solvendam debitorem, qui termino præfixo non solvit propter impotentiam veram, putà quia infirmitate detenebatur, quia à creditore longè distabat, vel quia in carcerem fuerat conjectus. Neque similiter tenetur ad pœnam, si solutionem prorogavit creditor, tenebitur tamen, si sua culpâ, negligentiâ, vel actione culpabili impotentem se reddit, uti si debitor comessationibus, vel ludo ad eum se reduxit statum, prævidens se impotentem futurum ad solvendum. Sed, si contractus ipso Jure fuit irritus, nullatenus ad pœnam tenetur; quia quoties poterat non servari contractus, ob ejus violationem pœna non debetur.

142 Tertia conditio est, ut pœna culpæ sit proportionata, nam pœna culpæ respondere debet. Unde fit quòd, si debitor termino præfixo partem tantùm debiti solvat, tantùm pœnæ partem solvere tenebitur, quæ parti debiti non soluti respondeat; nisi fortè multum creditori interat quòd totum solveretur debitum, uti si tota solutio tempore præfixo necessaria sit ad emendum aliquid, putà domum, quæ cum sola solutionis parte emi non posset; quia tunc integra pœna solvenda erit, eo quòd perinde se habet illa solutio, ac si facta non esset. *Bonac.* cum aliis advertens solvendi pœnam obligationem non esse, antequam expressè,

vel tacitè a creditore petatur; nam mutuatarius præsumere potest mutuantem pœnæ solutionem condonare, jurique suo cedere, cùm facilè petere posset pœnæ solutionem, & eam non petat. *Lugo eitam num.* 399. notat quod mora sit notabilis; unde dicit quòd, si per biduum, vel hebdomadam ultra terminum præfixum solutio differatur, communiter culpa digna tota pœnâ assignata æstimari non debet.

143 Advertendum & etiam cum *Bonac. num.* 4. *& Lugone num.* 401. quòd, si contrahentes exprimant se velle ante Judicis sententiam obligare, ad solutionem pœnæ ante Judicis sententiam tenentur; quia contractus, pacta, & conventiones vim, & robur à contrahentium consensu, & voluntate accipiunt, neque in hoc injustum reperitur aliquid; id quod credimus verum, nisi pœnæ appositio in contractu Jure aliquo prohibeatur. His sic adnotatis, & agnitis, & accedendo ad id, quod Lectio hæc quærit,

144 Dicitur, & resolvitur talem pœnam ante Judicis sententiam, & condemnationem deberi (licèt non antequam ab adversario petatur, ut sup. *ex Bonac.* adnotavimus.) Ratio est: quia hæc videtur esse contrahentium intentio, cui in conscientiæ foro standum, ut scilicet fidem violans solvat: non ergo ad pœnæ solutionem Judicis authoritas est necessaria. Tum quia quod ex contractu debetur, solvendum est, nulla Judicis expectata sententiâ, aliàs contractus parum operaretur, & hæc pœna ex contractu debetur; rationes aliæ *apud Lugonem num.* 406. videri poterunt, & pro sententia hac stant plures apud duos AA. cit. qui pro contraria sententia, quæ est probabilis, alios adducunt. Utrùm autem pœnæ, quæ in testamento, vel ultima voluntate ponuntur à testatore, hæredi legatario fideicommissario ante Judicis sententiam in conscientia sint debitæ? Affirmativè respondet *Lugo num.* 409. qui omnino legendus.

145 Hic agendum erat de pœnis in sponsalitio contractu appositis, sive adjectis, sed de hoc satis ad rem egimus *secunda hujus Breviarii Parte Tract.* 12. *cap.* 1. *Lectione* 4. ubi legendum; de quo & etiam legi poterunt *Bonac. de Sponsal. Q.* 1. *P. ult. Trullench. lib* 7. *cap.* 1. *Dub.* 10. *Sanch. lib.* 1. *Disp.* 20. 33. *&* 36 *Palaus Disp.* 1. *P.* 9. *Ducastill. Tract.* 10. *Disp.* 1. *Dub.* 16. *Basil. Pontius lib.* 12. *cap.* 19. *Less. lib.* 2 *cap.* 20. *num.* 135. *Molina de Just. Disp.* 151. & illi, quos cit. loco adduximus.

CAPUT II.

De Contractu emptionis, & venditionis.

INter omnes contractus frequentissimus est, ac usu quotidiano praxi mandatus venditionis, ac emptionis contractus de rebus pretium habentibus, talis enim contractus apud omnes gentes quotidianus est, ut praxis ipsa demonstrat ad oculum; (de cujus origine *in L.* 1. *ff. de contrahenda emption.* agitur) unde postquam de Contract. in communi ea posuimus, quæ sup. exarata relinquimus, ad particulares, specialesque contractus facere descensum volentes, de hoc priusquam de aliis sermonem intexere opere pretium duximus. Pro quo sit

LECTIO I.

Quid sit Emptio, & Venditio, quomodo perficiatur, simul & de conditionibus requisitis ad illam.

1 VAriis emptionis, & venditionis definitionibus ab Auctoribus aliis allatis omissis, nos hujus contractûs naturam ita ostendimus, vel definimus, dicendo quòd *est contractus mercis pro determinato pretio, & pretii pro merce determinata, reciproco contrahentium consensu factus;* in qua definitione clauditur omne id, de quo Lectionis titulus agit. Dicitur autem quòd *est contractus*, quia emptio, & venditio unicum tantùm integrant contractum, cùm unum sine altero dari non valeat, eo enim quòd vera detur emptio, vera etiam debet dari venditio, & è contrà: unde ly *contractus* loco generis ponitur, quippe in eo cum contractibus aliis convenit. Similiter dicitur quòd *est factus*, vel quòd constare debet *reciproco contrahentium consensu* ad explicandam naturam hujus contractûs secundùm suam perfectionem substantialem; contractus nanque iste in mutuo utriúsque contrahentis consensu, solis verbis absque ulla scriptura, vel alio publico Instrumento expresso, essentialiter, seu substantialiter consistit, & hoc, licèt res, & pretium non tradatur, quanvis nisi traditis illis, dominium rei non transferatur. Per reliquas particulas contractus hic distinguitur à contractibus aliis. Unde

2 Resolves primò quòd ad hoc ut propria, & vera venditio, & emptio detur, dari debent merces, (quarum omne id, quod est æstimabile pretio, pecuniâque comparari solet, sive res sint mobiles, aut immobiles, sive jura sint, vel actiones, nomine venit) & etiam numisma, sive pecunia, quod est id, quod in emptione, & venditione est mercium pretium, ad dictum nanque contractum necessariò, ut ma-

teria,

teria, requiritur pecunia ex parte ementis, & res, vel merces ex parte vendentis. Si enim non pecunia pro re, sed pecunia pro pecunia, aut res pro re detur, de illis vel pacifcatur, ut vinum pro tritico, oleum pro vino, &c. propria tunc, casus, venditio, & emptio non erit, sed commutatio, mutuum, vel cambium, *juxta L. 1. ff. de contrahend. empt.*

3 In casu tamen, quo pro re aliqua pecunia detur, simul & res, uti si pro domo alia domus detur, simul & aurei centum, si res, quæ datur, sit multò maioris valoris, quàm pecunia, tunc, casus, permutatio, nonque emptio, & venditio erit, atque adeó de permutatione tali non debetur gabella, quia hæc venditioni solùm est imposita, & accessorium principalis naturam sequitur; sed, si pecunia sit multò maioris valoris, tunc venditio erit, & tunc gabella debebitur: si autem valoris sint paris, contractus tunc erit, qualem ipsi contrahentes intenderint esse. Legatur *Palaus P. 7. Tract. 33. Disp. 5. P. 1. Salmant tom. 3. Tract. 14. cap. 2. P. 1. n. 1. & alii.*

4 Secundò quòd statim, ac contractus iste reciproco consensu utriúsque contrahentis perfectus est, neutri Parti absque alterius consensu à contractu resilire licet, id quod jam constat ex dictis, habeturque *in L. 3. Cod. de rescindenda vendit.* ubi sic dicitur: *De contractu venditionis, & emptionis jure perfecto, altero invito, nullo recedi tempore bona fides patitur.* Et cùm solo consensu perficiatur, inter absentes per literas, & nuntium fieri valet, *juxta L. 2. ff de contrait. empt & Instit. de obligat. ex consensu.*

5 Tertió quòd ut contractus hic censeatur perfectus, debet pretium esse certum, & determinatum; (sicut & merx, pro qua pretium datur) unde dicitur quòd nulla est ea venditio, cujus pretium emptoris voluntati remittitur, ut scilicet id, quod sibi magis placuerit, præstet, quòdque valida est, si arbitrio tertiæ personæ justum remittatur pretium. Et etiam valida, quando dicitur: *Rem istam emo pretio eo, quo emisti eam, aut tibi rem istam vendo pro ea pecunia, quam in arca, vel marsupio habes, vel pro pretio in lege taxato.* Si autem res vendatur, non determinando quodnam sit pretium, & si dicatur quòd pretio justo res venditur juxta communem venditio non datur. Et idem, quando res venditur, & emitur indeterminata; sed satis quòd determinata sit res in spe, estó qualis, aut quanta sit ignoretur; nam tunc satis est quòd spes sit determinata; & hinc vera datur venditio, & emptio circa fructus agrorum, & pecorum partus, & circa jactum retis in flumen pro piscibus capiendis, aut pro capiendo in venatione ita taliter, quód si nihil capiatur, debeatur pretium, nisi aliud inter contrahentes fuerit conventum: quòd si piscator, vel venator in causa esset, quód nihil caperetur, emptori teneretur de interesse. Tu pro his lege *Palaum sup. & Salmant. sup. n. 2. & 3.*

6 Quarto quód contractus iste substantialiter perficitur, suamque vim ad obligandum sortitur ante mercis traditionem: nam, licèt, ut hic contractus validus sit, debeat extare merx, quæ venditur, aut saltem spes certa mercedis, & pretium, quo emitur, de substantia tamen illius non est necessum ut vel merx, sive pretium tradatur, sed satis est obligatio dandi mercedem ex parte venditoris, & obligatio pretium solvendi ex parte emptoris, quæ quidem obligatio mutua solo reciproco consensu externè manifestato contrahitur.

7 Quintó (*juxta Salmant. cum aliis sup. n. 4.*) si tributum, vel gabella imposita sit contractui, debetur tempore celebrationis ipsius contractûs, dum perfectus celebratione redditur, non verò tempore traditionis rei, vel pretii. Unde, si alius sit gabellarius tempore traditionis, à tempore celebrationis huic, & non illi gabella debetur.

8 Sextò (juxta citandos) si contrahentes ante ipsam venditionem, & emptionem conveniant de conficienda scriptura, non perficitur contractus, nec pro illo gabella debetur usque dum scriptura conficiatur; quia tunc consensus absolutus non datur, sed conditionalis usque ad scripturæ confectionem, nisi forte scripturæ ad validitatem contractus non requirant, sed solùm ad quandam maiorem securitatem, id quod ex circumstantiis colligi debet. ¶ Et idem de aliis conditionalibus venditionibus, quæ non perficiuntur usque dum conditio impleatur; vel si ipsi contrahentes pacifcerentur contractum non perfici, nisi re, aut pretio tradito; conditione tamen impleta, contractus remanet perfectus, Juris que fictione retrotrahitur ad tempus, quo fuit celebratus, ac si tunc temporis consensus fuisset absolutus: unde fit tunc gabellas persolvendas esse priori gabellario, cui debebantur, quando primò initus fuit contractus, & modo, quo tunc currebant, non verò successori, si ante conditionis eventum mutati sunt gabellarii. Pro his legantur *Azor lib. 8. cap. 26. Molina Disp. 337. Less. lib. 2. cap. 21. ac Salmant sup. n. 4. & 5.*

9 Septimó, si contrahentes, ubi contractum ineunt, immunes non sunt à tributo, estò immunes sint in loco, ubi traditio fit, tenentur ad tributum solvendum, è contrà verò non tenentur, si in loco, ubi contractum celebrarunt, immunes erant, licèt immunes non sint traditionis in loco; & idem dicitur, si contractus celebretur tempore, quo contrahentes immunes sunt à tributo, velut tempore nundinarum.

natum, licèt poſtea tempore eo, quo non ſunt immunes, traditio fiat; & è contrà, ſi res è contrà contingat; *à Spiritu Sancto hic num.* 784. qui legendus etiam *num.* 786. ad ſciendum an debeatur, vel non gabella, ſi contrahentes (vel eorum unus, invito altero) à contractu ſtatim, aut intervallo temporis facto recedant.

10 Octavo quòd ut in emptorem mercis dominium tranſeat, non ſatis eſt contractum eſſe utriúſque contrahentis conſenſu perfectum, ſed inſuper requiri ipſam rei traditionem ex parte vendentis, & numeratum pretium ex parte ementis, aut ſaltem pignore, vel fidejuſſore aſſecuratum, vel certè ut illud ſibi ſolutum venditor habeat fixus fidei emptoris, §. *Utique*, *Inſtit. de empt. & vendit* ibi: *Qui non dum emptori tradidit rem, adhuc ipſe dominus eſt*, & juribus aliis. Et eſt ratio: quia ex natura hujus contractûs emptor ante traditionem ſolùm habet jus ad rem, ut ſcilicet res ipſi tradatur, non verò jus in re, & illa obligatio non eſt ipſius rei, ſed ſolùm venditoris. Ex quo fit quòd, ſi venditor ante traditionem rei primo emptori alteri ſecundo vendat, & eam ei tradat, illius dominium comparat ſecundus emptor, nonque eam priori emptori tradere tenetur, ut habetur *in L. Quoties*, *Cod. de revendicat.* docet Leſſ. lib. 1. cap. 21. Dub. 20. num. 121. docent & alii.

11 Sed excipitur caſus, quo prior emptor in Jure privilegium habeat, ut ſcilicet res empta ſine traditione in ejus dominium tranſeat, uti quando aliquid venditur Eccleſiis, Monaſteriis, locis piis, Civitatibus, *L. final. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* quia tunc tali privilegiato emptori tradenda eſt, etiamſi poſteriori emptori tradita eſſet. Et idem dicitur de emptoribus, quibus in ſecuritatem contractûs res fuit hypothecata; quia qui pignus habet, creditori ſimplici præferendus venit, maximè in pignore ipſo; unde quanvis alii tradatur, hic ejus dominium comparare non valet. *Leſſ. ſup.* ¶ Si res tamen duobus emptoribus vendita adhuc nulli eorum eſt tradita, debetur priori, qui ſicut fuit tempore prior, in Jure eſt potior, & quia res illa emptori ſecundo ſine prioris injuria vendi non potuit. *Salmant. ſup. cum aliis P. 2. à num.* 8.

12 Nonò quòd ſi ante ſolutum, vel aſſecuratum pretium res emptori tradatur, & ab eo alteri vendatur, res manet ſub dominio prioris venditoris, qui jure illam, ubicunque fuerit, vendicare poterit, quin ſi res vendita ſit Fiſci, minoris, vel Eccleſiæ, ejus dominium non transfertur in emptorem, niſi ſoluto pretio, ut probat Molina *in L. Si Procurator*, *ff. de jure Fiſc.*

13 Decimò quòd, cùm emptio, & venditio non cenſeatur quo ad ultimum ſuum complementum perfecta (licèt quo ad ſubſtantiam ſit completa) uſque dum rei, & pretii traditio detur, ſi emptioni, & venditioni pœna aliqua apponatur, vel ſit appoſita, intelligenda eſt de actibus per traditionem completis, niſi Legiſlator aliud intendat expreſsè. *Leſſ. ſup. Dub.* 1.

14 Undecimò quod, cùm de ratione venditionis non ſit quòd dominium transferat, ſed quòd ſit quantum ex parte contrahentium translativa dominii pro pretio, licèt per accidens propter impotentiam non transferatur, erit re vera vera venditio, quando alienam rem vendis, licèt emptor rei venditæ dominium non comparet, id quod conſtat *ex L. Rem alienam*, *ff. de contract. empt.* ¶ Et ſimiliter qui aliena, & furtiva pecuniâ triticum, &c. emit, validè emit, dominiumque rei emptæ comparat, licèt in venditorem pretii dominium non transferat; quod etiam conſtat *ex L. penult. Cod. Siquis alteri, vel ſibi*, & ex aliis. Sed circa hoc

15 Nota primò quòd rei furtivæ invalida eſt emptio, utroque contrahente id ſciente, vel ſolo emptore, valida autem, id ſolo venditore ſciente: *L. Si emptione*, *ff. de contrahend. empt.* §. *Item* juxta Gloſ. ibi: *Item ſi emptor, & venditor ſcit furtivum eſſe quod venit, à neutra parte obligatio contrahitur, ſi emptor ſolus ſcit, non obligabitur venditor.* Et paulò pòſt: *Quòd ſi venditor ſcit, emptor ignoravit; utrinque obligatio contrahitur.*

16 Secundò nota quòd quando quis vendit alteri aliquid, quod ſine peccato vendere non poteſt, ut Idólum Infideli, non obligatur ad illud tradendum, eo tamen tradito, non tenetur reſtituere pretium pro eo acceptum. Non ſic autem de venditione, & emptione veneni, quod per miſtionem alterius materiæ nulli uſui humanæ vitæ eſſe poteſt, nam hujuſmodi contractus non ſolùm eſt illicitus, ſed etiam nullus *ex L. Quod ſæpe*, §. *Illud conſtat*, *ff. de contrahend. empt.* accedente communi Interprete. Non tamen prohibita eſt emptio, & venditio veneni, quod materiis aliis miſtum nocendi naturam deponit, ex quo ſalubria confici antidota ſolent ex eod. Lege. Tu circa hîc dicta à num. 11. lege *Salmant. ubi ſuprà P. 3. à num.* 29. *ad* 33.

LECTIO II.

Quænam perſona vendere, & emere poſſint, vel quibus prohibita ſit, vel non negotiatio?

17 CIrca rem hanc ſupponimus quòd negotiatio, quæ fit per emptionem, & venditionem, tripliciter fieri, aut conſiderari poteſt: una enim illa eſt, qua emuntur ea, quæ ad propriæ, vel familiæ vitæ ſuſtentationem

nem ſunt neceſſaria, & ea, quæ ſunt ſuperflua, venduntur, & hæc non ſolùm licita eſt, ſed per ſe honeſta, laudabilis, omnibus utilis, ac neceſſaria, quia ſubvenit indigentiæ rerum, quibus unuſquiſque caret, ad propriam, domûſque ſuæ vitam ſuſtentandam, & hæc (ut ait Div. Thom. 22. Q. 77. Art. 4. in corp) *non propriè pertinet ad negotiatores, ſed magis ad œconomicos, vel politicos, qui habent providere vel domui, aut Civitati de rebus neceſſariis ad vitam*, vocaturque à Philoſopho 1. Polit. cap. 6. negotiatio ſecundùm naturam, quia fit in ſupplementum indigentiæ naturæ, & non in patrimonii amplificationem.

18 Alia eſt illa, qua emitur aliquid, ut per induſtriam, vel artem melioriationem, ac immutatum cariùs vendatur, ut qui emit argentum, vel ſtanum, &c. ut inde vaſa conficiat, & vendat ad ſubveniendum ſuæ neceſſitati; & hæc etiam licita eſt, ac honeſta, nec eſt propria negotiatorum, prout tenet Sanct. Chryſoſt. relatus in cap. *Ejiciens* 88. *Diſt.* 1. *ibi: Quicunque rem comparat, non ut ipſam rem integram, & immutatam vendat, ſed ut materia ſit ſibi inde aliquid operandi, ille non eſt negotiator; qui autem comparat rem, ut illam ipſam integram, & immutatam dando lucretur, ille eſt mercator*, & ita ſentit etiam Div. Thom. 22. Q. 77. Art. 4. ad 1.

19 Tertia denique illa eſt, quæ eſt propriè, & rigoroſè negotiatio, & ita deſcribi poteſt dicendo quòd eſt *qua aliquid emitur, ut prorſus immutatum cariùs vendatur, ut inde lucretur*; (& nomine negotiationis etiam permutatio venit, quia etiam barbari permutatione negotiantur; campſores & etiam, non vendendo, ſed pecuniam pro pecunia permutando) & hæc rigoroſa negotiatio per ſe quidem, & ex natura rei mala non eſt, aut illicita; bene verum eſt quòd Div. Thom. ubi ſup. de ea loquendo, dicit quòd per ſe turpitudinis ſpeciem habet: *Et ideo* (ait) *negotiatio ſecundum ſe conſiderata quandam turpitudinem habet, in quantum non importat de ſui ratione finem honeſtum, vel neceſſarium*; ſed eſt indifferens, & ideo ex fine, propter quem fit, vitiari, & honeſtari valet; unde aliquando fiet cum peccato mortali, ut ſi in lucro ultimus finis conſtituatur; & ſimiliter erit mortalis ex periculis, & occaſionibus peccandi, quibus exitat expoſita, præſertim ob nimiam lucri cupiditatem, cui deſervit (dicente Sancto Doctore: *juſtè vituperatur; quia quantum eſt de ſe, deſervit cupiditati lucri, quæ terminum neſcit, ſed in infinitum tendit*) ob perjuria, & frequentes injuſtitias in illa commiſſas, juxta illud 1. ep. 1. ad Timoth. c. 6. n. 9. *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem*. Et juxta illud Lib. Eccleſ. cap. 26. fin. *Difficilè exuitur negotians à negligentia; & non juſtificabitur caupo à peccatis labiorum*. Et ideo peroptimè dixit cit. Div. Chryſoſt. *Vix enim, aut nunquam homo mercator* (eum videlicet, qui in lucro ultimum finem apponit, & mendaciis, injuſtitiis, fraudibus, & perjuriis quæſtum facit) *poteſt Deo placere, & ideo nullus Chriſtianus debet eſſe mercator*.

20 Aliquando fiet tantùm cum veniali peccato, (& hoc dicit Div. Thom. illud *quandoque turpitudinem habet*) ut ſi quis præcisè propter lucrum negotietur, præterm ittere tamen illud paratus potiùs, quàm Divinam mortaliter violare Legem, aliquando fit licitè, & ſine peccato, imo & erit laudabilis, & virtuoſa, veluti ſi fiat à perſona habili, ut ſuæ neceſſitati, ac familiæ provideat; ut alios à miſeria, aut mendicitate ſublevet, & ut rebus omnibus abundet Reſpublica; ſicque licitum erit in ſenſu dato emere res, ubi abundant, ut vendantur ubi earum penuria datur. Item viliùs emere res, quando earum eſt copia, ut eaſdem cariùs vendas, quando eſt inopia, per ſe malum non eſt, modò juſto pretio emas, & vendas, neque impedimento ſit aliis, quominus & ipſi annonæ tempore emant ea, quæ ſibi ſunt neceſſaria. Legatur *Div. Thom. cit. in loco.* His ergo ita poſitis,

21 Dicitur primò quòd omnes illi, qui licitè, ac validè contractus celebrare valent, & qui celebrationem contractûs per aliquod jus impeditum non habent, (de quibus jam vidimus *ſup. cap. 1. Lectione 5.*) ſimiliter licitè, ac validè vendere, & emere poſſunt, ac è contrà qui contrahere nequeunt, nec vendere, neque emere valent; unde

22 Reſolves primò quòd (præter dictos loco proximè citatos) prohibentur negotiari, & mercaturam propriè talem facere Clerici, & Religioſi, quia valde indecoroſum eſt Clericis, & Religioſis lucris capiendis incumbere, quod multum diſtrahit, & animum occupat, ac à ſpiritualibus removet, juxta illud Ep. ad Timoth. *Nam qui volunt divites fieri, &c.* nuper relatum; quæ prohibitio (quæ graviſſima eſt, ſub mortalique obligat) habetur in *cap. Conſequens* 88. *cap finali de vita, & honeſt. Clericor. cap. Nè Clerici, vel Monachi, cap. Sed neque, Diſt.* 88. *Clement. 1. de vita, & honeſtate Clericor. ac in Trident. Seſſ. 22. cap. 2.* Sed circa dictam prohibitionem, & pœnas in dictis Juribus Eccleſiaſticis negotiatoribus aſſignatis (quæ ſunt Excommunicatio, & Suſpenſio) aliquid obſervandum venit. Unde

23 Obſerva primò dictam Excommunicationem, & Suſpenſionem non eſſe latæ, ſed ferendæ ſententiæ, proindeque non incurri, niſi

niſi poſt Judicis ſententiam, de quo *Molina tom. 2. Tract. 2. Diſp. 342. ac Lugo Diſp 23. Sect. 3. num. 23.* ¶ Et inſuper, ut dictæ incurrantur pœnæ, trina monitio neceſſario adeſſe debet, quæ ſi adſit, & Eccleſiaſtici dicti à negotiatione non abſtineant, ſtatim clericale privilegium amittunt, non quidem *Canonis*, aut *fori*, ſed privilegium non ſolvendi gabellas, ac tributa perſonalia, & realia ex bonis patrimonialibus, vel quaſi patrimonialibus, donec à negotiatione deſiſtant; ex bonis autem Eccleſiæ nunquam adhuc poſt monitionem dicto privilegio privantur.

24 Secundò obſerva ab Eccleſiaſticis pœnas has non incurri, niſi ipſi per ſemetipſos negotiationem exerceant; non enim prohibitum eſt illis illam exercere per alios; licèt addat *Lugo* quòd tanta poteſt eſſe hæc ſuperintendentia per alios, ſolicitando, dirigendo, & inſtruendo, ut ad culpam mortalem pervenire valeat, quia perinde eſt, ac ſi per famulum negotiaretur, quod in rigore eſt per ſe ipſum negotiari, Legibus Eccleſiaſticis oppoſitum.

25 Obſerva tertiò quod, licèt talis negotiator mortaliter peccet contra dictas prohibitiones, non tamen contra Juſtitiam, & ſic non ſit inhabilis ad dominium lucri acquirendum, conſequenterque non teneri ad reſtitutionem eorum, quæ abſque injuſtitia, & fraude lucrabitur, prout cum *Sylveſtro* tenet *Villalob. Tract. 11. Diffic. 3. num. 5.* tenent & alii.

26 Quartò obſerva Eccleſiaſticos nullatenus peccare mortaliter, ſi ſemel, ac iterum negotientur negotiatione propriè tali: (niſi cum ſcandalo fiat, aut negotiatio nimis ſit turpis, vel in quantitate magna) quia Jura relata ſolùm loquuntur de Clerico negotiationem exercente, victumque ea comparante, quod non verificatur, ſi uno, vel altero actu negotietur, uti ſi ſemel, aut iterum libros, Cruces, Reliquiaria, ac ſimilia occultè emat, & cariùs vendat; ut aſſerunt plures, inter quos *Lugo Diſp. 26. Sect. 3. num. 24. Trulbench. lib. 7. cap 21. Dub. 7. ac Leſſ. lib. 2. cap. 21. num. 4.* ¶ Imò probabile dicitur eſſe (quanvis contrarium verius, & probabilius ſit) non eſſe mortale frequenter negotiari, ſi id abſque ſcandalo fiat, ſitque negotiatio non turpis, monitioque non præcedit. Pro quo legatur Cajet. in Sum. verb. *Clericus*, Palaus de Contract lib. 2. cap. 10. & Rodrig. in Sum. lib. 2. cap. 1. n. 2.

27 Obſerva quintò Clericis, & Religioſis non eſſe prohibitum dictam negotiationem exercere ob neceſſitatem urgentem; quia Eccleſiaſticæ Leges in neceſſitate non obligant, ut patet in Lege jejunii, auditionis Sacri, &c. *Molina ſup. Diſp. 342. Trulbench. Leſſ & Lugo ſup qu. num. 37.* infert poſſe Religioſos, qui in Braſilia degunt, & ad infidelium converſionem attendunt, (quod nos ad alios extendimus) qui rebus multis ex Hiſpanis ad ſui ſuſtentationem indigent, nec pecunias habent, quas ad Hiſpaniam mittant pro rebus illis neceſſariis emendis, alias mittere merces, ut ex earum pretio ſibi neceſſaria in Hiſpaniis comparent, & per mare in navibus tranſportentur ad illos.

28 Sextò obſerva ſolùm Clericis, & Religioſis prohibitam eſſe negotiationem propriè dictam, (quæ eſt illa, qua animo lucrandi aliquid emitur, ut, re omnino immutata manente, cariùs vendatur) proindeque quamcunque aliam negotiationem diſtinctam ab illa eis non eſſe prohibitam, eoſque licitè, ſecluſo ſcandalo, toties quoties exercere poſſe, id quod docet communis, ac ex ſupradictis, & alibi conſtat. Et hinc

29 Sequitur quòd poſſunt vendere ea, quæ etiam ex emptis ſibi ſuperſunt, etiam poſſunt cõducere domos, terras, vineas, &c. ad ſui, ſuæque familiæ ſuſtentationem, & etiam ad hoc uti aliquo artificio decenti, veluti emere papyrum ad ſcribendos, vel tranſcribendos libros, mercari ſerica ad formandos flores, & eos vendendos, emere equos, mulos, oves, ut illos in propriis nutriant agris, & cùm adoleverint, vel partus ediderint, illos vendant, & lucrifaciant. ¶ Illicitum tamen erit juxta *à Spiritu Sancto ſup. Sect. 2 num. 790* mulos, vel equos mercari titulo ut aliis locent, vel ad per Civitatem aquam vendendam, id quod nos negamus, ſi id ad ſui ſuſtentationem, nonque per ſe, ſed per alios efficiant. ¶ Item poſſunt emere hortum, vel fundum cum fructibus, ut fructus poſtea vendant, non tamen conducere agros, ut fructus eorum vendant, quæſtumque faciant, niſi neceſſitas adſit. Legantur *Leſſ. & Lugo ubi ſup.* legatur etiam *Pater Torrecilla tom. 2. Conſult. Tract 8. Conſult. 5 per totam*; legantur & *Salmant. Tract. 14. cap. 2. P. 4. toto §. 1.* Ex dictis facile erit reſolvere omnes alios caſus, in quibus Eccleſiaſticis illicita, vel licita ſit negotiatio.

30 Obſerva ſeptimò ſub nomine Clerici in dicta prohibitione, & pœnis ejus comprehenſi intelligi omnes Clericos in Sacris conſtitutos, & etiam in minoribus, ſi Beneficiati ſint, quod eſt commune, quanvis probabile ſit Clericum ſecularem ſolùm minoribus Ordinibus initiatum, & ſi Beneficium habeat, ſub dicta prohibitione non claudi. (Secus eſt de Religioſis, iſti nanque in minoribus, imò & Laici, ſive Converſi in pœnas à Jure latas incidunt, præceptum tranſgredientes. (Legantur *Trulbench. & Molina ſup. ac etiam Diana Coordinat. tom. 6. Tract. 3. Reſol. 179. ad 188.*

31 Se-

31 Secundò dicitur illicitum esse omne genus contractuum cum omnibus suis subditis factum, publicis Justitiæ Ministris, nimirum Judicibus, Prætoribus, Proviforibus Regiis, Auditoribus, eorumque Officialibus, veluti Circuitoribus, Scribis, & Consiliariis, sive id per se, aut per interpositam personam faciant; sed hoc in terris, & Provinciis illis, in quibus Justitiæ munus exercent, ac dum illud exercent; id quod communi Jure habetur *in L. Pupillus, §. Si filius, ff. de author & L. fin in fin. Cod. de contrab. empt.* Juribusque aliis, ac L. *Castelia* lib. 5. tit. 5. P. 5. & lib. 3. novæ Recopilat. tit 6. L. 2. & de Lusitano Jure lib. 4. Ordinat. tit. 38. ac 39.

32 Non tamen Legibus dictis prohibetur eis aliquid testamento, legato, vel hæreditate acquirere, neque emere res, quæ fuerunt maiorum suorum, nec rem in pignus datam accipere, neque contrahere, antequam ad tale officium perveniant; similiter nec prohibentur contrahere, si sint perpetui Judices, & Præsules, quales sunt Senatores Regii, eorumque Officiales, (& idem de Judicibus, & Officialibus perpetuis aliis) aliàs perpetuò essent privati commercio. Et idem dicitur de Officialibus ad beneplacitum, & qui determinatum tempus non habent. Ita cum multis *Fagundes lib. 5. cap. 13. n. 4. ac 6*

33 Dicitur tertiò inter virum, & uxorem validam, & licitam esse negotiationem, bonorum eorum, quorum unusquisque plenum dominium, usum, & administrationem habet independenter ab alio, qualia sunt bona paraphernalia uxoris, quæ ipsa extra dotem habet, & independenter à marito, dum cum illo nupsit, sibi reservavit; quia inter eos omnis contractus permissus est præter donationem; textus *in L. Aurelius, §. fin. ff. de liber. obligat.* ¶ Excipitur, nisi venditio inter eos vilior justo pretio esset; nam tunc nulla erit, eo quòd in Legis fraudem facta censetur, prout tenet *Anton. Gom. tom. 2. Var. cap 2. de Empt. num. 3. & Fagund sup. cap 14. n. 1.*

34 Quartò dicitur omnes venditiones, & permutationes (& idem de mutuo) inter patrem, & filium sub patria potestate jacentem, inter nepotem, & alium descendentem, nisi de aliorum ascendentium licentia fiat, invalidas esse, *L. 2 de Contract. empt.* ac Jure Lusitano lib 4. Ordin. tit. 12. ¶ Dictum est: *Sub patria potestate jacentem;* quia dictæ Leges non comprehendunt filios, qui sunt sui juris, nec similiter filium spurium. ¶ Item si pater testamenti alicujus defuncti etiam extranei executor fuerit, bona defuncti filio suo vendere non valet, juxta *Pereyra de Empt. cap. 17. num. 8.* ¶ An autem, si venditio inter patrem, & filium sine fraude, vel dolo æquali pretio fiat, licèt non fit ea solennitate facta, quam Lex postulat, sit valida? Respondetur affirmativè; quia conscientiæ forum in veritate fundatur, non autem in præsumptione fraudis, vel doli, in qua prohibitio Legis fundatur. ¶ Imò sunt qui dicant talem venditionem etiam pro externo foro validam esse; sicut etiam permutatio valet pro æquali, ex Lusitana Ordinat. lib. 4. tit. 12. Legatur *Fagund. cap. 15. n. 13.*

LECTIO III.

Quænam res vendi, & emi possint.

35 Dicitur quòd omnia illa, quæ pretio æstimantur, & quorum quis plenum dominium, ac liberam administrationem habet, validè, & licitè vendi possunt, nisi specialis aliqua prohibitio adsit, vel circunstantia, quæ venditionem, ac emptionem invalidam, aut illicitam reddat. Ratio datur: quia sub venditionem cadit omne id, quod est pretio dignum, pro illoque tradi potest; sed omnia, quæ sub conclusione, vel resolutione clauduntur, sunt pretio digna, & pro illis tradi pretium valet: ergo, &c. Est commmunis, & omnium. Unde

36 Primò resolves omnia bona vendi posse, etiam futura, licèt omnia donari non valeant, ne quis maneat intestatus; & est disparitas, nam per hoc, quòd omnia vendat, intestatus non relinquitur, cùm de pretio, quod pro illis accepit, testari queat. *Palaus Disp. 5. P. 18. n. 1.*

37 Secundò vendi posse totam hæreditatem, vel partem illius, testatoris morte sequuta, & non antea, nam antea vendita contrariatur bonis moribus; esset enim occasio machinationis mortis illius, cujus hæreditas emitur, *L. 1 & seq ff. de hæredit. vel action. vendit.* ¶ Excipitur, nisi dóminus hæreditatis consentiat, quippe consentienti non fit injuria, *L. ult. Cod. de pactis, L. Ex eo, Cod. de inutilib. stipulat.* vel quando quis vendit hæreditatem in genere, quam quis habiturus est, non indicando adhuc tacitè cui est succedendum, nanque tunc mortis machinatio non timetur. Legatur *à Spiritu Sancto Tract. 10. Sect. 3. n. 800.*

38 Tertiò quemlibet vendere posse non solùm totam rem, vel partem ejus, sed etiam quoram illius pro indiviso, ut tertiam, quartam, aut quintam partem, nec non & jus servitutis. ¶ Item creditum, & actionem, quam quis adversùs alium habet, vel in rem debitam, aut in pignus, hypothecam, vel fidejussionem, & eo ipso in emptorem utilitas transit; etiam si dictam emptionem nesciat debitor, & post stipula-

pulationem, ac ceſſionem datur etiam actio in emptore contra debitorem, dummodo actio non vendatur, aut cedatur potentiori; nam tunc invalida dicitur, & ille, qui vendit, amittit jus, quod habebat ad debitum tale. *L. 2. Cod. Ne liceat potentiori.*

39 Quartò vendi poſſe rem in ſpe, antequam de facto exiſtat, ut arborum fructus, pecorum partus, ancillæ, & ſimilium. ¶ Item jactus retis, in quo caſu, & ſi nihil capiatur, pretium adhuc debetur, (niſi aliter fuerit conventum, ut dictum eſt ſup.) id, quod non ita in aliis tribus exemplis, nam ſi fructus arborum, vel partus pecorum; vel ancillæ non naſcantur, non intelligitur facta venditio, cùm in ſimilibus ſemper venditio ſit conditionalis, id eſt, *ſi naſcantur*; de quo Molina Tract. 2. Diſp. 340. Bonac. Diſp. 3 Q. 2. Gomes tom. 2. cap. 2. n. 4 & alii.

40 Quintò quemlibet Principem, ſive ſit ſupremus, aut Regi ſubjectus, ut Dux, Marchio, Comes, imò & Senatores, Civitatumque Prætores, ſpeciali alicujus Regni Jure ſecluſo, vel non attento, officia ſua ſecularia vendere poſſe, quilibet nanque vendere poteſt id, quod ſuum eſt, ac pretio æſtimatur, ſi juſto pretio, nonque perſonis indignis vendat; (ſi enim indignis talia venderentur officia, venditor teneretur de damno in defectu Officialis) unde ab his vendi poſſunt officia Judicum, Senatorum, Scribarum, Tabellionum, Lectorum, Miniſtrorum fiſcalium, & ſimilium: quia prædicta officia inter bona patrimonii Regis, vel Principis annumerantur, & cùm ſint fructifera, non tenentur ea gratis concedere. ¶ Et inter ſecularia officia computantur ea, quæ Epiſcopus, ſi fortè ſit Dux, vel Marchio, temporalis vel dominus, ut temporalis dominus habet; hæc enim vendere poteſt, quanvis ea, quæ mere ſpiritualia ſunt, vendere nequeat, id enim ſimonia eſſet, ut jam dictum eſt ſuo loco, & de quo *Div. Thom. in Opuſc. 21. ad Ducciſſam Burgundiæ, Sot lib. 2. de juſt. Q. 6. Art. 4. ad 2. cum aliis à Spiritu Sancto ſup. num.* 803. ¶ Sed, licèt dicta ſecularia officia vendi poſſint, juxta communem, ab eo tamen abſtineri debet ob pericula, damnaque multa, quæ inde reſultant. Pro quo legantur *Salon 22. Q. 63. Art. 2. Azor 3. P. lib. 8. cap. 7. & Lugo Diſp. 34. tota Sect. 3.*

41 Dictum eſt *ſpeciali alicujus Regni Jure ſecluſo, vel non attento*; eo nanque attento, aliter dicendum erit, talique Jure ſtando. Tu pro hoc Lusitaniæ Regno lege *in Ordinat. tit. 46. lib. 2. & ſimul Laguna, lib. 1. ac juſt. cap. 23. num. 16. ac à Spiritu Sancto ſup. n.* 804.

42 Sextò Urbes, oppida, & Caſtella abſque Civitatum conſenſu poſſe Reges, vel Principes vendere, (& etiam Rempublicam talium rerum dominium habentem) ſi ad id adſit juſta, debita, & rationabilis cauſa; ſecus autem, ſi ea non adſit: quia quilibet Rex, vel Princeps communi bono conſulere debet; quapropter, ſi cognoſcat damnum illi Regno, Civitati, vel oppido ob venditionem talem advenire, nequaquam illud, aut illam vendere poteſt, è contra, ſi cognoſcat utile fore, vendere debet. Circa quod legendus eſt Covar. in cap. *Quanvis pactum de pactis in* 6. P. 2. §. 2. n. 4. ubi etiam ait poſſe Regem cauſâ dotis, vel remunerationis aliqua oppida, vel Civitatem donare, (ut Luſitaniæ Rex olim fecit pro dote Reginæ Catharinæ, Anglis Tingitanam Civitatem donando, quæ nunc (proh dolor!) ſub Sarracenorum poteſtate iterum extat, ipſis ab Anglis pecuniâ vendita) & ſi vendat, habent Cives facultatem ſe redimendi, dummodo tantundem Regi, vel Principi offerant, quanti alteri venderetur.

43 Septimò ſpiritualia per ſe vendi non poſſe, putà Calices conſecratos, Altaria, reſque ſacras, ſanctas, ac religioſas; hæc enim pecuniâ non æſtimantur, eaque vendere, & emere peccatum eſt ſimoniæ, ac ſacrilegii: *L. Sancimus, Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* ſine culpa tamen, nec ſimoniæ labe poſſunt per accidens vendi, & emi ratione materiæ, vel laboris, & ita venditur Calix, & etiam fundus, cui annexum eſt jus patronatûs, modò ratione conſecrationis, & ratione talis juris patronatûs pretium non augeatur, prout hac ratione augeri non valet. Legatur Molina Diſp. 340. n. 25. & Sylveſter verb. *Benedictio*, Q. 7.

44 Tu verò cum Molina nota vaſa, & veſtimenta ſacra vendi non poſſe, niſi neceſſitate urgente, uti ad ſolvenda debita, ut ex pretio venditi meliora alia fiant ad ſerviendum eidem Eccleſiæ, & tunc, caſus, ſi integræ vendantur, Eccleſiæ alteri, in eundum ſacrum uſum, putà Templi, Altaris, vel Capellæ, venditio fieri debet; deſtructa verò facta, ſive fracta, cuicunque vendi poterunt; cùm tunc, caſus, res jam non ſint ſacræ, ut commune eſt, & docet *Molina ſup. num. 22 qui ibi num. 25.* aſſerit venditionem Templi abſque Principis authoritate invalidam eſſe, tametſi Templum conſideretur ſecundùm materiam, & expenſas in eo conſtruendo, irritatur, quippe ejuſmodi venditio *in L. Sancimus cit.* Imò addit *Bonac. Diſp. 3. P. 2. n.* 23. ad hoc tempore hoc Apoſtolicum conſenſum requiri.

45 Octavo homo liber vendi non poteſt. *L. Sed Celſus, Cod. de contrahend. empt.* in aliquibus tamen caſibus emptio, & venditio hominis liberi licita erit. Primo, ſi pater ob nimiam neceſſitatem, vel egeſtatem extremam filium,

vel

vel filiam vendat, *L. Si quis, Cod. de patribus, qui filios suos distraxerunt*, constatque ex supra dictis de patria potest. quæ facultas, licèt secundùm Jus Civile ad matrem non extendatur, eo quòd mater filios, & filias sub sua patria potestate non habet, bene tamen secundùm Jus naturale, quo filii obtequia patri præstare tenentur, tenentur & matri. Azor cap. 6. §. *Quæres*, filii emancipati, secundùm Jus Civile vendi non possunt, bene tamen secundùm Jus naturale. *Covar. lib. 3. Variar. cap. 14.* Secundò Clerici vendi non valent ratione statûs; hæ tamen emptiones, & venditiones no videntur inter Christianos receptæ, cùm non desint alii modi, quibus filii possint subvenire parentibus. Legatur *Divina Coordinat. tom. 7. Tract. 8. Resol. 7. ad 9. & 55 60. ac 61.*

46 Insuper pro solvendis debitis, sicut in veteri Testamento Lib. Levit. 25 fieri solebat. ¶ Tertiò potest quis seipsum vendere pro vita sua tuenda, vel pro altero redimendo, ut Paulinus Episcopus Nolensis fecit, qui pro redemptione filii cujusdam viduæ semetipsum vendidit. Legatur *Azolina sup. Filiuc. Tract. 35. cap. 2. num. 47.* ¶ De venditione Æthiopum constat ex alibi dictis. ¶ Circa venditionem Sarracenorum, Maurorum, Turcarum, Etnicorum legatur Navar. cap 17. in Manuali, num. 96. & Azor. 3. P. lib. 8. cap. 6. §. *Quarò quæritur*, & seq.

47 Nonò ea, quæ ex se determinata sunt ad malum effectum, ut maleficium, incantationes, anuli, quibus dæmonia sunt alligata, sigilla astronomica, libelli infamatorii nullatenus licitè vendi possunt, quia peccato alterius cooperari esset, cùm hujusmodi res non nisi ad malum deservire possint. Communis. Legatur *Div. Thom. 22. Q. 169. Art. 2. ad 4.* Harum tamen rerum venditio valida est, & pretium retineri potest, ac post rei traditionem exigi; id quod ex dictis cap. 1. de Restit. constat; sed, si hujusmodi res aliis fuerint mistæ & ita humanis usibus deservire possint, ut venenum, ex quo medicamentum conficitur, licitè vendi possunt personis illis, quas non constat rebus his ab usuras. *Bonac. cum aliis sup. n. 11. & communis.*

48 Si res tamen ex se sint indifferentes, & ad bonum, vel malum finem deservire possint, ut venenum, fucus mulierum, idolum, chartæ lusoriæ, aleæ, arma offensiva, &c. licitè, & validè vendi possunt, juxta communem, & *Div Thom. ubi sup.* nam quod ementes his rebus malè utantur, hoc non venditorum, sed solùm emptorum in culpa erit, qui enim vendit, examinare non tenetur quo fine, & motivo emens res istas emat. ¶ Et licèt venditor contra Charitatem peccaret, si hujusmodi res personis illis venderet, quas verosimiliter credebat illis abusuras, quia illarum peccatis cooperaretur, non tamen contra Justitiam peccaret, nec ad restitutionem pretii accepti teneretur, ut ex dictis de Restit. constat. Imò nullo modo peccaret, si justam, & rationabilem causam ad hujusmodi venditionem faciendam haberet, uti si absque damno sui non posset à dicta venditione recedere. Et hoc etiam si venditor verosimiliter credat emptorem non bene, sed malè his rebus usurum, nam iste in re vendenda jure suo utitur, & præter intentionem ejus est quòd emptor re empta malè utatur. Legatur *Navar. cap 19 num. 16. Reginald. lib. 25. num. 264. Bañes 22. Q. 20. Art. 11 Rebell. 2. P. lib. 9. Q. 8. Sect. 4. num. 30. ac Salmant. sup. n. 32. & 33. P. 3.*

49 Decimò prohibitum est Christianis vendere equos, arma, &c. Turcis, Mauris, vel Sarracenis, ut dicitur in Bulla Cœnæ 7. excommunicat. ¶ Deinde est etiam illicita emptio, & venditio ratione loci, ut si fiat in Ecclesia magna cum concurrentia, ac si fieret in foro, esset enim sacrilegium, & hoc Dóminus flagello ejecit de Templo omnes ementes, & vendentes, nè domus orationis negotiationis fieret domus, *Matth. cap. 21. & constat ex Trident. Sess. 22. de celebrat Missar.* at si tantùm ibi fieret pactum de rebus extra Ecclesiam existentibus, esset tantùm veniale, nisi ex eo Divina Officia aliquando impediantur, uti docet *Sot. lib. 6. Q. 2. Art. 2. Molina Disp. 344.* At si quis ibi secretò librum aliquem venderet, nullum esset peccatum; quia nulla in eo irreverentia apparet, quod est commune. ¶ Item erit illicita negotiatio, si fiat in die festo, & aliquando veniale erit tantùm, aliquando nullum, ubi est negotiandi consuetudo in diebus festis, ut in nundinis fieri solet.

50 Hic quæri solet primò an possit aliquis invitus ad rem suam vendendam cogi? Dicitur quòd regulariter non potest, bene tamen aliquoties; id est, quando cederit in publicam utilitatem, ac necessitatem, tunc à Principe, vel publica potestate cogi poterit; uti quando prædium, vel domus, &c. necessaria est ad fabricandam Ecclesiam, Monasterium, hospitale, palatium Principis, vel viam publicam. *L. Si locus, ff. quemadmodum servitus amittatur, L. Si quis sepulchrum, ff. de Relig. & sump. fun.*

51 Item tempore necessitatis illi, qui frumentum habent, possunt adhuc ab ordinario Judice ad illud vendendum cogi; imo ordinarius iste Judex prohibere potest, nè singuli plus, quàm necesse habuerint, emant, ut sic non deficiat pro aliis *L. 1. §. Cura carnis, ff. de officio Præfecti Urbis.*

52 Similiter Clerici cogi possunt ad fru-

mentum ſuum vendendum, quando id neceſſarium eſt ad ſubvenendum communi bono. Et, licèt *Bobadilla in Polit. tom. 2. lib. 3. num. 13. & alii apud Lugonem ſup. Sect. 2. num. 12.* coactionem hanc à ſeculari poteſtate fieri poſſe dicant, hoc tamen non admittimus; quia ſecularis poteſtas juriſdictionem nullam in Eccleſiaſticos habet, nec illa neceſſitas talem juriſdictionem illi præbet; unde ad eos cogendos ad ſuos Judices, & Prælatos Eccleſiaſticos omnino eſt recurrendum, qui ſoli juriſdictionem ſuper illos habent, niſi in mora periculum adſit, fameſque ita urgeat, ut ad talem recurſus non detur locus; tunc enim Magiſtratus ſecularis, non ex vi juriſdictionis, ſed ratione periculi, triticum, ſive frumentum ut vendatur extrahere poterit. Legatur *Lugo ſup. Salmant. de Ord cap. 7. P. 1. num. 17. & de Contract. cap. num. 26.* de quo & nos jam alibi.

53 Secundò an venditio rei alienæ ſit valida? Dicitur validam eſſe quo ad transferendum dominium pecuniæ in venditorem, non verò ad transferendum dominium rei venditæ in emptorem; non enim venditor rei venditæ dominium transferre poteſt, quia talis rei dominium non habet, & nemo in alterum plus juris transferre poteſt, quàm ipſe habet, unde ſemper rei dominus rem ſuam vendicare valet, ubicunque invenerit eam, quia adhuc res ſuæ dominium retinet, niſi jam fuerit legitimè præſcripta.

54 Quòd autem dominium pecuniæ in venditorem transferri valeat, clariſſimè conſtat, quia emptor eſt pecuniæ dominus, poterit ergo, ſi velit, ejus dominium transferre in alium. ¶ Adverte tamen quòd, licèt fur, vel rem alienam vendens dominium pretii, aut pecuniæ acquirat, tenetur tamen ad reſtituenda damna inde emptori provenientia, quia per injuſtam acceptionem eorum fuit cauſa. Ad nihil tamen tenebitur, ſi bona fide quis rem alienam vendat, niſi tantùm id, in quo factus fuerit ditior, quinimo nec ad hoc obligatus manet, ſi emptor ſciens, & volens rem alienam emat, quia ſcienti, & volenti non fit injuria. Legantur *Salmant. ſup n. 30. & 31.*

55 Tertiò an empta alienis pecuniis fiant emptoris, nunquid verò ejus, cujus ſunt pecuniæ? Dicitur quòd quandoque fiunt unius, & aliquando alterius; emptoris fiunt, eaque ſua facit, quando ſuo nomine emit, ita *in L. Si ex ea, Cod. de rei vendition* Non emptoris autem fiunt, ſed illius, cujus ſunt pecuniæ, quandoque ſcilicet ea, quæ Eccleſiæ pecuniis emuntur, vel pecuniis pupilli, minoris, aut Militis. *Bonac. ſup. num. 29. Dicaſtill. lib. 2. Tract. 9. Diſp. 1. num. 52. Azor 3. P. lib. 5. cap. 12. & lib. 8. cap. 27. Salmant. ſup. n. 29. & alii.*

56 A Spiritu Sancto quæſtionem illam hîc excitat, ſcilicet an ille, cui teſtator commiſit ut eleemoſyniam inter pauperes diſtribueret, vel utrùm Dynaſta, vel Prorex, cui à Rege commiſſum eſt ut inter dignores officia diſtribuat, & nunquid electori ad Maioratum, Capellam, vel Cathedram, pretium recipere poſſit pro danda eleemoſyna, vel officio, Cathedrâ, Capellâ, Maioratu, &c. huic, vel illi, quando eligendi ſunt æquales, & hoc ſine reſtitutionis onere? (& ſeclusa Juris poſitivi prohibitione) & poſtquam pro parte affirmativa *Fagundez, Rodrig. Lopez, Sanch. & Diana addunt.* ¶ Ipſe ſub diſtinctione reſolvendo procedit, & dicit eleemoſynæ diſtributorem id facere non poſſe ſine reſtitutionis onere, ſi electio jam eſt in facto; ſecus autem, ſi ſit in fieri, deturque Lex, vel mandatum ſub mortali obligans quòd dignioribus detur, vel inter æquales, quòd detur gratis; pro ſeque citat *Lugonem de Juſt. Diſp. 34. num. 19. Leſſ. & Tambur. in Decal. lib. 8. Tract. 3. cap. 7. § 3. num. 8. Legatur Author ibi á num. 807. ad 810. & etiam Diana Coordinat. tom. 6. Tract. 3. Reſol. 204. & 205.*

LECTIO IV.

De Monopoliis, an nimirum Monopolia omnia illicita ſint, & contra commutativam Juſtitiam?

57 *Monopolium* (quod eſt nomen Græcum) idem eſt, ac venditio unius. *Monos* nanque ſignificat unum, & *polium* venditionem importat. Et inde *Monopolium* dicitur. Et iſte talis vendendi modus his quatuor modis fieri valet. Primo quando multi mercatores inter ſe conveniunt de pretio, ut nullus ſcilicet vendere, aut emere audeat, niſi ſub tali uno pretio conſtituto ab ipſis, in hoc enim caſu tales iſti *Monopola* dicuntur, qu a ratione conſpirationis ſe habent, aut ut unus emptor, aut ut unus venditor. ¶ Secundo Monopolium accidit, quando aliqui inter ſe conveniunt de omnibus mercibus, vel frumentis emendis, &c. ut poſtea illos vendant pretio eo, quod magis ſibi placuerit, caritatem, ſive inopiam Civitati ponendo. ¶ Tertio Monopolium dicitur, quando prædicti impediunt nè in Civitatem advehantur merces, ut ſic ipſi cum Civium, Reipublicæque detrimento res ſuas cariùs vendant. ¶ Quarto demum Monopolium dicitur etiam, quando à Principe, vel Republica facultas, privilegiumve obtinetur, ut nemo, niſi talis homo, putà Petrus, hoc, vel illud genus mercium, vel frumenti, &c. vendere queat, id quod vulgò dicitur *ter eſt anque de alguma conſa, verbi causâ de tabaco, neve, &c.*

quibus

quibus ſic cognitis, videndum eſt an hæc Monopoliorum genera illicita ſint, & contra Juſtitiam.

58 Itaque quo ad primum Monopoliorum genus, ſecundùm veriorem, & probabiliorem ſententiam dicitur quòd, ſi mercatores ita in pretium conſpirent, ut non excedatur pretium legale, & legitimum, licèt conſpirent ut non, niſi juſto pretio ſupremo juſto rerum venditio fiat, vel ut non niſi infimo pretio, ſemper tamen juſto ematur id, quod emitur, contra commutativam Juſtitiam mortaliter non peccant, conſequenterque ad reſtitutionem non tenentur, (peccabunt tamen contra Charitatem, & Juſtitiam legalem, cùm, niſi tale Monopolium eſſet, emptores juſto, medio, vel infimo pretio res emere poſſent) niſi in eo aliqua vis, fraus, dolus vel eſſet. Ita cum multis Salmant. ſup. Tract. 14. cap. 2. P. 5. num. 55. & 56. legendi. Cum aliis à Spiritu Sancto Tract. 10. Diſp. 17. Sect. 15. Molina Diſp. 345. Torrecilla in Encyclopædia verb. *Monopodium*, num. 3. Et idem, quod dicitur de Mercatoribus, dicitur etiam de emptoribus in eodem ſenſu, nam pro omnibus eadem utrobique eſt ratio. Legantur citati, & etiam *Diana Coordinat. tom. 6. Tract. 3. Reſol. 65.*

59 Dictum eſt, *licèt conſpirent, ut non niſi juſto pretio, &c.* ſi venditores namque inter ſe conveniant, ut rem ſupra juſtum pretium vendant, vel emptores ut infra juſtum pretium emant, tunc, caſus, contra commutativam Juſtitiam peccabunt, ad reſtitutionemque tenebuntur, (nimirum exceſſum pretii, quod Mercatores acceperunt, & defectum pretii, quod non dederunt emptores.) Et idem dicitur, ſi Mercatores aliqui minis, dolo, vel fraude impedirent alios, nè minori venderent pretio, emptoribus enim reſtituere tenebuntur totum damnum, quod ex inde ceperunt; quia eis facta eſt injuria, ſive injuſtitia.

60 Conveniunt tamen utriuſque ſententiæ AA. quòd in caſu, quo venditores convenirent de re non vendenda, niſi juſto pretio ſupremo, licitè etiam poſſent emptores inter ſe Monopolium facere, & convenire de non emendis mercibus, niſi pretio tali, putà infimo, quod à probis viris juſtum æſtimari poſſet, ſi nullum Monopolium extaret, nam clavus tunditur clavo, & Monopolium Monopolio depellitur. Debent tamen emptores ab eorum Monopolio ceſſare, ſi venditores à ſuo ceſſent, ut juſtitiæ ſervetur æqualitas.

61 Sed ex citatis, & aliis AA. nota primò quòd ſemel à Mercatoribus Monopolio facto, ratione cujus jam introductum pretium currens, quod aliàs eſſet injuſtum, ſi quilibet alius Monopolii illius non particeps merces ſuas pretio eo jam currenti venderet, nec peccaret mortaliter, neque reſtituere teneretur, licèt certò ſciret illud incrementum pretii proveniſſe ex injuſta Mercatorum conventione, & Monopolio. Ratio eſt: quia pretium illud commune jam eſt currens, ac vulgare, & omnino per accidens vendenti eſt quòd ex aliorum injuſtitia ſit introductum, ſed quilibet vendendo res ſuas pretio communi, vulgari, & currenti juſto pretio vendit: ergo, &c. Legantur *Reginald. tom. 2. lib. 25. cap 23. num. 230.* cum eo, & aliis *Salmant. ſup. num. 57. Torrecilla ſup. n. 4. ac Diana ubi ſuprà.*

62 Secundò nota *ex Salmant. aliis adductis ſup. num. 58.* quòd etiam pro illicito Monopolio reputatur illa conventio, qua artifices ad invicem inter ſe paciſcuntur, nè ſcilicet opus ab aliquo ipſorum inchoatum alter perficiat. Et idem, ſi conveniant de locatione ſuorum operum certo pretio. ¶ Idem, quando aliqui rumorem aliquem falſum ſpargunt, vel literas confingunt, affirmantes mercium naves eſſe ſubmerſas, vel ab hoſtibus deſtructas, aut captas, vel monetæ valorem deponi, ut ſic ſuarum rerum pretium augeant, & ut omnia venalia cariùs vendant. ¶ Idem, ſi ſub haſta (*a pregões em almoeda, ou leylaõ*) licitatores falſos apponit, qui plures offerant, ut ſic cæteri emptores pretium aſcendant, & ipſe cariùs vendat. Et idem de emptoribus, qui avocant alios ab augendo pretio ſub haſta intra latitudinem juſti, de omnibus enim iſtis dicitur quod iniquè faciunt, quòdque tenentur reſtituere damnum illatum, ſi vi, dolo, vel fraude procedant; ſecus autem, ſi procederent aliter, uti ſi alios rogarent, nè in publica licitatione plus certa quantitate offerant, ut ipſe juſto pretio infimo ſubhaſtationis rem obtinere poſſit. ¶ Idem dicitur de eo, vel illis, qui merces certi generis, putà tritici, emunt, ut ipſi poſtea arbitrio ſuo cariùs vendant. ¶ Idem de illis, qui vi, fraude, vel dolo impediunt, nè ex partibus aliis mercium copia concurrat. Legatur *Torrecilla ſup.* qui ibi reſolvit, & bene à num. 7. quòd Monopolæ, & ſi cum juramento pacto ſtare promittant, tali juramento non manent adſtricti. Legatur *Diana ſup. Reſol. 70. ad 73.*

63 Circa ſecundum Monopolii genus (de quo jam præcedenti num. tactum) cum communiori, & veriori ſententia dicitur quòd illud exercentes mortaliter peccant contra commutativam Juſtitiam, conſequenterque omne damnum, quod ſequitur paſſis, reſtituere tenentur, ſi vi, dolo, vel fraude in eo procedant. Et ita cum multis *Salmant legendus ſup. num. 53. Azor 3. P. lib. 8. cap. 28. cum aliis Molina Diſp. 345. legatur Diana ubi ſup. Reſol. 84.* Sed circa hoc Monopolii genus

64 Nota

64 Nota primò tale Monopolium non esse illicitum, si sit de rebus non necessariis ad vitam, sustentationem, vel communem Reipublicæ statum, uti pisitaci, simiæ, ornatus mulierum, pretiosæ gemmæ, generosi equi, accipitres, & hujusmodi, quia ex hoc non damnificatur Respublica; unde resolutio tenet rebus in illis, quæ ad vitam sunt necessariæ, vel quibus communiter homines utuntur; non verò tenet rebus in aliis. Legatur *Diana citandus Resol.* 82.

65 Secundo nota quòd, si tales Mercatores adhuc de necessariis ad vitam emant, sed postquam Reipublicæ Cives necessaria sibi jam paraverunt, vel postquam Lex id concedit, (aliquibus enim in locis, id quod in praxi Castellæ servatum vidimus, præcipuè loco, vulgò *Peñaranda de Bracamonte* à Salmantica leucas septem distanti, revenditoribus sua certa assignata est hora, antequam emere non possunt, ut sic Civibus locus commodè emendi sibi necessaria detur) *nullatenus* sunt damnandi, quinimo hoc licitum, & conveniens erit, non enim in hoc incommodum ullum, sed potiùs commodum magnum, & utilitas Reipublicæ obvenit, cùm ex hujusmodi emptionibus merces sint promptæ pro peregrinis, pauperibus, & aliis Civibus, qui tempore suo congruo emere non potuerunt: cum aliis *Salmant. sup. num.* 45.

66 Nota tertiò Mercatores eos damnandos non esse, qui magnam rerum copiam emunt, ut postea minutatim revendant pretio justo, si ita emant, eo quòd mercium dominus non vult illas aliter, quàm in magna quantitate vendere, nonque sunt privati alii, qui ita emere possint, quia etiam in hoc casu beneficium Reipublicæ præstant. ¶ Idem de illis, qui frumentum suum, vel merces in alium locum, ubi pluris æstimantur, asportant, (modò Principis præceptum non adsit, nam tunc quid illicitum erit, licèt restitutionis obligatio non adsit) etiam si ob id in loco, à quo extrahuntur merces, notabiliter augeatur pretium, sicut nanque absque injustitiæ peccato triticum, &c. domi suæ occultare valent, ita etiam in alium transmittere locum, licèt in hoc dicto casu contra Charitatem, & præceptum Principis peccent; quilibet etiam res suas supprimere potest usque ad tempus, quo maiori venduntur pretio, Monopolio secluso; quia in hoc jure suo utitur. Hæc omnia communia. Legatur *Reginald. lib.* 25. *num.* 330. estque omnino legendus *Diana Coordinas. tom.* 6. *Tract.* 3. *Resol.* 84.

67 Quartò nota quòd, licèt probabile esse dicatur non peccare mortaliter contra commutativam Justitiam, sed ad summum contra Charitatem, & publicum bonum eos, qui vulgò *Regatões* dicuntur, *ou atravessadores*, qui scilicet anticipatè merces emunt, nè ab aliis emantur, ut ipsi postea aliis cariùs vendant, aliique de ipsorum manibus, non de manibus asportantium merces, emere compellantur; nos tamen probabilius judicamus oppositum, cùm in hoc fraus, & dolus adsit, nonque ex eo parum Reipublicæ damnum obveniat, & ita communior, docentque plures *apud Molinam ubi sup. Rebell. de obligat. Just* 2. *P. lib.* 9. *Q.* 18. *Sect.* 3. *num.* 38. *adductos à Diana ubi nuper. Legantur Salmant. sup. P.* 4. *n.* 44.

68 Nota quintò quòd illi, qui vi, fraude, vel dolo impediunt nè merces aliunde advehantur, ut ipsi res suas cariùs vendant, contra commutativam Justitiam mortaliter peccant; quia in hoc injusta sunt causa damni, non solùm Mercatoribus, qui injustè impediuntur, & alibi cum maiori dispendio merces suas transportant, ubi forsitan eas viliùs vendunt, sed etiam Reipublicæ, quatenus pretii augmenti injusta sunt causa. Secus dicitur, si id fiat sine vi, fraude, vel dolo, sed solùm precibus, suasionibus, &c. tunc solùm contra Charitatem peccare dicuntur, si ob id caritas, & inopia inducatur: cum multis *Bonac.* cum quo, multisque aliis *Salmant. sup. num.* 53. Et per hoc tertium Monopolii genus explicatum relinquitur.

69 Sextò nota Mercatores, qui ex officio negotiantur, licitè (Monopolio secluso) pretio justo cariùs, quàm emunt, vendere posse, quàm alii, qui hoc ex officio non habent. (Illud autem pretium justum dicitur, & judicatur, quod secundùm communem fori usum inter Mercatores ipsos, & Rempublicam æstimatur, & non secundùm laborem, & industriam cujuslibet negotiatoris particularis.) Pro quo omnino legendi sunt *Salmant sup. num.* 46. *&* 47.

70 Nota septimò omnino illicitum esse (tam Jure naturæ, quàm positivo cap. *Quicunque* 14. *Q.* 4) frumentum emere, quando minus valet, ad illud postea carius vendendum, quando magna copia emitur. Mercatores enim hi notabile Reipublicæ, & pauperibus detrimentum faciunt, qui impediuntur emere res adeò necessarias tempore, quo minus valent; tales nanque negotiatores, cùm sint communiter divites, alios præveniunt, magnamque mercium copiam congerunt, horrea adimplent, quo facto triticum in pretio crescit, vel non invenitur, ut postea ab indigentibus cariùs ematur. Et sic (ut bene *Salmant.*) Reipublicæ locustæ, & dissipatores sunt, ab ipsaque Republica justè cogi possunt, ut postea minus justo pretio vendant, quàm

pro

pro tunc quando vendunt, frumentum valet, unde & Reipublicæ, ac omnibus aliis arbitrio boni viri omnia damna ex suo facto sequuta restituere tenentur; & ita cum multis *Salmant. legendo num.* 48. sed apud ipsos, & apud alios

71 Excipitur primò dives ille, qui necessitatis urgentis in tempore frumenta emeret moderato lucro inter suos Cives revendenda postmodum; quia talis non tam causâ lucri, quàm necessitati subveniendi emptionem fecit; idem quod de eo dicitur, qui in sustentationem suæ familiæ frumentum emit, posteaque ex aliquo contingenti casu cariùs quàm emerat, vendit.

72 Secundò publicus depositarius excipitur, qui praxi recepta (prout in Castella) ad subveniendum publicæ necessitati mente Augusti dicta semina, frumenta vel emit, ut ea necessitatis in tempore cum moderato aliquo lucro revendat, id quod jure merito *Mensparatis* vocatur; de quo legendi sunt *Molina de Just. Tract. 2 Disp. 325. Bonac. de Contract. Disp. 3. Q. 3. P. 12. Lara de Anniversario, lib. 1. cap. 23. à num. 5. ac Deamosi asso tom. 1. de Causis pias, lib. 4. cap. 12.* ibi legendo per totum.

73 Circa Monopolium quartum (de tertio jam constat ex dictis) dicitur quòd licitum est, si ex aliqua justa causa factum fuerit privilegium dictum; uti quando aliter nullus dictas merces invehere vellet, quia Princeps pecuniâ pro bono publico eget, ad quam colligendam tale privilegium alicui, sive aliquibus concedit, vel vendit, quod justum erit, dummodo pretium à Principe taxatum, juxta peritorum æstimationem, pretium justum non excedat; nunquamque concedi, vel vendi poterit dictum privilegium absque justi pretii taxatione; aliter enim ex hac parte iniquum esset, cùm dicti privilegiati ad eorum libitum vendere possent, in pressuram Civium, ut bene adnotavit *Navar. cap. 23. num. 92. & Less. lib. 2. Dub. 21. num. 149.* Et Princeps ex officio Reipublicæ damnum impedire tenetur, uti citati cum *Rebello, & Molina* docent, multique alii ¶ Sed adverte quòd quando dicitur in dicto casu à Republica, vel Principe pretium taxari debere, nonque ad privilegiati arbitrium relinqui, intelligendum est circa res vitæ necessarias, nempe circa panem, carnem, vinum, oleum, pannum, linum, &c. secus autem circa alias res, quæ ad vitam non sunt necessariæ, sed solùm ad luxum, voluptatem, & ostentationem, uti sunt picturæ, tapeta, aleæ, chartæ lusoriæ, olosericæ, &c. harum enim rerum pretium ad arbitrium vendentium relinqui valet, cùm nemo res tales emere cogatur. Legantur *cit. & à Spiritu Sancto sup. Sect. 5.* ubi resolvit gemmas, canes, falcones, picturas, statuas, cantus, saltationes, usus mulierum, interesse Comœdiis, &c. vendi posse pro pretio, quo contrahentes inter se convenerint.

LECTIO V.

De Emptione, & Venditione pactis aliquibus celebrata.

74 AMbigitur primò an licitus sit contractus emptionis, & venditionis cum pacto de retrovendendo? Venditio hæc, pactum, sive contractus retrovendendi rem jam venditam fieri potest aut in emptoris, vel in venditoris, aut in utr.ûsque gratiam, sive favorem; & tunc in venditoris gratiam fieri dicitur, quando quis ea Lege, vel explicito pacto rem suam vendit, ut eo pro re sua pretium restituere volente, emptor eandem rem emptam iterum ei reddere teneatur; quo pacto totus favor est venditoris, totumque onus emptoris, & tunc, casus, minus valet res cum eo onere, quàm si sine illo vendita esset, illud enim onus est pretio æstimabile, sicque inferiori pretio vendi debet, quàm si sine tali onere venderetur. ¶ Tunc autem fit in emptoris favorem, quando emptor ea lege, vel pacto rem emit, ut eo volente restituere rem, debeat venditor restituere pretium pro ea acceptum, quo pacto, totum gravamen, & onus est venditoris, omnisque favor emptoris; & tunc, casus, magis valet res ob rationem oppositam, ideoque cariùs vendi potest, vel debet, ut pretio justo ematur. ¶ Tunc denique fit in utriûsque favorem, quando fit cum pacto, ut volente uno reddere pretium, rem alter reddat ita, ut libertas sit utrique relicta ad hoc, ut si voluerit, contractum illum dissolvere, vel rescindere possit; & tunc res minus valet, quàm si contractus celebratus esset in favorem solius ementis, & magis valet, quàm si celebratus esset in favorem solius venditoris. Pro quo legantur *Salmant. sup. P. 6. n. 59.* Quo sic habito,

75 Dicitur dictum contractum pretio justo, (prout res venditæ, & emptæ valent, sicut nuper manet explicatum) bonaque fide factum, vero animo vendendi, & emendi, quanvis postea rescindendi, vel redimendi justum, & licitum esse; nullumque esse caput, (si dolus, ac fraus absit) unde condemnari posset, & hoc in cujuscunque favorem emptio, & venditio fiat; quod liquet *ex L. Quod si nolit fin ff. de ædilicio edicto ibi: Si quid ita venerit, ut nisi placuerit, intra præfinitum tempus reddi debeatur, ea conventio rata habetur, & ex L. Si fundum quod in te, Cod. de pactis inter emptor. & venditor.* ex communi etiam praxi, colligiturque

que ex duabus Extravag. Martini V. & Calixti III. de Emption. ac ex Bulla Pii V. de Creatione fenituum, ibi declarans fenfum cum pacto de retrovendendo ufurarium non effe, fed potiùs juftum, Jurique valde confonum, & conformem; docentque communiter DD. inter quos cum plurimis *Salmant. ubi nuper num.* 60. *à Spiritu Sancto cit. Sect.* 12. *Lugo fup. Sect.* 13. *num.* 184. *Dicaftill. lib.* 2. *Tract* 9. *Difp.* 3. *Dub.* 9. *Amicus. tom.* 4. *Difp.* 21 *Sect.* 4. *n* 186. *Trulbench. lib.* 7. *cap.* 10. *Dub.* 4. *& multi alii.*

76 Sed nota conditiones aliquas à DD. apponi, ut talis contractus licitus fiat, five reddatur; quarum prima eft, ut in ufurarum fraude, vel cum palliata ufura non fiat, quòdque fine fraude, aut dolo operetur, id quod tunc contingeret, quando ab ufurario magis animo mutuandi, quàm emendi, vel vendendi fieret. ¶ Secunda, ut pretium fit juftum, ratione gravaminis habita. ¶ Tertia, quòd pacifci non poffit, ut res poftea pluris, five minoris vendatur, cùm poffit poftea plus, vel minus valere, fed folùm quòd ematur, aut vendatur pretio illo juflo, prout res emptionis, vel venditionis in tempore valuerit. ¶ Quarta, ut in pactum non trahatur, quod periculum, aut commodum rei venditæ fit apud venditorem, nifi tantum pretii augeatur, vel minuatur, quantum periculum æftimari valet. ¶ Quinta, ut identitas rei venditæ fervetur, videlicet, ut fi vacua vendatur, vacua tradatur, fi cum fructibus vendatur, cum fructibus redimatur. Circa quod legantur *Salmant. fup. dicto P.* 6. *& à Spiritu Sancto fup num* 855. Ex his

77 Refolves primò quòd, fi quis à me vineam, vel hortum, &c. mille aureis ea lege, pacto vel emit, ut quando ipfe voluerit, ego iterum vineam, &c. redimam, vel pretium pro vinea, &c. reddam; & poftquam ipfe colligit fructus ex ea contractum refcindere vult, voluntatem habendo quòd ego iterum vineam accipiam, quòdque totum pro ea datum pretium ei reddat, procul dubio palliatam ufuram committit: nam per hoc nihil aliud facit, quam meæ vineæ fructus percipere velle pro illis mille aureis, quos mutuavit, ficque lucrum pro mutuo reportare tentat, quod re vera à fimoniæ labe fubterfugere non valet, nifi forte tantum de pretio in redemptione minuatur, quantum collecti fructus valent, vel nifi initio contractûs carior pretio vinea vendatur pro fpe fructus ab emptore percipiendi. *Salmant. fup. num.* 61. *& eft legendus Diana Coord. tom.* 6. *Tract.* 3. *Refol.* 58.

78 Secundò refolves, quòd nullatenus ufura committitur, & ideo licitus eft contractus, fi res vendita cum pacto retrovenditionis in venditoris favorem venditori locetur, & licèt hoc deducatur in pactum: (dolo, & fraude femper fublatis) nam in cafu, quo ego tibi domum vendam cum pacto ut illam iterum tempore eo, quo ego velim, fi interim eam loces alteri, duplex intervenit contractus, & juftus uterque, venditionis unus, & locationis alius, domum namque jam à te verè emptam, cui volueris, poteris locare; cur ergo eam mihi, ficut & alteri locare non poteris? Licitus ergo, & fine ufura erit talis contractus. Et in cafu, quo talis res vendita venditori locetur, fructus rei illius medii temporis ad venditorem pertinent, quia ratione locationis eos tunc percipere valet; fed, fi res locata non fit venditori, ad emptorem pertinent; quia de natura contractûs venditionis eft ut rei damnum, vel commodum fit penes emptorem. *L. Illud. ff de periculo, & commodo rei venditæ.* Legatur Amicus tom 4. Difp. 21. Sect. 13. num. 204. fecus dicitur, fi dictus contractus ita factus fuerit in emptoris favorem, juxta dicta num. præcedenti, & de quo Salmant. fup. n. 62. verf. *Emit à te.*

79 Refolves tertiò ufurarium contractum non effe, fed licitum illud, in quo emptor deducit in pactum, ut nifi venditor redemerit intra putà quinquennium, non poffit amplius redimere, vel ut intra quinquennium redimere non poffit, poffit tamen illo tranfacto; quia hic, pretio juflo fervato, nulla injuria, vel injuftitia apparet, & hoc in confcientiæ foro, quidquid fit de foro externo. Cum multis *Dicaftill. fup num.* 101.

80 Secundò ambigitur an, fi Petrus rem vendat Paulo cum pacto, ut iterum Paulus Petro eandem revendat, Paulufque illam Francifco vendiderit, Petrus adversùs Francifcum actionem habeat, ab eoque rem talem repetere poffit? Affirmant uni, negantque alii, dicentes folùm adversùs Paulum actionem habere, Paulumque Petro reftituere teneri omnia damna, quæ ei ex inde fequuntur, aut intereffe, quod amittit ex eo quòd ei res non retrovendatur. *Salmant. verò fup. num.* 66. pro utraque fententia fe ponunt, dicentes quòd Petrus actionem habet adversùs Franciscum, & adversus Paulum. Legantur, ac legatur etiam *Lugo Difp.* 26. *Sect.* 13. *n.* 190.

81 Ambigitur tertiò an contractus *Mohatra* fit licitus, nunquid vere fit ufurarius? Qui quidem contractus fic celebratur; Petrus pecuniis egens Francifcum aurificem, vel argentarium rogat ut ei centum putà aureos mutuò præftet: (& idem de quocunque alio Mercatore) fed Franciscus (vel Mercator) eos ei non vult mutuare, eft tamen paratus credito ei vendere vas aureum, vel argenteum; (aut merces, fi fit alius Mercator) fed pretio fummo, (ut

eo

eo vendito, cui ipſe voluerit, pecuniam recipiat, qua indiget) computatiſque non ſolùm argenti, vel auri valore, ſed expenſis, magiſterio, labore, &c. uti fieri ſolet. Aſt, quia Petrus non ad vas, ſed ad pecunias habendas vas emit, id Franciſcus ſciens, ei dicit: Ego emam vas humerata pecunià, ſed infimo pretio, computando ſcilicet tantum aurum, vel argentum, non verò illud, quod datum eſt credito pro impenſis, magiſterio, labore, &c. ut mos eſt in venditionibus dictorum vaſorum à non artificibus venditorum, in hoc convenit Petrus; ex qua venditione non parum Franciſcus lucratur, vel talis contractus fit cum pacto explicito, vel implicito vas revendendi eidem artifici, vel rem revendendi eidemmet Mercatori. Ecce contractus *Mohatra*. Legatur Leſſ. lib. 2. cap. 21. num. 130 Cardenas in Criſi Theolog. ad Propoſit. 40. ex damnat. ab Innocent. XI. & Salmant. ſup. P. 7. num. 67. Quo ſic agnito,

82 Dicitur dictum contractum quandoque licitum, & aliquando illicitum eſſe, ac uſurarium. Erit quidem licitus talis contractus, quando fit bona fide abſque dolo, fraude, vel pacto explicito, aut implicito de retrovendendo (dato ſemper juſto pretio, ſive ſummo, & ſupremo in vendendo, aut infimo in emendo) vel ſi nullum adſit jus ſcriptum talem venditionem, & emptionem prohibens (prout in Luſitaniæ, & Caſtellæ Regnis adeſt, de quo legendus *Molina tom. 2. Diſp.* 310.) Et

83 Probatur: quia hîc nulla injuria, ac injuſtitia nulla alicui irrogatur, prima namque venditio, licèt ſit in pretio ſummo, juſta eſt, cùm juſtum ſit pretium illud, Mercatorque jus habeat ad vendendas merces ſuas in pretio ſummo, quod intra juſti pretii latitudinem cadit, maximè pecunia credita. ¶ Deinde ſecunda venditio, & emptio eſt etiam juſta; quia ſine injuſtitia ulla poteſt merx vendi, & emi in pretio infimo intra latitudinem juſti, maximè quando à venditore rogatur, & merx offertur, quo modo non parum vileſcit: nullum ergo caput eſt, unde talis contractus tali modo factus injuſtus reddatur, licèt res eadem à primo venditore ematur, nanque non apparet ratio, cur alius juſtè emere poſſit, (prout poteſt) & non ille, imó revendenti commodum potiùs, quàm incommodum hinc evenit, cùm per hoc excuſetur à quærendo alio, qui talem rem illo pretio velit, & emat. ¶ Tunc autem dicitur venditorem bona fide procedere, ac ſine fraude, dolo, vel pacto, quando poſtquam emptor rem emit pecuniâ credita, Præconi illam vendendam tradit, vel quando venditor ipſe intelligit emptorem emptores quærere alios, ut rem, vel res illas ipſis vendat, tunc enim venditor emptori ſuo pretium offerre poſſet, quod ab aliis ipſe poſſet habere, nam ſi alii poſſunt, cur non ipſe emere poterit? Et ita cum multis *Salmant. ſup. toto cit. Puncto legendi.*

84 Eſſet autem illicitus, & uſurarius, quando venditor venderet ob finem ſtatim redimendi rem ipſam ab eodem emptore fictis venditionibus ad excuſandam uſuram, vel pacto explicito, aut implicito de re iterum ipſi venditori revendenda; in quo ſenſu loquitur Innocent. XI. dum ſequentem (40. in ordine) Propoſit. damnavit: *Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis, prævio inito cum intentione lucri;* in hoc & ſenſu loquuti ſunt, vel loqui videntur DD. omnes illi, qui dictas venditiones, ac emptiones uſurarias eſſe reſolvunt. Legantur Salmant. ubi ſup. cum à ſe cit. & inſuper Navar. cap. 23. num. 91. Azor 3. P. lib. 8. cap. 11. Rebel lib. 9. Q. 7. num. 7. Amicus ſup. Dicaſtill. ſup. num. 131. Lugo ſup. toto § 2. à Spiritu Sancto in Conſult. Conſult. 99. à n. 22. Torrecilla in damnatis Tract. 5. cap. 4. Conſult. 4. ad Propoſit. 40. per Innocent. damnatam, & tom. 1. Encyclopæd. verb. *Mohatra*, & locis ibi adductis Diana Coordinat. tom. 6. Tract 3. Reſol. 27. §. *Et tandem* à verſ. *etiam pro praxi* junctis Reſol. 62. ad 64. ubi reperies an ſit uſurarius contractus, quando quis à Mercatore tot pecunias, putà quinquaginta aureos, mutuò petit, ipſeque Mercator dicat: Nolo tibi totam petitam pecuniam mutuó dare, ſed ſolùm dimidiam partem, & ſi volueris, in mercibus dimidiam alteram, ipſeque Mercator eidem dictas merces infimo, ſed juſto pretio iterum emat? Legatur Auctor.

85 Quartò ambigitur an illi, vel illæ, (qui, vel quæ vulgò *Corretores*, vel *Adelas* dicuntur) quibus aliquid ad vendendum traditur, ſi rem pluris vendant, quàm à domino fuit præſcriptum, aliquid ex pretio rei venditæ ſibi retinere valeant? De hoc agit *Machado tom. 2. lib. 6. P. 8. Tract. 4. Docum. 2. & 3. cum aliis Salmant. ſup P. 8.* cum quibus pro re

86 Supponitur primò quód, ſi res ſupra juſtum pretium vendant, exceſſum reſtituere debent emptoribus. ¶ Secundó quód, ſi res induſtriâ ſua ſit meliorata, aut de uno loco tranſportata ad alium, quo plus valeat, qua ratione altiore pretio juſto vendant, quod à domino fuit præſcriptum, tale incrementum ejus erit ratione ſuæ induſtriæ. ¶ Tertiò quód, ſi dominus expreſsè ei diceret quòd pro tali pretio talem vendat, & ſi amplius pro ea acciperet, ſibi retineret, omne id, quod ultra latitudinem juſti pretii acciperet, ſibi retinere poſſet. Et idem, ſi id ei diceret tacitè, id quod contingeret, ſi

rei dóminus ei, qui non eſt ſuus famulus, diceret quód talem rem vendat, pro ejus labore, & induſtria ſtipendio nullo ſignato. ¶ Quartò quòd, ſi dóminus medium præſcriberet pretium, poſſet ipſe, cui res vendenda eſt tradita, tali pretio medio eam emere, & poſtea in pretio ſupremo juſto eam vendere, & totum exceſſum ſibi retinere. ¶ Quintò quód idem, quod dicitur de prædictis venditoribus, dicitur etiam, & dicendum de emptoribus, negotiorum aliorum geſtoribus. Quibus ſic ſuppoſitis, ad id, de quo ambigitur,

87 Dicitur quód internuntius, cui res à dómino vendenda fuit tradita, ut tanti venderetur, pretio deſignato, ſi fortè pluris rem vendiderit, nullatenus pretii incrementum ſibi aſſumere poteſt, ſed totum dómino rei reddere debet, & tenetur, ſuppoſito quód vel à domino ſtipendium datur pro ſuo labore, aut quod eſt famulus dómini, vel quód ſponte ad rem vendendam ſe obtulit; neque obſtat quod dóminus pretium rei deſignaverit, nam deſignatio illa ſolùm fuit ad hoc, ut res non viliori pretio venderetur, non verò ut maiori vendita fuiſſet, ſi maior pro ea intra latitudinem juſti daretur. Tota doctrina hæc eſt Salmant. ſequentium alios, ibique reſolventium quòd, ſi quis ut favorem pauperibus emptoribus faceret, triticum juxta legem, vel taxam villico ſuo vendere juberet tempore eo, quo ſupra taxam valebat; & villicus pretio currenti, & ſupra taxationem triticum vendidit, totum illud incrementum, quod ſupra taxationem recepit, non ſibi retinere, neque dómino tritici tradere, ſed ipſis emptoribus reſtituere tenetur. Et

88 Ipſi ex doctrina tradita inferunt quòd, ſi quis amico, vel alteri commendet ut equum putà mille aureis emat, & ille octingentis tantùm aureis emat, aureos ducentos ſibi retinere non valet, ſed eos dómino reſtituere tenetur. Idem dicunt cum aliis de Sartoribus, quibus commiſſa eſt diligentia emendi aliquid ad veſtem conficiendam, vel aliquid aliud. Legantur, ut doctrina hæc meliùs capiatur.

LECTIO VI.

Cujus periculo res vendita, non dumque emptori tradita pereat, & ad quem rei venditæ fructus pertineant?

89 AD dicenda notandum primò quód res, quæ venditur, vendi poteſt vel in ſpecie determinata, ſeu in individuo, ut *hic equus, hoc prædium*, &c. vel in ſpecie indeterminata, ſive in genere, ut *tot menſuræ tritici, tot oves de grege*, &c. ¶ Secundò quód res determinata vendi poteſt aut ad corpus, vel ad menſuram. Et tunc ad corpus venditur, quando corpus, aut id, quod venditur, ſenſibus objicitur, id eſt, quando aliquid determinatum unico pretio venditur totum, uti ſi dicas: *Vendo tibi meum prædium mille aureis, vende tibi hoc, vel illud argenteis mille*; tunc ad menſuram venditur, quando totum non pro certo unico pretio venditur, ſed pro qualibet ſingulari menſura pretium aſſignatur, uti ſi dicas: *Vendo tibi hoc tritici horreum decem argenteis pro menſuris ſingulis.* His ſic poſitis reſpectu illius, de quo prima eſt dubitatio,

90 Dicitur quòd, ſi res jam ſit tradita, & poſt traditionem pereat, emptori perit, & hoc etiam in caſu, quo rei pretium non dum ſit ſolutum, modó pro ſoluto habeatur. Ratio datur: nam res dómino ſuo deterioratur, & perit; ſed emptor per traditionem rei ejus factus eſt dóminus, etiam in caſu, quo pretium non dum ſit ſolutum, pro ſoluto tamen, vel tanquam ſolutum ſit habitum: ſi res ergo vendita poſt traditionem pereat, ipſi emptori perit. Eſt communis, conſtatque *ex L. Quòd ſi de periculo, & commodo rei venditæ.* Unde

91 Reſolves primò quòd quando pretium eſt ſolutum, vel tanquam jam ſolutum habitum, tunc fructus rei ad emptorem pertinent; (niſi inter contrahentes aliter conventum fuerit) quapropter, ſi venditor ſit in mora rei tradendæ, ad omne intereſſe tenetur emptori, quod emptor ex re ipſa percepturus erat, veluti ſi res apud venditorem deterior, vel minoris pretii facta eſt, quam ſi emptor habuiſſet, opportunè, & cum lucro alienaſſet, nonque deterior reddita eſſet, horum enim omnium venditor eſt cauſa ex injuſta illa detentione, conſequenterque de dicto omni intereſſe tenetur. Communis. Legantur *Salmant. ſup. P. 2. n. 15.*

92 Secundò quando pretium non eſt ſolutum, neque oblatum, nec pro ſoluto habitum, aut de eo eſt fides data, ſed emptor ſtatim ſolvere illud promiſit, vel ſaltem poſt talem terminum, & non ſolvit, tunc, caſus, in meliori ſententia fructus rei venditæ (poſt ejus traditionem) ad ipſum emptorem pertinent, etiam ſi ſit in mora, fructus, inquam, à tempore, quo perfectus fuit contractus, ex re provenientes (niſi aliter ſit conventum.) Legantur *Salmant. ć cit. n. 15. ad 18.*

93 Tertiò uſurarium eſſe pactum, ſive contractum, in quo ſic facta extat conventio, quòd ſcilicet emptor, cui res jam eſt tradita, fructus rei venditæ, vel ejus intereſſe det venditori, donec pretium ſolvat. Ratio eſt: nam qui pro ſola dilatione ad ſolvendum pretium rei emptæ fructus rei, vel intereſſe percipere vellet, abs dubio vellet ex mutuo aliquid ſupra ſortem recipere, cùm ſolutionis dilatio, &

mutua-

mutuatio in casu æquiparentur, in nihiloque distingui videantur; cùm igitur ex mutuo nihil supra sortem exigi possit, nec accipi, utpote vera usura, & damnatum ab Alexandro in Propos. 41. quæ erat: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*; jam vides quid inde sequatur. ¶ Excipitur, nisi tanto minoris res fuerit vendita, & in tempus certum sint fructus venditori reservati: quia tunc venditor virtute redimit fructus; vel nisi ratione dilationis damnum aliquod patiatur, aut lucrum amittat; quia tunc ratione lucri cessantis, & damni emergentis ultra sortem fructus rei, vel interesse percipere poterit, cum proportione ad damnum, quod patitur, & lucrum, quod amittit. Cum aliis *Salmant. num.* 19. *addentes num.* 20. usurarium pactum esse illud, quo quis pecuniam alteri præstat, seu mutuat, ut sibi rem aliam tradat ad usum interim dum ipse pecuniam reddit. Legantur.

94 Quarto, si postquam contractus fuit celebratus, & perfectus, contrahentes pœniteant, & mutuo consensu contractum rescindant, fructus medii temporis ad emptorem pertinent, cùm in illo medio tempore verè rei emptæ sit dóminus, & res suo fructificat dómino, sicut ipsi perit, si pereat; eo vel maximè, quia illa dissolutio contractûs est nova emptio, & nova venditio; unde, cùm prima emptio fuisset perfecta, & primus emptor verus dóminus rei, ad ipsum pertinent fructus omnes. Et in hoc casu dissolutionis contractûs prioris duplex gabella debetur, altera pro prima, altera pro secunda venditione. Cum multis legendus *Trullench. lib. 7. cap. 20. Dub.* 15.

Quintò, si venditio fuerit conditionalis, & impleta non fuerit, tunc omnes fructus intermedii temporis præcepti ante conditionis impletionem ad venditorem pertinent, & hoc, quanvis res sit tradita, & pretium solutum: quia, conditione non adimpleta, venditio illa omnino fuit nulla, eo quòd non datur consensus, nisi dependenter ab illa, & sic res manet sub dominio venditoris, cùm ante conditionis eventum ejus translatio non fiat; unde, cùm res dómino suo fructificet, in casu venditori fructificat, & idem dicitur de aliis contractibus, qui jure, vel naturâ sunt nulli.

95 Attamen, si conditio fuerit adimpleta, fructus illi ad emptorem pertinent, quia contractus sub conditione celebratus ejus naturæ est, & conditionis, ut, conditione impleta, ejus jus retrotrahatur ad diem, & tempus celebrationis contractûs, quasi tunc celebratus fuisset, & quasi tunc præsens adesset conditio, vel ac si tunc purus, & absolutus celebratus fuisset; quapropter, sicut si à prima die conditio illa conditionalis non fuisset, sed pura, & absoluta, vel purus, & absolutus esset contractus, tunc ad emptorem fructus rei pertinerent; ita similiter, conditione illa impleta, fructus percepti à tempore eo, quo fuit facta venditio, ad emptorem pertinent. Cum multis *Trullench. ubi sup. legendus, legendi & sunt Salmant. sup. à num.* 24.

96 Deinde dicitur quòd, si res vendita est in genere, & non in specie determinata, vel si determinata est, est vendita, non ad corpus, sed ad mensuram, vel pondus, tunc venditori, & non emptori perit, (nisi emptor sit in mora, nè tempore pro mensura signato res sit dimensa) id quod constat *ex L. Quod sæpe, §. In his, ff. de contrab. empt.* & aliis.

97 Si res tamen sit vendita in specie determinata, & non in genere, vel sit vendita ad corpus, & non ad mensuram, putà *hoc dolium vini*, tunc si res perit, emptori perit; unde ipse emptor tenetur adhuc pretium venditori solvere non minus, ac si res non periisset, quod intellige in casu, quo res sine culpa venditoris perit, & nisi aliter inter contrahentes conventum fuerit dicta *L. Quod sæpe*, & aliis. Legantur *Lugo sup. num.* 216. *ac Leff. lib. 2. cap* 21. *num.* 97. qui plures adducit. Unde

98 Resolves primò quòd, si à Petro vini dolium putà ad corpus emas, dicendo: *Tot nummis hoc vini dolium emo*, si effundatur, tibi perit; si autem ad mensuram dictum dolium emas, dicendo: *Dolium hoc pro singulis mensuris tribus aureis emo*, si ante mensuram effundatur, venditori perit.

99 Secundò quòd, si ex grege 100. ovium quinquaginta emas, non signando capita, & ex grege illo quinquaginta afficiantur morte, & quinquaginta maneant superstites, in tali casu nulla tibi perit, sed semper tibi manet jus, non in aliquod determinatum individuum, sed in genus, quod perire non potest, juxta illud: *Genus perire non valet, L. Incendium, Cod. si certum petatur*; unde etiam in casu, quo totus ille grex periret, & fuisset extinctus, adhuc venditor deberet numerum, quem indeterminatè vendidit, hoc est, non signando capita, aliunde præbere, nisi fortè in pactum deductum fuisset ex isto grege tantùm tot capita tradere, quia tunc, casus, si grex totus periret, satis erat acceptum pretium tradere.

100 Tertió, si venditor fuerit in mora rem emptori tradendi, & interim periit, non peritura similiter apud emptorem, venditori perit. *L. Illud, ff. de periculo, & commodo rei venditæ.* Secus, si eodem modo apud emptorem peritura fuisset, & hoc in utroque foro, quod contra Sylvestrum probat *Molina Disp.* 366 *n.* 13. & constat ex dictis de Restit. in gen. ¶ Si tamen

venditor post moram suam emptori rem offerat, & ipse eam accipere nolit, & ipsa pereat, ipsi emptori perit, ex ead. cit. L. & tenet *Lugo sup. num.* 217. Sed

101 Excipitur apud eundem Lugonem primò quando res vẽdita, antequam tradatur emptori, ob venditoris delictum confiscatur, quo casu pretium venditori solutum emptori redditur. ¶ Secundò si venditor affirmavit emptori rem durare, & conservari posse, vel non admonuit, sciens rem non duraturam. ¶ Tertiò si emptor tempore debito rem emptam, putà *vini dolium*, non accepit, & venditor indiget vase, aut loco illo ad aliud vinum reponendum, debet emptorem admonere coram testibus ut vinum deferat, alioquin se illud projecturum; & postea, venditore faciente moram, poterit vel illud vendere, & pretium emptori tradere, aut conducere alia vasa pro suo vino expensis emptoris. ¶ Imò addit, licèt vinum in viam projiciat, contra Justitiam non peccat, peccabit tamen contra Charitatem, si absque incommodo suo gravi damnum potuit vitare emptori, & non vitavit. Legatur *Bonac. infra num.* 10.

102 Præterea excipitur quartò, si domus vendita incendio absumatur, vel servus venditus pereat, aliqua vel corporis parte lædatur post venditionem perfectam, damnum tunc ad emptorem pertinet, subindeque pretium venditori solvere tenetur, & idem, quando fundus post venditionem ad corpus vi fluminis totus, vel ex parte aufertur; sed si per alluvionem fundo aliquid accrescat, emptori accrescit, quia ad eum commodum pertinere debet, ad quem incommodum pertinet. *Bonac. Disp* 3. *Q.* 2. *P.* 8. *num.* 8. *cum Molina, & Reginald.* qui, teste *Bonac.* resolvunt quòd quando ex certo numero rerum res venditur una sub disjunctione, uti si dicatur: *Vendo tibi hanc, vel illam ovem*; si una maneat superstes, omnis alia, quæ perit, venditori perit, ante traditionem; si tamen omnes pereant aut simul, aut successivè, empta etiam emptori perit, ipseque tenetur pretium solvere, licèt res sibi non dum sit tradita. Alia, quæ ad hunc vendendi modum ad corpus, vel ad mensuram pertinere poterant, videri poterunt apud eundem *Molinam Disp.* 366. *& Disp.* 367. ubi de his copiosè tractat. Sed

103 Hìc nota quòd, quanvis periculum rei indeterminatæ, & ad mensuram venditæ pertineat ad venditorem, quo ad substantiam; periculum tamen pretii, & valoris rei ad emptorem pertinet ita taliter, ut si fiat interim melior, aut deterior absque venditoris incuria, & culpa, commodum, & incommodum pertineat ad emptorem. Quapropter, si traditionis, aut mensurationis in tempore res vendita in pretio decrevit, in emptoris damnum decrevisse censetur; quia venditor solùm se obligavit ad rem talis speciei tradendam, & emptor rem emit, prout erit tempore traditionis, vel mensurationis, exponens se fortunæ eventibus, & periculo patiendi incommodum, & percipiendi commodum, quod præter *Lugonem sup. num.* 219. cum aliis docent *Salmant. sup. num.* 13.

SUBLECTIO.

Prosequitur materia præcedens.

104 QUæres primò ad quem pertineant fructus rei venditæ pacto Legis commissoriæ in alio sensu à conditionato? Quæsitum supponit pactum, sive contractum Legis commissoriæ in emptionibus, & venditionibus Civili, Canonico, & naturali Jure permissum esse.

Contractus hic, sive pactum hoc modo fieri solet: *Vendo tibi hanc domum, &c. ea lege, ut, si pretium intra sex putá menses non solveris, pro non vendita, & non empta habeatur domus.* Vis autem hujus pacti, sive contractûs est, ut res in commissum cadat, ad præfixum diem non soluto pretio. Et quòd talis vendendi modus cum tali pacto sit Civili Lege permissus, patet *ex L. ult. ff de lege commissoria, & L. Commissoria, Cod. de pactis*; quòd etiam permissus sit Lege Canonica, & naturali, liquet, quia nihil in eo fit contra naturam, & substantiam emptionis, & venditionis. Est quippe hoc pactum præter, & non contra emptionis, & vendionis naturam. Azor 3. P. lib. 8. cap. 13. vers. *Tertiò quæritur.*

105 Oritur autem ex tali pacto, ut quando res in commissum cadit, statim ad venditorem dominium transiit absque nova rei traditione, & ideo venditor, si intra tempus præfixum pretium non sit solutum, rem, quam commissoria Lege vendiderat, sibi vendicare poterit; sed hoc intelligitur, quando pactum verbis fit directis, uti si dicatur: *Si tali tempore non solveris, res sit inempta, vel pro non empta habeatur.* Non tamen si pactum verbis fiat obliquis, uti si dicatur: *Si pretium non solveris intra sex menses, res redeat in me, vel ad me pertineat, aut mihi restituatur*; nam tunc creditor rei venditione agere non posset, sed actione in re vendita, id quod probat *Azor* multis ex Legibus. Sed

106 Hìc nota quòd venditio facta verbis directis simplex nuncupatur venditio, si verò conditio in futurum fuerit addita, dicitur venditio conditionata; uti si dicatur: *Vendo tibi hanc domum ita, ut si mihi solveris pretium intra*

sex

ſex menſes, venditio perficiatur. Et in hac venditione dominii non datur translatio, ſed ſuſpenditur uſque ad tempus futurum, quo venditio perficiatur, & cùm in conditionata venditione hac dominii translatio non detur, inde fit quòd fructus medii temporis ſint venditoris; non enim æquum eſt ut emptor fructibus rei venditæ fruatur, & pecuniis non fruatur venditor.

107 Ad quæſtionem accedendo ſub diſtinctione proceditur, & dicitur quòd vel ſermo eſt de fructibus actualiter pendentibus, vel de illis, qui poſt initum contractum naſcuntur; ſi de primis ſit ſermo, certum eſt ad emptorem eos ſpectare quo ad valorem, quem tunc habent, niſi aliud inter partes fuerit conventum; de quo legendus eſt *Gomes tom. 2. cap. 2. num. 11 & Covar. lib. 1. Variar. cap. 15.* ubi teſtatur id eſſe commune. ¶ Dictum eſt, *quo ad valorem, quem tunc habent;* quia ſi conſiderentur quo ad valorem, quem poſtea creſcendo habent, non ſunt pars rei emptæ, ſed fructus rei emptæ.

108 Si verò ſit ſermo de fructibus, qui poſt contractum, vel pactum naſcuntur, aut de incremento, quod eis poſtea evenit, tunc, caſus, ſubdiſtinguitur, & dicitur quòd vel emptor ſolvit, aut obtulit pretium, vel non: ſi primum, & venditor in mora eſt circa tradendam rem emptam, tunc omnes fructus ſunt emptoris, imò venditor tenetur illi ad omne intereſſe intrinſecum, ut ſi emptor omnes fructus percepiſſet, vel ſi res deterior facta fuerit, aut vilioris pretii, cùm tunc, caſus, venditor cauſa ſit hujus damni ex injuſta rei detentione. Non tamen tenetur ad intereſſe extrinſecum, illud ſcilicet, quod ex accidenti provenit, putà quia rem in alium locum, ubi pluris emptor revendidiſſet illam, transferre non potuit. *L. Siſterilis 21. §. Cùm per venditorem 3. de act. empt.* ¶ Et è contrà, ſi emptor fuerit in mora non ſolvendi venditori pretium, tenebitur tantùm ad pretii uſuras, non autem ad intereſſe lucri ceſſantis: *L. fin. ff. de peric. & commod. rei emptæ;* ſed hoc eſt de Jure Civili. Aſt in conſcientiæ foro venditor tenetur tam ad intereſſe intrinſecum, quàm extrinſecum; ſicut & etiam emptor a die moræ ad omne intereſſe tenetur. Quæ omnia tenet legendus *Leſſ lib. 2. cap. 21. Dub. 13.*

109 Si autem emptor neque ſolverit, nec obtulerit, neque ei venditor fidem de credito habuerit, tunc Jure Cæſareo fructus venditori debentur, quia dominium non eſt translatum, etiam ſi res ſit translata, vel tradita; §. *Vendita, Inſtit. de rer. diviſ.* Neque humana patitur ratio ut emptor fruatur re, & venditor pretio non fruatur. *L. Julianus 13. §. Ex venditio, ff. de act. empt.* & cum Gomeſio, ac Covar. tenet Leſſ. à num. 100.

110 Si verò venditor emptori rem tradat, habita fide de pretio, & dilatione ad ſolvendum conceſſa, ut ſit in venditionibus Legis commiſſoriæ, de qua hic ſermo, fructus debentur emptori; quia in tali caſu cenſetur venditor renuntiare Legi Cæſareæ: *Curabit*, niſi adfuerit pactum, ut fructus ſint venditoris uſque ad pretii ſolutionem, prout *Covar.* & communis notat, quæ ſententia currit de Jure Civili. ¶ Attamen contrarium eſt verius, & magis æquitati humanæ conformius, nempe in conſcientiæ foro fructus venditionis, contractu peracto, pertinere ad emptorem, niſi conventum fuerit aliud, in quo caſu, ſi fructus debeantur venditori ratione pacti, apud ipſum etiam rei periculum remanet, & emptori, ſi fuerit in mora, ſolùm ad intereſſe tenetur. Communis, ut teſtatur Leſſ. legatur Sylveſter verb. *Uſura* ſup. & Leſſ. num. 109. ac 110. & Azor ſup. cap. 15. ubi tusè Quæſt. hanc tractat.

111 Si Petrus venderet Paulo fructiferum fundum, ut domum, vineam, olivetum, &c. reique traditionem eo pacto faciat, ut pretium apud Joannem, aut apud ipſum Paulum ſit in depoſito, donec ipſe Petrus fundum inveniat alium, ut eo pretio emat; interimque Paulus annuam penſionem, juxta fructuum æſtimationem, ipſi Petro venditori ſolvat, tunc, ſi re vera fiat translatio dominii, & rei in periculum talis contractûs, juxta Azor 3. P. cap. 15. §. *Patet ex dictis;* illicitus, & uſurarius erit, quia emptor haberet periculum abſque ulla utilitate; ſecus ſi ad modum locationis fiat contractus ita, ut rei periculum apud ipſam venditorem remaneat, de quo *Leſſ. cit. Dub. 13. num* 108. ¶ Et idem dicitur in caſu, quo Petrus Paulo venderet fundum, contractuque facto, dictum fundum apud ſe retineret Petrus pignoris loco, quo ad uſque Paulus pretium ſolveret, tunc enim nullo modo Petrus fundi fructus ſibi retinere poſſet, dominii nanque translatione ſtante eſſent emptoris, ut tenet *Gabriel in 4. Diſt. 15. Q. 12. Art. 11. Div. Antonin. 2. P. tit. 1. cap. 7. §. 20. & Azor ſup. contra Covar.*

112 Secundò quæres an quis rem ſuam vendere queat ea lege, ut emptor eam alteri vendere nequeat? Reſpondetur affirmativè, quia tale pactum non eſt contra, ſed eſt præter Legem, vel propter naturam Legis, id quod probat cit. Azor *ex L. Qui fundum, ff. de contrab empt.* Et idem dicit eſſe dicendum in caſu, quo quis rem ſuam alteri vendat eo pacto, ut quandocunque emptor eam vendere voluerit, illam ſuo venditori vendere debeat, aut ſuis

pro-

propinquis, & non aliis. Advertit tamen quòd cùm his pactis emptori imponatur onus, minuendum est rei pretium, quia res oneri, vel servituti subjecta minoris æstimatur. Hic Auctor iste alias excitat quæstiones, & ideo legendus.

113 Quæres tertiò quid intelligatur venditum cum re vendita? Dicitur primò quód vendito Castro, vel Villâ, intelligitur etiam venditum jus patronatûs ex communi DD. sententia in cap. *Ex literis de jure patron.* ¶ Secundó vendita hæreditate, in qua est jus patronatûs, cum jure patronatûs ad emptorem transit hæreditas. ¶ Tertiò vendito fundo, in quo ædificatum est Oratorium, transit etiam Oratorium ad ipsum emptorem, censetur enim simul venditum, secus, si ad illud inter ipsum, & fundum per viam publicam transitus adsit. ¶ Quartò vendito Castro, vel Villâ, vendita intelligitur etiam jurisdictio, & molendina existentia in illis, si sint venditoris, secus, si sint Communitatis, vel alterius particularis. ¶ Quintò vendito fundo, censentur etiam venditi fructus pendentes, cùm sint pars fundi, juxta *L. Julianus cit.* ¶ Sextò vendita sylvâ cædua, glans, quæ ante ceciderat, non intelligitur vendita, nisi conventum sit aliud, *L. ult §. penult. ff. quæ in fraud.* ¶ Septimò vendita vaccâ, vel equâ, etiam intelligitur venditus pulus, si absque periculo mortis separari nequeat, *L. Sed addis, §. Si quis mulierem, ff. locati.* ¶ Octavò vendita domo, vel arcâ, non censetur vendita pecunia, quæ in ea est; secus, si ibi thesaurus adesset: *L. A tutore, ff. de revendicat.* ¶ Nonò vendita domo, vel fundo, etiam domuncula, quæ eodem nomine, & appellatione venire solet, censetur vendita etiam, aliàs minimè. Tu circa hæc, quæ sub hunc num. cadunt, vide *Gomes tom. 2. Var. cap. 2. Azor 3. P. lib. 8. cap. 19. & Filiuc. tom. 2. Tract. 35. cap. 8. num. 203.*

LECTIO VII.

De pretio justo in Emptione, & Venditione.

114 PRetia rerum sumenda non sunt secundùm earum physicum, & naturalem valorem, sive naturis ipsarum rerum præcisè attentis, multories nanque videmus equum unum plus, quàm mancipium unum vendi; sumenda igitur sunt secundùm suum valorem moralem, id est, secundùm quo ad utilitatem, & usus humanæ vitæ deserviunt, & hæc est Præceptoris Angelici doctrina expressa 22. Q. 77. Art. 1. & 5. Ethic. Sect. 9. litera C. ibi: *Non enim appretiantur* (res) *secundùm dignitatem naturæ ipsorum, alioquin mus, quod est animal sensibile, majoris pretii esset, quàm una margarita, quæ est res inanimata; sed rebus pretia imponuntur, secundùm quod homines indigent eis ad usum suum.* Et merito quidem (juxta *Soium lib. 6. de Just. Q. 2. Art. 3.*) quia, cùm omnia Mundi propter hominem facta sint, tanti civili æstimatione res valent, quanti hominibus inserviunt, & non quanti eadem rerum æstimatur natura.

115 Deinde nota primò pretium politicum, sive morale bifariam accipi posse, aliud enim est publica authoritate taxatum, quod legitimum nuncupatur, utpote Lege definitum; aliud communi peritorum hominum consensu, & eorum æstimatione determinatum, & hoc vulgare, seu naturale dicitur, quod attentis loci, temporis, personarum, copiæ, inopiæve mercis, aut pecuniæ, cæterisque circunstantiis, hîc, & nunc arbitrio prudentis censetur justum, primum velut in indivisibili consistit, ultra quod quidquid accipitur, restitutioni obnoxium extat; secundum intra sphæram pretii justi latitudinem continet, dividiturque *in summum*, seu *rigorosum*, quod est supra quod justè vendi non potest: *in medium*, seu *moderatum*, quod attenditur penes latitudinem illam, quæ datur inter unum, & alterum pretium; *in infimum*, seu *pium*, ac *benignum*, infra quod justè, & licitè res emi potest.

116 Secundó nota quòd circa latitudinem pretii medii (hoc est, quanta sit) inter pretium supremum, & pretium infimum regulam certam apud AA. nos reperimus, & solùm dicunt (id & quod nos facimus) quòd hoc taxandum est prudentis arbitrio, omnibus hinc, inde concurrentibus bene pensatis, quódque si res fuerit vilior, minorem habebit latitudinem, & maiorem, si pretiosior fuerit. ¶ *Molina* tamen pretium medium ita hoc exemplo determinat, aitque pretium medium esse decem, infimum novem, vel octo cum dimidio, summum undecim, vel undecim cum dimidio; si rei pretiosæ pretium medium sit 100. infimum erit 95. supremum 105. ac ita etiam sentit *Less. sup. num.* 10. & cum aliis *Salmant. sup. num.* 80. qui ibi *ex Lugone* notant quòd in rebus, quæ rariùs inveniuntur, multò maior inæqualitas assignari valet.

117 Dictum est *attentis loci, temporis, &c.* circa quod nota tertiò quód ad assignanda pretia rerum attendendum est ad tempus illud, in quo vel res traditur emptori, aut periculum est pro illo; unde, si res præsens vendatur, habenda est ratio temporis præsentis; si futura, ut fructus venturi, per se loquendo, pretium assignandum est, quod traditionis in tempore, vel per ordinem ad illud creditur futurum;

quia

quia tunc res utilitatem, & valorem habet, quando exiſtit, & non antea, quæ regula, ut ait Medina Q. 38. §. *Corollaria*, ſemper ſervanda eſt, niſi in caſibus inſolitis, cujuſmodi ſunt bellum inopinatum, aut incendium, vel ſtrages, non tamen ſterilitas ex ſiccitate orta, vel ſimiles; quapropter qui menſe Januario pretio tunc currente emeret triticum, poſtea menſe Auguſti tradendum, quo plus credebatur valiturum, injuſtitiam committeret, & teneretur reſtituere, quia debebat emere pretio, quo tempore Auguſti credebatur triticum valiturum, vel per ordinem ad illud. Cum multis *Dicaſtill. lib. 2. Tract. 9. Diſp. 2. Dub. 7. Lugo Diſp. 26. Sect. 7. num.* 109. cum quibus *Salmant. ſup. P. 9. §. 2. num.* 98.

118 Ad aſſignandum verò pretium in ordine ad locum, debet attendi ad locum, in quo eſt res, quæ venditur, & non in quo ſunt contrahentes ipſi; (quidquid in contrarium dicat *Sylveſter verb. Uſura, Q. 1.*) ratio datur: quia res in loco, in quo eſt, habet ſuam utilitatem, & commodum, ac per conſequens pretium, vel ex lege ibi vigenti, aut ex communi illius loci æſtimatione; ſi tamen rem illuc portaturus erat venditor, ubi plus valebat, poterit pretium illius loci, deductis expenſis, & æſtimatione periculi, petere, vel ſi res exiſtens in loco, quo vilius valebat, venderetur pretio hujus loci, quo pluris valebat, & ſe obligaret venditor ad rem trahendam ſine expenſis ſalvam, & integram ad Ulyſſiponem, periculo interim in ſe ſuſcepto. Unde

119 Reſolves primo quòd, ſi res *Baſſa* (*Tavira*) valeret 50. non poſſet Ulyſſipone exiſtens ibi pro 100. rem talem vendere, licèt res illa ibi aſportata totidem valeret, quia ut res illa ibi illud pretium habeat, ad Ulyſſiponem trahenda eſt, in qua & periculum, ac expenſas habebit; niſi ſe obligaverit venditor ad ſine emptoris expenſis rem ſalvam, & integram ibi trahendam, periculo interim in ſe ſuſcepto.

120 Secundò res alioquin pretioſas poſſe parvo pretio emi in loco, ubi communiter parvi æſtimantur, quia tanti emuntur juſtè, quanti in his locis valent. Unde licitè Luſitani apud Indos aurum, margaritas, & alias gemmas pro ſpeculis, tintinabulis, & hujuſmodi à ſe datis commutabant, teſte *Molina Diſp.* 353. *Reginald. lib. 25. num.* 340. *Leſ. ſup. & multis aliis.*

121 Tertiò quòd illo pretio à Mercatoribus res vendi debent, ſi vendere velint, quod fuerit commune, vel currens eo in loco, in quo vendunt, ſive pluris emerint eas, vel non, ſive multum, aut parum, ſive nihil lucrentur, ſive extraordinariis expenſis incautè, vel prudenter adhibuerint, ea enim Mercatorum conditio eſt, ſicut exiguis, & nullis expenſis in rebus factis lucrari valent; ſic in magnis, & extraordinariis perdere poſſint, proindeque quòd rem cariùs emerint, quòd tot damna, periculaque ſubirent, fortunæ ſuæ adſcribere debent, quin tale quid tunc emens compenſare debeat. Cum multis *Salmant. legendi n.* 100.

122 Quartò fas unicuique eſſe res ſuas vendere quolibet pretio ex aſſignatis, aut infimo, vel medio, aut ſupremo, quinimo eandem rem uni pretio infimo, alteri pretio medio, ſupremo pretio & alteri; vel eidem, hodie pretio infimo, cras pretio medio, & iterum poſtea pretio ſupremo, abſque ulla injuſtitiæ, vel uſuræ nota, vel labe, cùm quodlibet pretium ex dictis intra ſphæram, & latitudinem pretii juſti contineatur. Et hinc

123 Provenit primò, ait *Caietan. 22. Q. 77. Art.* 1. quòd in eodem loco res eadem ematur ab uno pretio 12. ab alio pretio 14. & pretio 16. ab altero, & ab omnibus juſtè, & licitè. ¶ Hinc etiam ſecundò provenit quòd unus pro 10. licitè emat, & ſtatim pro duodecim licitè vendat. Provenit etiam tertiò quòd venditor de præſenti pecuniam danti vendat pro 10. & danti pecuniam de futuro, vel fide data de illam ſolvendo, non niſi pro duodecim, quia poteſt numerata pecuniâ vendere in pretio infimo, & in ſupremo pecuniâ credita intra latitudinem juſti pretii. ¶ Et hinc conſtat etiam cur in Nundinarum principio licitum ſit pluris vendere merces, quàm in fine; quia in principio ad merces emendas emptores plures concurrunt, maiorque eſt pecuniæ copia. ¶ Hinc etiam conſtat cur adventante Aulâ (*caza do Principe*) in Civitatem aliquam, poſſint res pluris, quàm ante vendi, quia cum Principis Aula plures accedunt, qui eas emant, & cum eis maior pecuniæ copia; quia, cùm pretium rerum ex communi hominum æſtimatione pendeat, & hæc maximè varietur, & ex multitudine, & paucitate ementium, ac ex copia, vel inopia pecuniæ his variatis, variatur & etiam æſtimatio hominum, & cum ea pretium rerum. Sed ut hæc clariùs patefiant, ſit

SUBLECTIO I.

An ſemper excedere pretia rerum in vendendo, vel minuere in emendo ſit contra Juſtitiam, & reſtitutioni obnoxium?

124 Dicitur primò quòd quando contrahentium aliquis intra latitudinem juſti pretii alium decipit, latro eſt, contra Juſtitiam peccat, & ad reſtitutionem tenetur. Ponitur caſus, qui accidere poteſt; contraho-

trahunt duo, & inter se de re in infimo, vel medio pretio vendenda conveniunt, tunc, casus, non poterit venditor occultè supremum accipere pretium, decipiendo alium, sive in numeratione pecuniæ, vel aliquid de re subtrahendo, quin in eo injustitiam committat. ¶ Et è contrà conveniunt in pretio supremo, vel medio, non poterit emens absque injustitiæ labe, & restitutionis onere decipere eodem modo venditorem, ut trahat eum ad infimum pretium. Legantur *Salmant. sup. cit. P. 9. §. 1. à num. 81. ad 83. ac Molina tom. 2. Disp. 351.*

125 Sed, si contrahentes, putà Mercatores, tempore eo, quo de pretio conveniunt, mendaciis, & perjuriis affirment rem sibi tanti stetisse, vel tanto pretio vendidisse aliis, ut sic ad pretium supremum, & rigorosum pertrahant emptores, & è contrà, si emptores mendaciis, & perjuriis affirment rem tanti alibi emisse, vel alios tanti sibi eam offerre, ut sic ad infimum pretium venditorem pertrahant, regulariter solùm mendacii, aut perjurii peccato peccabunt, & nullatenus contra Justitiam, quia hæc communia negotiatorum stratagemata sunt, & dexteritates, quas homines communiter norunt, & ideo mendaciis, & perjuriis his nullam fidem dare debent, & si incautè præstent fidem, sibi imputent, cùm faciles sint ad credendum. Cum aliis *Salmant. sup. num. 84.*

126 Secundò dicitur quòd, si quis (etiam citra fraudem) ultra justi pretii dimidium venderet, vel infra dimidium emeret, non solùm peccaret, sed etiam ad restitutionem, aut de excessu, vel de defectu justi pretii teneretur in utroque foro, & ratio est: quia omnis justitia, vel injustitia hujus contractûs, sita est præcisè in eo, quòd inter rem, ac pretium servetur æqualitas, quam violare semper est, & erit injustitia; sed qui ultra justi pretii dimidium venderet, ac qui infra justi pretii dimidium emeret, non servaret in vendendo, & emendo æqualitatem inter rem, ac pretium: ergo, &c. Et hoc verum, sive credito, aut numerata pecuniâ res vendatur, vel ematur; datamque resolutionem (contra non nullos Juristas) judicamus veram, etiam si deceptio sit infra dimidium justi pretii, ut si res valens in supremo, & rigoroso pretio centum, venderes 148. quæ infra dimidium justi pretii deceptio dicitur; aut è contrà, si res in infimo pretio valens 40. emas pretio 41. quæ deceptio in emendo dicitur deceptio infra dimidium pretii justi: quia, cùm ibi sit inæqualitas in pretio dato, & accepto, non potest non esse ibi injustitia, quæ per restitutionem ad æqualitatem est deducenda; & ita *Div. Thom. 22. Q. 77. Art. 1. in corp. Amicus Disp. 21. Sect. 4. Trullench. cap. 20. Dub. 5. Bonac. sup. Q. 2. P. 4. Lugo sup. Sect. 6. Less. sup. Dub. 4. num. 21.* & cum multis aliis *Salmant. sup. num. 85.* ibi Juristarum argumenta solventes; legatur *Lugo cit. in loco.*

127 Sed nota primò *ex Salmant. ac ex Amico sup. num. 45. ibi legendis*, teneri tam emptorem ad restitutionem complementi justi pretii, quàm venditorem ad restitutionem excessûs, (posito quòd neuter à contractu resilire velit, prout potest) etiam si bona fide tam emptor infra dimidium infimi emerit, quàm venditor ultra dimidium summi vendiderit, & hoc ratione rei acceptæ, licèt non ratione injustæ acceptionis. Unde tenetur decipiens restituere excessum, si extet, vel id, in quo sit factus ditior (nisi jam res sit bona fide legitimè præscripta.) Ratio datur: quia ignorantia injustitiam contractûs non tollit, & quod alius in suis bonis defraudatus non maneat. ¶ An autem resciisso contractu, res restituenda sit cum fructibus perceptis? Affirmat cum multis *Covar. cap. 3. num. 9.* & apud ipsum negant alii, quibus cohæret *citatus Amicus.*

128 Secundò nota *ex Villalob. Tract. 21. Diffic. 6. num. 20. ex Salmant. sup. num. 88. in fin.* ac ex aliis, quòd, si tam emens, quàm vendens pretium rei ignoraverint, & scientes se ignorare, sorti (id est *a Deos, ou à ventura*, ut dici solet) se committendo, contraxerint, sequè tam lucro, quàm damno exponant, validus manet contractus absque ullo restitutionis onere, quantunvis postmodum eorum aliquis etiam in dimidio læsus appareat, quia uterque sic contrahendo videtur suo cedere juri, & quilibet alteri condonare excessum, quæ resolutio nobis vera videtur.

129 Sed hîc non levis est quæstio, scilicet an, quando non intervenit læsio ultra, vel infra dimidium justi pretii, & abest dolus, committatur peccatum, deturque in conscientiæ foro restituendi obligatio (in foro nanque externo conveniunt DD. teste Amico sup. in nullo Jure concedi læso actionem contra lædentem, aut arbitrio læsi rescindi posse contractum) vel quod ultra justum pretium acceptum est, vel quod ad justum pretium deest, compensandi? Et, licèt aliqui *apud Sotum lib. 6. de Just. Q. 3. Art. 1. ac Covar. sup. cap. 4. num. 11.* id negent, contrarium tamen est omnino tenendum, tum quia omnis læsio, quæcunque sit illa, & si minima, est contra Justitiam, quam Jus naturale dictat eam in omni contractu esse servandam, neque in re ulla Proximum nostrum esse lædendum, ac proinde omnis læsio in contractu contrahenti facta obligat in conscientia, ut resarciatur. ¶ Tum & maximè, quia ex contraria sententia

sequeretur lædentem alterum ultra dimidium justi pretii non teneri restituere totam summam, quam ultra justum pretium accepit, sed eam duntaxat, quæ excedit limites justi pretii, ut si justum pretium sint 100. aurei, dimidium 50. quæ læsit accipiendo 151. non tenebitur, nisi aureum restituere unum, eo quòd non sit prohibitum, nisi læsio ultra dimidium, proindeque læsio intra dimidium licita erit. Et idem judicium esto de læsione infra dimidium, quæ omnia nemo non videt absurdissima esse, & contra Justitiam, ac humanum convictum. Et ita Amicus sup. qui ad contrarias Leges respondet esse tantùm permissivas, & non præceptivas, sicut alia permittuntur mala ad mala maiora vitanda. Legatur *Div. Thom. cit. Q. 77. Art. 1.* quem sequuntur Theologi *in 4. Distinctione 15.*

130 Dicitur tertiò venditorem quemlibet plus pretii accipere posse, quàm res secundùm se merebatur, si in ea vendenda aliquo commodo, vel utilitate privetur; sive aliquod illa carendo incommodum subeat (quod tunc & maximè verificatur, quando emptor venditorem rogat ut vendat quod aliàs venditurus non erat, non tamen, si venditor ad vendendum emptori se offerat, cùm tunc emptor non sit illius incommodi causa.) Ratio ostenditur: quia hoc non est rem supra justum pretium vendere, non enim tunc, casus, venditur res nudè sumpta, sed ut vestita lucro illo cessante, & damno emergenti venditori, quod est æstimabile pretio, ex parte venditoris se tenens, & sub ejus dominio existens, quod idem verificatur, si venditor eam servaturus erat usque ad tempus, quo plus valitura erat, vel periculo exponitur, ut rei pretium deperdatur; quo casu notant AA. monendum esse emptorem, quòd simul cum re ipsa vendentis commoditas, &c. venditur, quia fortè, si alius id sciret, illud incommodum redimere nollet, neque rem emere illo vestitam. Et id est *Div. Thom. sup.* tenentque multi *à Salmant. cit. sup. n.* 89.

131 Cæterùm, ut venditor plus pretii, quàm sit id, quod res secundùm se valet, accipere possit, non satis est quòd res multùm emptori sit utilis, & commoda, ut rectè ait Div. Thom. cit. Q. 77 Art. 1. in corp. ibi: *Si verò alius multùm juvetur ex re alterius, quam accipit; ille verò, qui vendit, non damnificatur carendo re illa, non debet eam supervendere; quia utilitas, quæ alteri accrescit, non est ex venditione, sed ex conditione ementis; nullus autem debet vendere alteri quod non est suum, licèt possit vendere damnum, quod patitur, &c.* quod est dicere quod utilitas, & commodum emptoris sub venditoris dominium non cadit, consequenterque non est res pretio æstimabilis, ut ab eo vendi possit. ¶ Accrescit quòd, si res plus posset vendi, quo plus emptori utilis, & commoda esset, abs dubio ad medicinas multum saluti necessarias emendas pretium non esset, cùm salus nullo pretio emi queat; quare poterit quis commoditatem eam vendere, quam ex re vendibili ipse percepturus erat, non tamen illam, quam ex eadem re propria industriâ percepturus est emptor; quando tamen quis re venditoris non eget, eamque venditoris precibus emit potiùs ut necessitati venditoris, quàm suæ subveniat, minoris tunc rem emere potest, quia, sicut magna commoditas ex parte vendentis pretium rei vendibilis auget, ita è converso minor indigentia ex parte ementis vendibilis rei minuit pretium. *Amicus sup. num. 52. Bonac. Disp. 3. Q. 1. P. 4. num. 27. Villalob. tom. 2. Tract. 21. Diffic. 6. num. 27. & plures alii.*

132 Non posse autem quemlibet rem suam alicui in necessitate jacenti vendere pluris, quàm res in se valet, doctrina est expressa Præceptoris Angelici Q. 13. de Malo, Art. 4. ad 7. ibi: *Dicendum quòd non licet vendere alicui in necessitate constituto rem aliquam multò amplius, quam valeat, esset enim injusta venditio.*

133 Si quis magnum amorem, delectationem, gustum, & affectum erga rem talem suam haberet, tunc, casus, ratione particularis illius affectûs bene poterat, & potest pluris rem talem vendere, quàm secundùm se res ipsa meretur: (non tamen tanti, quanti ipse ex particulari affectu eam æstimabat, sed quanti rationabiliter singularis ille affectus prudenter æstimari poterat) quia privatio talis affectûs re vera, est æstimabilis pretio, & per consequens ob privationem illius merito res plus vendi valet. ¶ Et hinc, si quis haberet equum manuetissimum, mitissimum, & in arte sua Magistrum, vel gemmam singularem, & raram, statuam valde pretiosam, & antiquam, domum vel à maioribus suis receptam, &c. ob quas qualitates valde sit eis affectus, licitè res tales, & similes maiori pretio vendere poterit. Communis, & cum multis *Salmant. sup. num.* 90.

134 Utrùm autem res illæ, quæ ad usum humanæ vitæ non sunt necessariæ, nec ad communem hominum convictum, ut pretiosi equi, accipitres, aves Indicæ, & hujusmodi, quæ nullum pretium aut lege, vel aliunde taxatum, fixumque habent, vendi, & emi cariùs, & viliùs possint, tanti scilicet, quanti contrahentes inter se convenerint? Variant DD. *apud Salmant. legendi sup. num. 92. ad 94. apud quos num. 96. & 97.* ex multis aliis reperies res eas, quæ sub publica venduntur hasta Præconis voce, tanti cariùs, tantique viliùs vendi, & emi posse, quanti cariùs, & viliùs id

fieri à quolibet poſſit; & idem de rebus illis, quæ privatim per Proxenetas venduntur, aut ad vendendum in aliquibus privatis domibus extant paratæ (quarum domorum Hiſpali, Ulyſſipone, Salmanticæ, Matriti, ac Barcinonæ vidimus non paucas, ubi multorum res plures ſuperfluæ ipſis ad vendendum expoſitæ erant.) Et idem, quando redditus Beneficiorum, Commendatarum, Maioratûs, &c. in publica licitatione locantur, quia tunc, caſus, plures emptores, & licitatores concurrunt, qui æmulatione augere pretium ſolent, altiuſque pretium evehunt, & ob rationem hanc ſolam res æſtimabilior redditur, in valoreque creſcit, ſicut quando emptores, licitatoreſque pauci concurrunt, res deſcendunt in pretio, decreſcuntque in valore.

135 Hic quæri ſolet quibus modis pretia rerum *creſcere*, vel decreſcere poſſint? Hoc jam ferè conſtat ex dictis; ſed claritatis maioris gratiâ breviter dicitur quòd (quando pretium non eſt Lege taxatum, vel non eſt jam currens) earum pretium creſcere poteſt primò ratione officii, & ideo ſup. diximus Mercatores pluris res vendere poſſe, quàm alii, qui illo non funguntur officio. Imò addimus quòd, ſi pretium, quo Mercatores res ſuas vendunt, ſit jam vulgare, & currens, eodem pretio quilibet alius, qui non ſit Mercator, res etiam ſuas vendere poteſt abſque ulla injuſtitiæ labe. ¶ Secundò creſcit, quando plures concurrunt emptores, & eſt penuria mercium; tunc enim res plus valent, quia id pluris æſtimatur, quod à pluribus quæritur, & quod difficiliùs, minorique copiâ reperitur.

136 Decreſcunt verò pretia rerum primò ob abundantiam, ac copiam mercium, & ob pecuniarum inopiam, ac paucitatem emptorum. ¶ Secundò quando res parum utilis eſt emptori, & emptor rem in venditoris gratiam emit, aliàs eam non empturus, in manibus enim offerentis res quodammodo vileſcit, minoriſque eſt valoris, ac maximè ſi emptori parum utilitatis attulerit, quia juxta *Cajetan. 22. Q. 77. Art. 1. & Leſſ. ſup. num.* 33. ultroneæ merces pro tertia parte vileſcunt. Et è contrà plus res valet, quando venditur in gratiam ejus, qui emit, quæ aliàs vendenda non erat. ¶ Tertiò ratione donationis, aut remiſſionis pretii exceſsûs, in quo non eſt dubium. ¶ Et quartò ratione neceſſitatis vendentis; ſed ut hoc meliùs capiatur, legantur *Salmant. ſup. à num.* 101. *ad* 105.

137 Ex dictis reſolvitur poſſe Mercatorem merces ſuas currenti pretio vendere, licèt ſciat brevi tempore magnam mercium copiam eſſe ſuperventuram, ob quod merces viliori pretio reddantur, & minori pretio ſint dignæ; & è contrà poſſe emptorem alienas merces viliùs emere, eſtò cognoſcat pretia rerum citiſſimè aſcenſura fore, vel ob emptorum multitudinem, aut ob abundantiam pecuniæ: (id omne, quod intellige, omni fraude ſemota) & idem, ſi ſciat, & in omni eventu, ſive per literas, vel alio modo breviſſimè variandum eſſe monetæ valorem aut in aſcenſu, vel in deſcenſu, tunc enim etiam bene poterit quilibet eam cum aliis commutare, (ſecluſa fraude, aut dolo) vel merces cum illa emere, ſive debita ſolvere, habita ratione pretii, quod pro illo tunc habet, & non quod habitura eſt poſtea. Et idem eſſet, ſi quis ſciret taxationem alicujus mercis, putà frumenti, à Principe impoſitam brevi tempore deſcenſuram; quia jam ſcit Legem à Principe latam eſſe, ſed non dum publicatam, de illa minuenda; id omne, quod ex multis *Salmant.* omnino legendi *ſup. n.* 108. reſolvunt.

SUBLECTIO II.

Proſequitur materia precedens, ac circa taxationem pretii frumenti dubia excitantur aliqua.

138 PRetium legitimum, ut ex dictis conſtat, illud eſt, quod Lege, vel determinatione Superioris eſt deſignatum, ſive taxatum; & eſſe in Republica, aut Principibus poteſtatem juſta rerum pretia taxandi, res eſt per ſe nota, praxis ipſa demonſtrat, eſtque clarum in Div. Thom. cit. Q. 77. Art. 2. ad 2. ubi ſic legimus: *In uno quoque tamen loco ad Rectores Civitatis pertinet determinare quæ ſint juſtæ menſuræ rerum venalium, penſatis conditionibus locorum, & rerum, & ideo has menſuras publica authoritate, vel conſuetudine inſtitutas præterire non licet; ex quo id etiam quo ad Principes circa pretia rerum.* Et

139 Id ipſum ipſa ratio ſuadere videtur, quia hoc multùm communi bono expediens extat, maximè in rebus vitæ humanæ neceſſariis; cùm igitur ad publicam poteſtatem pertineat, omnibus circunſtantiis bene penſatis, communi utilitati conſulere, inde fit quòd poſſit humana Lege, & communi indiviſibile rerum pretium juſtè taxari, cujus tranſgreſſio abs dubio injuſtitia erit, ad reſtitutionem obligans, eo nanque ſemel taxatione facta, pretium taxatum juſtum eſt, omniſque exceſſus extat reſtitutioni obnoxius. Quòd ſi dubium fuerit exortum, dubiteturque an Lex taxationis ſit juſta, temper juſta præſumenda eſt, donec de oppoſito certò conſtiterit, quia Lex poſſidet. Secus autem, ſi manifeſtum contineat errorem, tunc enim talis Lex non obligabit, atque adeò, relicto pretio, quod erat legitimum,

mum, res vulgari, & currenti pretio vendi poterit, uti ſi res ejuſdem valoris in ſe, eodem loco, & tempore, alia viliori, alia cariori taxaretur, vel ſi Superior malè inſtructus eſt de circunſtantiis, ſi craſſa ignorantiâ rem taxatam eſſe conſtet, ſi ſpe munerum, vel venditorum odio procedat, ut vilius, vel carius pretium aſſignet.

140 Deinde Lex taxativa pretii variari debet, ſecundùm circunſtantiarum variationem, & ideo, ſi tunc, caſus, Princeps, vel Superior notabiliter negligens fuerit, pretiumque mutare non curet, jam Lex antiqua injuſta incipit eſſe, atque in conſcientia non obligat; quapropter, ſi abundantiæ tempore Superior pretium, vel taxationem rebus impoſuit, & inopiæ tempore illam non mutavit, & è contrà, nullatenus tunc vendens pro legitimo, ſeu taxato pretio ſtare tenetur; ſed pretio vulgari, & currenti merces ſuas vendere valet, quia non facilè relinquitur credi cum notabili rerum mutatione Superiorem talem Legem durare velle.

141 Lege tamen, rerum vel taxatione ſemel ſtabilita, ſi omnis, vel maior Reipublicæ pars illam non ſervat, id ſciente, nonque contradicente Superiore, cùm abſque incommodo ullo id facere poſſit, tunc, caſus, rerum taxatio, ſive Legis obligatio ceſſat, quia, cùm taceat, obſtare potens, abrogare Legem, aut in ea diſpenſare cenſetur, vel ipſa per contrariam conſuetudinem tollitur. Secus, ſi taceat, nonque tranſgreſſores puniat ob maiora mala vitanda, vel ſi ſolùm cum aliquibus juſtè, vel injuſtè diſſimulet, quia ſolùm tunc cum his diſpenſare cenſetur. Sed ſi Gubernatores, Magiſtratus, Rectores vel Civitatum diſſimulent, vel diſpenſent, ad id à Rege, vel Principe facultatem non habentes; talis diſſimulatio nihil operatur in ordine ad Legem abrogandam, vel ab injuſtitiæ labe venditionem ultra taxationem excuſandam; quin potiùs, ſi abſque juſta cauſa venditionem ſupra taxationem permittant, mortaliter peccant, & ad reſtitutionem tenentur; quia ex vi muneris, & officii hæc damna evitare tenentur. ¶ Teneri autem Eccleſiaſticos, Religioſoſque omnes, imo & Reges, vel Principes (quidquid in contrarium aliqui dicant) ad obſervandam impoſitam taxationem, ſive Legem taxam ponentem rebus, non dubitamus, cùm dictæ perſonæ teneantur ſervare verum, & juſtum pretium rerum venalium communiter apud homines currens; & hoc ipſo, quòd frumenti, &c. politica Lege pretium taxetur, eſt verum, & juſtum pretium currens, conſequenterque illud naturali Lege obſervare tenentur non minus, quàm cæteri; quod argumentum etiam in Rege, vel Principe currit. Hæc omnia ſunt apud DD. communia. Sed

142 Ambigitur primò an Lex taxativa frumenti obliget in annis magnæ ſterilitatis alicujus Provinciæ? (quod etiam intelligitur in caſu, quo in hac putà Provincia magna ſit copia, ſi in Regionibus proximis magna ſit inopia.) Pro parte affirmativa (quæ verior, ac probabilior extat) ſtant *Azor* 3. *P. lib.* 8. *c.* 22. *Q.* 7. *Petr. Navar. lib.* 3. *c.* 2. *n.* 2. cum aliis decem, & *Salmant. ſup. P.* 10. *legendi à num.* 131. *ad* 135. ubi ex Illuſtriſſimo domino Petro à Tapia Dominicano prudentiſſimas aliquas limitationes apponunt, noſque & etiam pro affirmativa parte ſtamus, quia quando de injuſtitia Legis non conſtat, (prout in præſenti contingit) pro juſtitia Legis ſtare, & ei obedire debemus.

143 Secundò ambigitur an, ſi frumenti taxatio, vel Lex abrogata non eſſet ex conſuetudine, vel aliter, ſed in ſuo primævo permaneret rigore, & à ferè tamen omnibus non obſervaretur, tunc, caſus, pauci timorati eam obſervare tenerentur? Pars negativa conſtat ex jam à nobis dictis Tract. de Legibus, & in præſenti cum Illuſtriſſimo Tapia docent, & probant *Salmant. ſup. n.* 135. ubi legendi.

144 Ambigitur tertiò quo pretio farina, vel panis coctus vendi debeat? Dicitur quòd eadem taxa, quæ eſt pro frumento in grano, pro eo in farina extat & etiam, molendi, &c. compenſatis expenſis; aliàs nanque Lex taxativa frumenti nullum ſortiretur effectum, nec venditorum cupiditati occurſum eſſet, neque communi utilitati populi eſſet proviſum, cùm in Legis fraudem triticum, vel frumentum in farinam convertere poſſent, & poſtea pro libito frumentum, farinâ facta, vendere. Et idem omnino dicitur, quando Lex, taxatio vel deficit, vulgarique pretio frumentum currit; tunc enim vulgare illud pretium, quod eſt pro tritico in grano, pro eo in farina etiam eſſe debet, molendi deductis expenſis, & idem de pane cocto; ſed melius erit, ſi pretium panis decocti à Juſtitia, vel publica poteſtate taxetur, conſideratis expenſis, & moderato lucro pro panificis, ad tritici valorem habito reſpectu. Legantur *Salmant. ſup. toto* §. 3. *a num.* 186.

145 Quartò ambigitur an duplex eſſe poſſit pretium vulgare reſpectu ejuſdem rei, pro exteris ſcilicet unum, & pro naturalibus aliud? Reſolutio eſt negativa, niſi fortè ob multitudinem exterorum (uti quando ad aliquem portum claſſis Indica appulit, vel quando ad aliquem locum brevi moratura accedit Principis Aula) merces rariores fiant; quia tunc ratione multitudinis ementium, & raritatis mercium

pretium augetur; quo tempore naturalibus etiam eodem met pretio vendendæ sunt, vendi vel possunt merces, nisi venditor emptori remittat excessum, (uti bene facere potest, sicut Mercator, eodemmet pretio, quo ipse emerat merces, nihil lucrando, amicis suis vendere potest) vel nisi sit Lex, quòd intra pretium justum, naturalibus medio, vel infimo, exteris verò in summo pretio merces vendantur, eo, quòd naturales oneribus propriæ Civitatis perpetuò subsint. Legantur *Tambur. Decal. lib. 8. Tract. 3. cap. 7. §. 4. num. 9. ac Lugo Disp. 26. Sect. 4. num. 51.*

146 Ambigitur quintò an venditor taxato pretio triticum vendere possit eo pacto, ut emptor ab eo etiam vinum, oleum, &c. emat, vel, quod idem, an commutare possit triticum cum alia re, quæ re ipsa plus valeat, quàm sit id, in quo triticum est taxatum? Dicitur injustum esse talem contractum obligans ad restituendum pretii excessum, si res, in quas triticum commutatur, pluris valeant (secus, si sint in pretio æquales) secundùm pretium legitimum, vel si non habeant taxationem, secundùm pretium vulgare, quia hoc abs dubio in fraudem cederet Legis, vel taxationis, Lex namque prohibens triticum pluris vendi, prohibet etiam illud in rem pluris valentem commutare, & prout vulgò dicitur *ouro he o que ouro val*; & ita cum multis *Salmant. sup. num. 125.* ibi legendi, legatur etiam *Lugo num. 64.* favetque Angelici Doctoris doctrina *in 4. Dist. 30. Q. 1. Art. 2. ad 7.* ubi hæc inter alia legimus: *Sed si in re quæsita propter se esset error, impediretur contractus, sicut si alicui venderetur asinus pro equo.* Et etiam ab eodem Magistro Angelico tradita *22. Q. 61. Art. 2. in corp.* ubi inter pulcherrima alia dicit: *Et ideo oportet adæquare rem rei, &c.* ¶ Utrùm autem venditor onus emenri imponere queat, ut sibi aurea, vel argentea pecuniâ pretium solvat? Variant DD. & probabiliter omnes. Legantur *Salmant. sup. num. 126. & 127.*

147 Sextò ambigitur an triticum (& idem de aliis mercibus) notabiliter melius possit quis supra taxationem, seu altiori pretio vendere, quàm illud, quod est inferius, & secundum taxam venditur? Affirmativè resolvitur; quia injusta, & iniqua taxatio, Lex vel illa esset, quæ omnes res, tam optimas, quàm mediocres, ac infimas uno, eodem, & æquali pretio taxaret; cum multis *Salmant. legendi sup. n. 128.* Sed

148 Nota *ex Lugone Disp. 26. Sect. 5. num. 65.* posse venditorem ex fructuum acervo meliores seorsim fructus separare, eosque sic separatos cariùs vendere, si notabiliter eos excedant, qui communiter taxato pretio venduntur; eos autem, qui remanent, si adhuc æquales in bonitate permanent, ac cæteri, qui communi taxato venduntur pretio, eodemmet currenti pretio eum vendere posse; secus, si ob talem separationem viliores redduntur, ac sunt illi, qui taxâ, vel currenti pretio venduntur, nam tunc detrahendum est de taxatione, vel pretio currenti pro ratione, & proportione illius defectûs. Unde infert, & bene, quòd macellarii, (id quod ipsi non servant) non possunt aliquibus emptoribus meliores partes carnium puras, & sine ossibus dare, vel maioris pretii, vel amicitiæ, aut benevolentiæ causâ, si ex eo alii emptores gravantur, accipiendo deteriores solùm partes, & plus justo ossibus plenas, vel oneratas, nisi his, qui in eo magis gravantur, detrahatur de pretio taxato pro ratione illius maioris gravaminis, carnium vel pondus augeatur.

149 Ambigitur septimò an mundo, & optimo tritico (& idem de aliis mercibus, vino excepto, de quo illico) liceat inutilia, & inferiora alia ex industria miscere, & taxato, currenti vel pretio vendere? Resolutio est affirmativa in casu, quo mistione facta triticum æquale, vel æquè bonum persistat, ac illud, quod communiter taxato pretio, currenti vel pretio venditur; (non tamen, si ex mistione inferius triticum resultaret aliud, ut de se patet) & ita cum multis *Salmant. sup. num. 129. ac 130. a Spiritu Sancto Decal. Tract. 10. Disp. 17. Sect. 14. num. 872. Lugo Disp. 26. Sect. 5. num. 67. & 68. Tambur. lib. 9. de Contract. Tract. 5. num. 6. ac Diana Coord. tom. 6. Tract. 3. Resol. 90.* qui etiam legendus *Resol. 901. ad 905.*

150 Dictum est: vino excepto: nam, an vinum aquâ mistum (si generoso vino tenue vinum admisceatur taxato, currenti vel pretio vendi posse, dummodo per hoc vino communi pretio currenti maneat æquale, communiter resolvitur) eo pretio, quo purum, & syncerum venditur, licitè vendi queat? Negativè in Schola nostra Moralì, ubi de Contractibus, absolutè resolvimus, & diximus id nunquam licitè fieri posse, multisque ibi rem istam probavimus. Et pro nobis extat cum plurimis omnino legendus *Tambur. ubi sup. num. 12.* stant & *Salmant. sup. num. 129.* quatenus dicunt: *Raro erit licitum vinum aquâ mistum eodem pretio vendere, quia, licèt vinum sit generosum, multum tamen patitur ob eam mistionem, & ad plures effectus minus utile esse solet, &c.* ¶ Notant tamen, & bene, quod, si alicubi consuetudo vigeret admiscendi parum aquæ vino, quando in musto conficitur, vel coquitur, eo quòd in arte periti id necessarium esse dijudicant, (uti fieri solet in aliquibus Regnis, & Regionibus valde siccis, prout, nobis testibus, sit semper quotannis

tannis in Algarbiorum Regno, quo nati ſumus; ibi enim dum in dolis ad coquendum mittitur muſtum, duæ, vel tres amphoræ aquæ ſimul mittuntur, quo generoſum redditur vinum, ſic minus omnino deperditur) ad talis vini perfectionem illa miſtura peregrina, vel aliena non eſſet, nec ob id aliquid de taxato, currenti vel pretio detrahendum eſſet. His junge caſum *à Lugone in Reſponſ. Moral. lib. 6. Dub.* 14. allatum. Legatur etiam *Salas Tract. de Empt. & Vendit. Dub.* 12. *Rebell. 2. P. lib. 9. Q.* 9. *num.* 17. *Ledeſma in Sum. 2. P. Tract. 8. cap.* 32. *poſt Concluſ.* 7. *Diffic. 2.*

151 Sententiam contrariam tenet *Nà Spiritu Sancto ſup. num.* 868. in caſu, quo emptor vinum illud ad ſervandum non emat, ſed ad ſtatim bibendum, quod nos non admittimus propter dicta cit. in loco: ſupponit enim id, quod nobis non verum, ſcilicet quòd vinum generoſum aquâ miſtum bonitatis reddatur æqualis, ac purum, quod ab aliis eodem venditur pretio, cujus contrarium cit. in loco reſolvimus, latèque probavimus.

152 Ea tamen, quæ ab ipſo ibidem adduntur, non omnino rejicienda veniunt, quorum illud eſt primò, ſcilicet quòd, ſi venditor ex induſtria aquam vino miſceat, & ob hoc illud viliore pretio vendat, ut emptores ad eum confluant, ac non ad mercatores, venditores vel alios, peccabit, & tenebitur reſtituere venditoribus aliis, quantum prudentis arbitrio ſua intereſt, hoc illius ſtratagema, quia quilibet habet jus, nè per vim, aut fraudem à ſuo lucro deturbetur; ſecus autem, ſi contrarium motivum haberet, nimirum ſolùm ſe moveret ad immittendam aquam vino, ut pluris lucri faceret: unde in primo caſu emptoribus, & venditoribus reſtituere teneri, in ſecundo autem ſolùm emptoribus reſolvit.

153 Secundò Pharmacopolas *quid pro quo* vendentes, nè in eorum officinis aliquid deeſſe conquerantur emptores, aliquando non peccare, nec ad reſtitutionem teneri, aliquando ita: ſi enim certò ſciant quòd res, quas pro aliis ſupponunt, eiſdem prorſus virtutibus pollent, omni culpâ carent dum unam pro alia tradunt, ſiquidem ejuſdem ſunt qualitatis, & ejuſdem ferè ſubſtantiæ, uti ſupponitur, ſicque ad reſtitutionem non tenentur, niſi fortè id, quod pro alio tradunt, minus valeat, quàm medicamentum petitum, nam tunc exceſſus reſtitui debet; peccare verò cum reſtitutionis onere, ſi dictam ſcientiam, aut certitudinem non habeant, nam tunc ementem, vel ementes decipiunt, aliam ab expetita ſubſtantiam tradentes, certumque pro incerto medicamento pretium accipiunt, & quod fortè nocebit; citatque pro hac parte *Tamburr. & Salas.* Legatur etiam *Dicaſtill. lib. 2. Tract. 9. Dub. 5. num.* 58.

154 Si autem ſcire velis an ſupra frumentum, vel triticum, ac ſuper farinam juſtè tributum aliquod imponi poſſit? Lege ſapientiſſimum ſemper laudandum, nunquamque ſatis laudatum Magiſtrum Fratrem Joannem Martines ex doctiſſima, religioſiſſima, ac præclariſſima Prædicatorum Familia, in ſuo erudito, acuto, ingenioſoque tomo, cujus titulus: *Diſcurſos Theologicos, y politicos* Compluti anno Domini 1664 edito, Diſcurſu 5. ad 8 ubi negativam partem latiſſimè, ingenioſiſſimèque tuetur, & firmiſſimis fundamentis, ſolidiſque rationibus comprobat, atque illuſtrat.

155 Rurſus ſi ſcire velis, an ſi quis tradat aliquibus vinum, ut nomine ſuo vendatur, cognoſcens eos minuturos eſſe menſuram, & admiſcentes aquam venditurosque; illicitè faciat, ac quid, ſi vendat vinum tabernariis, idmetipſum ſciens? Vide *Dianam ſup. Reſol.* 94. & 95. ubi affirmant uni, ac negant alii; quod ultimum ſequitur ipſe in caſu, quo ad id juſta cauſa adſit; id eſt, ſi ipſe ex contrario grave pateretur damnum; & in caſu, quo miniſtris vinum juſto pretio vendendum tradatur, ſicut quis poteſt apud uſurarium pecunias deponere, etiam ſi ſciat fore illi materiam exercendæ uſuræ, ac ſicut quis concubinæ Judicis deferre munera poteſt, ut apud ipſum Judicem intercedat, dum ſibi alicujus gravis detrimenti periculum ineſt, vel ſi aliàs jus ſuum à Judice minimè conſequi poteſt. Legatur Auctor.

LECTIO VIII.

Utrùm aliquando liceat vendere cariùs ob ſolutionem retardatam, vel viliùs emere ob ſolutionem anticipatam?

156 LEctionis titulus id, quod eſt verum, ſupponit primò palliatam uſuram eſſe, conſequenterque omnino illicitam, & contra commutativam Juſtitiam venditionem illam, in qua res ob ſolutionem præcisè detentam cariùs venditur, & eam, in qua viliùs res emitur ob ſolutionem præcisè anticipatam; id omne, quod eſt expreſſum in Doctore Angelico 22. Q. 78. Art. 2. ad 7. ubi eſt omnino legendus, conſtatque ex cap. *Conſuluit, cap. Naviganti de uſuris, cap. In Civitate,* eſtque commune DD. placitum. ¶ Secundò licitum eſſe cariùs vendere ob dilatatam ſolutionem, & viliùs emere ob ſolutionem anticipatam, ſi emptio, & venditio facta fuerit intra latitudinem juſti pretii, quod conſtat ex ſupra dictis, communiterque à DD. traditur.

Unde

Unde Lectionis titulus solùm procedit loquendo de pretio, quod est extra latitudinem justi; quapropter videndum est an dentur aliqui tituli, ratione quorum talis venditio (& idem de emptione erit) honestari valeat? Ad quod

157 Affirmativè respondemus. Itaque primus titulus, ob quem potest res credito vendita cariùs vendi, est lucrum cessans, & damnum emergens; id est, ob damnum, quod ex dilatione solutionis venditor timet, vel ob lucrum, & commodum, quod amittit; id quod constans est apud plures, gravissimosque DD. Legatur Diana Coordinat. tom. 6. Tract. 3. Resol. 40. §. *Sed contraria.* ¶ Sed in prædicto casu necessarium est admonere emptorem, eique titulum manifestare, quo ipsi res cariùs venditur; quia fortè alius ejus incommoda emere nollet, prout admonet *Villalob. tom. 2. Tract. 21. Diffic. 7. num. 5.* & ex eo, ac aliis *Salmant. legendi sup. cap. 2. P. 11. n. 141.*

158 Sed ut ratione lucri cessantis, & damni emergentis possit res cariùs vendi, conditiones requiruntur quædam; quarum prima est, ut re vera tale lucrum cesset, nonque sit fictitium, sed verum, & probabiliter tale, secundùm prudentum judicium. ¶ Secunda, ut illud damnum, vel amissio lucri ex emptione, ac venditione, tanquam ex causa sequatur. ¶ Tertia, ut deducatur in pactum, hoc est, ut sciat qui plus dat, causam, ob quam illud ab eo exigitur, & in eo conveniat. ¶ Quarta quòd non exigatur totum lucrum, vel interesse, quod ab eo sperabatur, sed quòd deducantur labores, ac expensæ faciendæ, & periculum, aut impedimenta, quibus tale lucrum impedire posset arbitrio prudentis. Ita cum *Div. Thom. 22. Q. 62. Art. 4. tenet Dicastill. lib. 2. Tract. 9. Disp. 3. à n. 55.*

159 Secundus titulus, ob quem posset ille, qui rem suam vendit, solutione dilatata, est ratione expensarum, quas venditor, vel creditor ipse facturus erat in recuperando pretio, quod credidit; quia illæ expensæ sunt novum damnum emergens ipsi venditori, ut si emptor, cui pecunia creditur, esset absens, vel esset dubiæ fidei, ratione cujus non nisi cum labore, & expensis suæ mercis pretium venditor recuperare valeret, ob hanc re vera rationem mercis pretium augeri potest, quanti scilicet talis labor, & expensæ prudentum arbitrio æstimantur (de hoc tamen semper, ut dicebamus, emptore admonito.) Et si circa hoc aliquid deductum fuerit in pactum, tali pacto standum erit; sed si, tali pacto supposito, inveniatur tempore solutionis expensas emptoris excrevisse culpâ, ultra id, quod erat in conventione deductum, hoc plus emptor in conscientia supplere tenebitur. *Bonac. Disp. 3. Q. 2. P. 4. num. 18. Trulhench. lib. 7. cap. 20. Dub. 8.* & cum multis aliis *Salmant. sup. num. 142. ibi n. 144.* ut quid probabilius judicantes licitum esse, solutione credita, cariùs vendere, ratione periculi amittendi pecuniam in toto, vel in parte, pro seque 15. adducunt AA. Legantur *Trulhench. Bonac. sup. & Lugo Disp. 25. Sect. 6. num. 81.* Unde ex dictis

160 Resolves primò licitum esse viliùs emere, anticipata solutione, & cariùs vendere, solutione credita, si venditor res ad tempus illud, quo plus erant valituræ, servaturus erat; secus verò, conditione ista deficiente. Unde licitum erit triticum putà mense Januario emere, solutione anticipata, tradendum mense Augusti, non quidem pretio Januarii mense currenti, sed quod mense Augusti creditur habiturum esse. ¶ Et similiter cariùs vendere vinum mense Decembri ob solutionem ad mensem Maii dilatatam, si venditor ad tempus illud vinum, aut triticum servaturus erat, & non aliter. Et

Quòd res possit cariùs vendi solutione credita, si servanda erat tempore, quo tanti valitura erat, est manifestum, quippe pretium talis rei non est æstimandum secundùm pretium temporis præsentis, quo res venditur, sed juxta pretium, quo venditor res suas distracturus erat, aliàs damnum emergens pateretur venditor; debet tamen deducere, vel detrahere aliquid arbitrio prudentis ratione custodiæ, & periculi interim amittendi eam, quod subiisset in servando eam. Et

A contrario sensu patet cur non possit venditor rem illam cariùs vendere, si non decreverat illam servare vendendam tempore, quo cariùs valitura erat, quia si illam usque ad tempus illud servaturus non erat, nihil sua interest, quantum postmodum valitura esset; unde cùm nec damnum illi emergat, neque lucrum cesset, nihil ultra pretium, quod de præsenti currit, percipere valet. ¶ Et ex eadem ferè doctrina liquet cur liceat emere rem viliùs, quæ tunc magis valet, si tradenda est tempore, quo minus valitura erit, quia, cùm res propter commodum, & utilitatem ematur, solùm æstimatur secundùm pretium, quod habet tempore eo, quo traditur; quia tunc emptori solùm est utilis, & commoda, & non tempore, quo contractus solo consensu perficitur. Quæ omnia communia sunt, & cum multis docent videndi *Salmant. sup. num. 146. & 147. Molina Disp. 155. §. ult.* legatur etiam *Diana sup. Resol. 37. & 38.*

161 Secundò resolves te rem cariùs vendere posse, quando in gratiam solius emptoris rem vendas, aliàs eam non venditurus, quia

æstima-

æſtimabile eſt quód rem tuam, quæ vendenda non erat, venalem facias; ſed ad hoc juxta *Leſſ. & Lugonem ſup. num.* 91. omnino requiritur aliquid incommodi, & moleſtiæ tibi contingat. ¶ Et à contrario ſenſu, ſi emptori non eſt utilis emptio, & rogatus emat, tunc, caſus, de juſto pretio demere poteſt; ut cùm quis à paupere ſolo victu, quem præbet, nè fame pereat, emit; quia, deficientibus emptoribus, & conductoribus, decreſcit pretium. *Molina Diſp.* 351. & multi alii. Legatur *Diana ſup. Reſol.* 69. *&* 72. 77. *ac* 78. *& Tract.* 7. *Reſol.* 144.

162 Tertio quod quando multam mercium copiam ſimul emis, eas minori pretio, quod eſt pretium currens, quando minutatim venduntur, emere vales, quia ſic emendo, vulgó *de porjunto* à multis occupationibus, & curis venditorem exoneras, & ab onere quærendi alios emptores, eumque expeditum relinquis ad hoc, ut aliis lucrari poſſit. ¶ Et è contrà licitum eſt tibi res cariùs vendere, quando minutatim vendis, quàm ſi ſimul in magna multitudine vendas, quia minutatim vendere multas ſecum moleſtias affert, & venditori infert, ob quod merito majus pretium in eo vendendi modo eſt introductum, quod verificatur, juxta *Salmant. ſup. num.* 149. in fine, ſive fiat ad creditum, aut numerata pecuniâ, ſive cum anticipatione ſolutionis, vel non. Legantur *Bonac. Diſp.* 3. *Q.* 2. *P.* 4. *num.* 21. *ac Lugo Sect.* 7. *num.* 92.

163 Utrùm autem res illas, quæ frequenter emi ſolent ſolutione anticipata, liceat minoris emere, quàm aliàs ſit juſtum pretium, vel è contrà cariùs vendere res, quæ frequenter vendi ſolent ad creditum ob ſolutionem dilatatam? Quæ quæſtio maximè procedit de aliquibus mercibus, quæ in copia magna ad grandia Emporia ex India, & ex partibus aliis adſportari ſolent, quibus in Emporiis numerata, vel præſenti pecuniâ vendi non poſſent, neque qui merces eas portant, expectare poſſunt donec ſenſim eas omnes paulatim vendant, ſed debent eas ſtatim in magna copia diſtrahere, ut ſic ad propria redeant, & etiam circa venditionem lanarum, quæ frequens eſt in Hiſpania, & quæ frequenter emi ſolent anticipata ſolutione viliùs, quàm valent, tempore eo, quo traduntur.) Variant DD. affirmantes uni, negantes & alii; pro quo legantur *Salmant. cit. P.* 11. *toto* §. 2. *Lugo dicta Sect.* 7. §. 2. *num.* 105. *&* §. 3. *Molina Diſp.* 357. *Sanch. in Conſil. lib.* 1. *cap.* 8. *Dub.* 15. *Trullench. lib.* 7. *cap.* 20. *Dub.* 8. *Bonac. Diſp.* 3. *Q.* 2. *P.* 4. *Leſſ. cap.* 21. *Dub.* 7. *Amicus tom.* 5. *Diſp.* 21. *Sect.* 8. *num.* 128. *à Spiritu Sancto Sect.* 9. *num.* 843. *& Diana ſup. cit. Tract.* 3. *Reſol.* 66. *ad* 68.

164 Quartò venditorem juſtè cum emptore nullatenus paciſci poſſe de eo pretio ſolvendo, quod inter tempus contractûs, & ſolutionis eſſet maximum, quia non poteſt juſtè venditor illud ab emptore jure exigere pretium, quod ipſe certò habiturus non eſſet, ſi merces ſuas uſque ad tempus ſolutionis vendendas conſervaſſet: ſed ipſe pretium ſummum certò habiturus non fuiſſet; aſt fortè ſummum, fortè infimum, fortè medium, prout ſuas vendidiſſet merces, tempore, quo aut ſummo, vel infimo, aut medio pretio valerent: ergo, &c. ¶ Ex quo patet injuſtitia hujus contractûs, qui cùm ſit de pretio futuro, quod intra tempus celebrationis, & ſolutionis augeri, minui vel poteſt, totum periculum damni in emptorem rejicitur, periculum nullum ſubeunte venditore, cùm tamen utriuſque debeat eſſe conditio æqualis. Niſi fortè convenirent de certo, & fixo aliquo pretio, quia tunc damno, vel lucro uterque exponitur; eſtò nec ad hunc emendi modum emptor cogi poſſit, cùm nequeat cogi, niſi ad pretium, quod habiturus eſt venditor tempore ſolutionis. Legatur *Amicus ſup. num.* 121. *Dicaſtill. lib.* 2. *Tract.* 9. *Diſp.* 3. *Dub.* 7. *per totum, ac Molina Diſp.* 358.

165 Quintò poſſe emptorem cum venditore de re anticipata pecuniâ emenda convenire: primó certo quodam pretio, quo traditionis tempore res plus, minuſve valitura creditur. ¶ Secundò ipſo certo pretio, quo traditionis in tempore eſt valitura; uterque enim contractus juſtus eſt, eique ſtandum, etiam ſi in priori contingat vel pretium augeri ultra dimidium, aut infra dimidium minui, cùm ex parte utriuſque contrahentis æqua ſors fuerit; uterque nanque damni, vel lucri dubio æquali ſe expoſuit; quare pretium talis contractûs non eſt formaliter illud, quod futurum eſt in re, ſed quod celebrationis tempore erat ſub ſpe, unde ſive poſtea in re augeatur, aut minuatur, non augetur, vel minuitur in ſpe. Sed

166 Quid, ſi emptor, aut venditor certó ſciat pretium aut augendum, vel minuendum traditionis in tempore, nunquid tunc talis contractus licitus erit? Negativè reſpondet *Amicus ſup. num.* 127. quia tunc utriuſque æqua ſors non extat. ¶ Ex quo fit quód, ſi aliunde alter contrahens certus ſit de lucro, alius verò incertus reſpectu illius, qui de lucro certus, pretium juſtum non erit, quia reſpectu illius non eſt lucrum in ſpe, ſed in re, cùm tamen ſit tantùm lucrum in ſpe reſpectu alterius. ¶ Et non eſt eadem ratio de eo, qui merces ſuas currenti pretio vendere poteſt, etiam ſi aliunde certó noverit mercium pretium brevi minuendum fore; quia hic non vendit pretio in ſpe, ſed in re; vendit enim pretio quod

de

de facto venditionis in tempore cuirit, æstimaturque justum in re, ille autem vendit, vel emit pretio in spe, ut dictum manet.

167 Dictum nuper: *Non est eadem ratio*, ad sciendum (ut sic id, quod dictum manet, clarius fiat) quòd ille, qui certò scit res inter paucos dies, etiam unum, minoris valituras esse sine ulla injustitiæ labe, res suas hodie vulgari, currentique pretio vendere potest. Similiter ille, qui scit pluris valituras, potest hodie currenti minori pretio emere, & hoc, etiam si sit Princeps ipse, qui merces taxavit, vel unus ex Consiliariis, qui pretium imposuerunt. (Dummodo ex industria promulgationem Legis non differant, ut ipsi cariùs res suas vendant, & modo non utantur fraudibus, ut si sciant futuram abundantiam, spargant per amicos fore penuriam, &c. quia quilibet habet jus, nè per fraudes decipiatur.) Ratio est: nam tunc tanti res venditur, & emitur, quanti tunc justè res ipsa valet, neque scientia scienti obesse potest; & ita cum multis *Lugo Disp. 26. num. 140. & 143. à Spiritu Sancto Decal. Tract. 10. Disp. 17. Sect. 7. Tambur. Decal. lib. 8. Tract. 3. cap. 7. §. 4. num. 21. legatur Diana sup. Resol. 96. 97. 99. 100. 101. 102. & 104.* Et notat *Tambur.* ac cum aliis *Diana cit. in locis* quòd, si quis scientem interroget an taxatio frumenti, vel valor monetæ augendus sit, aut minuendus? Negare potest æquivocatione, vel amphibologicè loquendo, docet & à Spiritu Sancto, legantur.

SUBLECTIO.

Ad maius complementum dictorum aliquot ad medium trahuntur dubitationes.

168 AMbigitur primò an una pecunia aurea vendi possit pro argentea, vel ærea, & aliquid ultra sortem ut pretium exigi? (posse nanque pecuniam auream, vel argenteam commodari, vel locari ad aliquos usus, putà ad ostentationem, ad infundendum in balneis, vel jusculo pro aliquo moderato pretio, tanquam certum ex Cajet. & Sylvestr. verb. *Usura*, ex Navar cap. 17. num. 226. ac ex aliis supponitur.) Unde ad dubium

169 Dicitur id licitè fieri posse in aliquibus casibus, ut nanque inquit *Dicastill. sup. Tract. 9. Disp. 3. Dub. 8.* id ex multis capitibus provenire potest. Primo, si materia usus pecuniæ in se magis valeat, quàm alterius, licèt in ratione pecuniæ valoris sint æquales, inæquales tamen ratione ponderis, aut quia una minus est defectibilis altera, ut aurum, quod difficiliùs corrumpitur, aut quia una est completa, & maioris ponderis, altera defectuosa vel ex origine sua, vel ex circumscissione, aut quia hæc est magis apta, magisque ad exportandum accommodata, quàm illa altera, aut ratione universalis distractionis, quia pluribus in locis, vel Regnis vulgari suo pretio distrahitur, non verò alia, quæ, si vendatur, in quantum res est, maiorem habet valorem, quàm erat legalis. Imò interdum nullum habebat in alia Natione, vel Regno, neque legalem, nec secundùm æstimationem communem; aut ratione periculi, cui plus subjacet ærea, vel argentea, quàm aurea, & una argentea, quàm alia: aut ratione commoditatis, & usûs, ut aurea, quæ apta est, ut in medicina apponatur, non verò argentea; vel quia est magis apta ad deaurandum, quàm altera. ¶ Secundo, si in tali materia valor ille vendenti ipsi maioris sit valoris, sibique magis charus, putà pecunia aurea, quæ magis æstimatur, & amatur ab ejus possessore, quàm argentea, vel ærea, ac magis illi valet. Unde, sicut equus, qui æstimatione communi centum valet, centum & decem vendi valet, si id valet vendenti. Ita in casu posito, & ita *cit. Dicastill.* cum aliis.

170 Secundò ambigitur hîc incidenter an pro nummis aureis simpliciter, sive generaliter datis debitor possit alterius generis nummos argenteos, æreosque, invito creditore, solvere; vel an aliquid pro alio, creditore invito, solvi valeat? Dubitationes istæ excitantur *à Diana, ubi sup. Resol. 105. & 106.* pro illisque duas sententias ponit, negativam unam, & affirmativam aliam, & cum multis contra multos affirmativam sententiam sequitur, dummodo in valore, ac æstimatione reddatur æquale, solùmque admittit peccatum adesse contra Charitatem in casu, quo per id contristationis, & iræ domino detur occasio, sciatque debitor id dominum ægrè laturum fore. Legatur Auctor. ¶ Et iterum ipse ibi Resol. 107. contra alios resolvit quòd ille, qui debet statuto tempore aliquid solvere, ante tale tempus, vel diem, creditore invito, solvere potest. ¶ Et *Resol. 108. contra Bonac.* ut quid sibi probabilius cum aliis asserit quòd, si Joannes Petro centum, putà nummos, post annum solvere teneretur, nunc que quinquaginta vult solvere, hoc pacto, ut Joannes per biennium alios quinquaginta spectet, in eo non committit usuram. Legatur & etiam Resol. 109.

171 Ambigitur tertiò an, si quis roget amicos in subhastatione, vel licitatione aliquid emere volentes, nè plus certa quantiate offerant ad hoc, ut ipse in pretio infimo emat, contra commutativam Justitiam peccet, & ad restitutionem aliquam teneatur? Negativè (contra Megalam) cum multis respondet, & probat *Diana sup. Resol. 73.*

172 Quar-

172 Quartó ambigitur quibus in casibus possit res cariùs vendi, quàm alioquin venderetur? Respondet cum multis *Diana sup. Resol. 77.* (qui legendus etiam *Resol. 66. 67. 69. & 70.*) id fieri posse primó ob multitudinem emptorum. ¶ Secundò ob affectum ad rem. ¶ Tertió ob lucrum cessans. ¶ Quartó ob periculum amittendi pretium rei, vel cum expensis illud recuperandi. ¶ Quintó ob revendendi modum. Additque quòd multoties res minoris emi potest, quàm alioquin emeretur. Primó ob multitudinem mercium, & raritatem emptorum. ¶ Secundò ob pecuniæ inopiam. ¶ Tertiò ob vendendi modum, dummodo res pretium taxatum non habeat. ¶ Quartò quando venditor rogat emptorem; quæ omnia jam ex suprà traditis constant.

173 Ambigitur quintó utrùm jura, sive debita, vel credita; aut librantiæ, vel chirographa extingui, vel emi minori pretio queant, non solùm à tertia persona, sed etiam ab ipsomet debitore? Casus iste maximè in Curiis quotidianus, ac frequentissimus est, solent enim plures, ut Milites, qui Regum sunt creditores, ob eorum servitia, & illi, qui Tenentia (vulgó *Tenças*) habent, sicut & alii, qui literas, vel librantias, jus, vel actiones adversùs alios tenent, ut ab illis certa credita, vel debita accipiant, dictas librantias, jus, & actiones vendere, easque ab aliis emi; quæritur an, & quando id licitè fieri ex parte ementium queat minori pretio, quam id, quod emitur, valet?

In hac re possumus loqui primó quando est debitum omnino liquidum, & certum, simul & facilis solutionis. ¶ Secundò quando non est omnino liquidum, ac certum, & si sit, est tamen solutionis difficilis ita, ut exactionis, saltem in communi, subesset periculum, metus & molestiarum, ac sumptuum in recuperatione rei debitæ, aut damnum emergens, lucrum vel cessans. ¶ Tertiò quando debitum est certum, & solutionis illius tota difficultas provenit ex culpa debitoris, vel illius, cui commissa est facultas solvendi, uti sunt publici quæstores, depositarii, Ministri Regii, quibus incumbit Regum pecunias recipere, & servare ad hoc, ut ex illis Regum creditoribus solvant, uti Militibus, Juristis, & similibus aliis, in his enim tribus casibus res hæc contingere valet. Et

174 De primo casu loquendo (nonque de ipso debitore, nam, ut aiunt Salmant. sup. P. 11. §. 3. num. 158. *vix aliquis datur asserens id posse fieri*) plures sunt, qui asserunt licitum esse cuilibet (qui non sit debitor) debitum certum liquidum, solutionisque facile, sive chirographum, vel librantiam liquidam, certam, solutionisque facilis, minoris, quàm valet emere solutione anticipata, seu pecuniâ de præsenti tradita; Ita *apud Salmant. sup. num. 159. Caietan. Innocent. Navar. Abbas, Sá, Rosella, Toletus, Armilla, Diana, Sanch.* aiuntque quòd probabilem eam judicant *Lugo, Bañes, Trullhench. Serra, & Malderus*; pro ea & stant insuper *apud Dianam Coordinat. tom. 6. Tract. 3. Resol. 80. fol. mihi 159. Faber, Panormitan. Petrus Ledesma, Fernandes, Philiarcus*, & alii ex citatis, quos omnes sequitur ipse *Diana* ibi dicens quòd *non solum post factum, sed etiam ante factum est approbanda.*

175 Sententiam contrariam tenent *apud citatum Dianam Reginald. Lessius, Turrianus, Azorius, Rebellus, Valentia, Salas, Sotus, Div. Antonin. Angelus, Sylvester, & Gabriel*, tenent & insuper *Salmant. sup. num. 160.* pro se adducentes *Palaum a Sancto Fausto, Lugonem, Prado, Bañes, Tapia, Villalob. Dicastill. Lessium*, & alios ex citatis.

176 Loquendo verò de secundo casu, quando nimirum literæ, seu librantiæ, sive chirographa, aut debita fuerint incerta, & si certa, periculosa, vel litigiosa sint, ac in eorum recuperatione, vel assequutione molestiarum, aut sumptuum metus, periculum vel adsit, sive damnum emergens, aut lucrum cessans, vel hujusmodi, tunc, casus, ut quid certum communiter dicitur licitum minoris emi posse à quolibet (distincto à debitore) juxta talium difficultatum proportionem. Et

Id verum habere dicitur, quantumvis emens facillimè sine ullo labore, & ullis expensis à Rege, vel ab eo, cui solvendum est creditum, aut chirographum, vel librantia, posset illud recuperare aut amicitiæ titulo, vel modo aliquo alio, & si hoc ante emptionem certissimè sciat, tum quia amicitia cum altero ei nocere non debet, tum quia valor rei non desumitur ex utilitate privata ementis, sed ex communi æstimatione, tum quia maior utilitas, quæ accrescit emptori ex ipsa re absque valore intrinseco illius sine damno venditoris sub venditione non intrat, vel cadit, ut tenet *Div. Thom. 22. Q. 77. Art. 1.* quæ doctrina est communis. Et ait *Lugo de Just. Disp. 26. num. 94.* quòd, sicut si tu equum indomitum, & ferocem, quem ea de causa alii emere recusant, vili pretio emas, sciens modum peculiarem domandi illum, ut utilissimus postea fit, justè emisti, quia in communi æstimatione non plus valebat, sed tuæ industriæ imputatur quòd nunc utilis fiat, factus vel sit; subindeque multò magis valeat, ita pariter in casu posito tuæ industriæ, & fortunæ lucrum illud imputatur. Unde

Ita tenent cum Villalob. Prado, Less. Serra, Tru-

Trulhench. Tapia, Molina, Bonac. Salas, & Lugone Salmant. legendi sup. num. 155. ac 156. ibi addentes quòd *tanta potest esse arduitas, difficultas, & incertitudo solutionis, ut possit in medio valore, vel etiam in quarta parte, ac minori emi*, tenet & cum Layman, ac citatis Diana sup. Resol. 81. ibi ex aliis dicens: *Cum ergo dicta chirographa creditori non valeant in totum ratione difficultatis, & exigue spei, quam creditor habet illa recuperandi, sequitur hujusmodi chirographa minoris emi posse*; & iterum infra: *Hæc chirographa cùm non habeant pretium Lege taxatum, illud est assignandum ex communi æstimatione, &c.* juxta quod, qualis fuerit communis currens æstimatio, tali pretio emi poterunt.

177 Denique de casu tertio loquendo, sub distinctione in resolvendo procedit̃ur, (*apud Lugonem, Less. Molin. & alios*) diciturque quod vel chirographum, aut debitum est liquidum, & solutionis difficultas provenit ex culpa debitoris, vel illius, qui tenetur solvere, qui, cùm facilè solvere posset vel sine molestiis, & sumptibus creditoris, non vult facere; aut non est liquidum, sed dubium, & solutionis difficultas ex debitoris culpa non provenit, sed solùm ex principiis, vel capitibus aliis, nempe ob impossibilitatem solvendi, vel ob litem, ex qua pendet, vel quia longissimè creditor distat, &c. si ex debitoris culpa provenit, dicitur quòd, licèt alii propter difficilem recuperationem illud minoris emere possent, nullatenus id ab ipso debitore fieri potest; cujus ea datur ratio: quia cæteri debitum illud in illo statu invenerunt, & in difficultate illa, in qua absolutè debitum minus æstimatur, cujus nec causæ fuerunt, nec eam auferre tenentur, & ideo justè minoris emunt, eo quòd in eo statu plus non valet, undecunque ad talem statum pervenerit. Debitor tamen est, vel fuit causa, ut ad statum illum, illam vel difficultatem res ipsa pervenerit, difficultatemque dictam tollere tenetur, seipsum promptum ad solvendum reddendo; quapropter, si centum debet, & nonaginta pro cento solvat, non solvit totum, quod debet, subindeque restituere tenetur illud, quod ad complendum centum restat. Si tamen debitum sit dubium, solutionisque difficultas ex debitoris culpa non proveniat, non apparet ratio, cur alius minoris emere possit, & non ipse debitor, nanque in statu illo, ad quem ex debitoris culpa non pervenit, non plus valet; unde pretio eo, quo in statu illo æstimatur ab aliis, & ab illis emi valet, abeodem debitore eodemmet pretio æstimari, eodemque ab ipso emi similiter poterit; quæ doctrina ad quemcunque alium debitorem extenditur, vel extendi valet. Legatur *Molina Disp.* 313. Unde

178 Ex doctrina hactenus à num. 172. tradita resolves, vel inferes primò cum *Lugone sup. num.* 102. *Molina sup. Reginald. lib.* 25. *num.* 313. *ac Dicastill. Tract.* 10. *Disp.* 2. *Dub.* 20. *n.* 414. minori pretio posse emi credita stipendia, seu salaria Militibus debita, quæ solent multas difficultates, tricas, & molestias secum in ipsis exigendis, & recuperandis afferre. Et idem est de nobilium famulis.

179 Secundò injustitiam committere, eique restitutioni obnoxios publicos quæstores, aliosque depositarios, & Regios Ministros, quibus incumbit Regum pecunias recipere, Regumque creditoribus solvere, quando illis non solvunt integra debita, sed ab eis ea minoris emunt, & ea integra postea recipiunt à Regibus, quia ipsi, vel Rex ægrè solvendo difficultatis solutionis illius re vera sunt causa. Legantur *Salmant. sup. num.* 158.

180 Tertiò injustitiæ peccato delinquere Ministros eos, qui aliquando amico, vel alteri suggerunt ut debita illa à creditoribus Regis minori pretio emat, quæ postea in integrum emptori solvuntur, inter eos illius emptionis lucro diviso, id enim ut iniquissimum, & injustum merito præcitati AA. condemnant. Lege infra *Tract. eod. cap.* 3. *Sect.* 3. *n.* 64.

181 Quartò iniquum, & omnino injustum esse, si ii quæstores, vel illi, quibus Regis, vel Principis, aliorum vel debita solvere incumbit, uni potiùs, quàm alteri solvant; & sic omnibus facienda est solutio pro rata, nisi fortè sit aliquis, cui jus prælationis competat. Et ita *Molina sup. & cum Salas Dicastill. num.* 429. qui notat quòd, si creditor (qui est debiti venditor, vel chirographi, aut librantiæ) sciat debitorem suum non esse solutum, non potest, aliis id ignorantibus, debitum, vel chirographum, aut librantiam vendere; tum propter dolum dantem causam contractui, tum propter notabile vitium intrinsecum, quod in eo credito, propter quod minus valet, adesse videtur, & tenet *Less. sup. cap.* 21. *Dub.* 10. *num.* 81.

182 Quintò licitè Mercatores à Rege emere posse partem commercii Indici, vel Brasilici ea lege, vel pacto, ut in partem pretii solvendi Regi pro conductione accipiant debita, quæ ipse Rex aliis creditoribus debet, & postea emere minori pretio debita ea Regia à creditoribus Regis, & ipsa integra à Rege recipere, ea computando in parte pretii conductionis Regi solvendi, modò Mercatores ipsi dilationis talium debitorum causa non extent. Ita (contra *Molinam, & Salas*) tenet *Lugo sup. num.* 103. & videtur supponere *Less. Dub.* 9. *num.* 75. tenet & *à Spiritu Sancto sup. Sect.* 10. *num.* 847. qui ibi cum *Tamburino, Caramuele, &*

Diana

Diana P. 9. Tract. 6. Resol. 24. contra Navar. etiam infert posse debitorem sic debito immaturo convenire cum creditore: *Debeo tibi centum post annum, do tibi nunc quinquaginta, & post duos, vel tres annos quinquaginta dabo*; quia vel hic intervenit veteris illius contractûs extinctio, aut celebratio novi contractûs, vel perseverat idem mutuum, sed in neutro casu datur usura: nam, si celebratur novus contractus, jam creditor accipit 50. & libere 50. mutuat per duos, vel tres annos, prout facere potest; si vero novus non datur contractus, novum onus subit uterque, creditor namque triennium pro solutione 50. expectat, & debitor ante debitum tempus 50. solvit; unde hic contractus mutui dari non videtur, sed intervenire innominatum contractum, nempe do gravamen meum, ut tu tuum gravamen praestes: ergo, &c. Sic ille circa illa dicta *n.* 172. legi etiam *Torrecilla* potest.

183 Sexto hic etiam ambigi potest an tempore magnæ sterilitatis, & inopiæ, frumenti, & aliarum rerum pragmatica servanda sit in conscientiæ foro, vel liceat dictas res vendere secundùm pretium commune, & vulgare? Variam DD. *apud Dianam dicto Tract.* 3. *Resol.* 86. omnino legendum, dicentibus aliis venditionem sub pœna peccati mortalis, & restitutionis onere juxta pragmaticam faciendam esse, ac id negantibus aliis, & asserentibus fieri licitè posse secundùm pretium commune, & vulgare. Legendus & est idem Auctor *Resol.* 88. 89. 101. *ac* 102.

LECTIO IX.

An semper teneatur venditor vitium mercis manifestare, & è contra emptor bonitatem rei emptæ, ac pretii dati creditari, sive venditori detegere?

184 VItium, quod circa rem vendendam contingere valet, potest esse vel circa substantiam rei, uti si stagnum æstimetur argentum, aut argentum habeatur pro auro, sive vitrum pro gemma, &c. vel potest esse circa quantitatem, uti si res venalis non sit legitimi ponderis, & mensuræ; aut potest esse circa qualitatem, uti si equus, vel bos sit aliquo vitio corporis, aut animi affectus, veluti si vendatur animal infirmum, ac si esset sanum, domum, aut prædium hypothecarium, quasi si liberum esset, &c. quæ omnia etiam ex parte emptoris contingere valent, uti si emptor advertat venditorem ignorare valorem rei vendibilis, pretiolam rem pro vili vendendo, vel integram, & sanam pro vitiosa, & infirma, &c. ac in omnibus his sensibus hic sermo erit.

185 Dicitur ergo primò quòd, si emptor cognoverit venditorem rei venalibilis ignorare valorem, vendendo putà rem pretiolam pro vili, tenetur re vera eum de errore monere, (& hoc etiam si circa hoc interrogatus ab ipso venditore non fuerit, maximè si viderit invincibili ignorantiâ eum laborare) si deceptus, vel error sit circa rei substantiam, alias nullus, & irritus erit contractus. Est expressum in Div. Thom. 22. Q. 77. Art. 2. in corp. ubi sic legimus: *Contingit enim quandoque venditorem credere rem suam esse minus pretiosam, quantum ad speciem, sicut si aliquis vendat auricalchi, & tunc emptor, si id cognoscat, injustè emit, & ad restitutionem tenetur. Et eadem ratio est de defectu qualitatis, ac quantitatis.* Et

Resolutionis datæ hæc est ratio: quia hujusmodi contractui deest sufficiens voluntarium ad obligandum contrahentem, & ad transferendum dominium rei in alterum; ubi enim ipsa contractûs substantia voluntaria non est, nec contractus est voluntarius; sed, deficiente voluntate in contractu, contractus est nullus: ergo, &c. Sed

186 Adnotatur quòd quando rei vitium à venditore ignoratur invincibiliter, tunc venditor non tenetur ad damna ex eo emptori sequuta, illum enim talis ignorantia excusat; secus verò, si non ignoretur, vel si ignorantia vincibilis fuerit; id quod clarè constat *ex L. Julianus, ff. de action. empti, & venditi*, ubi sic legitur: *Qui pecus morbosum, aut tignum vitiosum vendidit, si quidem ignorans fecit, id tantum exemplo actionem præstitutum, quanti minoris esset emturus, si id ita esse sciviſſet; si vero sciens reticuit, & emptorem decepit, omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit, præstiturum ei.* Ex qua Lege etiam habetur quod, si venditor rei vitium ignoret, & nihilominus affirmet rem nullum habere vitium, tenetur ad damna ex tali venditione sequuta: *Quia non debuit facilè quæ ignorabat asseverare.*

187 Secundò dicitur quòd in casu, quo venditor ignorans rei substantiam venderet, licèt tunc non peccaret, teneretur tamen vel contractum rescindere, aut pretii excessum reddere emptori, si extet, vel id, in quo factus sit ditior. ¶ Et eodem modo emptor tenetur rei bonitatem venditori manifestare, si eam ipse ignoret, uti si gemmam pro vitro emeret, cognoscens non vitrum, sed gemmam esse, quod venditor ignorabat, vel si venditor merces vitiosas esse putet, quas venditor sanas, & integras esse cognoscit, aut si putet earum pretium esse decem, cùm emptor cognoscat triginta esse. Emptor tamen, dolo sublato, vel si positivè vitium rei falsò non imponat, vel à venditore de bonitate, & rei valore non interroge-

tur, satisfacere dicitur, si pretium infimum intra latitudinem justi pro re tali præstet, quia sic à pretio justi non descendit, & ita *Salmant. sup. num.* 171. Et

188 Addunt *Salmant. ibid.* quòd, si venditor, & emptor rei valorem ignorent, ac uterque casui, vel fortunæ se committat, ut cuique contigerit lucrum, vel damnum, possit unus rem vendere quanti magis poterit, & alius emere quanti minus, quin teneantur postea, veritate cognita, sibi invicem restituere, quia ex modo illo contrahendi, sibi invicem donare censentur. Num. autem 172. ex aliis resolvunt non esse in conscientia tutum, nec ab onere restitutionis immunem eum, qui emeret pro stanno id, quod verè est argentum, & ita cognosceret; vel ob venditoris ignorantiam id, quod cognosceret maioris esse valoris, in valore infimo emeret, estò emptor à venditore interroget an sibi id, quod res amplius valeat, condonare velit, & venditor annuat: quia talis donatio, cùm procedat ex ignorantia valoris rei venditæ, vel ignorantia repetendi maius pretium est simulata, & ficta, aut non voluntaria, consequenterque non est vera donatio, nec conscientiam donatarii exonerat, sicut si mihi rusticus gemmam donaret, putans esse vitrum.

189 Dicitur tertiò quòd, si deceptio sit circa quantitatem, uti si mensurâ, pondere vel fallaci res venderetur, tunc abs dubio venditor restituere tenetur omne id, in quo deceptio fuit facta, id quod jam constat ex dictis de Furto, docet communis, estque in Div. Thom. expressum ubi sup. *Alius autem defectus est* (ait) *secundum quantitatem, quæ per mensuram cognoscitur, & ideo si quis scienter utatur deficiente mensurâ in vendendo fraudem committit, & illicita est venditio; unde dicitur Lib. Deut. c. 25. num.* 13. *Non habebis in sacculo diversa pondera, maius, & minus; nec erit in domo tua modius maior, & minor*; & postea subditur; *abominatur enim Dominus tuus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.* Hæc ibi Sanctissimus Doctor.

190 Utrùm autem à peccato, & à restitutionis onere excusetur ille, qui diminuta utitur mensurâ, ut justum rei pretium consequatur, aliàs non consequuturus; vel quia pretium intra valorem rei taxatum non fuit ob imperitiam, aut Judicis iniquitatem, vel ob Monopolium mentium, inter se convenientium, nè justum pretium offeram? Respondetur affirmativè; quia talis iste jure suo utitur, vexationem suam redimens, & detrahens id, quod suum est, compensatione occulta, atque adeò, si res, quæ valeret putà centum, pro quinquaginta est taxata, dimidium mensuræ partem auferre valebis; quia sic dimidia pars, quæ tibi de justo pretio detrahitur, recompensatur. Sic *Lugo Disp. 26. Sect. 8. num. 125. Dicastill. Tract. 9. lib. 2. Disp. 4. num. 57.* cum quibus, & aliis *Salmant. sup. n. 175.*

191 Quarto dicitur quòd, si vitium rei sit circa qualitatem, occultumque fuerit, & ita, ut aliquod notabile damnum emptori causare posset; vel quia ea res non esset emptori usui apta, uti si una medicina venderetur pro alia, quæ ad eum effectum, ad quem ab emptore esset petita, utilis, & apta non esset, aut quia res alias emptoris inficeret, uti si infecta pro sana venderetur ovis, &c. tunc, casus, manifestum est venditorem, etiam non requisitum, vendibilis rei vitium manifestare emptori teneri. ¶ Imò manifestare teneri vitium, quodcunque sit illud, licèt rem reddat mutilem non notabiliter, neque sequuturum damnum timeatur ullum, quando ab emptore interrogatur ita, ut, si cognito vitio, emptor rem non emisset, contractus tunc esset nullus; sed si esset empturus, minori tamen pretio, teneretur venditor de excessu pretii supra infimum justi; si verò empturus esset & eodem pretio, tunc contractus validus foret, & ad nihil venditor teneretur. Et

Ratio primi est: quia venditor ab emptore interrogatus rei vitium ex officio manifestare tenetur, unde non manifestando, dolo agit contra emptorem, juxta illud Divi Ambrosii lib. 1. de Officiis: *In contractibus vitia eorum, quæ veneunt, prodi jubentur, ac nisi intimaverit venditor, quanvis in jus emptoris transierint, doli actione evacuantur.* Ratio secundi est: quia tali casu venditor solùm peccasset committendo dolum, dum interrogatus vitium rei non manifestasset, non tamen plus accipiendo, cùm, ut supponitur, eodem pretio emptor rem fuisset empturus, licèt vitium cognovisset. Sed circa rem dictam necessariò audiendus est Div. Thom. dicta Q. 77. Art. 2. in corp. ubi sic.

192 *Tertius defectus est ex parte qualitatis, puta si aliquod animal infirmum vendat, quasi sanum, quod si quis scienter fecerit, fraudem committit in venditione. Unde est illicita venditio, & in omnibus talibus non solum aliquis peccat injustam venditionem faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur. Si verò, eo ignorante, aliquis prædictorum defectus in re vendita fuerit, venditor quidem non peccat, quia facit injustum materialiter, nec ejus operatio est injusta; tenetur tamen, cùm ad ejus notitiam pervenerit, damnum recompensare emptori. Et quod dictum est de venditore, etiam intelligendum est ex parte emptoris.* Et iterum ibid. Art. 2. in corp. (legendus etiam Quodlibet. 2. Art. 10. in corp.) *Unde, si hujusmodi vitia sint occulta, &*

ipse

ipſe non detegat, erit illicita, & doloſa venditio, & tenetur venditor ad damni recompenſationem; ac rurſus ibid. *Singulariter eſt dicendum vitium rei ei, qui ad emendum accedit, qui poteſt ſimul omnes conditiones ad invicem comparare, bonas, & malas. Nihil enim prohibet rem in aliquo vitioſam in multis aliis utilem eſſe.* Hæc omnia ad rem noſtram fulgentiſſimus Sol Scholarum, per quæ totum præjactum aſſumptum firmatur.

193 Dicitur quintò quòd, ſi venditor contractum celebrans dixit ſe nolle de occulto vitio teneri, quod verè ignorabat, in neutro foro de eo tenetur, ſi pretium eſt æquale; etiam ſi poſtea vitium appareat, quia vitium, vel tale periculum jam a ſe projecit, & emptor illud in ſe ſuſcepit, periculi æſtimatione compenſata in pretio. Dictum eſt *quod vere ignorabat*: nam, ſi venditor vitium, vel periculum aliàs occultum bene noverat, licèt dicat ſe nolle de vitiis occultis teneri; imò licet dicat: *Vendo tibi hunc, puta equum pro cæco, claudo, furioſo, & omnibus vitiis affectum*, ab obligatione reſtituendi non liberatur, licèt inter alia vitia falſa verum illud dinumeret, cum quo res reperitur affecta, quando ex ipſo modo reſpondendi, vel loquendi magis occultatur vitium verum, cum illis, quæ emptor videt eſſe manifeſtè falſa, quia hic doloſè in tali loquendi modo procedit. Et hac de cauſa in *L. Si quæro, ff. de actionib. empti* datur actio contra venditorem, qui vendit agrum affectum ſervitute ſibi cognita, ſed in contractu non expreſſa, quanvis venditor expreſsè dixerit ſe de ſervitutibus, ſi quas ager habet, nolle teneri.

194 Quòd ſi res empta abſolutè non ſit inutilis, ſed tantùm inutilis ſit ad finem ab emptore intentum, & finis ſit extraordinarius, tunc, caſus, ſi venditor interrogatus non eſt, merceſque apertè exponit, earum vitia arte aliqua non occultando, poteſt, detrahendo de pretio quantum tale vitium æſtimatur, vitium illud celare, & rem aliàs inutilem ad finem particularem emptoris vendere, ſi ad fines communiter occurrentes, & ad quos res vendi ſolet, ſit apta. Non enim tenetur venditor omnes fines particulares emptoris inveſtigare, nec expectare, ſed ſolùm rem ſimpliciter ſanam, & utilem conferre, pretium cum re vendita æquando. ¶ Si tamen ex circunſtantia perſonæ, & modo emendi appareat emptorem ad talem finem rem emere, tunc tenebitur venditor vitium manifeſtare, ob quod res illa ad talem finem inutilis ſit; quia, licèt venditor extraordinarias emptoris intentiones expectare non debeat, bene tamen communes, ac frequentes, & ſecundùm illas rem vendere debet; aliàs cogeretur emptor vel pretium amittere, ſive alium emptorem quærere, ac interim uſu rei privaretur, pro qua numiſmata ſolvit, niſi rem de facili poſſet alteri uſui accommodare, vel æquali vendere pretio. Sed circa hoc vide *Salmant. ſup. n.* 169. & præcipuè *Lugonem ſup. n.* 134. & hinc ſequentem caſum.

195 Reſolves quòd Mercator ille, qui merces ſuas propter vitium occultum viliùs juſto pretio vendit, contra Juſtitiam peccat, ſaltem contra alios Mercatores, qui meliores ſuas merces vitio carentes coguntur etiam viliùs vendere, eo quod hic deſcendit in pretio, ex quo omnes ad illum recurrunt; ſi frequenter ita vendat, ut ratione illius deceptionis pretium communis fori mutetur, ſecus autem, ſi ex occaſione illa commune fori pretium non minuatur, cujus ea datur ratio: quia in priori caſu per fraudem abduxit, & removit emptores, ne ab aliis emerent merces, & Mercatores alii jus habent, nè per vim, & fraudem ab eis removeantur emptores. Ex hoc tamen non credo (ait *Lugo*) condemnandos eſſe eos, qui artificioſè conantur quòd merces ſuæ meliores appareant mercibus aliorum; hoc enim omnes faciunt, neque ibi eſt doſus implicitus, cùm ipſi non tacitè, nec explicitè dicant meliores eſſe. Legatur *a Spiritu Sancto ſup. Sect.* 14. *per totam, Bonac. de Contract. Diſp.* 3. *Q.* 2. *P.* 6. *Dicaſtill. lib.* 2. *Tract.* 9. *Diſp.* 4.

196 Sextò dicitur quòd, ſi vitium rei occultum non fuerit, ſed patens, ac manifeſtum; tunc fas venditori erit rei venalis vitium non manifeſtare, ſi res non pluris, quàm cum vitio valet, vendatur; tum quia ſic docet Div. Thom. dicta Q. 77. Art. 3. in corp. ubi ſic legitur: *Si verò vitium ſit manifeſtum, puta ſi equus ſit monoculus, vel cum uſus rei, & ſi non competat venditori, poteſt tamen eſſe conveniens aliis, & ſi ipſe propter hujuſmodi ſubtrahat, quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifeſtandum vitium rei, quia fortè propter hujuſmodi vitium emptor vellet plus ſubtrahi de pretio, quam eſſet ſubtrahendum; unde poteſt licitè venditor indemnitati ſuæ conſulere, vitium rei reticendo.* Tum quia ita habetur *in L.* 1. *ff. de Ædili, & Edicto*, ubi ſic: *Si intelligatur vitium, morbuſve mancipii, ut plerumque ſignis quibuſcunque demonſtrari ſolent vitia, poteſt dici edictum ceſſare, hoc enim invendum eſt, nè emptor decipiatur.* Tum quia ſibi debet imputare emptor, quòd rem vitioſam emerit, cùm facilè ejus vitium cognoſcere poſſet. ¶ Attamen, ſi venditori conſtaret emptorem non potuiſſe vitium illud cognoſcere ob ejus imperitiam, & ruſticitatem, (id, quod non eſt præſumendum, niſi conſtet, cùm omnes, quanvis ruſtici, rem, quam emunt, prius accuratè examinent) tenetur in conſcientiæ foro vitium manifeſtare non minus, ac ſi prorſus occultum eſſet, quia reſpectu

respectu illius emptoris idem est, ac si esset occultum. *Lugo sup. Sect.* 8. *num.* 130. *Dicastill. Tract.* 9. *Disp.* 4. *num.* 2. *Salmant. num.* 176. Et ex hactenus dictis, ac ex adductis 3. *P. Tract.* 17. *cap.* 1. *Lectione* 3. plures casus, qui hic adduci poterant, facillimo negotio resolvi poterunt.

CAPUT III.

De Mutuo, & Usura.

Licèt Mutuum sine Usura dari possit, sæpeque numero sine ea detur, minimè tamen usura absque mutuo. Est enim multories res mutuata usuræ radix, fundamentum, & basis, Div. Thom. nanque Q. 13. de Malo, Art. 4. in corp de Usura loquens sic dicit: *Usura dicitur ab usu eo, scilicet, quòd pro usu pecuniæ pretium quoddam accipitur, quasi ipse usus pecuniæ mutuatæ vendatur.* Unde, cum de Usura præcipuus hic sermo erit, (circa contractum mutui nanque parva, nulla vel difficultas specialis se offert) usuræque fundamentum sit mutuum, idcirco de Mutuo mentionem hic facimus, utrumque contractum vocamus ad unum. Sit ergo

LECTIO I.

Quid sit Mutuum, & quinam ex Mutuo obligari valeant?

1 *Mutuum*, quod idem, ac quasi *ex meo tuum fieri dicitur*, quatenus id, quod est meum, per mutuum tuum efficitur) sic potest describi, dicendo quod *est traditio rei quo ad dominium sub obligatione postmodum similem in specie reddendi.* In qua descriptione ly *Traditio* loco generis ponitur, in hoc enim convenit Mutuum cum contractibus aliis, qui rei traditione perficiuntur, sicut commodatum, pignus, hypotheca, depositum, & locatum, ad distinctionem emptionis, & venditionis, &c. qui solis verbis, & consentu complentur. ¶ Ly *quo ad dominium* denotat quòd res statim, ac est mutuata, seu mutuò accepta, ejus dominium in mutuatarium transit; unde fit quód, si pereat, quocunque modo pereat, etiam fortuito, mutuatario, nonque mutuanti perit, & idem, si fructificet.

2 Et ly *sub obligatione postmodum* dicit quòd, licèt mutuatarius ad solvendum id, quod mutuò accepit, statim maneat adstrictus, non tamen solvere tenetur statim, aliàs mutuum non esset, sed permutatio; tenebitur veró, si terminus sit præfixus, illo transacto solvere: (non veró antea, quanvis possit, si velit) aliter erit morosus detentor, & ad lucrum cessans, & ad damnum emergens ex dilatata solutione tenebitur, & hoc, licèt debitum petitum non fuerit; dies nanque præfixus, vel determinatus clamat, sufficienterque pro solutione interpellat; prout notat *Rebell.* 2. *P. lib.* 8. *Q.* 1. *Sect.* 1. *n.* 11.

3 Aît, si solutionis terminus, vel dies præfixus non fuerit, tunc mutuatarius reddere tenebitur, quoties à mutuante pro solutione interpellatus fuerit, aliter erit morosus detentor, vel debitor. Et etiam non petitus mutuum reddere tenetur, si ob oblivionem, ignorantiam, distantiam, reverentiam, &c. mutuum non petatur. Sed si mutuans mutuum, cùm possit, non petat, dilationem indulgere tunc, casus, censetur. Non debet tamen interpellari solutio, nisi aliquibus diebus tractis, naturâ rei, personâ, & usu, ad quem mutuum accipitur, semper inspectis. Rursus *sub obligatione* dicitur, ad denotandum quod à donatione, & ab aliis gratuitis contractibus differt; quibus aliquid reddendi, sicut in Mutuo, nullatenus obligatio subest.

4 Præterea dicitur: *Similem in specie reddendi*, quia id contractûs mutui expostulat ipsa natura, scilicet ut res ejusdem rationis, & qualitatis reddatur, uti pecunia pro pecunia, triticum pro tritico, vinum pro vino, &c. quapropter, si vinum pro tritico, vel pecuniam pro vino, aut è contrà solvere mutuatarius deberet, jam talis contractus non mutuum, sed permutatio, vel venditio, & emptio esset; quare mutuatarius similem rem reddere debet, non solùm secundùm speciem, sed etiam secundùm quantitatem, & bonitatem rei mutuatæ; ex quo fit quòd ille, qui vetus vinum mutuò accepit, non satisfacit, si vinum novum solvat, vel si pro optimo tritico deterius, vel vilius solvat, &c. quia, licèt speciei sint ejusdem, non tamen bonitatis ejusdem. *L.* 3. *ff. Si certum petatur.*

5 Sed, licèt de ratione mutui sit, quod res similis in specie reddatur, hoc non tollit quód mutuatarius satisfaciat, si rem eandemmet numero reddat, ad hoc tamen non obligatur, nec obligari valet, aliàs non esset mutuum, sed contractus commodati, locationis, & depositi.

6 Nota tamen posse verè mutuum dari, estò id, quod datur mutuó, usu non consumatur, neque in pondere, numero, & mensura propriè consistat; (ut multi perperam volunt) unde verè mutuum dabitur, & erit, si quis bovem, aut arietem ab amico petierit, ei alium similem postea redditurus; & idem est, si tot auri, aut argenti pondera ab amico petierit ad artefactum conficiendum, postea æqualia pondera ejusdem materiæ restituturus, & idem omnino,

omnino, si ligna, vel lapides petat ad domum construendam, restituturus postea æqualem quantitatem ejusdem materiæ, ipsiusque bonitatis, ut tenet *Molina tom. 2. de Just. Disp.* 299. esto *Less. lib. 2. cap. 20. num. 4.* contrarium teneat.

7 Nota deinde quòd in pecunia non tam debet attendi species physica, & materialis auri, & argenti, quàm formalis valoris; quare in qualibet alia pecunia ejusdem valoris solvi potest, secluso pacto, atque adeò sive pretium monetæ accrescat, vel decrescat, non propterea magis, aut minus restituendum, vel solvendum est, sed tantundem, quantum accepit, & idem omnino dicendum de tritico, &c. qui enim 10. tritici modios mutuò accepit, decem tritici modios solvere tenetur, sive tritici pretium excreverit, vel decreverit, semper tamen secluso pacto; potest enim licitè dari pactum, ut sive frumenti pretium crescat, aut non, totidem mensuræ reddantur, vel si frumenti valor decrescat, reddatur quantum æquivalet valori frumenti, qui est tempore, quo mutuans mutuat illud, non tamen ut reddatur, quantum æquivalet frumenti valori, qui erit tempore, quo mutuatarius reddit, nisi alius titulus adsit lucri cessantis, vel damni emergentis, quia dominus solùm mutuare valet secundùm valorem existentem, cujus tantummodo dominium habet. Et ita cum *Tambur. à Spiritu Sancto Tract. 10. Disp. 15. Sect. 1. n. 573.* & alii.

8 Ulteriùs nota Mutuum aliud esse expressum, seu formale, aliud tacitum, aut virtuale. Mutuum formale, & expressum dicitur, quando quis actualiter alteri pecuniam tradit. Tacitum, seu virtuale dicitur, quando contractibus aliis virtute clauditur, qua de causa mutuum palliatum solet appellari, & tunc contingit, quando quis rem alteri vendit, expectata pecuniâ, seu dilatione ad solvendum concessa, tunc enim censetur mutuare virtualiter pretium emptori usque ad terminum præfixum. *Molina Disp.* 313. Ex dictis aliqui casus deduci poterant, sed legendi sunt *Dicastill. lib. 2. Tract. 10. Disp. 1. Dub. 1. à num. 17. & Bonac. Disp. 3. Q. 2. P. 1.*

9 Si secundùm secundam Partem tituli Lectionis istius loquamur, dicitur quòd omnes, qui secundùm Jus naturæ contrahere possunt, (de quo jam de Contractibus in genere dictum manet) mutuum dare, & accipere valent, nisi aliquod Juris privilegium eis sit concessum, ut in certis casibus non obligentur, vel obligationem exceptione elidere possint, prout filiofamilias, Ecclesiæ, vel oppido, aut loco pio, Civitatibus, minoribus, & pupillis extat concessum. Unde, nisi mutuans probet mutuatam pecuniam in utilitatem Ecclesiæ, Civitatis, &c. fuisse conversam, non tenetur Ecclesia, Civitas, &c. illam restituere, vel solvere: *L. Civitas, ff. Si certum petatur*, & aliis. Item si filiusfamilias absque patris consensu mutuum accepit, restituere non tenetur; potest enim opponere Exceptionem *Senatûs consulti Macedoniani.*

10 Cæterùm aliqui dantur casus, in quibus, Macedoniana non obstante, filiusfamilias reddere tenetur illud, quod mutuò accepit. Prim. si juramentum adsit; tunc enim saltem post mortem patris reddere tenetur, cùm absque peccato valeat impleri; habet tamen actionem ad petendum datum, & simul juramenti relaxationem. ¶ Secund. habent bona castrensia, aut quasi castrensia. ¶ Tert. si mutuum non sit in pecunia, sed in aliis rebus, ut in vino, oleo, &c. quia Lex de pecuniæ mutuo alloquitur, & cùm sit pœnalis, ac ideo odiosa, non ampliari, sed potiùs restringi debet; sed hoc dummodo in fraudem Legis non fiat, ut scilicet ex talibus rebus postea dicti filii pecunias reciperent. ¶ Quart. si filius sui juris credatur, cùm æquum non sit ignoranti creditori præjudicare. ¶ Quint. si mutuum in patris utilitatem fuerit conversum, quia tunc illius tacitus consensus adesse censetur. ¶ Sext. si pater pecuniam mutuò à filiis acceptam solitus fuisset solvere; quia etiam tunc patrem mutuo consentire præsumitur. ¶ Septim. quando filius mutuò ea accepit, quæ ei pater donaturus erat, & ad id tenebatur, uti si aliquid filius mutuò accepit ad emendos libros causâ studendi, vel ad emendum victum, & vestitum, &c. & hoc licèt invitis parentibus mutuum datum esset, quia in his casibus irrationabiliter inviti parentes dicuntur. Et idem, si filius jussu, aut consensu patris, vel eo sciente, nonque contradicente, mutuum accepit. ¶ Octav. quando filii Milites tempore belli mutuum acceperunt. ¶ Non. quando filii post parentum mortem mutuum approbaverunt. ¶ Decim. tandem, quando mutuum apud filios in propria specie, vel in æquivalenti, aut virtute (quia videlicet ex eo facti sunt ditiores) perseverat; sed tunc non obligantur ex vi contractûs, sed ex re accepta. Circa hæc legantur *Bonac. sup. Dicastill. sup. Dub. 3. Molina Disp. 301. Lugo Disp. 21. Sect. 1. à Spiritu Sancto sup. Disp. 15. Sect. 1. ac Salmant. de Contract. cap. 3. Punct. 1.*

11 Hic tamen notandum quod *Rebel. lib. 8. Q. 2. Sect. 2. num. 16. Covarrub. ad Regul. peccatum, P. 2. §. 3. num. 4. Reginald. lib. 25. num. 155.* & alii asserunt filiosfamilias adhuc nihil de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus habentes obligatos esse statim, ac habuerint opportunitatem solvendi mutuum, solvere; quia, licèt Lex civilem obligationem tollat,

tollat, naturalem tamen obligationem non aufert, & hanc partem sequitur *Bonac. Disp. 3. Q. 2. P. 1. Dicastill. sup. num. 47.* sed alii ut quid probabilius oppositum judicant: quia aliter, si obligati essent, Legis finis non salvaretur, & ratione delicti bene potest Lex quemlibet suis privare bonis, eaque alteri applicare, cujus sententiæ est *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 31. n. 22.* sunt & alii.

12 Utrùm autem filiusfamilias privilegio Legis Macedonianæ renuntiare valeat, ut solvere teneatur? Negativè respondetur, quia privilegium hoc filiisfamilias non fuit concessum, sed potiùs eorum parentibus, uti colligitur *ex L. Tamen si, ff. ad Macedonian.* & ostendit *Gomes tom. 2. cap. 6.* & nemo potest privilegio concesso in alterius favorem renuntiare, sive cedere. Legantur *Salmant. ubi sup.* Et de Mutuo adhuc aliquid amplius ex dicendis de Usura constabit.

LECTIO II.

Quid, & quotuplex sit Usura, an licita, quoque Jure prohibita sit?

13 MAgister Angelicus Q. 13. de Malo, Art. 4. in corp. de Usura loquendo, dicit quòd *Usura dicitur ab usu, eo scilicet, quòd prousu pecuniæ pretium quoddam accipitur, quasi ipse usus pecuniæ mutuatæ vendatur*; & hinc definitio, sive descriptio Usuræ desumitur, diciturque quòd *Usura est lucrum immediatè ex mutuo proveniens.* Et dicitur *lucrum*, per quod intelligitur omne temporale æstimabile pretio, ut pecunia, munus, obsequium, & hujusmodi, quod sit acquisitio rei supra sortem pretio æstimabilis, & indebitæ. *Immediatè* dicitur, quia si non immediatè ex mutuo, vel ex vi pacti expressi, aut taciti, sed solùm ex amicitia, vel gratitudine proveniat, usura non erit. Dicitur *ex mutuo proveniens*, utique tanquam debitum ex justitia, cùm debitum non sit. Nam, si aliunde proveniat, etiam injustè non erit usura. Unde tunc maximè propriè usura committitur, quando mutuat quis, putà *centum*, & pro re mutuata *centum* decem putà accipit, in quo casu decem aliàs indebitum supra sortem recipit.

14 Usura alia est *expressa*, & alia *tacita*, sive *palliata*. Et *expressa* est, quando datur pactum expressum de lucro solvendo. *Tacita* autem, sive *palliata* est pactum tacitum de lucro; verbi causâ solet Petrus mutuare cum usuris, & modò mutuans Paulo, ait illi: *Tu bene scis consuetudinem meam in mutuando.* ¶ Deinde Usura alia est realis, quando nimirum datur pactum reale, sive explicitum, vel implicitum reddendi aliquid ultra sortem. ¶ Alia est mentalis, quæ tunc contingit, quando mutuans intendit aliquid supra sortem exigere, & accipere, licèt intrinsecum nullum pactum apponat, uti quando ideo mutuat, quia scit mutuatarium esse aliquid supra sortem daturum ex timore, nè in necessitate consimili alia ei denegetur mutuum. Unde sperare aliquid ex mutuo, tanquam debitum ex rigore justitiæ, usura est; secus si ex gratitudine, amicitia, &c. Et hoc est, quod Urbanus III *cap. Consuluit*, tit. de Usuris dicit, nempe: *Qui mutuat, alias non mutuum daturus eo proposito, ut licèt omni conventione cessante, plus tamen forte recipiat, pro hujusmodi lucri intentione, quam habet, judicandus est male agere.*

Pro reque hac plurimùm facit Divi Thomæ doctrina 22. Q. 78. Art. 1. ad 4. ibi: *Quod homo lucrum de mutuo non quærat, hoc cadit sub rationem præcepti.* Et ibid. Art. 2. in corp. (legendus etiam cit. Art. 4. de Malo ad 3. & 10.) *Si verò accipiat aliquid hujusmodi, non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita, vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat, quia etiam antequam pecuniam mutuasset licitè poterat aliquod donum gratis accipere, nec pejoris conditionis efficitur per hoc, quod mutuavit. Recompensationem verò eorum, quæ pecuniâ non mensurantur, licèt mutuò exigere, putà benevolentiam, & amorem ejus, cui mutuavit, vel aliquid hujusmodi.*

15 Ad cognoscendum autem usurarium animum sequentem (*ex N. à Spiritu Sancto ubi sup. num. 578.*) regulam accipe, nempe, quòd semper quod mutuator speravit, vel accepit lucrum ex liberalitate, aut gratitudine mutuatarii tantummodo, sibique persuadet eo animo mutuatarium dedisse, non est damnandus peccati usuræ; secus, si mutuator intendit, vel accepit lucrum, tanquam pretium, vel ut debitum ex justitia pro mutuo. Et hoc illud est, quod ex Magistro Angelico nuper dicebamus.

Quòd si mutuator ex liberalitate accipiat, mutuatarius verò det ut pretium, tunc, casus, si ex parte mutuantis ignorantia detur, ea durante, non tenebitur restituere, illa tamen sublata, tenebitur totum acceptum, si extet, vel si non extet, id, in quo factus sit ditior, restituere. ¶ At si mutuatarius liberè ex gratitudine dedit, mutuator verò tanquam debitum ex justitia accepit, tunc mutuator usurarius fuit ex conscientia erronea, & ea durante, restituere tenetur; verùm, si veritatem cognoverit, retinere poterit acceptum; imò & repetere, si dedit. ¶ Si mutuator autem de mutuatarii animo dubitet, an scilicet ex liberalitate, vel ex obligatione tanquam pretium dederit, condemnandus est usuræ, quia vel injustitiam exercuit, aut periculo illius exercendæ se exposuit.

fuit. ¶ Tandem si de animo dantis non constat, regula ex qualitate ipsius tradentis, vel dantis desumenda venit: nam, si tradens sponte tradat absque prævio pacto, & animo, fronte vel hilari, præsumendus est liberaliter tradere, cùm tunc ad ita credendum moralis certitudo adsit. E contrà vero, si mutuatarius sit pauper, parcus, avarus, si molestiam præferat, si conqueratur dum cum amicis alloquitur, si pactum præcessit. Sic in substantia apud illum. Legantur *Less. lib. 2. cap. 20. Dub. 2. num. 42. Filiucius Tract. 34. cap. 2. num. 27. Dicastill. lib. 2. Tract. 10. Disp. 3. Dub. 1. ac Salmant. sup. P. 4. per totum.*

16 Usuram ex se semper, & omni Jure illicitam esse, nunquamque honestabilem, quid constans est apud DD. reliqua tenenda, tanquam de fide, constat enim hoc *ex Clementina unica §. ult. de Usuris*, ubi sic dicitur: *Si quis in illum errorem inciderit, vel pertinaciter affirmare præsumat exercere usuram non esse peccatum, decernimus eum velut hæreticum esse puniendum*; constatque ex multis à nobis alibi adductis, ac *à Salmant. sup. P. 2. & 3.* constat etiam ex *Div. Thom.* qui omnino legendus 22. *Q. 78. Art. 1. & Q. 13. de Malo, Art. 4. & Quodlibet. 3. Art. 19. & in 3. Dist. 39. Art. 6.* Et

Ratione probatur: quia nullus adest titulus, nec dari potest, ratione cujus mutuator aliquid supra sortem accipere possit: ergo, &c. Probatur antecedens; tum quia non potest recipere illud, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, nam contrarium extat damnatum ab Innocent. XI. quatenus sequentem (quæ est 42. in ordine) Propositionem damnationis fulmine à Mundo exterminavit, ita dicentem: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur, tanquam ex justitia debitum.*

Tum, quia illud accipere nequit ex eo, quòd se obliget ad non repetendum principale usque ad certum tempus, nam hoc etiam damnavit Alexander VII. in Propositi. sequenti (quæ est 42.) ita dicente: *Licitum est mutuanti aliquid petere supra sortem mutui, si obligatur non petere principale usque ad certum tempus.*

Tum, quia illud exigere nequit ex eo, quód numerata pecunia pretiosior sit numeranda, id quod dicebat Propositio sequens: *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario accipere, & eo titulo ab usura excusari*, quam quidem damnavit Innocent. XI. & est 41. in ordine.

Tum, quia non potest illud exigere ratione rei mutuatæ, quia sufficienter mutuatarius satisfacit reddendo tantundem; nec ratione usûs, hoc enim esset pro re non sua pretium accipere: quia, cùm per mutuum transferatur dominium in mutuatarium, acciperet postea mutuator pretium ex dicto usûs dominio, quod non est ipsius, subindeque usuram committeret, de quo *Less. sup. Dub. 4. num. 26.* vel quia usus in rebus usu consumptibilibus à pleno dominio, seu à re ipsa nullatenus differt: nam juxta Div. Thom. cit. Art. 1. *in talibus non debet seorsum computari usus rei a re ipsa, sed cuicunque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res, & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium, &c.* non ergo pro eo distinctum pretium exigi valet. Legantur *Salmant. sup. à num. 20.*

Tum, quia mutuator aliquid supra sortem recipere nequit ratione utilitatis mutuatarii. Ratio est: quia, sicut venditor aliquid supra justum pretium rei recipere nequit, eo quòd emptor ex ea utilitatem recipiat, uti ex dictis de Emptione, & Vendit liquet, ita similiter mutuator nihil supra sortem accipere valet, ex eo, quód mutuatarius utilitatem ex mutuo habeat. Legantur *Dicastill. sup. num. 92, ac Salmant. à num. 26.* ¶ Neque quia mutuator privatur re mutuata; privatio namque ista in mutuo supponitur, estque de ejus essentia, sicque non est æstimabilis pretio, neque vendi valet; sed non apparet titulus alius præter dictos, ex quo mutuator aliquid supra sortem exigere queat: ergo, &c. Aliter probant assumptum *Salmant. sup. à n. 17. ibi legendi.*

17 Neque contra dicta facit illud, quod *ex Lib. Deuteron. cap. 23. & 24.* affertur, ubi permissum fuit Judæis quòd ab alienis, non verò à propriis fratribus fœnerari possent. Ratio datur; vel quia tunc temporis probabile est fuisse usuras permissas, tanquam minus malum, ut ait Div. Thom. 22. Q. 79. Art. 1. ad 2. (legendus etiam Q. 13. de Malo, Art. 4. ad 1.) *quod autem ab extraneis usuram acciperent non fuit eis concessum, sed permissum ad maius malum vitandum, nè scilicet a Judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant, &c.* de quo legendus *Cajet. ibi, & Sotus lib. 6. Q. 1. ad 2.* ¶ Vel quia usuras permissas auctoritate Dei fuisse in recompensatione illarum rerum, quas Judæi à vicinis gentibus licitè, & justè poterant auferre, ut quid probabilius tenet *Azor 3. P. lib. 5. cap. 2. de Usuris, Q. 2.* cum aliis, & de quo legendus est *Div. Thom. in 3. Dist. 39. Art. 6. ad 1. ac Salmant. sup. num. 27.* Unde de primo ad ultimum constat usuras adhuc contra Jus naturæ esse. Ex quo fit, sive colligitur neque Episcopos, nec Summum Pontificem in usuris dispensare posse, cùm supra Jus Divinum, & naturale potestatem non habeant,

habeant, quanvis illas ad maiora damna vitanda permittere queant. Circa quod vide Bonac. de Contract. Disp. 3. Q. 3. P. 2. Propoſit. 3. verſ. *ex dictis colligi poteſt*, Dicaſtill. ſup. n. 205. Salmant. ubi proximè, ac Div. Thom. cit. Q. 78. Art. 1. ad 3. & Q. 13. de Malo, Art. 4. ad 6.

SUBLECTIO.

Ex doctrina tradita aliqui pro praxi reſolvuntur, vel deducuntur caſus.

18 EX tradita doctrina reſolves primò illicitum eſſe prætendere, & ſperare lucrum ex mutuo, tanquam ex juſtitiæ debito, vel immediatè ex mutuo; id quod expreſsè docet *Div. Thom. ſup. de Malo, Art. 4. ad 13.* & tenent *Leſſ. ſup. Dub. 5. a num. 35. Trulhench. lib. 7. cap. 19.* multique alii. Et eſt ratio: quia deſiderare, & ſperare id, quod eſt malum, ac peccatum, malum, & illicitum eſt; ſed eſt malum, ac peccatum (utpote uſura) lucrum ut debitum ex mutuo accipere: ergo etiam illud deſiderare, & ſperare. ¶ Dictum eſt: *Ex mutuo, tanquam ex debito juſtitiæ*, nam ſecus dicendum, ac dicitur, ſi ſit tanquam ex debito amicitiæ, liberalitatis, gratitudinis, &c. uti ex doctrina *Div. Thom.* dictum eſt *ſup. num. 14.* Legantur *Salmant. ſup. num. 33.*

19 Secundò non eſſe ſignum ſufficiens uſuræ mentalis quòd quis non mutuaret, ſi crederet mutuatarium futurum eſſe ingratum, ſicut non eſt ſimoniæ ſignum, prout docet *Div. Thom. Quodlibet. 11.* quòd quis ad Eccleſiam vadat propter diſtributiones, aliàs non iturus. Unde, ſicut ſimoniacus eſſet qui diſtributiones ut pretium aſſiſtentiæ in choro reciperet, non verò qui eas acciperet tanquam quid ipſum ad aſſiſtendum impellens; ita uſurarius non eſſet qui mutuaret ſperans ex gratitudine lucrum, aliàs non mutuaturus; quia remunerario ſperata non eſt ratio quòd mutuet, ſed ſolùm conditio impellens ad mutuum, ſecus autem, ſi eſſet ratio, quòd mutuet. Legantur *Salmant. ſup. num. 34. & Lugo Diſp. 25. Sect. 4. num. 30.*

20 Tertiò uſuram eſſe, ac ſub reſtituendi obligatione, quoties mutuatarius tradidit, & ipſe mutuans accipit, tanquam pretium mutui, ſeu tanquam debitum immediatè ex mutuo, etiam ſi nullum inter mutuantem, & mutuatarium exterius interveniat pactum, utrinque enim tunc, caſus, mens uſuraria datur. Cum multis *Dicaſtill. ſup. Diſp. 3. num. 25. & alii.*

21 Quartò uſuram eſſe titulo gratitudinis, vel benevolentiæ, tanquam quid ex his titulis debitum, aliquid exigere; nam hoc extat damnatum ab Innocent. XI Propoſit. 42. quam ſup. num. 16. exaratam relinquimus. In qua damnatione ſolùm damnatur, ut vides, quòd exigatur, tanquam debitum ex benevolentia, ac gratitudine; & ſic non damnatur quod mutuatarius ſe mutuanti de facto gratum offendat, munera mutuanti præbendo. Et idem de illis, qui ſup. num. 19. tradidimus. Legantur ſcribentes ſup. Propoſit. damnatas, & ex noſtris *Prado, Hozes, ac Lumbier.*

22 Neque ſimiliter ſub dicta Propoſit. damnata claudi dicuntur conventiones illæ, in quibus nulla obligatio imponitur, uti cùm Petrus petit à Paulo quòd ſibi putà vini decem amphoras mutuet, & Paulus etiam Petro ſuam indigentiam repræſentans, ab eo petit menſuras tritici decem; quia in hoc caſu nullum datur pactum, ſed ſolùm repræſentatio indigentiæ, ac neceſſitatis cujuslibet. Et ita *Lumbier ſup. tom. 3. impreſſione 7. n. 376.* Legatur *Diana Coordinat. tom. 6. Tract. 3. Reſol. 53.*

23 Neque etiam pro uſura damnatur mutuare ſpeciem unius rei ſub conditione, quòd ſpecies alterius rei remutuetur, uti ſi diceretur: *Ego tot pecuniæ ſummam, quam à me petis, tibi mutuò dabo, ſi tu etiam nunc tot vini, vel tritici, &c. ſummam mihi remutues.* Sed hoc, dummodo remutuatio non plus ſit damnoſa, quàm alteri ſit mutuatio. Legatur *Lumbier ſup. à n. 359. ac Diana ſup. & Reſol. 52. ac 54.*

24 Dictum eſt *etiam nunc*, nanque utrùm ſit uſura mutuare ſub conditione; quod mutuatarius tempore futuro mutuanti etiam remutuet, cùm mutuans ipſe opus habuerit? Variant DD. *apud Dianam cit. Reſol. 52. & 54.* Sed nos pro parte affirmativa ſtamus cum *Div. Thom. 22. Q. 78. Art. 2. ad 4.* ubi ſic habet: *Licet ſimul mutuanti unum aliquod aliud mutuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuum in poſterum faciendum.* Et ſentimus contrarium eſſe damnatum, ſi ad remutuandum in poſterum obligatio imponatur; quia hoc eſſet remutuationem exigere, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitam ratione rei mutuatæ, quod, & nihil amplius damnata Propoſitio dicebat, uti ex ejus terminis clarè liqueſcit. Legantur *Salmant.* ſtatim adducendi.

25 Dictum etiam: *Sed hoc, dummodo remutuatio non plus damnoſa alteri ſit mutuatario*, quia, ſi remutuare plus mutuatario fuerit damnoſum, quàm mutuanti, eo quòd mutuatarius remutuum de facili habere non poteſt, vel aliquæ ad illud expenſæ ſunt faciendæ, tunc, caſus, re vera erit uſura, & injuſtitia, cùm utrinque non ſervetur æqualitas. Legantur *Salmant. ſup. P. 8. §. 2.*

26 Dictum etiam ſup. *Nec etiam pro uſura damnatur mutuare ſpeciem unius rei ſub conditione, &c.*

&c. nam, an sit usura mutuare cum pacto, ut eadem res, putà pecunia, in eadem specie, & numero, ac eadem quantitas rei in eademmet mensura, & numero solvatur, quando certò scitur, vel probabiliter creditur plus valituram; si mutuans ad illud tempus, quo res est solvenda, eam reservaturus non erat, sua est inter DD. difficultas non parva. Legantur *Salmant. sup.* §. 3. *qui ibi num.* 71. notant quòd, si certum, aut saltem probabilius sit rem valituram minoris solutionis in tempore, poterit mutuans maiorem mensuram exigere secundùm maiorem, vel minorem certitudinem valoris, quia sic inter rem mutuatam, & solutam servatur æqualitas, & hoc, sive res tunc venderetur, vel consumeretur in familia, sive in aliud tempus reservaretur.

27 Præcedenti num. dictum est etiam: *Quando certò scitur, vel probabiliter creditur, &c.* nam, si mutuans bona fide procedat, nihil de incremento valoris extrinseci futuri recogitans, tunc communis sententia resolvit quod regulariter sola bonitas intrinseca rei mutuatæ est attendenda, quidquid sit de incremento, aut decremento valoris extrinseci, & sic quòd mutuatarius tot nummos aureos, tot scuta, tot dolia vini, &c. secundùm bonitatem intrinsecam, vel secundùm mensuram, numerum, ac speciem reddere, & solvere debet, secundùm quod accepit, de incremento, aut decremento valoris extrinseci nihil curando, nanque in mutuo solùm attenditur æqualitati, & bonitati corporum, quæ mutuantur, non verò pretio rerum, & si secundùm pretium res mutuatæ reddendæ essent, jam talis contractus, emptio, & venditio, non autem mutuum esset. Legantur *Azor tom.* 3. *lib.* 10. *cap.* 7. *Q.* 2. *Less. lib.* 2. *cap.* 20. *Dub.* 17. *num.* 149. *ac Salmant. sup. num.* 72.

28 *Salmant. tamen ibid. num.* 73. hoc cum multis aliis admittunt rebus in aliis, quæ non sint pecunia, & in pecunia negant, dicuntque quòd pecunia reddenda est secundùm valorem, ac æstimationem, quam tempore traditionis habebat; unde resolvunt quòd, si scuta mutuata accepisti tempore, quo quadraginta valebant, & modò solùm triginta valent, vel è contrà, addere, sive detrahere debes, ut æquetur valor ei, quem tempore acceptionis habebant, quia pecuniæ essentia, & natura ferè nullam æstimationem aliam habet, nisi quam Princeps, & communis populi consensus præscribit; unde in petendo mutuo illius ad valorem ejus attenditur, quem habet ex his extrinsecis causis. Sed tu hanc, & contrariam sententiam (cùm utraque sit valde probabilis) amplecti poteris. Legatur *Trullench. lib.* 7. *cap.* 19. *Dub.* 3. *num.* 6. *Dicastill. sup. Disp.* 2. *num.* 57. *ac* 62. *& Disp.* 1. *num.* 33.

29 Resolves quintò quòd pro pecunia aurea, vel argentea mutuò accepta optimè obligationi tuæ satisfacis æream pecuniam reddendo, secundùm valorem pecuniæ acceptæ, nisi aliter fuerit conventum, scilicet, ut in eademmet specie pecuniæ solvatur. È contrà verò usura erit, si mutuatarius æream pecuniam accepit sub pacto, & obligatione, ut in aurea, vel argentea solvat eam in eodem valore, quia id est novum imponere onus ob commodiorem usum illius, & quia difficilius invenitur; poterit tamen mutuans mutuatarium obligare, ut in eademmet pecuniæ specie aureæ, vel argenteæ, quam mutuat, solvat, licèt sciat in pretio ascenturam, modò de numero detrahat, quem in valore accreverit. *Molina Disp.* 312. prope finem, *Trullench. num.* 7. *Bonac. n.* 24. *ac* 28. & alii.

30 Sextò quòd licitè pacisci valet, ut eadem res, quæ mutuata est, in eademmet specie, numero, & mensura, secundùm quod mutuata est, reddatur, si utrinque dubium est an minuendus, vel augendus sit ejus valor, in hoc quippe nulla inæqualitas datur, sed par est utriusque contrahentis conditio, cùm uterque lucro, & damno æqualiter exponatur. *Less. sup. Dub.* 17. *n.* 145. multique alii.

31 Septimò si rem mutuans eam servaturus erat usque ad tempus, quo certò, vel probabiliùs creditur ejus augendum esse valorem, licitè in pactum mutuans deducere poterit ut cum illo incremento reddatur, deducta tamen semper æstimatione valoris periculi, &c. in ea conservanda, quia tunc cessantis lucri titulus datur. *Bonac. sup. num.* 20. *ac Dicastill. sup. num.* 42. *&* 50.

32 Octavò licitè, ac sine usura posse quemlibet triticum mutuare vetus, ut novum reddatur, quando non constat pluris valituram, si nec novum sit melius, & vetus deterius, ut de se constare videtur. ¶ At, si vetus deterius fuerit eo quòd corruptum, corrosum vel esset, tunc usura esset novum in eadem mensura, & quantitate petere, quia id lucrum ex mutuo reportare esset. *Trullench. cap.* 19. *Dub.* 11. *num.* 11. *Molina Disp.* 311. in fine, multique alii.

33 Nonò ratione lucri cessantis, & damni emergentis mutuantem aliquid supra sortem exigere licitè posse, debitis conditionibus servatis, in hoc Theologi, ac Juristæ ferè omnes conveniunt, & pro omnibus satis, superabundanique est *Div. Thom.* 22. *Q.* 78. *Art.* 2. *ad* 1. ibi omnino legendus. Et sic licebit mutuatori de damno emergente, ac lucro cessante stipulari, estò à mutuatore ad id non rogetur, sed ad mutuandum se offerat ipsemet mutuator.

tuator. ¶ Et prima conditio, ut lucrum ob damnum emergens, ac lucrum cessans honestari possit, est, quòd initio contractûs mutui tale lucrum deducatur in pactum, vel saltem mutuans de hoc mutuatarium moneat, quo deficiente, non poterit mutuans aliquid supra capitale accipere, nisi in casu, quo mutuatarius vi, metu, fraude, aut dolo mutuum à mutuante extorserit, nam tunc tenebitur mutuatarius de omni lucro cessante, & damno emergente, ac si mutuans de eo pactus non sit, eo quod per actionem injustam illius fuit causa. *Lugo Disp. 25. Sect. 6. n. 74.* & alii.

34 Imo tenebitur, tametsi ab initio non fuerit id in pactum deductum, si *justè* mutuum accipiat, mutuatore renitente, vel involuntariè mutuante, & ideo tenebitur Rex, si à Vassallis ob publicum bonum potestate sua mutuatas pecunias recipiat, aut plaustra, & boves ab agricolis ad Militum, &c. farcinas portandas recipiat, tenebitur, inquam, omnia damna inde sequuta compensare, & cessantia lucra, quia dòmini rerum illarum cùm sint inviti, nullatenus juri suo cedere censentur. ¶ Idem omnino dicitur, quando præfixus solutionis terminus fuit elapsus, & mutuatarius culpabiliter non solvit. ¶ Idem, quando pro solutione terminus non est interpositus, & debitor à creditore interpolatus est, culpabiliterque debitum non solvit. ¶ Secus autem, si inculpabiliter, & ideo si bona fide putavit creditorem in dilationem consentire, ad restitutionem damni (secluso pacto) non tenetur in conscientiæ foro, quia non censetur esse in mora. *Less. num. 69. & 70. Bonac. sup. P. 4. n. 4. Trulbench. Dub. 8. n. 1.* & alii.

35 Deinde lucrum, quod speratur, debet non fictum, sed certum esse, debet & esse ex contractu justo, ac licito, id enim possumus, quod licite possumus, & non valet mutuans omne lucrum, quod probabiliter speratur, exigere, sed tantum, quanti spes æstimatur, periculo illius, & expensis deductis. ¶ Est & etiam probabile, quanvis oppositum sit probabilius, quòd potest deduci æstimatio laboris in tali lucro compensando. Sed circa hoc, & dicta vide *Trulbench. num. 5. 7. ac 10. Bonac. P. 4. num. 13. Dicastill. Tract. 10. Disp. 2. num. 78. & Less. num. 98.*

36 Ulteriùs requiritur quòd factum mutuum sit causâ damni, sine qua non eveniret, uti si per mutuum factus sis impotens ad damnum impediendum; eo quòd non habebas, nec facilè habere poteras pecunias (nisi necessarias ad victum, & vestitum, secundùm statûs decentiam) ad damnum impediendum: nam, si superfluas ad statum habebas, quibus damno occurrere poteras, jam non sequitur damnum ex mutuo, sed ex tua causa, culpa, vel negligentia. *Trulbench. cap. 19. Dub. 8. num. 7.* Unde, si verè ex vi mutui lucrum non cessat, tunc ratione lucri cessantis aliquid supra sortem recipi nequit, estò de hoc pactum detur, nisi fortè pactum sit de periculo: ab initio enim pacisci de periculo valet, sive damnum emergat, aut non, sive lucrum cessat, aut non, modò periculum illud probabile sit; qua conventione stante, tunc quod fuerit pactum recipi potest, licèt nullum damnum emergat, vel lucrum cessaverit. Legantur *Salmant. sup. toto P. 9.*

37 Decimò ratione periculi in sorte recuperanda mutuator licitè aliquid supra sortem recipere potest, quando verum, nonque fictum est periculum. Ex quo sequitur quod, si verum sit periculum, quod timetur, & de illo contrahentes pacisscantur, nihil interest quod postea illud, quod timetur, non sequatur, eo quòd non pro damno futuro, sed pro ejus periculo pactum inter contrahentes fuit initum. *Bonac. sup. P. 5. num. 1. Trulbench. Dub. 11. num. 1. Less. Dub. 13. num. 111.* cum multis aliis *Salmant. sup. legendi P. 10. num. 87. ad 90.* apud quos probabiliter alii contrarium tenent.

38 Undecimò poterit etiam licitè mutuans pretium à mutuatario exigere ratione assecurationis sortis; putà naviganti, vel iter agenti pecuniam mutuasti, (& idem, si merces vendas) seu eunti ad nundinas pecunias periculis expositas, si mutuans merces, vel pecunias mutuatas assecurare velit, earumque periculum in se suscipere, sine dubio pro assecuratione illa pretium exigere valet, & illud recipere, si justum sit, juxta rei gravitatem, & contingentiam periculi, ex mutuatariique consensu, ac voluntate talis conventio fiat, quia talis assecuratio est pretio æstimabilis; unde sicut quilibet alius ob assecurationem eam posset pretium accipere, (de quo non est dubium) ita pariter mutuans, cùm non sit peioris conditionis.

Non debet tamen mutuans mutuatarium ex vi mutui ad hoc obligare, aliàs usuram committeret, licèt pretio justo id faceret, quia dicta obligatio est æstimabilis pretio, ad quam ex vi mutui non adstringitur mutuatarius. Ita communiter DD. qui in hoc sensu explicant textum *in cap. Naviganti de usuris* ita dicentem: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo, quod suscipit, in se periculum recepturus aliquid supra sortem, usurarius est censendus.* Quanvis alii aliter explicent illum, dicendo quòd in illo textu defuit particula *Non*, & sic quòd debebat dicere: *Usurarius non est censendus.* Et aliter alii. Legantur *Salmant. à num. 91.* legatur & etiam *Trulbench.*

cit.

cit. Dub. 11. *Amicus tom.* 5. *Disp.* 20. *Sect.* 6. *ad* 8. *ac Lugo de Just. Disp.* 25. *Sect.* 6. *a n.* 78.

LECTIO III.

Quibus aliis in casibus sit, vel non usura aliquid supra sortem à mutuatario recipere?

39 DIcitur quód usura non erit, si mutuatarius aliquid mutuatori supra sortem condonet, timens quód, si hoc non fecerit, se non iterum recepturum fortè mutuum, quando indigebit, vel si condonet, nè videatur, vel vocetur ingratus: (secluso omni pacto, & animo recipiendi id ex justitia) quia ad usuram semper requiritur quód ex vi pacti, & tanquam quid ex justitia debitum detur, & accipiatur, quæ omnia, uti supponitur, in præsenti deficiunt. Eò vel maximè, quia Simonia non est, si Episcopus famulo suo Beneficium tribuat, timens quod, si ei Beneficium non conferat, famulus videns se spe sua frustrari, à suo discedat obsequio, unde nec famulus Beneficium recipiens, ei cum illo timore collatum, est simoniacus. Idem ergo de usura. Ita *Lugo sup. Sect.* 4. *num.* 35. *Palaus tom.* 7. *Tract.* 32. *Disp.* 4. *P.* 9. multique alii. Sed hoc in casu, quo verè gratis mutuatarius donet, quanvis alioquin involuntariè, videlicet, quia, ut dictum manet, timet alium non iterum mutuaturum, vel eum ingratum judicaturum, nam tale involuntarium non est ab extrinseco cogente, sed ab intrinseco, ut de se liquet, proindeque donationem involuntariam non reddit. Legatur *Trulhench. cap.* 19. *Dub.* 3. *n.* 5.

40 Erit usura, si mutuator initio mutui, sive quando mutuat, sumeret lucrum, quod ex mutuo sibi cessabit, uti si mutuas 100. speraque 10. ex lucro cessante tibi acquirere, non potes nunc sumere 10. quando 100. mutuó das, quia sic non 100. sed solùm 90 mutuares; unde non vales lucrum recipere ex integro mutuo 100. aureorum, & ita cum aliis *Dicastill. Tract.* 10. *Disp.* 2. *n.* 173.

41 Utrùm autem ille, qui bona fide usurarium celebravit contractum, reque ab eo postea cognita, justum alium contractum celebrare poterat, possit postea, re cognita, illud, quod supra sortem accepit, sibi retinere? Scies, si legeris ea, quæ dedimus *de Restitut. cap.* 1. ubi casum resolutum reperies; vel vide *Lugonem Disp.* 25. *Sect.* 9. *Bonac. sup. P.* 5. *num.* 9. & 10. *á Spiritu Sancto de Mutuo, & Usura, Sect.* 7. *ac Salmant. sup. P.* 5. per totum, legatur & *Diana sup. Resol.* 27. & 51.

42 Erit usura pignoris accipere fructus eos in sortem non computando. Iste est casus. Accipit quis ab aliquo mutuum, & in pignus constituit putà domum, vel fundum, aut equum, &c. si domus locetur, fundus colatur, equus conducatur, fructus, aut pensiones à mutuante receptæ interim, ac mutuatarius non solvit, non possunt licitè, & sine usura à mutuante retineri, sed omnes mutuatario reddere, & restituere tenetur, vel illas in sortem computare. Ratio est: quia mutuatarius habet dominium pignoris in securitatem dati, cùm ergo res suo semper fructificet dómino, fructus talis rei ad ipsum pertinent: mutuans ergo usuram committet, si velit illos sibi retinere, & postea capitale integrum accipere; hoc enim est lucrum ob mutuum ultra sortem capere Et id

Ita diffinitum est in Canonico Jure, *cap.* 1. *ac* 2. *& cap. Conquæst. de usuris*, & aliis, citque expressa Div Thom. doctrina 22. Q. 78. Art. 2. ubi sic legimus: *Si quis pro pecunia sibi mutuata obliget rem aliquam, cujus usus pretio æstimari potest, debet usum illius rei ille, qui mutuavit, computare in restitutionem ejus, quod mutuavit; alioquin, si usum illius rei quasi gratis superaddi velit, idem est, ac si pecuniam acciperet pro mutuo, quod est usurarium, nisi forte esset talis res, cujus usus sine pretio solvat, concedi inter amicos, sicut patet de libro accommodato.* Hæc Sanctissimus Doctor, Ecclesiæ fulgentissimus Sol, doctrinæque Angelicæ suæ radiis illuminans omnes.

Imò, (id, quod magis est) juxta citandos, si ex culpa lata mutuatoris fructus non colligantur, qui alias ex re pignorata colligendi erant, uti si domus non locetur, ager non colatur, &c. debet mutuans restituere, vel compensare mutuatario, quanti spes illorum æstimabatur, deductis expensis, eo quòd in illa custodienda curam illam apponere debet, & adhibere, quam vigilans custos apponeret, & adhiberet. Tu circa ea, quæ sub hunc num. cadunt, lege *Vasques Opusc. de Pignorib. cap.* 5. §. 1. *num.* 32. *Palaus Disp.* 4. *P.* 19. *num.* 4. *Dicastill. sup. Dub.* 2. *num.* 300. *a Spiritu Sancto cit. Sect.* 9. ibi addentes fructus recipi posse ratione lucri cessantis, & damni emergentis, vel pœnæ conventionalis, aut expensarum in pignore custodiendo factarum, vel si fructus sint industriales; id quod etiam docent *Salmant.* omnino legendi *sup. P.* 7. *num.* 45. & 46. *ac Diana sup. Resol.* 56. & 57.

43 Et, quia dictum est nuper *vel pœna conventionalis*, sciendum in mutuo conventionalem pœnam licitam esse, licitumque ratione illius aliquid supra capitale, aut sortem accipere, etiam si nullum lucrum cesset, aut damnum emergat; cujus ea est ratio: quia mutuatarius in mora existens peccat contra Justitiam, & propter peccatum dignus est pœnâ: hæc ergo

go (si justa sit) ex partium conventione imponi potest. Confirmatur: quia naturali, civilique jure conceditur ut homines mutuò obligare se possint, conventionalibus pœnis appositis, si a contractibus recesserint, ut sic contractus firmiores reddantur, & hominum negligentia, & incuria stimuletur: ergo, &c. Ita cum multis contra alios *Dicastill. sup. Dub.* 12. *a Spiritu Sancto Sect.* 10. *Salmant. num.* 75. *Lugo Disp.* 25. *Sect.* 6. *Diana* citandus, & plures alii.

44 Utrùm autem pœna hæc ante, vel post sententiam Judicis in conscientia debeatur? Est quæstio pro utraque parte probabilis, nos in partem affirmativam inclinamur, & asserimus ante Judicis sententiam deberi. (licèt non ante partis petitionem.) Ratio datur: nam quod ex contractu debetur, ex vi contractûs solvi debet ante Judicis sententiam, aliàs nihil contractus ex se solo operaretur; & quia quanvis pœnæ judiciales punitivæ, & involuntariæ Judicis sententiam expectent, non tamen illæ, quæ Jure naturæ servari debent, voluntarieque assignatæ sunt ab eo, qui pœnam sustinet, & nihil ita naturæ est consentaneum, quàm pacta servare. Legantur citati, & *Diana Coordinat. tom.* 6. *Tract.* 1. *Resol.* 78. *ac Tract.* 3. *Resol.* 23. *& 25.*

45 Sed circa dicta de conventionali pœna diligenter observandum venit quód, ut dicta pœna justa, ac licita sit, conditiones requiruntur aliquæ, quarum prima est, ut ex parte debitoris culpa præcesserit, & illam subinde solvere non tenebitur ille, qui sine culpa fuerit in solvendi mora, uti si in termino præfixo mutuum non solvit propter veram impotentiam, quia videlicet ægritudine erat, aut detentus in carcere, & longa distantiâ, simili impedimento vel alio. Similiter non tenebitur, si à creditore prorogationem obtinuit, (licèt censura pro mora solvendi esset lata) cùm eo utens in culpam non incidat. ¶ Secunda, ut pœna sit æqualis culpæ, ac ideo, si sit inæqualis, erit injusta quo ad excessum, & non obligabit, sicut injusta, & non obligatoria erit pœna amittendi pignus. ¶ Tertia, ut sit mora notabilis, non enim unius diei, aut etiam hebdomadæ intervallum ordinariè sufficiens erit ad dictam pœnam incurrendam. ¶ Quarta, ut pœna in usuræ fraudem non apponatur, & contra voluntatem mutuatarii ad usuram palliandam, uti si breve tempus pro solutione constituas, intra quod scis, vel verosimiliter credis mutuatarium ad solvendum potentem non fore. Hæc passim apud AA. reperies. Legatur Dicastill. sup. num. 271. ac Diana sup. Tract. 3. Resol. 23. §. *Imò*, vers. *Sed quid*, & Resol. 25. § *Notandum*, ac §. *Sed an.*

46 Per se loquendo nullum, illicitum, ac usurarium est in pignoribus, quæ ratione mutui dantur, pactum Legis commissoriæ; (hoc enim pactum contingit, non solùm in emptione, & venditione, ut *cap.* 2. *de Empt. & Vendit. Lect.* 6. *in Sublect.* dictum manet, sed etiam in pignoribus, quando nimirum quis pignus pro mutuo accipit, vel pro debito alio ea conditione, quòd, si termino præfixo non solvat, pignus sit mutuatoris, vel alterius creditoris, aut ut venditum habeatur) constat *ex L.* 1. *& ultima, Cod. de pactis pignorat. ac cap. Significante de pignor.* Et est ratio: quia, cùm pignus regulariter debitum superet, in cujus securitatem est constitutum, si conventio fiat, ut mutuatario debitum non solvente, pignus amittat, ac ad mutuantem ejus dominium tranleat, esset mutuantem ob mutuum aliquod lucrum accipere velle, & amplius, quàm dedit, sibi retinere, id quod illicitum, & usurarium. Et ita cum multis *Molina Disp.* 324. *Dicastill. Dub.* 19. *Trulbench. Dub.* 11. *ac Salmant. sup. n.* 47.

47 Dictum est *per se loquendo*, nam in aliquibus casibus licitum erit tale pactum, & immune ab usuræ labe Primo quando pignus non plus valet, quàm debitum. ¶ Secundo si apponatur conditio, (prout apponi valet) ut si intra tale tempus mutuatarius non solvat, justo pretio pignus vendatur, & creditor, seu mutuator retineat quod suum est, & reliqua debitori reddat; quia tunc nihil supra sortem accipitur, & hoc non fit ob mutuum, sed præcisè ut mutuator seipsum servet indemnem. ¶ Tertio (id quod est pro utraque parte probabile) quòd, si tale pactum ponatur in pœna, quòd si tali tempore non solverit debitor, in pœnam fidei fractæ jus ad pignus amittat, poterit justè creditor tale pignus sibi retinere, licèt plus quàm capitale valeat, modo supradicto, & ideo dicit *Dicastill. sup. num.* 407. licere contractum, quo socer promittit genero dotem in pecunia, interim tamen loco pignoris tradit fundum, præmisso pacto, ut si dotem in pecunia non solverit, gener sibi fundum loco retineat dotis, quia id in pœnam non solvendi termino præfixo fieri valet. Legantur citati.

48 Non erit usura recipere ultra capitale dotis fructus ex pignore dotali perceptos, quia ita decisum ab Innocent. III. *in cap. Salubriter*, circa cujus textûs explicationem omnino legendus est *Dicastill. sup. Dub.* 14. *& 15. ac Salmant. sup. à num.* 49. ibi adnotantes quòd hoc intelligendum est, cùm pignus absolutè conceditur: at si pignus expresè concedatur in securitatem promissæ dotis, vel restituendi sunt, aut computandi in sortem. ¶ Similiter intelligi debet, si pignus tradatur, vel promittatur, cùm dos constituitur; secus, si jam constituta

ſtituta dote, & obligato genero ad ſuſtinenda matrimonii onera, poſtea recipiat pignus, dum dos non ſolvitur, tunc enim, aiunt, uſura eſſet fructus in ſortem non computare, quia tunc fructus pignoris non cenſentur concedi, ut pars dotis, vel ut pretium oneris matrimonii, cùm jam hoc venditum ſit ad obligationem promiſſæ dotis, ſicque ſolùm ob expectationem ſolutionis dotis viderentur exacti, quod eſt uſura. ¶ Similiter etiam uſura erit fructus tales in dotis ſortem computare, illoſque percipere, ſi gener culpabiliter non ſuſtineat matrimonii onera, eo quòd ſocer ſe obligat ad alimenta præſtanda, & generum cum uxore, ac liberis domi ſuæ retinendum; quia tunc jam ceſſat finis conceſſionis illius. Legatur *Molina tom.* 2. *Diſp.* 371. circa finem, & *Trulbench. lib.* 7. *cap.* 19. *Dub.* 14. *n.* 6. 7. *ac* 10.

49 Erit uſura, & omnino iniquum, pro mutuo ex pacto, tacito, vel expreſſo, ac proinde tanquam ex juſtitiæ debito quodcunque munus accipere, aut onus imponere, quod pretio ſit æſtimabile, quod dicitur; quia juxta *Philoſophum* 4. *Ethicor. cap.* 2. omne illud pro pecunia habetur, cujus pretium pecuniâ menſurari poteſt. ¶ Non tamen uſura erit illud per liberalem donationem accipere, dummodo conſtet liberaliter eſſe donatum (in quibus caſibus donatio ſit, vel non ſit liberalis, docti, ac pii Confeſſarii judicio prudenti relinquitur.) Legantur *Salmant. P.* 6. per totum. Sic tenet communis, eſtque expreſſa *Div. Thom.* doctrina, qui omnino legendus 22. *Q.* 78. *Art.* 2. *ad* 3. *&* *Q.* 13. *de Malo*, *Art.* 4. *ad* 13. legendi ſunt ac etiam *Salmant. ſup. P.* 7. *&* 8. Unde in hac doctrina ſtando.

50 Iniquè, ac uſurariè in pactum deducitur, ut mutuatarius ex gratitudine (& multò magis ex juſtitiæ debito) mutuatoris, vel alterius molendinum frequentet, vel apothecam, aut ut illius agrum juſto pretio colat, ut juſto pretio à mutuante emat, ut remutuet, quoties mutuans indiguerit, ut domum locet, vel vendat, ut conducat aliquid, aut fidejubeat, ut depoſitum ſervet, ſimiles vel alios contractus pro mutuo faciat. ¶ Item uſura erit, ſi mutuans mutuatarium obliget ut partem mutui, quod accepit, vel petit, recipiat in pecunia, & partem in mercibus, quibus aliàs non indiget, vel quæ ab eo emendæ non erant. ¶ Item & uſura erit, cùm propter anticipatam ſolutionem partis debiti tempus ſolutionis reliqui debiti prorogare obligatur creditor: (ſecus, ſi hoc creditor voluntariè præſtet) quia hoc nihil aliud eſt, quàm implicitè mutuare, ſeu anticipare ſolutionem, ut tu remutues in fine termini ſolutionis debiti; (contrarium in hoc caſu probabile eſt *apud Dicaſtill. legendum ſup. Dub.* 3. *num.* 146. *&* *Dub.* 9.) quæ omnia videri poterunt *apud cit. Dicaſtill. apud N. à Spiritu Sancto ſup. Sect.* 3. *Salmant. cit. Punct.* 8. §. 2. *ac Dianam ſup. toto tom.* 6. *Tract.* 3. *Reſol.* 39. 53. 62. 64. 109. *&* 175.

51 Erit uſura mutuare cum pacto, ut mutuatarius ſibi patrocinetur, vel medietur, ut filium ſuum, vel ſeipſum doceat, ut mutuatarius teneatur iter facere, licèt juſto pretio; (non tamen uſura erit mutuare cum pacto non repetendi mutuum, quandiu mutuatarius molendinum, &c. frequentaverit. *Dicaſtill. ſup. num.* 118. contrarium probabiliter tenent alii cum *Molina Diſp.* 309.

52 Erit uſura temporale beneficium aliquod, vel privilegium à mutuatario ratione mutui extorquere, quia pretio ſunt æſtimabilia. ¶ Et idem de eo dicitur, qui ex pacto mutuat, ut ſibi, vel alteri Beneficium aliquod Eccleſiaſticum conferatur, hic enim simoniacam committit uſuram, cùm ineat pactum rei temporalis cum ſpirituali *Molina Diſp.* 310. *Dicaſtill. num.* 137. *ac Diana ſup. tom.* 5. *Tract.* 7. *Reſol.* 19. *legantur Salmant. ſup. cit. P.* 8. §. 1. *a num.* 58. *ad* 60.

53 Erit uſura mutuum alteri dare cum pacto, & obligatione præſtandi quodcunque aliud munus, & officium, ſive *a lingua*, vel *ab obſequio*, ſive *a manu*, quia hæc omnia pretio æſtimabilia, proindeque revera erit uſura ultra ſortem mutui de illis obligationem apponere, vel ad illa aliquem, ſive mutuatarium obligare. Eſt expreſſa doctrina in *Div. Thom.* 22. *Q.* 78. *Art.* 2. *ad* 3. *&* *Q.* 13. *de Malo*, *Art.* 4. *ad* 13. quem ſequuntur omnes.

54 Et dicitur officium *a lingua*, hoc, quod eſt alloqui Principem, canere, ac hujuſmodi; officium *ab obſequio* dicitur comitari dominum, vel officia particularia alia amicitiæ, aut ſigna exhibere; *a manu* officium dicitur, hoc, quod eſt colere agrum, domum conducere, vel locare, & ſimilia exercere. Ad quæ tria capita ferè omnia, quæ dicta ſunt, ac plura, quæ dici poſſunt, reducuntur.

Itidem uſura erit obligare fœminam, cui mutuum quidpiam datum fuit ad faciendum ſui corporis copiam, vel ut oſcula, tacta, aut alia hujus furfuris ratione mutui præſtet; ſecus, ſi in pretium harum rerum aliquid detur, prout ex dictis de Reſtitut. conſtat.

SUBLECTIO.

Idem intentum proſequitur.

55 ERit uſura, ſi 100. mutues ſub conditione, ut mutuatarius totum, vel partem rei mutuatæ à debitore tuo exigat, quod

non-

nonnisi expensis, & labore recuperare mutuatarius potest, (nisi ea compenses) quia ultra principalem sortem gravamen pretio æstimandum mutuatario imponis. *Molina Disp.* 310. *Casu* 3. & alii. ¶ Idem, si conditione ea mutues, ut mutuatarius mutuantis causâ aliquò proficiscatur, in aliqua re ministret, negotium aliquod gerat, litem tueatur, Missam celebret, ægrotos, cùm Medicus sit, visitet pro stipendio, &c. secus, si pro laboribus his anticipatum justum stipendium præstet, sed non sub ratione mutui. Cum *Gibalino*, & *Tambur. N. à Spiritu Sancto sup. num.* 587.

56 Usura non erit, si pro frumento alibi existenti, quod ibi in mutuum datur, obligetur mutuatarius ad illud hîc reddendum, ubi plus valet, casu, quo mutuatarius illo alio in loco frumento indigeret, quod facilè hic loco in isto reddere posset, & sine maioribus sumptibus, & laboribus; quia pactum illud tunc non tam diceretur mutuum, quàm permutatio, solutione dilatata, seu traditione rei ex parte unius propter maiorem ejus commoditatem. ¶ Usura tamen erit, si mutuatarius obligetur ad illud reddendum hîc cum maioribus sumptibus, & laboribus; quia jam esset ex mutuo lucrum ex vi mutui reportare, id quod usura. Lugo (contra Salas) sup. num. 67. legantur Salmant. sup. num. 66. vers. *Secundò usuram committi*, ubi alia præstant, quæ jam sup. sunt exarata.

57 Usura non erit, si mutuet quis, ut propriam redimat vexationem, quando aliàs vim, & injustitiam illi inferendam esse timet. ¶ Item usura non erit deducere in pactum, ut sibi, vel alteri reddat quæ sunt solùm ex Religione, vel Charitate debita, uti est obligatus Medicus, quando alius non est, soluto stipendio mederi; Advocatus patrocinari, dives Proximo graviter indigenti succurrere, vel si esset obligatus ex voto ad eleemosynam præstandam aliquam, & tu ex vi mutui exigeres ut votum illud exequeretur, vel si vi mutui compelleres, ut Missam audiret, Sacramèta reciperet, cùm aliàs ex præcepto Ecclesiæ ad id teneretur; quia obligatio civilis, quæ obligationi ex charitate, vel Religione est superaddita, pretii rationem non habet, eo quòd non tam cadit in utilitatem mutuantis, quàm mutuatarii, quem obligat, ut scilicet non deficiat ab obligatione, quam habebat, & sic eam sibi onerosam reputare non debet. ¶ Eò vel maximè, quia, ut ex jam dicendis patebit, DD. commune est placitum usuram non esse in pactum mutui deducere, ut alter desistat ab injuria, quam mutuanti, vel alteri nitebatur inferre: sed quando petit ut adimpleat quæ ex Religione, Charitate, Obedientia, &c. tenebatur facere, obligat, ut ab injuria desistat, quam Deo, vel ejus charitati irrogat ea non faciendo: ergo nihil indebitum exigit, subindeque usura non erit. *Molina sup. Disp.* 309. *Less. cap.* 20. *Dub.* 8. & multi alii. Contrarium in hoc casu tenent alteri. Legatur *Bonac. Disp.* 3. *P.* 3. *n.* 7.

58 Non erit usura amicitiam deduci in pactum pro mutuo, quia non est pretio, sive pecuniâ æstimabilis. ¶ Idem de signis amicitiæ, familiaritatis, urbanitatis, &c. quia hæc absque incommodo, & molestia mutuatarii exhiberi valent. ¶ Neque erit usura à mutuante ex pacto ratione mutui exigi quidquid aliàs ex justitia debitum erat, uti si persequutori mutuet, ut ab exactione cesset, & si ei mutuet, cujus operas antea solverat, ut illas exhibeat, si ei 100. mutuet, qui aliàs 100. debebat, ut simul cum mutuo 100. debita solvat, supposito quòd debitum liquidum sit, quia hîc nullum est lucrum ex mutuo, sed propriæ vexationis redemptio, nec mutuatario ulla obligatio imponitur, quam antea non habebat, & quia non extorquetur ut pretium mutui, sed ut res justo alio titulo debita. *Trullench. Dub.* 6. *num.* 7. *Less. Dub.* 8. *num.* 18. *ac Dub.* 7. *num.* 5. & 7. *Lugo Disp.* 25. *Sect.* 5. *num.* 38. *legatur Molina Disp.* 309. *ac Salmant. sup. dicto P.* 8. §. 1. *à num.* 54.

59 Non erit usura, si quis mutuam condonationem injuriæ ex vi mutui à mutuatario exigat, quando petit ut vindictam condonet privatam: quia, cùm mutuatarius ad privatam vindictam jus non habeat, mutuans tunc, casus, id petit, quod alius aliàs debebat ex justitia facere, & sic licitè potest id in pactum deduci, ut ex hactenus dictis constat. *Trullench. Dub.* 7. *num.* 57. *Bonac. sup. num.* 16. *ac Lugo Sect.* 5. *num.* 38. ¶ Secus tamen quando ratione mutui obligatur mutuatarius ad condonationem injuriæ, ad quam non ex justitia, nec ex charitate tenebatur, sed jus exigendi vindictam, vel satisfactionem per publicam potestatem faciendam habebat; quia tunc, casus, vi mutui obligaretur ad aliquid præstandum, quod pretio æstimari debet, & ex obligatione antidorali fieret obligatio civilis pretio æstimabilis. Lugo Sect. 8. num. 38. Bonac. sup. num. 16. Palaus Disp. 4. P. 10. num. 3. & alii; contrarium tenet Sylvester verb. *Usura* 1. §. 11. & Navar cap. 17. num. 238. ¶ Tu verò pro certo habe, nempe quòd, si Reus sit jam à Judice in pecuniis condemnatus propter injuriam alteri factam, usura esset condonationem illarum ob mutuum exigere, quia esset pecuniarum debitum extinguere velle, quod est propter mutuum pecuniam velle, id quod usura. *Sotus lib.* 6. *Q.* 1. *Art.* 2. ibi docens etiam licere talem condonationem procurare, non imme-

immediatè ex mutuo, ſed ratione amicitiæ per mutuum genitæ, & eodem modo procurare remiſſionem injuriæ, depoſitionem odii, atque rancoris. Tu circa hæc vide *Salmant. ſup. num. 56. ac 57.*

60 Uſura non erit (juxta aliquos *apud Dicaſtill. ſup. Dub. 3. a num. 120. & Dian. cit. Tract. 3. Reſol. 53.*) mutuum dare, conditione adjecta, ut alter ſtatim contractum alium de præſenti celebret, uti ſi dicat: *Dabo tibi mutuum, ſi ſtatim mihi pretio juſto vendas domum, aut fundum, vel operas loces, &c.* unde dicunt licere dominis mutuare ruſticis cum pacto, ut laborent, aut colant, vel prædia ſua conducant, modo nihil de juſto pretio demant. ¶ Idem de eo dicunt, qui tempore Hiemis mutuas pecunias petenti mutuare noluit, niſi operas ſuas locet, quas exhibiturus ſit Æſtatis in tempore ad metendum ſegetes pretio tunc currenti. ¶ Neque uſuram eſſe obligare ut mutuatarius contractum ineat pignoris, aut hypothecæ pro mutui ſecuritate, quia hæc aſſecuratio eſt debita, nec mutuator mutuare tenetur cum periculo amittendi mutuum. *Dicaſtill. num. 151.* ¶ Neque uſuram eſſe, ſi mutuans mutuatarium obliget, qui antea decem debebat, quæ vel negabat, aut propter probationis defectum cogi non poterat ad illa ſolvenda, ad cautionem ſuo chirographo dandam, ſive ſeparato chirographo, quòd novum debitum, & mutuum fateatur, ſive conjuncto; tunc quia nihil mutuanti accreſcit, neque mutuatario decreſcit; tum quia non ſubit novum aliquod onus, ad quod prius ex juſtitia non teneretur. Ita cum aliis *à Spiritu Sancto ſup. n. 585.*

61 Uſura non erit, ſi Rex, qui ab alio Principe in mutui pignus Civitatem aliquam accipit, illius fructus ultra ſortem accipiat, nempe vectigalia, & ſimilia, quia vectigalia dantur Regi eo titulo, quòd tempore pacis gubernationis Civitatis curam habeat; unde hujuſmodi fructus Regni, aut Civitatis dicuntur induſtriales, pendent enim ex officio, & cura Regis, ac proinde ſine uſura ultra ſortem recipi valent, quia ſolùm fructus naturales pignoris computantur in ſortem, non autem induſtriales, & qui correſpondent induſtriæ, & labori pignus habentis. *Dicaſtill. Dub. 16. Mercado Opuſc. de Uſuris, cap. 7.* (contrarium tenet *Cajet. & Sotus.*) Et

Idem omnino dicitur de feudo, ſcilicet quòd dominus directum dominium habens in feudo, (quod eſt conceſſio rei alicujus immobilis, vel quæ pro immobili habetur, quo ad dominium utile, pro ſervitio aliquo exhibendo, aut pro ſubjectione) induſtriales fructus feudi accipere poteſt, cùm ipſum feudum datur in pignus pro mutuo à feudatario, & hoc ob nuper dicta. ¶ Uſura tamen erit naturales fructus ex feudo recipere ultra ſortem mutui, ſi mutuatarius ſervitutem ex feudo debitam exhibere velit, & ratio hujus eſt: quia, ſi feudatarius obligationem ſuam adimpleat, verè eſt dominus dominii utilis ex natura contractûs feudi, cujus dominio per ſolam oppignerationem non privatur: verè ergo eſt dominus fructûs naturalis rei, qui pertinet ad dominium utile, proindeque uſura erit tales fructus in dicto caſu ultra ſortem mutui recipere. Legatur *Dicaſtill. ſup. Dub. 19.* per totum.

62 Uſura non erit, ſi mutuans aliquid proportionatum ratione notabilis laboris à mutuatario exigat, quod ſcilicet in gratiam mutuatarii ſuſcipiat, veluti in menſurando tritico, in illo, vel vino tranſportando ad mutuatarii domum, &c. Ratio eſt: quia licitè poteſt quilibet laborem ſuum maximè extraordinarium alteri locare. ¶ Similiter uſura non erit, ſi mutuans præter rem, quam dat mutuam, aliquod gravamen extrinſecum mutuo in ſe ſuſcipiat, & ratione illius aliquid proportionatum recipiat, veluti ſi Petrus centum tibi mutuet aureos, onuſque ſuſcipiat pro te illos expendendi in emendis veſtibus, vel mercibus tibi. Ratio datur: quia hæc nova onera ſunt æſtimabilia pretio, quæ nemo gratis tenetur ſuſcipere. ¶ Idem dicitur, ſi ſe obliget ad mutuandum quoties volueris, ſive quoties pecuniâ indigueris, eo quòd hoc novum gravamen eſt, & ratione ejus, nonque mutui ſuſcepit illud, quod ſuſcipit. ¶ Et hinc oritur quòd Mercator licitè aliquid lucri à Principe accipit, vel à Civitate, quando ſe obligat ad mutuandum illis, quoties frumento, &c. indiguerint. Ita Tambur. de Contract. lib. 9. Tract. 1. §. 2. cum aliis multis Molina Diſp. 304 Lugo de Juſt. Diſp. 25. Sect. 3. à num. 25. verſ. *Secundo, & difficilius*, qui num. 64. contra alios aſſerit uſuram eſſe mutuare Principi, vel Reipublicæ eo pacto, ut interim, dum non ſolvitur, liber ſit à tributis, vel oneribus juſtis ſolvendis, quia à debito gabellæ abſolvi lucrum eſt. Legatur.

63 Uſura non erit, ſi mutuans aliquid recipiat ratione aſſecurationis, nam, ſicut mutuatarius pro fidejuſſore ſuo tertium alium advocare valet (in quo non eſt dubium) illi proportionatam aliquam præſtando mercedem, juxta periculum pro fidejuſſione, ita pariter licitè pro fidejuſſore ſuo ipſummet mutuantem acceptare poſſe dicitur, qui pro fidejuſſione à mutuatario proportionatum pretium accipere poſſit, quia hoc novum eſt ſubire gravamen, & ſicut pro illo juſtè alio tertio pretium ſolvi poteſt, ita juſtè mutuanti ſolvi poterit. Sed hoc intelligi debet caſu, quo mutuatarius non obli-

getur à mutuante ad ipſum pro aſſecuratore ſuo, vel fidejuſſore eligendum, nam tunc, caſus, injuſtè procederet mutuans, obligaret enim mutuatarium ad aliquid præſtandum, ad quod ex vi mutui non eſt obligatus, quare adderet mutuatario novum gravamen, id quod manifeſta injuſtitia eſſet. *Tambur. ſup. num.* 6. ſed ut id melius intelligatur, de eo omnino legendus eſt *Bonacina.*

64 Uſura erit mutuatarium obligare ad non reddendum mutuum ante finem anni. Ratio eſt: nam hoc reſpectu mutuatarii onus grave eſſe poteſt, uti ſi mutuaſti triticum, periculumque ſit, nè in fine anni triticum vetus ſit corruptum, vel aliis de cauſis. ¶ Uſura itidem dicitur eſſe, quando Miniſtri Regii à debitoribus Regiis aliquid accipiunt, ut eos expectent, vel pro debitis Regiis eos non urgeant, accipiunt vel a creditoribus Regiis, ut anticipata ſolutione eis ſolvant: (in quibus plures deficiunt) quia in utroque caſu virtuale reperitur mutuum. Ita cum *Salas*, & *Molina Lugo ſup. num.* 69. *legatur Molina Diſp.* 313. *ac Dicaſtill. Tract.* 10. *Diſp.* 2. *Dub.* 20. *num.* 415. ¶ Si autem ſcire velis an ſit uſura minoris emere chirographa, & credita in poſterum exigenda, anticipato pretio. Vide Dicaſtill. ubi nuper, Diana ſup. Tract. 3. Reſol. 80. 81. & 109. §. *Deinde*, & ea, quæ dedimus de Empt. & Vendit. Lect. 8. Sublect. à n. 173.

65 Non erit uſura lucrum accipere in hoc contractu; putà Mercator credito ſuas merces vendit, ut ſic plures ad ſe trahat emptores, pluſque modo iſto lucretur, non enim uſura erit hoc modo plus lucrari, ſi pretium juſtum in venditione ſervetur. Ratio datur: quia intentio lucri ex dilatione, quando non eſt mutui pretium, uſuram non facit, cùm uſura ex mutuo provenìat. *Molina Diſp.* 309. *ac Lugo ſup. num.* 56. contrarium tenet *Sylveſter*, tenent & alii.

66 Similiter etiam in contractu iſto uſura non erit, putà *centum hos tibi do, vel numero aureos ea conditione, pacto, vel lege, ut ſi ego infra* 10. *annos moriar, tu mihi, vel meis hæredibus nihil reddere tenearis; ſi autem vixero, centum alios tenearis reddere, & ſic ducentos aureos, nimirum decem pro ſingulis præcedentibus annis.* Cujus ea eſt ratio: quia contractus hic contractus eſt innominatus, *do, ut des*, & nullatenus contractus mutui, conſtat autem quòd ſolùm ex mutuo uſura committitur: ergo, &c. Deinde, quia eſt par periculum amittendi, & lucrandi, atque adeò eſt contractus ludi ſortis, qui licitus eſt, juxta omnes. Et quòd dictus contractus non ſit mutui patet, tum ex dictis, tum quia mutuum in omni eventu reſtitui, ſolvi vel debet, quanvis fortuitò pereat: *L. Incendium, Cod. ſi certum petatur*: ſed in caſu, de quo ſermo, ſi ego ante 10. annum moriar, tu potes illos centum aureos ſine ſcrupulo retinere, nonque eos ſolvere; non igitur mutui eſt iſte contractus. Et ita contra *Sylveſtr. verb. Uſura* 3. *Q.* 36. *ac* 37. *Armill. eod. verb. n.* 36. *&* 37. *Angel. eod. num.* 42. *ac* 43. tenet *Tambur. ſup.* §. 7. *legatur Lugo Sect.* 10. *num.* 201.

67 Uſura non erit, ſi pro frumento alibi exiſtente, quod in mutuum datur, obligetur mutuatarius ad reddendum hìc, ubi plus valet caſu, quo mutuatarius indiguerit frumento illo alio in loco, quod facilè hic in hoc loco reddere poſſet, & ſine maioribus ſumptibus, & laboribus, quia pactum illud non tam eſſet mutuum, quàm permutatio, ſolutione delata, ſive traditione rei ex parte unius propter maiorem ejus commoditatem. ¶ Uſura tamen erit, ſi obligetur mutuatarius ad reddendum hic cum maioribus ſumptibus, & laboribus, quia tunc jam eſſet ex vi mutui lucrum reportare, id quod uſura; contra *Salas Lugo legendus ſup. num.* 67.

68 Non erit uſura lucrum accipere ex mutuo, quod à *Pietatis Montibus* provenit. Ratio eſt: quia illud, quod ſolvitur, & accipitur pro hujuſmodi mutuo, fit propter expenſas neceſſarias ad conſervandos *Montes* in commodum, & utilitatem recipientium mutuum. Sed licitum eſt, nonque eſt uſura aliquid pro his expenſis exigere, dare, & accipere, nanque, ſi 100. Petro mutuares frumenti modios, qui ad illum pervenire non poſſunt, niſi operâ, labore, & expenſis alportantium, non nè deberet Petrus, in cujus gratiam fit frumenti translatio, tranſportationis expenſas, & labores ſolvere? Ita ſanè. Sic & prorſus in *Montium* caſu; quæ doctrina eſt adeò vera, ut dicat *Leſſ. cap.* 20. *Q.* 191. eſſe de fide tenendam, ac *Molina Diſp.* 325. contrariam opinionem tutam non eſſe; & *Lupus in cap. Naviganti de Uſur.* §. 3. *n.* 83. eſſe temerariam, *Toletus lib.* 5. *cap.* 38. contrarium aſſerentem eſſe excommunicatum, & merito omnes iſtæ contorquentur cenſuræ, quia Montes hos in ſuis Conſtitutionibus approbarunt Paulus II. Xyſtus IV. Innocent. VIII. Alexander VI. ac Julius II. ut conſtat ex Bulla Leonis X. ex Concil. Lateran. & ex Trident. Seſſ. 22. cap. 8. de Reformat. ubi inter alia opera pia *Pietatis Montes* enumerantur. (Et utinam Civitatibus omnibus, locis, & Maioribus Montes tales ſemper adeſſent.) Imò, quod magis eſt, probabile eſt quòd homo privatus hujuſmodi Pietatis Montes erigere poteſt cum conditionibus infra ponendis, etiam ſi pecuniam illam cum onere alicujus cenſûs accepiſſet, & exigeret à mutuatariis, quantum opus eſt ad ſe indemnem ſervandum,

ſiqui-

siquidem illorum negotium gerit. Baseus cum aliis verb. *Mons Pietatis*, num. 3.

69 Hîc tamen diligenter adverte quòd, si fortè in *Montibus Pietatis* aliquid de sumptibus necessariis supereſt, non potest in *Montium* utilitatem accrescere, quia *Montes* non possunt licitè locupletari ex mutuo, quod concedunt, sed possunt duntaxat se servare indemnes. Unde superfluum restituendum erit mutuatariis ipsis, qui plus, quàm debuere, solverunt, quòd si ignorentur, tunc expendatur in pios usus, vel distribuatur inter pauperes, aut componatur cum compositionis Bulla, vel tribuatur ipsis *Montibus*, qui inter alios pios usus connumerantur.

70 Pietatis Mons nihil aliud est, nisi aliqua pecuniæ, tritici, &c. summa, piè à testatoribus, vel ab aliis ad in communi posita, ad hunc finem, ut in promptu sit ad occurrendum indigentium necessitatibus, semper capitali salvo. Et in his Montibus requiruntur conditiones aliquæ, quarum prima est, ut ex tali Monte certa quædam quantitas mutua detur. ¶ Secunda, ut mutuatarii dent pignus idoneum, quod à Montis Ministro sit custodiendum ita, ut si contingat mutuatarium præfixo non solvere termino, sub hasta pignus vendatur, & ex eo vendito debitum recuperetur, & residuum dómino reddatur. ¶ Tertia, ut mutuatarius pro rata pecuniæ, &c. sibi mutuatæ, & pro rata temporis singulis mensibus certum quid pro laboribus solvat, ac stipendio Ministrorum Montium; pro conductione domûs, in qua Ministri hi residen, pro libris rationum, & pro necessariis aliis sumptibus ad Montis conservationem. Alios *Pietatis Montes* AA. affignare solent, tu illos *apud Lugonem sup. Sect.* 20. *apud à Spiritu Sancto sup. Disp.* 16. *Sect.* 13. *Bonac. Disp.* 3. *Q.* 3. *P.* 12. *Deamostasum*, & apud alios videbis.

LECTIO IV.

Circa hanc materiam de Usura pro praxi quæruntur, & resolvuntur alia.

71 AMbigitur itaque primó an usurarius acquirat dominium rei per usuram acquisitæ? Affirmant probabiliter aliqui, inter quos *Lugo sup. Sect.* 11. *à num.* 206. ¶ Alii ut quid probabilius negativè resolvunt, & est id, quod tenendum, tenetque *Div. Thom. legendus* 22. *Q.* 78. *Art.* 3. cum eo, multisque aliis tenent, & optimè probant *Salmant. sup. P.* 12. *legendi n.* 106. *ac* 107. Et hinc

72 Resolvitur primò usurarium teneri non solùm ad restitutionem omnium rerum, quas per usuras obtinuit, sed etiam omnium fructuum ex rebus ipsis acquisitorum, necnon omnium damnorum emergentium, ac lucrorum cessantium, quæ ob solutionem usuræ passus est mutuatarius.

73 Secundò quod, si res sub usura data, & accepta in valore apud usurarium crescat, totum illud incrementum ad mutuatarium pertinet; è contrà, si in valore, vel pretio decrescat, aut pereat, non sic apud dominum peritura, aut decrescens, ipsi usurario decrescit, & perit, cùm sit malæ fidei possessor, id quod patet ex dictis de Restitutione.

74 Tertiò quòd non potest usurarius dominium rerum, quas per usuras acquisivit, in alios transferre; unde fit quòd in quacunque manu ipsæ sint, subjacent restitutioni obnoxiæ. ¶ Neque proinde tales res alienare valet, nisi sint usu consumptibiles, & per earum alienationem non reddatur impotens ad restituendum, in quo casu probabile est posse eas distrahere, & earum dominium in alios transferre, cùm ad restituendum res alias consimiles habeat, & parum refert mutuatarii quòd eadem, vel alia res æquivalens restituatur. Legatur *Bonac. P.* 15. ¶ Item probabile est quòd, si res per usuram acquisita sit aliis rebus usurarii permista ita, ut discerni nequeat, ejus fit usurarius dominus; sed de hoc jam dictum est *sup. cap.* 15. *de Restitutione.*

75 Quartò quòd nemo à mutuante usurario res eas accipere potest, quarum ipse nullum dominium habet, quanvis titulo gratuito dentur, (sicut nec à fure) bene tamen possunt accipi res, quarum dominium est apud ipsum; nam usurarius (sicut & fur) non ex eo, quòd res injusto titulo habeat, ejus bona censeri debent hypothecata virtualiter; unde bonis ex illis, quorum ipse dominium habet, & administrationem, bene potest dominium transferre in alios, cùm nemini sint restitutioni obnoxiæ. Et sic tenet *Less. lib.* 2. *cap.* 20. *Dub.* 19. *num.* 167. cum aliis & *Dicastill. Tract.* 10. *Disp.* 3. *à n.* 69. *Lugo sup. Sect.* 11. *n.* 212.

76 Dictum est sup. num. 72. *Sed etiam omnium fructuum, &c.* quod non debet intelligi de fructibus meræ industriæ, quales sunt qui percipiuntur pecuniâ usuraria, aut ex alia re usu consumptibili functionem recipiente, ut ex oleo, vino, & hujusmodi, id quod est expressa doctrina *Div. Thom.* (qui est omnino legendus) 22. *Q.* 78. *Art.* 3. quem communiter sequuntur DD.

77 Secundò ambigitur an mortaliter peccet ille, qui apud usurarium hominem pecunias deponit, eum illis ad usuras abusurum sciens? Respondet sic Div. Thom. 22. Q. 78. Art. 4. ad 3. dicendo *quòd si quis committeret pecuniam suam usurario non habenti alias unde usuras exer-*

exerceret, hac intentione committeret, ut inde copiosius per usuram lucraretur, daret materiam peccandi, unde & ipse esset particeps culpæ. Si autem aliquis usurario alias habenti unde usuras exerceat, pecuniam suam committat, ut tutius servetur, non peccat, sed utitur homine peccatore ad bonum. Hæc de re hac Angelicus Doctor. Sed, cum Sanctus Doctor dicat: *Unde & ipse esset particeps culpæ*, hinc

78 Ambigitur tertiò cujus culpæ particeps esset? Utique non solùm contra Charitatem, sed etiam contra Justitiam, consequenterque ad restitutionem teneri. Resolutio hæc fundatur in Div. Thom. verbis, inquit enim: *Daret materiam peccandi ::: esset particeps culpæ*; sed qui dat materiam peccandi, vel est particeps culpæ in hoc, vel illo genere vitii, eodemmet vitii genere peccat, ac causa principalis peccat, aliàs malè diceretur quod *esset particeps culpæ*: in hoc ergo casu apud usurarium pecuniam deponens peccat usuræ peccato, sicut ipsemet usurarius principalis peccat; tum sic, sed qui peccat peccato usuræ, non solùm contra Charitatem, sed etiam contra Justitiam peccat: pecuniam igitur apud hominem usurarium deponens & peccat contra Charitatem, & contra Justitiam peccat, & ad restitutionem tenetur in defectu usurarii principalis. Excusaretur tamen à peccato, si propter necessitatem suam aliquam, aut utilitatem, &c. apud usurarium pecuniam suam deponeret, uti ex *Div. Thom.* nuper dicebamus.

Confirmatur: nam aliàs contra Justitiam minimè peccaret ille, qui latroni furari volenti instrumentum aptum ad furandum præstaret, quia, si circunstantias secludamus, de se mala non est sola instrumenti largitio, sicut nec sola pecuniæ depositio, sed absurdum videtur dicere hominem hunc tribuentem instrumenta latroni non peccare contra Justitiam, ad restitutionemque non teneri: ergo etiam in casu nostro idem omnino dicendum venit.

79 Unde disparitas *a Lugone num.* 217. inter dantem instrumenta latroni, & pecuniam apud usurarium deponentem apposita non bene cum *Div. Thom.* doctrina cohærere videtur; ait enim quòd in primo casu infertur injuria domino, & invitus est circa actionem illam dandi instrumenta, in nostro autem casu mutuatarius non est invitus circa depositum faciendum, nec illud impediret, sed gratias ageret deponenti, frivola, inquam, disparitas ista videtur, quomodo enim mutuatarius deponenti pecuniam apud usurarium non habentem aliàs unde usuras exerceret, gratias agebit; vel, quod idem, ut ait Angelicus Doctor, *hac intentione committeret, ut inde copiosius per usuram lucraretur? &c.* non nè hoc re vera esset gratias ei agere, qui sibi damnum, & injuriam inferret, vel eam inferendi intentionem haberet, vel ei, qui cum altero ad usuram concurreret? Ita fanè; id quod est difficile creditu. Unde dicendum quod, sicut usurarius peccat contra Justitiam, restituereque subinde tenetur, ita similiter pecunias deponens cum illa intentione, vel sciens usuram committendam, contra Justitiam peccat, & restituere tenetur in alterius defectu, sententiam istam tuetur Sotus lib. 6. de Just. Q. 1. Art. 5. Dicastill. Lugonis consocius Tract. 10. Disp 4. Dub. 2. legatur Div. Thom. sup. & Q. 13. de Malo, Art. 4. ad 18. ac etiam Molina Disp. 331. & 335. Pontius de Matrim lib. 5. cap. 18. §. 4. num. 23. ac Diana Coordinat. tom. 7. Tract. 5. Resol. 53. §. *Affirmativè.*

80 Quartò ambigitur an liceat petere, & accipere mutuum sub usuris? Dicitur primò licitum esse petere mutuum absolutè ab eo, qui daturus est sub usuris ob necessitatem propriam, vel alienam, vel aliqua alia justa de causa, & hoc, sive usurarius sit, aut non sit paratus Ratio exhibetur: quia id peti licitè potest, quod licitè præstari valet; sed usurarius licitè (id est, sine usuris) mutuum præstare valet: ergo etiam absolutè licitè peti potest Confirmatur: quia juxta *Div. Thom. 3. P. Q. 64. Art. 6. ad 2.* licitum est petere, & accipere Sacramenta à quolibet Sacerdote potestatem, ac jurisdictionem habente, quem scimus administraturum esse in peccato, sive paratus sit ad illa ministranda, aut non sit paratus, quando nostra interest, vel ob justam, & rationabilem utilitatem, de quo vidimus alibi Tract. scilicet de Sacram. in genere, & etiam ab eo juramentum petere, quem scimus per falsos Deos juraturum esse, ut vidimus etiam alibi, & videri quit *apud Div. Thom. 22. Q. 78. Art. 4. in corp.* tunc enim non est petere peccatum, nec alterius peccato cooperari, sed solùm est malum alterius ob bonum nostrum permittere, veluti ob utilitatem, & commodum nostrum (sicut Deus nostra peccata permittit, & illis ob altissimos fines utitur: pariter ergo in nostro casu licitum absolutè erit petere, & accipere mutuum ab eo, &c. Est doctrina *Div. Thom. cit. Art. 4.* (qui etiam legendus *Q. 13. de Malo, Art. 4. ad 17.*) *in corp. & ad 2.* cum multisque docent *Salmant. sup. P. 13. num. 120.* Et hinc sequentia.

81 Resolves primò Mercatorem ab usurario pecuniam mutuam petere, & accipere posse, quando rationabiliter judicat se illa indigere ad negotiationem vel ad statum augendum, &c. non verò posse, si non indigeat, sed solùm ex lucri cupiditate id faciat, quia tunc justam non habet causam permittendi alterius

terius peccatum, ſine uſuris mutuum non tradituri. *Dicaſtill. num.* 8. ubi contra *Rebel.* aſſerit etiam licitum eſſe ſub uſuris mutuum petere ab uſurario ob convivia, vel ſpectacula honeſta, juxta proprium ſtatum.

82 Secundò in omnium ſententia non licere mutuum ab uſurario ſub uſuris petere ob vana, & inutilia, uti ad ſuperfluas epulas, ad otioſos, & illicitos ludos, ad vanitates, & hujuſmodi; deficit enim hic juſta, honeſta, & rationabilis cauſa. ¶ Et ſi mutuum à non parato petatur ad illicitum etiam venialiter opus, abs dubio mortale erit, quia nulla neceſſitate conſtus alteri ſcandalum præbes, & es in cauſa, ut in culpam uſuræ labatur. ¶ Si tamen à parato dare ſub uſuris petatur, etiam dicimus (quidquid alii in contrarium probabiliter aſſerant, inter quos *Sanch. lib.* 3. *Decal. cap.* 8. *num.* 23. *ac Lugo ſup. Sect.* 11. *num.* 135.) eſſe mortale, quia mutuum ab uſurario ad vana, & inutilia petens juſtam non habet cauſam; & hoc eſt præbere occaſionem ruinæ, concurrendo activè exequutioni pravæ voluntatis, & peccati, quod nullatenus in externum prodiret opus, id quod Charitatem Dei, ac Proximi ſine dubio offendit. Cum multis *Dicaſtill. num.* 14. *Molina Diſp.* 330. cum multis & aliis *Salmant. ſup. num.* 123.

83 Tertiò illicitum non eſſe uſuras promittere, & promiſſas ſolvere ob rixas vitandas, vel ut propriæ æſtimationi conſulatur, nanque ſi ille, qui ſub juramento uſuras promittit, ex Religionis vinculo tenetur ſolvere illas, manifeſtum eſt eas promittere, & ſolvere peccatum non eſſe, quia ſi peccatum eſſet, juramentum implere non teneretur, cùm juramentum vinculum non ſit iniquitatis. Ex quo apparet inter promiſſionem, & ſolutionem uſurarum ex una parte, & receptionem earum ex altera latum diſcrimen adeſſe, acceptio nanque ex parte uſurarii, cùm ſit acceptio rei, quæ non debetur, ſemper eſt intrinſecè mala; promiſſio verò, & ſolutio poteſt eſſe ex juſta cauſa, & ideo licita, & non mala. Legatur *Dicaſtill. num.* 20.

84 Quartò quòd, licèt probabile ſit quòd ſuadens, vel conſulens uſuras, aut pecunias ad eas præbens non peccet contra Juſtitiam cum onere reſtituendi; verius tamen judicamus oppoſitum, cùm talis ſit efficax cauſa damni, & licèt alius ab uſurarum ſolutione abſtinere poſſit, (per quod præcluditur contraria evaſio) ſatis eſt quòd tuo conſilio, ſuaſioneve fuerit cauſa. Nec ipſe excuſatur, ſicut neque expurgatur qui uſuras accipit, per hoc, quòd alius à ſolutione abſtinere poſſit, niſi tale conſilium, ſuaſionem, aut cooperationem gratam mutuatario eſſe dijudicet, quia tunc ejus partes agit. *Bonac. Diſp.* 3. *Q.* 3. *P.* 15. *num.* 11. *Leſſ. cap.* 20. *num.* 170. *Lugo Sect.* 11. *num.* 216. cum multis *Salmant. num.* 115. unde ex his duobus num. dictis ſequentia etiam

85 Reſolves (ſitque caſus quintus) quòd dómini temporales, Judices, Advocati, qui ſtatuto, præcepto, vel alio modo cauſæ ſunt, ut uſuræ ſolvantur, vel ſolutæ, & repetitæ non reſtituantur, mortaliter peccant, ac reſtituere tenentur in principaliorum uſurariorum defectu, ſunt quippe cauſæ efficaces injuſtitiæ per uſuras commiſſæ. Et idem, ſi non excludant à ſuis locis uſuras exercentes, quia ipſo facto excommunicantur tecus facientes. *Clement. Exgravi de uſur.* ¶ Sed excipitur, ſi gravis Reipublicæ incedat neceſſitas, quia tunc uſuras ſolvere cogere poſſunt, juxta Leſſ. Dub. 21. num. 179. Salmant. num. 117. legatur Diana Coordinat. tom. 7. Tract. 5. Reſol. 54. & 55. ac tom 1. Tract. 1. Reſol. 21. §. 1. verſ. *Hanc difficultatem.*

86 Sexto uſuras committere, & ad reſtitutionem teneri famulos, qui nomine dominorum ſuorum uſuras exigunt, ad ſolutionem cogunt, ac pecunias recipiunt, quia ad illam actionem pravam, & injuſtam proximè, ac immediate concurrunt. Ita cum multis (contra alios) *Salmant. ſup. n.* 118. Tu tamen circa hoc, hoc (quod eſt verum) obſerva, ſcilicet quod, ſi dicti famuli aliqua alia miniſteria minus ad uſuras accedentia exerceant, uti ſcribere, numerare pecunias, illas cuſtodire, &c. nec peccant; quia ad rem inde ferentem concurrunt, & ob juſtam cauſam, nimirum, nè ſuam commoditatem perdant, ſicut & famula, quæ aperit portam, lectum ſternit dominæ ſuæ, licèt aliàs ſciat eam actionibus his ad fines malos uſuram. Nec reſtituere tenentur, quia non ſunt cauſæ, quare exigantur uſuræ, cùm jam ſint exactæ, vel à dómino ſint exigendæ. Legatur *Lugo a num.* 218. *& Dicaſtill. Tract.* 10. *Diſp.* 3. *Dub.* 4.

87 Septimò Principum Officiales mutuum dantes hoc pacto, ut officium accipiant, uſuras committere; quod ut bene intelligas, audi Div. Thom. Opuſc. 21. Art. 5. ubi ſic legimus: *Dicendum quod, ſi hoc pacto mutuum dant, ut officium accipiant, abſque dubio pactum eſt uſurarium, quia pro mutuo accipiunt officii poteſtatem; unde in hoc datur eis occaſio peccandi, & ipſi etiam tunc tenentur reſignare officium taliter acquiſitum. Si tamen gratis officia dederint, & poſt ab eis mutuum acceperint, quod de ſuo officio poſſent recipere, hoc abſque omni peccato fieri poteſt.* Hæc ibi.

88 Dicitur ſecundò nullatenus mutuatario licitum eſſe abſolutè, & expreſsè offerre uſuras, ac mutuum ſub uſuris petere, dicendo

do putà: *Da mihi mutuum, & tibi tot pro usuris solvam:* (nisi casu, quo sub conditione petat, veluti dicendo: *Da mihi mutuum; sed quia scio te nonnisi sub usuris daturum, sub illis recipiam, si volueris*) quia id esset inducere alium, ut sub usuris det mutuum, id, quod illicitum, & peccaminosum. Constat ex dictis, cum multisque docent *Salmant. sup. legendi a num.* 120. *ad* 123.

89 Ambigitur quintò an, si usurarius, qui centum putà tibi debet, tibi solutionem apud eum assignet, qui nomine usuræ, vel propter usuras ipsi tantundem debet, possis tu ab eo assignatam solutionem exigere? Respondetur negativè, si constet debitorem non esse usurarii debitorem, nisi ratione usuræ; secus, si contrarium constet, vel de eo sit dubium. Ita plures, inter quos *Dicastill. sup. num.* 22. *Less. cap.* 20. *Dub.* 24. *num.* 195. *ac Trulhench. cap.* 19. *Dub.* 23. cum multis aliis *Salmant. legendi sup. num.* 119.

90 Sexto ambigitur an usurarii hæredes restituere teneantur? Respondetur affirmativè, si usurarius non restituit dum viveret, tunc enim pro viribus hæreditatis restituere tenentur, id est, singuli tenentur solùm ad partem debiti, juxta mensuram, in qua defuncto succedunt; (dummodo eorum aliquis causa non sit, cur cæteri non restituant, qui enim sic esset causa, teneretur in solidum in aliorum defectu, quia totius damni efficax causa esset) ita plures *apud Lugonem sup. num.* 237. *Dicastill. sup. num.* 118. *& Molina Disp.* 332.

91 Serva tamen sequentia ut certa. Primum, quòd, si res per usuras acceptæ adhuc in suo esse extent apud aliquem ex dictis hæredibus, omnium dictarum rerum restitutio fieri debet. ¶ Imo restitutio hæc ante omnem aliam facienda est, debet tamen fieri cum communi damno omnium hæredum ita, ut omnes alii hæredes restituenti hæredi pro rata refundant, actionem enim pro portione hæreditatis contra eos habet, & hoc casu secluso, quilibet non tenetur in solidum, sed solùm pro sua rata. *Less. cap.* 20. *num.* 175. *Molina Disp.* 332. & alii.

92 Secundum serva quòd, si hæreditaria bona ad usuras solvendas non sufficiant, ut hæredibus sua legitima, vel quarta debita, remaneat integra, debent legatarii concurrere, quia ante omnia legata debent debita solvi, & postea deduci legitima debita, posteaque ex eo, quod supereset, quarta falcidia deduci debet, & refugium legatariis dandum. ¶ Si verò, solutis legatis, manet apud hæredes quantum satis ad usuras solvendas, deducta sua legitimâ, vel quarta debita, nihil à legatariis est exigendum, etiam si postea hæredes deficiant, vel eorum bona non sufficiant: quia, cùm illud debitum sit personale, ad legatarios non transit, sicut nec alia personalia defuncti debita. *Lugo Disp.* 136. Quid autem dicendum sit de Notario, teste, Proxeneta, ac Confessario in ordine ad restit. in casu uturæ? Vide *Bonac. sup. P.* 15. *à num.* 12.

93 Ambigitur septimò an in usura detur materiæ parvitas? Octavò nunquid Principes seculares ex justa causa positivam licentiam Judæis dare possint exercendi usuras absque Pontificis auctoritate? Quo ad septimum constat ex dictis pars negativa; quo ad affirmativam partem inclinat *Diana tom.* 8. *Coordinat. Tract.* 3. *Resol.* 11. *ibi legendum Lugon. sup. legendus à num.* 252. illam docet. ¶ Quo ad octavum variant DD. apud eundem *Dianam tom.* 9. *Tract.* 2. *Resol.* 311.

LECTIO V.

Quænam, quotque sint usurariorum pœnæ?

94 SUpponitur usurarium duplicem esse; occultum unum, manifestum, sive notorium alium, & hic notorius fit duobus modis; primo per evidentiam facti ita, ut nulla possit tergiversatione celari, qui dicetur notorius notorietate facti, eo quòd publicè in Civitate, conspicientibus multis, semper sub usuris mutuat. ¶ Secundo per evidentiam Juris, quia nimirum per Judicis sententiam de tali crimine sit condemnatus, vel in Judicio juridicè confessus sit tale crimen, aut de eo in dicto Judicio per plenam probationem convictus, (& sunt qui dicant sufficere confessionem ipsius Rei etiam extrajudicialiter, maximè in mortis periculo) & hic notorius notorietate Juris vocatur. ¶ Dictus ergo usurarius manifestus, publicus, & notorius (de quo sermo) est qui subjacet pœnis (non verò occultus, nec ille, qui apud aliquos infamiâ laborat) necesse enim est ut pœnis subjaceat, ut sit omnino publicus, modo dicto, quia pœnæ contra usurarios impositæ externæ sunt, & Ecclesia de occultis non judicat. Legantur Molina Disp. 333. Lugo Disp. 25. Sect 11. num. 238. Salas cum aliis de Usuris, Dub. 46. Azor lib. 5. cap. 18. §. *Quæres*, ac Salmant. sup. P. 14. num. 124. His ita positis,

95 Dicitur quòd prima usurariorum pœna est *infamia* ipso Jure, quæ pœna stabilita est tam Canonico, quàm Civili Jure: *L. Improbum facinus, Cod. ex quib. causis infam. irrog. cap. Infamat.* 3. *Q.* 7. *cap. Inter dilectos de excess. Prælat.* ¶ Salas cum aliis Dub. 47. probabile putat dictam infamiam per pœnitentiam tolli, & per restitutionem usurarum. ¶ Si usurarius Clericus

cus fuerit, erit, ipso facto, infamis, uti tenet Abbas in cap. *Inter dilectos de Eccles. Prælat.* unde ab officio obtinendo repellitur, ut gloss. in cap. *Præterea de usur.* potest tamen Episcopus dictam infamiam tollere pro Beneficio Ecclesiastico obtinendo, sed post pœnitentiam peractam; *Molina Disp.* 333. Et licet non sit ipso facto ab officio depositus, deponendus est tamen non solùm ab officio, sed etiam à Beneficio ex cit. cap. *Præterea*, Azor sup. lib. 5. quanto autem tempore dicta suspensio durare debeat, ad Judicis arbitrium relinquitur.

96 Secunda pœna est irregularitas, cùm usurarius publicus ordinari nequeat, infamiâ dicta durante, ex cap. *Meritum Dist.* 33.

97 Tertia est, quòd non debet admitti ad communionem Altaris, scilicet ad perceptionem Eucharistiæ Sacræ, cap. *Quia in omnibus de usuris*, & juxta aliquos ad nullum Sacramentum admitti valet ante satisfactionem, vel cautionem præstitam, & hoc, non quia id Jure sit expressum, sed quia indignus. *Less. lib. 2. cap. 20. Dub. 22. num. 186. Navar. cap. 17. n. 279.* dicit quòd non intelligitur excluſus ab Officio Divino, tanquam excommunicatus, cùm ex communi Jure non constet.

98 Quarta est, ut ab usurario nemo in Ecclesia oblationes accipere queat, & qui susceperit eas, ipso facto ad arbitrium sui Episcopi ab officio suspensus maneat, postquam satisfecerit, & acceptas restituerit oblationes. Possunt tamen ab eo eleemosynæ recipi, modò usurarius ad restituendas usuras non fiat inhabilis, & sub eadem ratione etiam decimæ recipi possunt, ut *Filiuc. cap. 8. num. 161. ex cap.* Quia omnibus probat.

99 Quinta est, ut ad Pœnitentiæ Sacramentum non admittatur, nisi prius pro facultate sua satisfactum habeat, cautionem vel pignoratitiam dederit, aut fidejussoriam creditoribus, si sint præsentes, vel Ordinario loci, aut ejus Vicario, vel Parocho coram testibus, & publico Notario, ab Episcopo mandatum habente, cap. *Quanquam de Usuris lib. 6.* ¶ Quòd si dictam cautionem præstare non possit, ipsum non posse jurare debet, & se satisfacturum, quantum potuerit, ut restitutio fiat. Et si periculum vitæ moram non patiatur, statim absolvi poterit, & postea cautio fiat. *Less. sup. num. 187.* ¶ Et nè Confessarius decipiatur, a pœnitente petere debet licentiam, & facultatem revelandi promissionem Episcopo, dum mors institerit, ut sic Episcopus postea eum compellere possit ad dictas, si vixerit, usuras solvendas. ¶ In casu tamen, quo mors locum usurario non daret, posset absolvi, si signum contritionis præberet, sepelirique posset absque excommunicationis periculo. ¶ Si verò usurarius fuerit occultus, absolvi potest, modò restituere ex corde promittat, sed non, si in aliis confessionibus promisisset, & postea promissum non servasset, donec de facto restitutionem faciat, si habeat unde. Et etiam si fuerit in mortis articulo, absolvi non debet, nisi prius de facto restituat, si bene possit Excipe, nisi Confessarius certam fidem haberet hæredes restitutionem infallibiliter facturos esse. Et si mors urgent ita, ut nihil fieri possit, Confessarius tunc, casus, contritionis signis habitis, atque suppositis, eum absolvere poterit, quin necessum sit revelandi licentiam petere, cum de peccato occulto loquamur. Legantur *cit. Less. ac Filiuc.*

100 Sexta est, ut Ecclesiastica sepulturâ careat, cap. *Quia omnibus de usuris*; unde nullus illum sepelire valet sub pœna excommunicat. ipso facto incurrenda, nec absolvi quit (ut dictum manet) donec ad Episcopi arbitrium satisfecerit, *Clement. 1. de Sepultur.* Less. num. 188. & non solùm intelliguntur qui corpus propriis manibus in sepulchrum demittunt, sed etiam qui authoritativè sepeliunt, non tamen qui honoris causâ adsunt, & funus comitantur, de quo jam alibi dictum à nobis manet. ¶ Et quanvis usurarii in testamentis suis disponant, & præcipiant ut usuræ restituantur, in Ecclesiastica sepultura nullatenus tumulari debent, donec de facto creditoribus sit satisfactum, vel sufficiens causa sit data vel creditoribus, si præsentes sint, aut Episcopo, si absentes, vel ejus Vicario. Legantur *Salmant. sup. P. 14. num. 126.*

101 Utrùm autem Confessarii testimonium, de pœnitentis licentia præstitum, prosit ad hoc, ut probetur pœniten emendatus in foro externo, ut Parochus putà Eucharistiam, vel sepulturam Ecclesiasticam publico usurario, vel meretrici, &c. conferat? Variant DD. *apud Dianam Coordinat. tom. 1. Tract. 8. Resol. 29.* qui ibi legendus.

102 Septima quòd dicti publici usurarii in eo statu decedentes testamentum conficere nequeant, & si fecerint, nullum, & irritum esse decernitur; (nomine autem testamenti venit codicillus, & quælibet alia voluntatis ultima dispositio) & ita in cit. cap. *Quanquam*, nisi prius solverit usuras, vel præstet sufficientem cautionem pignoratitiam, fidejussoriam, vel juratoriam in casu, quo temporis angustia non permittat aliud. Legantur *Salmant. sup. num. 127.* ac etiam *Diana Coordinat. tom. 6. Tract. 8. Resol. 11. & 97.* ac iterum *Tract. 7. Resol. 83.* ubi quærit an usurarius causâ mortis donare queat, & nunquid ad pias causas disponere valeat?

103 Octava pœna est, ut usurario notorio alie-

alienigenæ nemo domum locare valeat ad exercendas uſuras, vel conductam habere permittant: *Cap. 1. de Uſuris.* Legantur Salmant. ſup. num. 128.

104 Nona eſt, ut, ſi uſurarius iſte mutuum ſub uſuris accipiat ab alio, non poſſit ipſe, vel ejus hæredes ſolutas uſuras repetere, donec ipſe uſuras ab aliis acceptas ſolvat, cap. *Michael de uſuris.* Sed, ſi uſurarius Eccleſiæ nomine, aut alicujus alterius uſuras ſolvit, repetitio conceditur. *Lugo num.* 248.

105 Decima, ut Communitates, Principes, Rectores, Judices, & quicunque alii Officiales, qui condiderint, ſcripſerint, vel dictaverint ſtatuta, quibus uſuræ permittuntur exigi, & compelluntur ſolvi, aut prohibentur repeti. Et ſimiliter qui ſcienter judicare præſumpſerint ut uſuræ ſolvantur, aut nè repetantur, vel reſtituantur, ipſo facto remanent excommunicati *per Clement. 1. de Uſuris*, ubi ſtatuitur etiam ut nili prædicta ſtatuta deleantur intra tres menſes ab his, qui ea delere poſſunt, ſint etiam ipſo facto excommunicati; & idem de illis, qui ea ſervaverint, etiam ex conſuetudine. Item decernitur ut quando de uſura agitur, quam aliquis commiſiſſe præſumitur, ad exhibendos libros rationum ſuarum cogatur, ut ita res commodiùs cognoſcatur. Legatur Azor ſup. §. *Quarta pœna*, Bonac. Diſp. 3. Q. 4. P. ult. & à Spiritu Sancto Tract. 10. Diſp. 15. Sect. 17.

106 Utrùm autem, ut manifeſtus uſurarius pœnas has incurrat, ſatis ſit ſemel, aut bis deficere, vel requiratur habituale exercitium, & uſus dandi ſub uſuris? Dicimus hoc ſecundum valde probabile eſſe: nam, ſicut probabile eſt pœnas impoſitas Clerico ſodomiam exercenti non incurri ab eo, qui bis, aut ter tale commiſit peccatum, de quo legatur *Diana Coordinat. tom. 1. Tract. 5. Reſol. 61. fol. mihi* 301. ita pariter in caſu noſtro.

107 Si autem ſcire velis ad quem pertineat uſurarios punire, & cognoſcere de uſuræ delicto? Vide *Lugonem num.* 250. & ex eo dices quòd ubi Lex Civilis uſuras non prohibet, hoc ad ſolum Eccleſiaſticum Judicem pertinet, ubi autem Civilis Lex uſuras prohibet, & punit, etiam laicus Judex de hoc judicare valebit, ſicut de criminibus aliis furti, homicidii, &c. niſi ex conſuetudine contrarium habeatur, atque adeò conſuetudines cujuslibet loci ſunt conſulendæ. Legantur Molina cit. Diſp. 333. Lugo ſup. ac Bonac. num. 2. §. *Si quis*, ubi n. 3. dicit Principes, vel Eccleſiaſticos Judices punire poſſe Judæos uſurarios, illoſque ad reſtitutionem compellere, quatenus temporali poteſtate gaudent, illamque in ſibi ſubditos exercere poſſunt: Judæi enim Principi loci, in quo degunt, ſubjiciuntur; & ibi etiam probabiliùs judicat Eccleſiam non poſſe authoritate Eccleſiaſtica punire Judæos, quia dictam authoritatem non exercet in non baptizatos, juxta illud Ep. 1. Divi Pauli ad Cor. cap. 5. num. 12. *Quid enim mihi de his, qui foris ſunt, judicare?* Alios caſus circa uſuram *ſup. de Empt. & Vendit.* reſolutos reperies, & vide *cit. ac Amicum tom. 5. Diſp. 20. Sect. 11. per totam.*

CAPUT IV.

De Contractu Societatis.

SOcietatis contractus unus eſt ex contractibus, qui in Nationibus omnibus, inter homines, maximè Mercatores, frequentiſſimè verſatur, de quo AA. de Contractibus agentes communiter tractant; unde de eo hîc etiam à nobis agendum venit, pro eo ergo ſit

LECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Societas, & quænam ſint ejus conditiones?

1 *SOcietas* (prout colligitur *ex L. 1. ff. pro Socio, & Inſtituta de Societate*) *eſt duorum, vel plurium conventio honeſta ad contribuendum aliquid in communem uſum, vel lucrum.* Explicatur definitio.

Dicitur *Conventio*; quia Societas eſt contractus ſub genere conventionis contentus, ſicque ly *Conventio* loco generis ponitur, qui quidem ſolo partium conſenſu, verbis, literis, nutu, vel per nuntium, aut quocunque alio modo, vel ſigno exteriori explicato perficitur, quin neceſſaria ſit ſcriptura, traditio, præſentia contrahentium, aut quælibet alia ſolennitas, ſed conſenſu contrahentium poſito, externo ſigno ſufficienter expreſſo, ſtatim perficitur; ex quo fit quòd ipſa bonorum in communi contributio, negotiatio, adminiſtratio, ac inter ſocios comparati lucri diviſio, non tam ad contractûs ſubſtantiam, quàm ad ejus effectum, & exequutionem pertineant; §. *Pro Socio, & §. Unicus, Inſtit. de obligat. ex conſenſu.*

Dicitur *duorum, vel plurium*, quia ad ſocietatem contrahendam plures convenire valent, modo ad mutuò ſe obligandum ſint habiles, & ad minus *duorum conventio* eſſe debet, ut vera ſocietas detur, & ſi minus, ſocietatem non facit per ſeipſum voluntate contrahendæ ſocietatis; ac ideo, quando ex voluntate teſtatoris plura bona inter plures dividenda eſſent, id non diceretur ſocietas; ſed tunc competit actio *familiæ erciſcundæ*, vel actio *de communi dividundo. L. Ut ſit, & L. Quibus caſibus, ff. pro ſocio.*

Dici-

Dicitur *honesta*, quia malorum nulla est societas jure facta: *L. Nec permittendum, & L. Quod autem ex furto, ff. pro socio*, uti dum duo, vel plures de furto, vel alia iniqua actione conveniunt de lucro. Additur *ad contribuendum aliquid*, quia non est necessum ut singuli idem contribuant, sed unus pecuniam contribuere potest, alter animalia, agrum, vel prædium, alter laborem, & industriam, alter utrumque laborem, & pecuniam simul; unde, si nihil conferant, non poterunt licitè esse participes lucri, & commodi, quod fit, & ex societate resultat.

Deinde dicitur *in communem usum, vel lucrum*, ut detegatur proprius, & immediatus finis, ad quem dirigitur societas ipsa, qui duplex est, vel ad simul convivendum, ut res, quæ à singulis contribuuntur, deserviant ad communem singulorum usum, qui in eadem domo, vel lare de eodem pane, vino, &c. sustentantur omnes, vel ad lucrandum, ut lucrum, & damnum, quæ ex rerum contributarum negotiatione proveniunt, omnibus, & singulis sint communia.

2 Societatis contractus initi valet uno modo, ut solum lucrum sit commune, non autem capitale, & tunc lucrum, negotiatione finita, singulis dividendum erit, juxta proportionem sortis collatæ unusquisque. Alio modo, ut res ipsæ contributæ, seu capitale, omnibus fiant communes, & tunc, eo ipso, quòd aliquis ex sociis ad capitale contribuerit, reliquis sit commune, omnesque socii illius rei dominium acquirunt, estò talis rei possessio tantùm apud unum remaneat, & hoc secundo modo, societate facta unà cum lucro, etiam capitale dividitur pro rata cujuslibet. Legantur *Molina Disp.* 411. *ac Lugo Disp.* 30. *Sect.* 1.

3 Distinguitur autem societatis contractus à locatione, & conductione per hoc, quòd in his duobus contractibus lucrum, ac damnum non est commune locanti, & conducenti, sed totum ejus est, qui pecuniam, vel aliquid aliud ad negotiandum tradit, certo tantùm stipendio assignato ei, qui suam industriam, ac laborem ad negotiandum tradit, vel locat; in contractu tamen societatis tam lucrum, quàm damnum commune est omnibus, quod juxta sortis ratam singulis est distribuendum. Unde non est societas, (ait *Lugo sup. num.* 1.) sed locatio, quando unus alteri animalia tradit ad eorum custodiam, & curam, ei stipendio pro labore, & cura assignato, quia tunc lucrum non est omnibus commune, sed solius conductoris, qui pretio assignato alterius conducit operas; id quod etiam contingere quit pro labore, certa parte data, vel aliquota fructuum, qua justè labor, ac industria adhibenda compensari videatur. Sicut etiam è contrà societas non erit, quando capras, vel alterius operas conducis, soluta ei pensione, aut pecuniâ, vel in parte fructuum, ea tamen intentione, ut lucrum ad te pertineat, & solùm pensio ad dominium, quæ erit potius conductio, aut quasi conductio, si pensio non solvatur in pecunia, vel in parte fructuum, quæ propriè pretium non est, sed quasi pretium; videatur Auctor, simul & *Dicastill. lib.* 2. *Tract.* 13. *Dub.* 1.

4 Societatis contractus à contractu mutui distinguitur etiam, tum quia in hoc dominium rei mutuatæ in mutuatarium transfertur cum periculo, & lucro ipsius solius, unde, si perit, & augetur res mutuata, ipsi soli augetur, & perit; dominium verò rei contributæ ad lucrandum non transfertur in socium cum periculo, & lucro solius socii, sed etiam contribuentis; unde, si perit, utrique perit, & quo ad lucrum, ac quo ad capitale, si quo ad utrumque communis est facta. ¶ Tum, quia mutuator ex re mutuata nullum lucrum accipere potest, bene tamen contributor ex re contributa, vel ad lucrandum exposita à socio lucrum accipere potest, cujus ea est ratio: nam in priori contractu, sicut res mutuata fit solius mutuatarii, ita illi soli fructificat, aut perit. ¶ In secundo autem, sicut res contributa non fit solius socii, sed manet etiam contribuentis, ita nec soli socio fructificat, ac lucratur, sed etiam contribuenti, sicut & etiam utrique perit; unde, cùm contribuens lucrum accepit ex re contributa, illud ex re sua accipit; è contrà verò, cùm mutuator lucrum accipit ex re mutuata, illud ex re sua non accipit. Legatur *Dicastill. num.* 12.

5 Dupliciter societas contrahi potest, universalis scilicet, & omnium bonorum, vel ad aliquod, vel ad aliqua tantùm bona, ad aliquam, vel ad aliquas negotiationes particulares. In societate omnium bonorum efficiuntur omnia communia; unde quæcunque, quæ acquiruntur, societate durante, sive sint ex negotiatione, aut ex hæreditario jure, sive ex legato, vel donatione, ac etiam ex bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, quæ ad aliquem ex sociis expectare possint, societate soluta, omnia inter socios societate universali æqualiter dividenda veniunt, nisi aliter sit conventum; si verò aliquid statutum sit, secundùm pacta, & conventiones divisio facienda erit. Et ad hanc societatem ineundam sufficit exprimere quòd est omnium bonorum, tam præsentium, quàm futurorum, &c. sed ad justitiam hujus generis societatis non requiritur quòd omnes socii æqualiter conferant, sed erit justa, etiam si quis in societatem afferat multa, & alius pau-

ca, licèt addatur pactum, quòd in fine divisio fiat æqualiter, quia diligentia, & industria unius excessum bonorum alterius compensare valet, & fieri etiam potest ut casu, vel aliquo alio modo, vel aliqua insperata hæreditate, legato, donatione, &c. ille, qui in principio contulit pauca, in fine plura contulisse reperiatur, quàm ille, qui multa in principio contulit, quæ omnia habentur *L. 3. §. Cum specialiter, & L. 5. ac L. Si frater, §. Idem Pomponius, & L. Societatem universor. ff. pro socio, & Instit. de societate in princip.* consentitque Gomes 2. Variar. cap. 1. 2. & 3. ac communiter consentiunt Doctores.

6 Societas particularis regulas non habet speciales, quia ex partium conventione omnino dependet, & ex pactis, quæ apponuntur in ipsa. Et omnia illa pacta, ac conventiones in illa apponi valent, quæ videbuntur ipsis contrahentibus, dummodo bonis moribus non repugnent, aut Juris dispositioni: unde, si huic societati pactum addatur, ut quidquid alicui socio justa hæreditate advenerit, totum fiat commune sociis, nomine hæreditatis justæ intelligitur quidquid ab intestato advenit, non verò ex testamento. *L. 3. §. De illo, ff. pro socio.* In dubio autem an societas sit universim omnium bonorum, nunquid verò particularis, irregularis censenda erit, & universalis excludenda: quia, cùm Judex obligationem omnem absolutè excludere nequeat, absolutè debet saltem includere tantùm minorem, & maiorem excludere, ac etiam maius præjudicium: cùm ergo particularis societas minorem secum obligationem afferat, & minus præjudicium, ideo ista includenda est, ac excludenda illa omnium bonorum, quæ maiorem obligationem habet, maiusque secum præjudicium affert. Textus *in L. Arianus, ff. de actis, & oblig.* ac in terminis tenet *Carpanus ad Statuta Mediolan. lib. 2. cap. 483. & Alex. in Consil. 76. lib. 4. num. 10.*

7 Conditiones ad societatem requisitas alii apponunt tres, alii quinque, & alii octo; quarum prima est, ut omnes socii aliquid conferant. ¶ Secunda, ut negotiatio sit honesta. ¶ Tertia, ut in omnibus servetur æqualitas in conferendo, scilicet, quod ab utroque socio conferendum erit. ¶ Quarta, ut pecunia collata stet periculo dómini, id est, illius, qui illam contulit. ¶ Quinta, ut pro quantitate partium collatarum lucrum dividatur. ¶ Sexta, ut dividantur etiam damna. ¶ Septima, ut expensæ sint communes, seu æquè compensentur. ¶ Octava, ut pacta injusta non apponantur.

SUBLECTIO I.

Quid ex prioribus quatuor conditionibus inferatur?

8 PRæfatis omnibus illis societatis conditionibus visis, scire venit quid ex illis inferatur, vel inferri valeat. Itaque resolves primó ex conditione prima, si neque pecuniam, nec operam, neque industriam, &c. in communi contuleris, & nihilominus Petrum lucri ex negotiatione comparati te participem facit, nullam societatem tecum ipse iniit, sed tibi lucrum donat. L. *Societas ad fin. ff. pro socio*; unde, si Petrus tibi dicat: Tecum societatem facio, & tamen tu nihil in commune conferas, donatio est, & non societas, ut ex se liquet, ac tenet Azor 3. P. lib. 9. cap. 1. vers. *dicitur duorum* in fine.

9 Secundó resolves ex secunda conditione quòd, si ego pecuniam numeram meretrici putà, ut illa commoda domo instructa, & vestibus ornata lucretur, tunc re vera ante factum nulla prorsus datur societas, *ante factum* hoc est, ante lucrum acquisitum meretricio, vel antequam turpis negotiatio sit facta, quinimo tenemur ambo ab ea societate recedere, etiam re non integra, quia tenemur peccatum relinquere. Attamen postquam peccatum commissum est, & negotiatio turpis patrata, lucrumque acquisitum, tunc verè societas datur ita, ut in conscientiæ foro teneatur meretrix cum pecuniam dante lucrum meretricio acquisitum dividere, nonque in dicto foro totum sibi retinere possit. In foro tamen externo conferenti pecuniam in malum usum nulla datur actio, imó puniri debet. L. *Nec permittendum, ff. pro socio*, & favet Lex: *Quod enim*, & L. *Quod autem, Cod.* Et

10 Idem omnino erit dicendum, quando duo, vel plures societatem inter se ineunt ad occidendum Petrum spe, vel promissione acquirendi aureos 100. ab ejusdem Petri inimico. In hoc enim casu, licèt ante scelus patratum teneantur ab ea iniqua societate discedere, post homicidium tamen lucrum inter se dividere tenentur pro æqualitate periculi, cui quilibet se exposuit; non enim tunc, casus, æquum est ut unus solus totum sibi lucrum acquirat, & nihil de eo participent alii. ¶ Excipe, si pecunias cum alio conferas, qui cum illis usuras exercet, nam tunc nec tu, nec ille adhuc post factum aliquid de lucro illo retinere valetis, cùm contra Justitiam sit acquisitum: (quod in antecedentibus casibus non evenit) unde non est dividendum, sed totum restituendum est illis, à quibus prius fuerat acceptum; quæ omnia constant tum de Contract. in gen.

ubi

ubi *de acquisitis ob turpem causam*, tum de usuris. Legatur *Bonac. Disp. 3. de Contract. Q. 6. P. 1. Dicastill.* cum multis *sup. num. 23. ac Tambur. de triplici Jure, lib. 9. de Contract. Tract. 8. cap. 3. per totum.*

11 Ex tertia conditione resolves tertiò contra dictam æqualitatem non esse quòd ille, qui ingentem pecuniæ contulit summam, longè maius lucrum accipiat, quàm ille, qui tantùm operam, aut industriam exhibet, quæ non tanti, quanti pecunia æstimatur, sicut è contrà æqualitas nullatenus tollitur, cùm quis operam, & industriam maioris æstimationis apponit, quàm sit usus pecuniæ contributæ ab altero, ac ob id maius lucrum percipiat, quàm ille, qui pecuniam contribuit, prout cum multis tenet *Dicastill. sup. num. 27.* Ex quo constat licitum esse societatis contractum, in quo unus tantùm pecuniam contulit, alter verò solùm operam, vel industriam, aut solùm instrumenta, ut equum, navigium, molendinum, vel solùm materiam, ut lapides, cæmenta, ligna, & alia ad negotiationem necessaria, quia omnia illa æqualem æstimationem habere possunt cum pecunia collata, æqualiterque ad lucrum, quod percipi intenditur, deservire valent. *L. Si non fuerit, ff. de socio.*

12 Quartò itidem ex eadem conditione tertia resolves quòd quando unus ponit operam suam, & alius pecuniam ponit in societate, necessum non est quòd ad periculum solum comparatio fiat, cui pecunia exponitur, sed satis quòd ad ipsam solam pecuniam fiat comparatio. Unde, etiam si pecunia nullo periculo subjaceat, societas valet. Et ratio est, tum quia quilibet potest ex re sua lucrum reportare, licèt nanque pecunia ex se sit sterilis, ut tamen negotiationi subsit, fœcunda plurimùm extat: cùm ergo socius pecunias contribuat, quæ sunt præcipuè fructus, vel lucri radices, nam opera sine illis erit inanis, suo competenti lucro non est defraudandus; tum quia id *esset* contra praxim Mercatorum omnium, imò Fidelium, etiam conscientiæ timoratæ; quando enim socius aureos mille confert pro certa negotiatione, & sine periculo, adhuc accipit lucrum mille aureis correspondens, seu correspondens mille aureorum usui. Et ita *Navar. in Sum. cap. 17. num. 241. Less. lib. 2. cap. 25. n. 24. Tambur. sup. cap. 4. n. 5.* & alii.

13 Ex quarta conditione resolves quintò quòd, si pecunia, quam unus ex sociis in commune contulit, perierit fortuito casu, (non tamen si culpâ lata alterius socii) periit ei, qui eam in commune contulit, præscindendo ab aliquo particulari pacto, vel consuetudine Regionis. Est *Div. Thom. 22. Q. 78. Art. 2. ad 5.* Et est ratio: quia talis pecunia in commune collata quo ad dominium, in societatem non transit, sed ejus est, qui eam in commune contulit; si igitur casu perit, ipsi, & non socio perit. *Azor cap. 2. §. 2.* qui notat quod is, qui in commune pecuniam collocat, non potest, quandiu societas permanet, extrahere ad suos usus pecuniam aliquam, quoniam, licèt ejus dominium habeat, usum tamen, societate manente, communem cum socio facit. ¶ Neque contra hoc aliquid operatur argumentum quoddam à *Lessio, ac Molinâ* appositum, ut videre est *apud Tambur. cap. 5. §. 2. num. 2. & apud Lugonem Disp. 30. Sect. 2. num. 33.* ubi ad illud bene respondent.

14 Sextò ex eadem quarta conditione resolves (contra *Filiuc. Tract. 38. cap. 3. num. 45.*) quòd, licèt verum sit quod capitale, seu pecunia ei soli pereat, qui eam apposuit, cùm solus ipse ejus sit dominus, postquam tamen dictum capitale, vel dicta pecunia in mercibus emendis expenditur, ac consumitur, dominium rei emptæ est penes utrumque socium, quia ibi intelligitur capitale permistum cum lucro, quod ad utrumque socium pertinet, ita tamen, quòd ille, qui capitale, aut pecuniam apposuit, jus extrahendi totum illud, vel totam illam integram habeat. ¶ Item quòd, si, negotiatione finita, nullum sit lucrum, sed solum capitale, hoc totum ad eum pertinet, qui illud apposuit, quia sicut capitale soli ejus dòmino perit, ita opera perit soli ei, qui eam confert, & societas fit solùm ad lucrum; unde ex capitali remanente operæ valor ei, qui eam apposuit, solvi non debet. Et ita *Molina Disp. 416. Less. sup. num. 18. ac Lugo legendus a n. 14.*

15 Itidem septimò (contra *Molinam Disp. 416. Conclus. 1. Caietan. 22. Q. 28. Art. 2. ad 5. & Lugonem Disp. 30. de Just. a num. 16.*) resolves quòd, si putà Antonius aureos 100. in societate confert, quam (præscindendo ab alio pacto, cui erit standum, si detur) iniit cum Petro, Petrus verò suam operam confert, quæ prudentis judicio 10. aureos valet, & negotiatione finita, vel societate, reperitur lucrum ex societate partum 20. tantùm aureorum esse, tunc, casus, totum capitale, id est, 100. aurei debentur Antonio, & solum lucrum inter socios dividendum erit. Ratio datur: nam qui pecuniam in societatem alteri confert, pecuniæ dominium in eum non transfert, ut dictum manet; societate ergo finita, illam ut suam assumere debet, sicut totam illam ipse solus amittit, si fortuito casu pereat. Et certè in praxi nullus societatem iniret, (quod in non parvum damnum Reipublicæ cederet) si ad se capitale totum, tota vel pecunia reditura non esset. Unde sic tenent *Valentia Tract. 3. in 22. Disp. 5. Q. 34. P. 2. Navar. in Sum. cap. 17.*

num. 252. *& seq. Sa verb. Societas, num.* 5. *Fi-liuc. Tract.* 38. *cap.* 3. *num.* 44. referens plures *Bonac.* cum multis *Disp.* 3. *de Contract. Q.* 6. *P.* 3. *num.* 11. *& Tarabar. sup.* §. 1.

16 Octavo ex quarta rursus conditione resolves quòd, licèt contractus societatis, in quo qui pecuniam apponit, per solum ipsum societatis contractum pacisceatur, ut capitalis periculum omne sit penes accipientem, (prout in Bulla Xysti V. diffinitum extat, & tenent communiter omnes) sit illicitus, Theologi tamen quendam justum invenerunt modum recipiendi sine injustitia ulla periculum totum in unum ex sociis. Et tunc hoc accidit, vel succedere potest, quando tres celebrantur contractus; primus societatis, secundus assecurationis capitalis, & tertius venditionis periculi, id omne, quod sequens explicat casus, nimirum.

Petrus ad negotiandum centum dat Mercatori Paulo, & Paulus industriam ponit; ex negotiatione autem posset uterque pro se duodecim ex lucro accipere. Deinde Paulus, qui operam ponit, assecuret alteri socio pecuniam danti illam, & pro hac assecuratione moderatum aliquod pretium, ac proportionatum accipiat à Petro, putà accipiat quatuor, ita ut jam octo tantùm pro Petro remaneant, sed hæc octo dubiæ sint fortunæ subjecta, quia certum non est totum hoc lucrum percipiendum fore: cùm ergo Petrus securum aliquod lucrum habere velit, tertium alium cum Paulo init contractum, sicque vendit illi octo illa incerta pro quinque putà certis; unde jam de primo ad ultimum, his contractibus positis, in eo casu habet Petrus pro centum pecuniæ appositæ quinque in singulos annos, & insuper securum capitale centum, quod apposuit. Et quòd hoc totum licitum sit, ex eo constare videtur, nam omnes dicti contractus seorsim sumpti, id est, cum tribus distinctis personis celebrati, honesti, & liciti sunt: (æqualitate servata) ergo etiam honesti, & liciti sunt, si simul sumantur, id est, si cum uno sint celebrati, quia identitas personæ contractûs substantiam non destruit. Sic cum multis (contra alios) *N a Spiritu Sancto Tract.* 10. *Disp.* 25. *Sect.* 2. *ac Salmant.* omnino legendi *Tract* 14. *c.* 3. *P.* 12. §. 2. *per totum.*

SUBLECTIO II.

Quid ex conditionibus reliquis resolvatur?

17 EX quinta conditione resolves divisionem in societate juxta singulorum merita expediendam esse. Neque enim fas est ut is, qui strenuam operam navat perinde, ac imbecillis quilibet, præmio decoretur æquali, id quod verum, quocunque modo societas ineatur, quæ quatuor modis fieri valet. Primo, ut singuli conferant æqualem, vel inæqualem pecuniam, quæ & quo ad capitale, ac quo ad lucrum omnibus communis fiat. ¶ Secundo, ut tantùm quo ad lucrum fiat communis. ¶ Tertio, ut unus pecuniam, alter operam, industriam, vel instrumenta conferant. ¶ Quarto, ut singuli pecuniam simul, & industriam ad lucrandum conferant. ¶ Quocunque ergo modo societas ineatur, ut justa sit, includere debet, ut tam damna, quàm lucra communia sint juxta collectæ sortis proportionem, ut qua proportione sors unius excedit, vel exceditur à sorte alterius, ea lucrum, & damnum unius excedat, vel excedatur à lucro, & damno alterius, nisi aliunde hæc compensentur, hæc enim hujus contractûs natura petit, ut secundùm proportionem sortis lucra, & damna inter socios dividantur; unde quidquid ab hac geometrica æqualitate deflexerit, contractum vitiat, restitutionique erit obnoxium. Ex quo fit

18 Primò quòd, si putà Petrus in societate mille aureos confert, cujus usus prudentis Mercatoris judicio centum aureis valet; Paulus autem operam confert judicio experti aureis centum valentem, totumque lucrum est aureorum viginti, tunc, casus, Petrus (primo loco mille suis extractis (decem accipere debet, & Paulus alios decem, quia æquali contributioni æquale lucrum correspondet, ac jure debetur. ¶ Sed notandum *ex Molina Disp.* 418. *num.* 7. *& Bonac. hic Q.* 6. *P.* 4. *num.* 3. *vers. octavò sequitur*, lucrum ex societate illud esse, quod remanet, expensis ablatis, quæ primo loco ex communi lucro solvi debent; quare, si in dicto exemplo, ubi totum lucrum fuit 20. aureorum, expensæ fuissent aureorum quinque, lucrum, quod tunc dividi deberet, non esset aureorum viginti, sed tantùm aureorum quindecim, & sic in casibus aliis.

19 Secundò quòd, si Petrus, & Paulus socii æqualem pecuniam, æquamque operam ponant ita, ut Petrus conferat 100. & Paulus itidem 100. cum utriúsque industria æquali, & viginti lucrentur, tunc, casus, Petrus centum & decem extrahere debet, & Paulus itidem alios 100. & 10. cùm unus, & alter æquam pecuniam, & æqualem industriam, ac operam ponant; si tamen negotiatio alia occurrat, in qua notabiliter plus conducat opera unius, quàm alterius, tunc mirum non erit, si pro ejusmodi æstimabiliori opera aliquid amplius proportionatum socius sibi acquirat, vel accipiat, quia ut sic plus in societate conferre censetur.

20 Tertiò quòd, si Petrus conferat 100. Paulus

Paulus verò 50. & operam, si ex negotiatione 20. aureorum lucrum pariatur, tunc, casus, si lucrum erit distribuendum, Petrus suos 100. extrahere debet, Paulus autem suos 50. Deinde operæ, & industriæ Pauli æstimatio perpendi debet, quæ Pauli opera, & industria in negotiatione valeat, quanti valent 50. redituri ad Petrum, dividendum est lucrum æqualiter, quia æquale singuli posuerunt; sed si dicta industria plus valet, quàm quinquaginta, dandum est Paulo aliquid plus, vel minus proportionatum, quod ejusmodi maiori, vel minori operæ, seu industriæ correspondeat. Legatur *Molina Disp.* 416. & 417.

21 Quarto quòd, si Petrus, & Paulus nihil pecuniæ in societate conferendo conveniunt, ut omnia lucra, quæ putà per decem annos acquirent, ex sua arte, putà navigandi (quod idem in artibus, vel exercitiis aliis) æqualiter communia fiant. Et accidit ut Petrus mille acquisierit, Paulus verò vix acquisierit 100. tunc, casus, dividendum est lucrum æque arithmetica æqualitate ita, ut singuli habeant quingentos & quinquaginta aureos, quia quando fuit societas inita, æquale (uti supponitur) erat periculum, ut scilicet Petrus, & Paulus plures, vel pauciores haberent, qui ad ipsum navigandi causâ confluerent. Ponete cum aliquo in ludendo inivisse contractum, teque plus, quàm alterum esse lucratum, nonnè tunc lucrum æqualiter dividendum erit? Utique; quia fuit contractus fortunæ, & contrarium, scilicet, ut alius plus, quàm tu lucraretur, accidere poterat; pari igitur modo in nostro casu. Legatur *Lugo Disp.* 30. *n.* 27. ¶ Et adverte quòd, si Petrus, antequam tempus illud 10. annorum fluat, videns plus nunc acquirere, quàm alius socius, societatem dissolvere velit, nullatenus id efficere potest, quia contractus ille (ut supponitur) fuit justus: pro statuto ergo tempore omnino servandus erit, cùm nulla culpa alterius socii hic intercedat, qui ex se paratus est ad operam, quam promisit, ponendam.

22 Quintò quòd, si Petrus, vel unus ex sociis certam pecuniæ summam in societatem promisit apponere, sed postea tantùm dimidiam, vel minorem pecuniam posuit, veluti si quis promisit tria millia ponere, & mille tantummodo posuit, tunc, casus, lucri divisio ad ratam pecuniæ positæ fieri debet, licèt ille, qui non stetit promissis, ad interesse teneatur alteri socio, nisi aliter socius in contrarium consenserit, prout tenet *Bonac. Disp.* 3. *Q.* 4 *num.* 6. *qui num.* 8. notat quòd nullus ex sociis potest re communi in privatum sui commodum uti, si in foro externo loquatur, secus verò in conscientiæ foro. Cavere tamen debet, nè cum sociorum damno tali re utatur, alioquin ad compensationem damni tenebitur, quia Justitiæ non patitur æqualitas ut quilibet re aliena cum tertii damno utatur. ¶ Et ad quæst. cui cedat lucrum, quod socius facit ex administratione rei communis? Respondet tale lucrum esse commune, quando communi nomine res administratur, secus autem, quando socius communem rem administrat nomine proprio, quia tunc totum lucrum ad ipsum pertinet. In hoc tamen casu tenetur socius compensare damnum, quod ob id est socius passus, vel est societas passa.

23 Sextò quòd in societate omnium bonorum, tam præsentium, quàm futurorum, & in societate omnis lucri, distribuenda sunt omnia bona, quæ tunc extant, & omne lucrum, & damnum, ac expensæ per partes æquales, non habita ratione an quis plus, vel minus posuerit, nunquid plus, vel minus lucratus fuerit, eo quod in societate hac communicantur omnia, & æqualiter dividuntur, & expensæ omnes ex bonis communibus fiunt, modo non proveniant ex delicto, & culpa socii. *Bonac. sup. P.* 6. *P.* 3. *num.* 2. cum eo, & aliis *Trulbench. lib.* 7. *cap.* 24. *Dub.* 3. *num.* 1. *ac á Spiritu Sancto cit. Disp.* 25. *Sect.* 3.

SUBLECTIO III.

Ex sexta, septima, & octava conditione.

24 EX sexta, ac septima conditione supponendo quòd damnum potest esse in ipsa pecunia negotiationi expositа, resolves quòd, si pereat aut post, vel ante negotiationem susceptam, totam dómino, aut illam ponenti perit, id quod jam ex dictis constat, vel damnum potest esse in rebus, aut mercibus ex ipsa pecunia comparatis, & ut hoc melius explicetur, est advertendum damnum hoc posse esse ab intrinseco, quod scilicet ex ipsa re, vel negotiatione fuerit susceptum, uti si pereat navis, à pyratis capiantur merces, &c. vel ab extrinseco esse posse, estque illud, quod ratione societatis evenit; (sive sit ex societate, tanquam ex causa proxima, uti si proximè propter ipsam negotiationem ex societate susceptam contingat, aut tanquam ex causa remota, seu ex occasione societatis) sed non ipsis mercibus, sed sociis, vel eorum necessariis Ministris pro communi negotiatione, uti si aliquis ex his à latronibus saucietur, &c. quo supposito,

25 Resolves primò quòd omnia damna quæ ab intrinseco, & ex proxima causa illis negotiationis proveniunt, putà si res ut ducentum frumentum emptum ex lucrum Joan-

nes

tio pereat, vel vitietur sine culpa illius, omnibus sociis abs dubio commune esse debere, quia lucra, quæ ex societatis causa proveniunt, communia sunt; damna ergo etiam communia esse debent; secus autem dicendum, si ex culpa alicujus sociorum res perit, uti si surrepta fuit, &c. ex defectu debitæ custodiæ, &c. *L. Cum duobus, §. Quidam sagarium, ff. pro socio, & §. Illud, Instit. de societate.* Legatur Bonac. suprà P. 4. n. 2. ac Lugo sup. n. 31.

26 Secundò resolves quòd, si unus ex sociis ob privatam inimicitiam, quam habet cum altero homine, ab eo patiatur aliquod damnum, putà in itinere ab eo feriatur, vel mutiletur, ad refarciendum tale damnum non tenentur concurrere alii socii, quia societas illius rixæ, vulneris, aut mutilationis non fuit ullo modo causa, sed ad summum pura, & mera occasio; sicut è contrà neque socii alii fruerentur lucro, aut commodo, cujus societas non esset causa, sed solùm occasio, uti si ea occasione aliquis alius erga eum afficeretur, & ipsum ejus hæredē faceret, vel si ipse in itinere invenisset thesaurum. Legantur *sup. Bonac. num.* 1. *Lugo num.* 31. *Molina Disp.* 418. *num.* 7. *ac Gomes Variar. cap.* 7. *de Societ.* apud quos consimilia exempla reperies alia.

27 Resolves tertio reliquos socios contribuere debere ad totum illud damnum, quod communis negotii causâ passus est socius, uti si in itinere negotii causâ suscepto, iis à latronibus expolietur, quæ ad iter, & commune negotium secum ferebat, vel si dum res communes defendit, ab aggressoribus sit vulneratus, aut si dum mancipiis communibus fugere volentibus resistit, & ex eo ab ipsis vulneretur, vel si itineris causâ in morbum incidit, tunc enim curationis expensæ, & alia communibus expensis sunt facienda, quod intellige (contra *Molinam sup. num.* 3.) etiam de expensis extra proprium domicilium factis, & de factis, postquam domum rediit, si verè morbus itineris causâ, & societatis fuit contractus. Legantur *Lugo sup. ac Tambur. sup. cap.* 7. *num.* 9. qui notant semper detrahendum esse id totum, quod ægrotus socius domi expendere debuisset, si bene valeret, sed probabilius alii docent oppositum. Legatur *à Spiritu Sancto sup. Sect.* 4. *num.* 1258. *& Bonac. sup. P.* 4. *a num.* 3.

28 Quartò resolves quòd, si socius ex suis bonis expenderit aliquid, quod pro communium mercium conservatione necessarium fuerit, vel ne deteriores reddantur merces, ex societatis pecuniis id omne sibi refarcire poterit. Sed circa hoc

29 Notandum venit quòd socius in una sententia ex justitia tenetur, vel ex suis propriis, aut ex alienis, mutuò acceptis, impedire nè damnum aliquod circa conservationem, vel deteriorationem rebus societatis eveniat, sicut qui communium rerum curam habet, & hujus probabilis sententiæ ea est ratio: quia eandemmet diligentiam, & curam adhibere tenetur in communibus bonis, ac in bonis propriis, sed in his nullus ob expensarum defectum detrimentum ullum advenire finit, & si non habuerit pecunias, illas mutuò procurat accipere: idem ergo procurare, & facere debet pro communibus societatis rebus. Et ita *Molina sup. Less. lib.* 2. *cap.* 25. *Dub.* 4. *num.* 36. *Tambur. sup. cap.* 8. *num.* 11. *ac Lugo sup. num.* 30. qui omnes asserunt jus illi competere repetendi à sociis id, quod insumpsit negotia societatis gerendo. ¶ Contrarium probabiliter docet *Rebel. lib.* 15. *Q.* 7. *num.* 7. cum aliis tenent & alii *apud cit. Molinam num.* 8. qui omnes asserunt socium duntaxat ex charitate ad id obligatum esse, si ex societate pecunias non habeat, vel illas ex illa non possit extrahere, & hæc sententia verior esse videtur; quia dictus socius non tenetur operari ultra id, ad quod ratione contractûs tenetur. Et quod mutuum accipere non teneatur, ex eo constare videtur; quia (ut supponimus) ipse non tenetur, nisi tantùm operas suas, & industriam in societate ponere, & has tantùm periculo exposuit: non tenetur ergo obligationem aliam mutui supra se assumere, neque periculo exponere pecunias proprias, cùm hæc omnia omnino sint præter primam rationem contractûs. Imò neque ex charitate tenetur, nisi in casu, quo faciliter, & absque ullo maioris damni periculo id agere possit. Tenetur tamen socius ad restitutionem de damno suo socio illato ob expensas prodigè factas.

30 Resolves quintò quòd quando unus ex sociis iter societatis causâ agens à Mauris, vel Turcis fuit captus, & pecuniâ redemptus, tunc, casu, socii alii ad ratam pecuniæ, qua se redemit, tenentur, uti docet *Dicastill. lib.* 2. *Tract.* 13. *Disp.* 1. *num.* 121. & cum aliis *à Spiritu Sancto ubi sup.* ¶ Item eleemosynæ moderatæ, quas societatis intuitu erogavit unus ex sociis, ut scilicet prosperum in societate exitum habeat, ex communibus societatis bonis sunt extrahendæ, quia socius ex communibus bonis expensas eas facere potest, quas societati utiles prudenter judicaverit esse, & societati nihil tam utile, quàm pro boni exitûs ejus intuitu eleemosynas facere; sicut nanque putaretur utile humano subsidio uti ad negotiationem susceptam, ita & multò magis Divino subsidio uti, quod fit per eleemosynas datas. ¶ Et idem ob eandem rationem dicitur, si socius per mare advehens merces à magna

tem-

tempestate impetereturque, moderatumque eleemosynæ pro mercium incolumitate emitteret votum. *Bonac* cum aliis *sup. num.* 4. *Tamburi sup. num.* 9. *ec* 10. & circa casum de socio à captivitate redempto *Bonac.* notat quòd, si socius redemptus fuerit ex pecuniis traditis ab amicis animo donandi, nihil cæteri socii reddere tenentur; bene tamen, si tales pecuniæ animo remunerandi obsequia ab eo accepta, vel repetendi animo fuerint traditæ.

31 Sextò resolves quòd, si socius aliquid acquirit ex communi massâ, ad lucrum collata ex peculiari suâ industria, quam adhibere non tenebatur, vel ex alia occasione sibi oblata, quam tamen ex vi contractûs nullatenus tenebatur arripere, (veluti, si profecturus in Indiam, aut Brasilicam ad merces comparandas, in navigatione occasionem opportunam natus, pecuniam, quam à sociis accepit pro navigatione tali, ad cambium exponat, ex eaque ingens lucrum acquirat, vel si extraordinaria diligentiâ per compendiosam viam, & concitatissimos equos ad locum negotiationis perveniens, sumptibus multis pepercit, qui, si consueta viâ, & ordinariis equis iter ipse fecisset, re vera faciendi essent) tunc, casus, omne lucrum acquisitum erit, & non erit commune sociis omnibus.

Erit quidem commune omnibus, si contractus ita fuit factus, ut quidquid per pecuniam in communem massam collatam licitè lucratum fuerit, in lucrum commune cedat, quia tunc in hoc contractu comprehenditur omne lucrum ex quacunque negotiatione, & extraordinaria viâ proveniens.

32 Tale verò lucrum sociis omnibus commune non erit, si contractus limitatè fiat, & duntaxat ad certum quoddam negotiationis genus, ordinario, & consueto modo exercendum, sed tale lucrum ex negotiatione alia, aut extraordinario modo, & industriâ acquisitum, etiam si ex communi massâ sit comparatum, proprium illius erit, qui illud peculiari industriâ, ad quam non tenebatur, acquisivit, & est ratio: quia in hoc contractu non comprehenditur, nisi lucrum illud, quod ex certa negotiatione, & ordinaria viâ ad diligentiam negotiantis acquiritur. ¶ Confirmatur: quia sicut is, qui ad negotiandum pecuniam accepit, circa unum duntaxat negotiationis genus consueto modo exercendum, si illud circa aliud genus, aliove modo, quam consuevit communiter exerceri, negotiaretur, damna in ea negotiatione sequuta non essent communia, sed propria illius: pari modo, qui ad expensas in sumptibus lucrandas compendioso itinere, extraordinarioque equitando modo usus est, si quid damni, vel incommodi in tali itinere, aut equitandi modo acciderit; non erit commune, sed proprium ipsius, ita æquùm est ut & commodum, quod ex parcis sumptibus lucratur, sit ipsius.

33 Ex octava conditione resolves primò quòd, si Paulus cum Petro societatem iniens pacto hoc societatem faciat, videlicet, ut 100. aureos putà in societate Paulus apponens, & Petrus operam suam; Petrus tantùm certam quantitatem, vel certam lucri partem habebit, quanti scilicet ejus opera æstimatur, sive ex negotiatione patiatur lucrum, aut non, & sive pereat, aut non pecunia Pauli, licitè tacit; hîc enim non intervenit societatis contractus, sed potiùs locati, & conducti, eo quòd in hoc contractu Paulus conducit operam, illique certam præstat mercedem, sive ex negotiationis lucro, vel aliunde, & hic contrahendi modus abs dubio justus est, quando juxta merces operæ præstandæ, aut præstitæ correspondet, justus & est contractus hoc pacto initus: *Si societas bene succedat in lucro, longè majorem dabo tibi mercedem, si male, longè minorem*, quia etiam hic locati, & conducti contractus intervenit, & non societatis, id quod cum aliis docet *Tambur. sup. cap.* 10. *num.* 2.

34 Secundò resolves quòd, si Petrus consignet 100. aureos apud Mercatorem Paulum, ut ei pro parte lucri (capitali salvo) aureos quinque per annum assignet, residuo lucri sibi, id est Paulo, reservato, licitè operatur, quia hîc tres dantur, & imbibuntur contractus, scilicet societatis, assecurationis, & venditionis periculi, qui tres contractus cùm liciti sint cum diversis, etiam cum eodem liciti esse debent, quod procedit, sive omnes successivè fiant, aut simul cum sociis modò æqualitas semper servetur; ex quo fit ab usuris excusari posse Ecclesias, viduas, & pupillos, Mercatoribus suis offerentes pecunias, quo quatuor, vel quinque pro centum, pro sustentatione lucrantur, quæ omnia videri poterunt *apud Bonac. Disp.* 3. *Q.* 6. *P.* 3. *num.* 8. *Less. lib.* 2. *cap.* 25. *Dub.* 3. *num.* 24. cum multis *Trullench. lib.* 7. *cap.* 24. *Dub.* 2. ac præcipuè *Lugo Disp.* 30. *Sect.* 4. per totam.

35 Resolves tertiò iniquum esse contractum, quo Petrus 100. aureos in societatem apponit ita, ut ex illis solos quinque periculo subjicere velit, alios verò nonaginta quinque sibi esse securos, ea tamen lege, ut sola etiam quinque velit sibi dari ex lucro, quia idem est, ac si centum mutuasset, ut sibi lucrum ut quinque daretur. Liceret tamen, si assecurationem iniret cum socio. Item injustus est contractus, quo Petrus 300. Joanni aureos confert, illis omnibus negotiaturo, sed ea lege, ut ducentorum periculum, similiterque lucrum Joan-

ne9

nes ſuſcipiat, reliquorum verò 100. tam periculum, quam lucrum ad Petrum expectet. Ratio datur: quia eó quòd mutuat 200. Joanni, ab eo induſtriam petit, qua Petro cum illis centum lucretur, quod eſt æſtimabile pretio, & per conſequens uſura. Cum *Salon. Trulhench. ſup. num.* 5. circa alia pacta licita, vel illicita vide *Tambur. ſup. cap.* 11. per totum *Bonac. Leſſ. & Azor* 3. *P. lib.* 9. *cap.* 3.

LECTIO II.

De Societate animalium.

36 ANimalia, quæ in ſocietate dari ſolent, vel ſunt maiora, ut boves, equi, aſini, & ſimilia, ac ſocietas hæc ad quinquennium fieri ſolet, aut ſunt minora, ut oves, capræ, &c. & hæc ſocietas ad triennium tantùm ſolet contrahi, & in unaquaque ſocietate communicantur animalium fœtus, necnon damna, & expenſæ, dictæque ſocietates fieri queunt, prout fiunt, aliæ pertinentes ad negotiationem, nempe, poteſt aliquis animalia ponere, & alius induſtriam, & laborem, cùm etiam in hujuſmodi negotiationibus multoties pluris æſtimetur labor, & induſtria, quàm ipſa animalia, modo jam ſuprà dicto; unde eodem modo, & eiſdem ſervatis conditionibus, quibus diximus fieri poſſe negotiationum ſocietates, dictæ etiam animalium ſocietates fieri poſſunt, prout tenet Sylveſter verb. *Societas* 2. Q. 4. Reginald. lib. 25. num. 401. & Molina Diſp. 420.

37 Dictæ autem ſocietates fieri ſolent vel ita, ut animalia ſint communia, aut ita ut lucrum tantùm commune fiat; & ſi dantur alii modi, quibus animalia dari ſoleant, à ſocietatis ratione rejiciuntur, uti ſi alicui tot oves putà tradas, ut ipſe ſtatuto tempore earum tibi pretium præſtet, tunc non ſocietas, ſed emptio, & venditio erit, cùm ad alium totum tranſferatur dominium; vel ſi Petro tot oves tradas, ut ipſe fructum (id eſt, lanam, lac, fœtus) ab eis accipiat, ſoluto tibi ſtipendio erit locatum; aut ſi dictas oves Petro tradas, ut ipſe eas cuſtodiat, aſſignato ſalario, vel data tibi fructuum parte, qua dictam cuſtodiam compenſes, erit famulatus. Unde tunc propriè animalium ſocietas dabitur, quando animalia traduntur, ut commoda, alimenta, fructus, impenſæ, damnaque communia ſint.

38 Ut autem dictæ ſocietates juſtæ ſint, conditiones requiruntur ſequentes. Prima, ut ſociorum quilibet aliquid conferat, ſive animalia, vel cuſtodiam, ſive induſtriam. ¶ Secunda, ut inter ſocios in impenſis, damnis, & fructibus ſervetur æqualitas. ¶ Tertia, ut animalia ejus periculo ſint, qui ea in ſocietatem appoſuit ita, ut ſi caſu fortuito pereant in totum, vel in partem, aut deteriora fiant, ipſi ea apponenti pereant, vel deteriorentur, cùm verus eorum ſit dóminus, niſi animalium periculum per aſſecurationis contractum in ea accipientem ſit rejectum, modó tale periculum juſta compenſetur mercede, quod fieri poſſe probat *Reginald. ſup. num.* 401. *ac Azor* 3. *P. lib.* 9. *cap.* 7. *Q.* 10. aſſerens opinionem contrariam (quæ eſt *Sylveſtri ſup. Q.* 8.) ſecuriorem eſſe. Legatur *Dicaſtill. lib.* 2. *Tract.* 13. *Diſp.* 1. *à num.* 121. *& Trulhench. lib.* 7. *cap.* 24. *Dub.* 5. *num.* 8. Unde ex dictis

39 Reſolves primo uſuram committere eum, qui oves alicui tradit certo pretio æſtimatas hoc pacto, ut ſibi partem fœtuum reddat, & adhuc pretium tradat illarum, etiam ſi caſu, & ſine recipientis culpa perierint; nam hic eſt venditionis contractus, cui mutuum admiſcetur, quo oves tradens virtualiter pretium mutuat cum pacto recipiendi emolumentum.

40 Secundò, (*ex Bonac. P.* 8. *num.* 3.) ſi hoc pacto animalia tradantur, ut in eodem numero ſemper ſerventur, ut ſi aliqua pereant, ex fœtibus numerus compleatur, & paſtor in fine ſingulorum annorum dimidiam partem fœtuum reliquorum accipiat, etiam hic contractus injuſtus, & iniquus videtur, quia illi æqualitas deeſſe videtur, ſi paſtoris induſtria pluris æſtimetur, quàm valeat animalium numerus ei aſſignatus; ſecus autem, ſi non pluris æſtimetur ipſius induſtria, & opera.

41 Tertiò illicita ſocietas ea videtur, in qua pacto hoc animalia tradit, ut ſcilicet, ſi pereant, apponenti, & recipienti æqualiter pereant, fructus verò dividantur æqualiter; ſi verò non pereant, apponenti capitale detur, fructus autem dividantur æquè. Ratio eſt: tum quia non ſervatur æqualitas, tum quia apponentis periculo ſors ſtare debet, niſi aliter ſortis periculum per aſſecurationis contractum in ſe ſuſcipiat ſocius, vel niſi animalia apponens animalium condòminum fecerit alterum ſocium. *Trulhench. ſuprà num.* 12. *ac Azor Q.* 10.

42 Quartò illicita ſocietas extat, in qua Petrus Franciſco vaccas duas tradit conditione ea, ut ſocietate finita, commune ſit lucrum, æqualiterque dividatur, necnon quòd teneatur Franciſcus ipſarum vaccarum pretium ſolvere Petro juxta valorem, quem traditionis habebant in tempore; quod intellige, niſi aliunde tale gravamen juſta compenſetur mercede. *Trulhench. num.* 13. cum multis aliis *à Spiritu Sancto Tract.* 10. *Diſp.* 25. *Sect.* 5. *num.* 1262. *& ſeq.*

43 Quintò licitus eſſe videtur ſocietatis con-

contractus, quo quis alteri pacto hoc animalia tradit, ut nempe commune sit lucrum, sed quòd qui animalia accepit, nihil lucri capiat, donec animalia iterum dómino suo reddita fuerint. Legatur *Bonac. sup. num.* 4. Multa alia circa animalium societatem reperies *apud Azor Instit. Moral* 3. *P. lib.* 9. *cap.* 7. per totum, *Tamburr. de triplici Jure, lib.* 9. *Tract.* 3. *cap.* 11. & multa ex sup. dictis colligi valent.

44 Hìc scrupulus quidam excitandus erat, nimirum de societate circa officia, an, & quomodo licita sint? Sed quia societas hæc, uti ait *Lugo*, solùm in Romana Curia, & aliquibus aliis Italiæ locis fieri, practicari vel solet, ideo de illa nihil agitur, sicut multi DD. alii nihil de illa dixerunt, sed hæc ad suos penates excutienda mandarunt, id quod nos etiam facimus. Legatur *Lugo Disp.* 30. *Sect.* 5. *Azor sup. a cap.* 8. *Bonac. sup. Q.* 6. *P.* 6. *ac Dicastill. lib.* 2. *Tract.* 13. *Disp.* 1. *Dub.* 6.

LECTIO III.

Quisnam societatem contrahere valeat, & qualiter inita finiatur societas?

45 QUo ad primum regula hæc sit generalis, quod omnes illi societatem inire valent, qui ad suum libitum liberam disponendi facultatem habent de rebus illis, quas conferunt in societatem. Ratio datur, tum quia nullo Jure prohibitum eis est ita contrahere, tum quia, sicut ab iis cæteri contractus celebrari possunt, ita etiam societatis contractus. Unde à contrario sensu ille, qui liberè non potest donare, alienare, vel distrahere ea, quæ ad societatem confert, nec societatem inire valet, ac proinde omnes illi, quibus est, aut non est contrahendi, vel alienandi facultas, (de quibus in de Contract. in gen. dictum manet) iidem possunt, aut non possunt societatem inire. Unde

46 Resolves primó quód filius, licèt adhuc sub patria potestate remaneat, cùm ipsius patre societatem de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus contrahere valet, cùm illorum dominium, administrationemque liberam habeat absque ulla dependentia à patre, sive ab aliis. ¶ Non poterit tamen cum patre de bonis profectitiis, id est, de bonis acquisitis pecuniis, seu aliis bonis ejusdem patris societatem inire; neque similiter cum eo contrahere valet de adventitiis bonis, eo quòd dictorum bonorum ususfructus ad ipsum pertinet patrem. Secus dicendum de bonis illis, quorum nec proprietas, neque ususfructus ad patrem pertinet. ¶ Poterit etiam filius industriam ponere, & laborem, pecuniam, vel aliud, patre ponente, & tantundem lucrari, quantum pater suus lucratur ratione industriæ, laboris, periculi, &c. habita, dummodo nomine, & periculo proprio negotietur, quia tunc justum erit, ut si stet periculo, stet etiam lucro, & commodo. ¶ Sed, si patris nomine negotietur, ipsius patris totum commodum erit, quia ipse tantum periculum subdit. ¶ Imo quando est dubium utrùm filius negotietur proprio nomine, vel nomine patris, semper putandum est patris nomine negotiari, nonque suo nomine. *L. final. ff. quando ex pacto tuo.*

47 Sed, si filius nomine proprio negotium gerit, tunc ipsius totum lucrum erit, usufructus tamen dicti lucri spectabit ad patrem, ejus vitâ durante, & post ejus mortem non tenetur filius dictum lucrum in legitimæ sortem computare, vel ad collationem portionis legitimæ cum fratribus aliis illud afferre. Et quidem merito, nè alii fratres fignis fruantur bonis fratris virtuosi in ejus damnum, hoc enim modo otiosa aperiretur via fratribus aliis: *L. Cum oportet, Cod. de bonis*, & tenet Filiuc. de Societate, cap. 6. quod intelligi debet, quando frater, qui negotiatur, id propriis pecuniis agat, tunc enim contentaneum est rationi ut qui periculum subit, commodum reportet & etiam; secus tamen, si patris pecuniis negotietur, quæ cùm reputentur communes, si lucrum afferant, justum etiam erit ut commune sit, sicut è contrà, si perirent, in damnum etiam commune essent. Vide *Bonac. Disp.* 3. *Q.* 6. *P.* 2. *num.* 2. *& Dicastill. lib.* 2. *Tract.* 13. *Disp.* 1. *Dub.* 3. *qui num.* 46. notat, salvo jure patris, inter fratres societatem iniri posse.

48 Secundò pupillus, & minor absque licentia, & facultate Tutoris, vel Curatoris nullatenus cum fratre, aut aliquo alio societatem contrahere valet, esset tamen bonus contractus, si in eorum cederet utilitatem, ac illum post tutelam approbarent, &c. Et si notabiliter fuerint læsi, restitutionem in integrum petere poterunt. Ratio est: quia, licèt ipsi rerum dominium habeant, administrationem tamen ad contractum necessariam nullo modo ex vi Legis habent. *Rebel. lib.* 10. *Q. ult. ac Bonac. sup. num.* 5.

49 Tertiò Religiosus societatem inire non valet, cùm non sit sui juris. *Baldus in L. Si fratres.* ¶ Similiter omnes illi, qui rationis usu carent, incapaces sunt hujus contractûs, uti sunt ebrii, amentes, furiosi, & hujusmodi. *L. Societates contrahentur, §. ult. pro socio.* ¶ Item neque Medicus cum infirmo, tempore infirmitatis durante, societatem inire valet: *L. Medicus, ff. de variis, & extraordinar. crimin.* ¶ Idem dicitur de Advocato respectu clientis. *L. Quisquis, Cod. de postulation.* ¶ Idem de Tutore, &

Curatore respectu pupilli, ac minoris. *L. Si emptione §. fin. de contrahenda empt.* ¶ Idem de detentis in carcere, cùm in suî perniciem prohibeantur contrahere. *L. Qui carceres, ff. quod metûs causâ.* ¶ Et tandem prodigi, qui ex Juris dispositione nullam liberam administrationem habent. *Filinc. sup. cap. 7. ac sup. Bonac. & Dicastill.*

50 Quo ad secundum, videlicet *quomodo solvatur societas*, dicitur multis modis dissolvi posse. Primo finito tempore constituto. *L. Actiones, §. Item si alicujus, ff. pro socio*, nisi tacito, vel expresso sociorum consensu innovetur, seu continuetur societas, quia tunc novus censetur advenisse contractus.

51 Secundo finito negotio, quia ad illud societas solùm se ostendebat, finiri etiam negotium censetur, si totum capitale, imò si magna ejus pars casu pereat, vel ita mutetur, ut non sit ad negotium aptum, quale esset frumentum, si eo modo vitiaretur, ut amplius humano usui idoneum non esset. ¶ Itidem negotium finiri censetur, si in agro à sociis excolendo publica authoritate ædificetur Ecclesia. Et idem dicitur quando socius promissam pecuniam, vel operam contribuere nequit, veluti si in paupertatem incidisset, vel in ægritudinem, aut in carcerem fuisset conjectus, ejus vel bona publicata essent, aut quid simile illi eveniret.

52 Tertio modo finitur societas per renuntiationem, vel per voluntatem, & mutuum sociorum consensum. Ratio datur: nam res per quascunque causas nascitur, per eadem dissolvitur, & societas ex mutuo sociorum consensu duxit ortum: *à Spiritu Sancto cit. Disp. 25. Sect. 6.* ¶ Quòd si unus ex sociis in amentiam incidit, non dissolvitur societas, nec ejus Curator renuntiare potest, nisi in casibus, in quibus socius ille potuisset, si fuisset sanus, & sic in hoc casu continuare omnino socii debent societatem, ac lucrum cum amentis Curatore dividere. *L. ult. Cod. pro socio*; sufficit tamen renuntiatio tacita, qualis illa esse censetur, qua sociorum quilibet seperatim negotiari incipit in proprium commodum. *L. Itaque cum separatim, ff. pro socio.*

53 Si verò renuntiatio absque tacito, vel expresso consensu sociorum fiat, non valet, sed quilibet contractui stare tenetur, & si non steterit, refarcire damna, quantum sociis stetisse contractui interest, quia consensus saltem tacitus semper requiritur; quapropter socius, qui ante tempus præfixum societati renuntiat, societatis non sentiet commodum, cùm ex parte sua societati jam cedat, sentiet tamen damnum, si, aliis invitis, societati renuntiet. Est communis, leganturque citati.

54 Sunt tamen quatuor casus, in quibus unus ex sociis, invitis aliis, renuntiare potest. Primus, si ei non serventur pacta, quia *frangenti fidem fides non est servanda.* ¶ Secundus, si socii sint ei injuriosi, vel damnosi ita, ut prudentis arbitrio non sint tolerandi. ¶ Tertius, si cesset spes lucrum percipiendi ex negotiatione suscepta. ¶ Quartus, si socius debet Reipublicæ causâ abesse, nec commodè socius, vel aliis vices suas committere possit. *Tambur. de triplici Jure, lib. 9. de Contract. Tract. 11. de Societ. cap. 10. num. 5. Bonac. sup. P. ult. num. 2.* ibi notans quòd in his casibus semper servandæ sunt prudentiæ regulæ, nec facilè, sociis invitis, dissolvendæ sunt societates, cùm stet pro ipsis possessio.

55 Quarto finitur societas naturali morte unius ex sociis, (etiam si multi consocii remaneant) nisi contrario pacto fuerit firmatum: *L. Verum, §. fin. ff. pro socio.* Sed, si fuerit pactum quod ad hæredes societas transeat, respondet *Tambur. sup. cap. 10. num. 12.* remanuram quo ad superstites socios, non tamen quo ad hæredes defuncti, & hoc etiam si tale pactum juramento fuerit firmatum; cùm ipse sit sententiæ eorum, qui asserunt juramentum non firmare contractus, quia juramentum partis non validat actum à Jure prohibitum, & interdictum. ¶ Sed secus dicitur in sententia alia affirmante juramentum firmare contractus. Aliquando tamen post naturalem alterius mortem societas perseverat, & est primò quando hæres cum sociis aliis convenit, nam tunc censetur societas de novo inita. *L. Planè, si hi 37. ff. pro socio.* Et ad hoc sufficit consensus tacitus, ut si societas, nemine repugnante, continuetur. ¶ Secundò quando societas morte socii intempestivè finitur cum præjudicio rerum, negotiorum, ac hæredum; unde notant multi societatem non finiri, quando triticum seminatum est, & non dum collectum, ac quando societas est circa vectigalia, vel alias res publicas conductas, in quibus casibus societas ad hæredes transit, modò societati apti, & idonei extent. *Bonac. sup. num. 3.* cum multis *Dicastill. sup. num. 173. à Spiritu Sancto num. 1268. ac Lugo Disp. 30. de Just. num. 4.*

56 Ulterius quinto finitur morte civili; (quidquid alii in contrarium probabiliter asserant) civilis autem mors adesse censetur primò quando bonorum cessio datur. ¶ Secundò quando datur maxima, aut media capitis diminutio, id est, vel deportatio in Insulam cum libertatis amissione, vel solùm deportatio dicta, aut exilium. ¶ Tertiò capitis diminutio censetur in Religione approbata solennis Professio, quod multis ex Legibus probat *Molina Disp. 414. Tambur. sup. à num. 8. ad 10.* cum

aliis

aliis *à Spiritu Sancto num.* 1269. qui notat quòd interim, dum ſocii mors ignoratur, valent ea, quæ inter ſocios jure aguntur.

57 Sexto tandem finitur ſocietas ſocii alicujus egeſtate, nimirum quando rem, aut pecuniam contribuere nequit, vel quando ipſius publicantur bona, aut ipſe alieno adſtrictus ære ſuis cedit bonis. *L. Actioni, ff. pro ſocio.* ¶ Et idem dicitur, quando ſocius operam, & induſtriam præſtare non valet, eo quod morbo, carcere, captivitate, &c. impeditus extat. ¶ Et etiam quando res, ac materia, in qua ſocietas ipſa fundatur, totaliter perit, in quo caſu non tenetur ſocius, licèt poſſit, rem ſimilem aliam, aut pecuniam loco peremptæ ſubſtituere, cùm jam ſit finita ſocietas. ¶ Imò ſocietas perit, non ſolùm quando tota pecunia alterius perit, ſed etiam quando aliqua modica, & exigua remanſit, quia non cenſetur in eo caſu voluiſſe ſe obligare ad præſtandam operam ſuam longè majoris valoris. ¶ Et idem, quando res notabiliter variata fuerit ita, ut ad ſocietatem non ſit idonea. Legantur *ubi ſup. à Spiritu Sancto, ac Dicaſtill.*

LECTIO IV.

De Societate inter fratres, quando nimirum inter eos cenſeatur ſocietas dari, & in quibus bonis.

58 QUia, parentibus mortuis, indiviſa hæreditas, ſive patrimonium fratribus remanere ſolet, hinc oritur quæſtio utrùm, defunctis parentibus, ſtatim inter fratres ſocietas cenſeatur contracta? Ad quod reſpondet *Barthol. in L. Si patruus, Cod. communia utriuſque* ibi: *Si neuter eorum negotietur, ſocietas non eſt contracta; ſi unus ſolus negotietur, non contrahit ſocietatem cum altero, quia nullam operam negotiationi dat, ſi uterque negotietur, eo ipſo inter ipſos ſocietas contracta cenſetur,* & tenet *Bald. in L. Cum duobus, §. Si frater, ff. pro ſocio, ac in cit. L. Patruus* docet ex fratrum actibus colligi poſſe an, vel non ſocietas detur, quia viri nobiles negotiari non ſolent, & primus actus eſt, ſi in communi bona omnia conferant, ſcilicet munera, dona, ſtipendia, & alia, quæ ipſis legata ſunt, tunc ſocietatem iniiſſe cenſentur, cùm dicti actus ſint ſociorum, ſic etiam, ſi unus ex fratribus omnia bona ſua cum alio communicat fratre, quanvis ipſe non negotietur, cum eo tamen ſocietatem contrahit negotiatione in illa, in qua ſuus frater ſe exercet, & lucrum commune erit, laborum, & expenſarum ratione habita. Circa quod legatur *Molina Diſp.* 421. *ac Azor* 3. *P. lib.* 9. *cap.* 19. *Q.* 1.

59 Sed, ſi aliud non fuit expreſsè deductum in pactum, vel aliud tacitè non colligitur ex ſignis, actibus, ſive præmiſſis, non cenſetur ea ſocietas omnium univerſim bonorum, ſed tantùm de hæreditariis bonis, & lucris, damniſque ex illis, aut ex aliqua particulari negotiatione, & adminiſtratione eorundem bonorum, vel ſimul etiam de operibus fratrum, ac ſororum, adminiſtrationem, & juvamen familiæ concernentibus; quo ad hæc autem omnia eo uſque cenſetur extendi ſocietas, quo uſque in pactum fuerit deductum, aut ex mutua operum, ac lucrorum communicatione colligi potuerit; quo ad reliqua verò, ſi aliquid alicui eorum aliunde devenerit vel donatione, ſive titulo hæreditario, aut legati, vel ex quacunque alia ſua induſtria, quæ non ſit ſocietati debita, totum hoc ejus ſit, ad quem talia iſta deveniunt *L. Si fratres in princip. ff. pro ſocio.* Molina, & Azor ſup. Bonac. Diſp. 3. Q. 6. P. unico.

60 Societate inter fratres inita, facienda eſt diviſio ad ratam hæreditatis, & pecuniæ in ſocietate poſitæ ita, ut ſi fratres bona inæqualia habeant ratione hæreditatis, finita ſocietate, bona dividantur juxta portiones, quas unuſquiſque contulit, vel in hæreditate habebat, niſi aliud fuerit deductum in pactum, eo quòd hoc modo ſervetur æqualitas; unde etiam ſit primò (contra *Molinam Diſp.* 421.) quòd, ſi aliquis fratrum majorem diligentiam, & induſtriam adhibuerit aliquid plus, quàm ejus poſtulat hæreditaria portio, accipere poterit, niſi à principio aliter juſtè fuerit conventum, quia induſtria ipſa pretio eſt æſtimabilis, cùm ad ſocietatem induſtria non minus utilis ſit, quàm eſt res ipſa: ſicut ergo qui ad ſocietatem majorem confert hæreditatis partem, majorem lucri percipit partem, ita pariter qui majorem ponit induſtriam, majorem lucri accipiet partem. Cum multis *Dicaſtill. lib.* 2. *Tract.* 13 *Diſp.* 1. *Dub.* 8.

61 Secundò ſit fratrem filios non habentem poſſe ſibi compenſationem accipere, ſi alter frater filios habens plus inſumat ex communibus bonis, ſicut è contrà, ſi frater filios habens illos negotiari faciat, & in bonis laborare communibus, plus quàm frater alius accipere valet, qui vel nullam operam, aut ſuam tantùm negotiationi communi exponeret. *Vaſques in Opuſc. de Teſtam. cap.* 7. *Dub.* 11. *ac Bonac. Diſp.* 3. *Q.* 6. *P.* 6. *num.* 7.

62 Fit tertiò quòd, ſi ex fratribus unus debita contraxit, eo quòd ſtuderet, vel alterius negotii causâ extra domum reperiebatur, tunc, ſi communis moriatur pater, debita ex communibus bonis paternis ſunt extrahenda, ſive ſolvenda, quia reputantur debita patris, quibus ex his bonis eſt ſatisfaciendum; (quod in-

tellige in casu, quo pater non haberet bona filii adventitia, vel castrensia, aut quasi castrensia, circa quod vide *Molinam Disp. 239. ac Navar. cap. 17. num. 160.*) prout tenent *Vasquez sup. Dub. 8. num. 154. Lopes 2. P. cap. 22.* & cum illis *Dic. stil. sup. num. 156.* qui notat quod, si frater, mortuo patre, in studiis perseverare velit, ad extraordinarias expensas non tenentur cæteri fratres, uti ad expensas Doctoratûs, & similium, quæ non videntur ordinariæ expensæ. Legatur *Bonac. sup. n. 4.* Unde

63 Quartò fit etiam quod, si unus ex fratribus propter delictum aliquod pœnam aliquam solvere cogatur, alios vel sumptus sic culpabiles, & superfluos faciat, ad ipsum solum pertinebunt, & non ad alios fratres. *L. Cum duobus, §. Damna, ff. pro socio,* & docet Molina Disp. 421. legendus.

64 Fit quintò quod, si duo fratres simul habitent, & eorum unus ex suis bonis in communi victu aliquid impendat, illud recipere sibi nequit, si in omnibus bonis societas fuerit contracta, secus, si contracta non fuerit; id quod currit, quando fratres sunt maiores, fraterque minor, vel furiosus alius adesset, cui bonorum administratio interdicta esset, tunc enim impensæ non repetuntur, nisi ille, qui impenderit, se declaret, dicendo se condonare nolle, & maximè, si jam ad alimenta sufficiant communia bona. Ex quo deducitur quòd, si aliquis frater expensas faciat pro consequenda dignitate aliqua, vel in suis nuptiis, aut filiorum, illas in partem computare teneatur, secus, si contraxisset societatem omnium bonorum, tunc enim eorum quilibet filias suas ex communibus bonis dotare posset, cùm ad invicem sint omnia damna, commoda, debita, pericula, &c. *Azor 3. P. lib. 9. cap. 19. Q. 6. 8. & 9. Filiuc. tom. 2. Tract. 38. cap. 7. num. 147.* & alii.

65 Sextò fit quòd, si unus fratrum extra domum in alienis partibus negotiationis causâ reperiatur, cum paternisque bonis negotietur, interimque moriatur pater, tam commodum, quàm incommodum, quod talis frater ex dicta negotiatione reportat, sicut & etiam fructus hæreditatis paternæ, commune erit, eritque inter omnes dividendum æqualiter. Et est ratio quo ad primam partem: quia tam fratres præsentes, quàm absentes sunt domini hæreditatis paternæ, ut ex se patet, ac res domino suo fructificat semper. Quo ad secundam ea est ratio: quia frater, qui extra domum paternis bonis negotiatur, ipsorum bonorum periculo negotiatur; sicut ergo communia sunt paterna omnia bona, sic etiam debent illa cum suo commodo, vel incommodo communia esse, & usque quo fratres domi existentes absentem fratrem certiorem non faciant, protestenturque se negotiari nolle, sed velle existentia dividere bona, semper talis frater negotiari valet usque ad negotiorum terminationem, omniaque communia erunt de lucro, vel damno; tum quia sic præsupponitur ex voluntate paterna, tum etiam, quia id præsumitur dictos fratres velle, dum contrarium non explicant, & ita expresse quo ad secundam partem tenet *Bonac. sup. num. 5. Molina sup.* & alii; licèt quo ad primam partem contrarium teneat, nimirum tam commodum, quàm incommodum, quod talis frater ex dicta negotiatione reportat, esse tantùm ipsius, & non aliorum, fructus autem hæreditatis communes esse. Sed nostra sententia est verior ob datas rationes.

66 Fit septimo quòd, si ex fratribus unus, ejus vivente patre, nihil secum deferens ex his, quæ patris sunt, vel matris, nec cujusquam alterius, sed pauper, &c. & ut ita dicamus, nudus, ac omni domestico auxilio destitutus Indiam, vel Brasiliam proficiscitur, ibique suis laboribus, & industriâ multas facultates comparat; nihil tenetur dare fratribus, aut etiam ipsi patri de illis omnibus, quæ acquisivit modo præfato, eo quòd acquisita sunt absque ullo peculio patris, solaque industriâ, ac diligentiâ ejus, subindeque inter bona castrensia, & quasi castrensia, quæ ad filium pertinent quo ad dominium, usumfructum, & administrationem, computanda veniunt, neque eorum quidquam ad patrem spectat, & ita patet quòd talis filius non tenetur bona illa in divisione, quæ fit inter fratres, conferre. Et tenet *Moronius Respons. 43. num. 42.*

67 Octavò fit quòd, cùm pater nihil juris habeat in bonis castrensibus, & quasi castrensibus, neque quo ad proprietatem, nec quo ad usumfructum, (ut dictum est nuper, & ex dictis alibi constat) sed tam proprietatem, quàm usumfructum penes ipsum filium esse ita, ut filiusfamilias ratione illorum bonorum paterfamilias veniat censendus, & hoc tam Jure veteri, *ff. quàm novo, Authent.* & *Cod. L. 1. §. ult. ff. ad Senat. consult.* Macedon. & *L. Non oportet, Cod. de bonis, quæ liberis, L. ult. Cod. de inofficios. testam. Authent. ut liceat matri, vel patri, Collat. 8.* filiusfamilias pro suo arbitratu de his statuere potest, & ut paterfamilias de illis testari. *L. penult. Cod. qui testam. fac. possunt.* Nec post patris obitum quidquam ex prædictis cogitur dictus filius cum aliis fratribus communicare. *L. ult. Cod. de collat. & L. Cum antiquis, Cod. de inof. testam. L. Cùm oportet, §. 1. Cod. de bonis, quæ liberis, L. Filiusfamilias, Cod familiæ erciscundæ.*

SUB-

SUBLECTIO.

De aliis bonis, quæ inter fratres non communicantur, nonque inter eos sunt dividenda, vel ad partitionem deduci non debent.

68 SCiendum est omnes fratres, patri, vel matri succedere volentes, in communi ea omnia conferre debere, quæ ex parentis bonis acquisierunt, cui succedere volunt, & hoc, sive sint masculi, aut fœminæ, sive sint sub patria potestate, aut emancipati, nisi expressè, vel tacitè, aut per conjecturas expressas obligationem dictæ collationis in communi condonatam eis fuisse prudenter præsumatur. *L. Ut liberis, Cod. de collat. Authent. Ex testam. Cod. de collat.* tenetque Bonac. sup. num. 1. & 2. tenent & alii: unde probabiliter

69 Resolves primò quòd omnes filii, tam legitimi, quàm adoptivi, ad dictam collationem, seu acervum ea omnia bona conferre tenentur, quæ ex parentis bonis acceperunt; secus dicitur de illegitimis, eo quòd ipsis legitima non debetur; intelligitur etiam resolutio de illis, qui dictorum filiorum loco succedunt, uti sunt nepotes, nempe filii dictorum filiorum, qui in bonis avi succedunt, eo quòd personam patris repræsentant, mediatique filii vocari valent; quapropter, si pater dedit aliquid conferibile filio suo Petro, & Petrus moriatur, relictis filiis, tenentur isti in communi conferre cum patruis suis (*seus tios*) in defectu Petri patris immediati, repræsentant enim personam patris sui Petri, & in ipsius loco succedunt, ac per consequens ad ipsos transit jus, atque conferendi obligatio. *L. Si nepotes, ff. de collat. bonor.* & *L. Si Nantas, Cod. de collat.* tenetque Molina Disp. 237. cum multis Bonac. sup. num. 1.

70 Secundò quòd, si nepotes, aut dicti mediati filii aliquid acceperunt ab avo, non intuitu patris, sed ipsorum intuitu, non tenentur illud, mortuo avo, in communi conferre, sicut nec ipsorum pater illud teneretur conferre; secus quando patris intuitu esset donatum. Sed ordinariè loquendo intelligitur donatum nepotibus ipsis ex affectione, quam circa ipsos habere solent; si tamen dubium esset, an nepotum intuitu donatum sit ex aliqua legitima conjectura, tunc patris intuitu præsumi debet donatum, quando donum fit ex causa ad ipsum patrem pertinente, veluti si donatum sit aliquid ratione dotandæ, vel maritandæ filiæ mediatæ, sive filiæ proprii filii; & in omnibus illis casibus, in quibus simplex donatio præsumi non valet. Legatur *cit. Molina, & Vasques Opusc. de Testam. cap. 7. Dub. 14. n. 279.*

71 Tertio quòd quando, viventibus filiis, legitima à patre assignata fuerit, non tenentur nepotes, si postea ab avo aliquid recipiant, illud in communi conferre, quia ampliùs eis non debetur legitima, cùm jam à patre assignata fuerit. ¶ Item neque collaterales ad id tenentur, quia nec ipsis legitima debetur, neque ipsi necessariò succedunt. *Vasq. sup.* & communiter. ¶ Hoc verum, quòd id, quod dictum est de descendentibus, nullatenus de ascendentibus dicitur, ut de avia, vel ab avo, qui, quanvis eodem modo succedant, ut descendentes in filiorum, vel nepotum bonis, tamen quando aliquid ascendentibus à suis descendentibus traditur, præsumi non potest in compensationem legitimæ traditum, cùm ordine naturæ prius ascendentes, quàm descendentes decedere debeant. Deinde nullum Jus extat, quod ad id dictos ascendentes obliget. Circa quod legendus est Molina sup. Dub. 3. num. 137. & Dub. 13. num. 170. ac 179. Emmanuel de Sá verb. *Hæreditas*, num. 42. & Bonac. sup. vers. *utrum ascendentes*, qui infert patrem non teneri, mortuo filio, conferre ea, quæ à filio accepit, filio suo vivente.

72 Quartò quòd, si filius succedere noluerit, contentusque sit de re sibi tradita, nihil post mortem patris ipsius in communi conferre tenetur; *L. ult. ff. de collat. dotis*, (nisi eæ donationes excessivæ fuerint, præjudicentque legitimis, quæ aliis filiis debentur, nam tunc contra illas ut inofficiosas agi poterit) bene tamen filius petere potest illud, quod sibi à patre in testamento titulo legati fuerit relictum, quin in communi illud conferre teneatur, nisi in casu, quo in hæreditate succedere velit. *Sá, Molina* suprà, & alii. ¶ Similiter ille, qui in persona filii succedere vult, non tenetur in communi bona illa conferre, quæ illi simpliciter, & absque necessaria causa, sed ex mera liberalitate donata fuerunt à patre, vel ab avo, quod patet *ex L. Illud, §. ul. Cod. de collat.* quia talis donatio non præsumitur facta in compensationem legitimæ. Excipitur tamen donatio facta filio emancipato, hic enim tenetur omnia sibi donata, sive ante, aut post emancipationem in communi conferre. *L. ult. ut liberis, Cod. de collat.*

73 Quintò quòd illa, quæ à patre in cibum, vestitum, equitatum respectu filii fuerint consumpta, non tenetur filius in communi conferre, cùm Jure naturæ debita sint ipsi filio, & propter hoc condonata censentur. *Vasques Disp. 8. Navar. cap. 17. num. 160.* & alii. ¶ Utrùm autem teneatur filius in communi libros illos afferre, quos pater emit causâ studii ipsius filii? Duæ sunt opiniones, quarum prima dicit in communi deducendos esse libros, sed juxta valorem, quem de præsenti habent, dum-

dummodo filius Doctoractûs gradu non sit insignitus, vel ad Sacros Ordines promotus. *Molina Disp.* 239. *ac Lopes* 2. *P. c.* 20. *Conclus.* 3. sed contrarium tenet *Vasques Disp.* 8. dicens libros filio à patre vivente traditos in cõmuni conferendos non esse, si pater illos emit nomine filii, jamque eos ei tradidit, vel ad hunc finem ei pecunias dedit: nam empta nomine alicujus ipsius sunt, & pater condonasse censetur. Quod intellige, quando ex caula magna inter fratres æqualitas non consurgeret. Et istam partem sequitur *Navar. sup. num.* 194. *Sá num.* 43. & alii.

74 Sextó quòd filius non tenetur in communi conferre pecunias eas, quas, vivente patre, in quantitate moderata consumpsit in ludis, dedit aut meretricibus; quia pater non præsumitur velle filium ad talem restitutionem obligare, seu pecuniam illam in communi deducere, licèt modus, quo tales pecuniæ consumptæ fuerunt, ei displicuerit. ¶ Secus dicendum, quando quantitatem magnam in damnum aliorum fratrum consumpserit. Legantur Lopes ubi sup. Molina Disp. 242. Vasques Dub. 7. num. 151. ac Sylvester verb. *Peculium* 2. Q. 9.

75 Septimó quòd, si unus ex fratribus nupsit, extrahere potest omnia bona, & omnes nummos, cæteraque, quæ occasione dotis, ac uxoris acquisivit; ut tamen extrahi queant, constare debet cum fratribus esse communicata, id est, simul cum aliis bonis societatis posita; quod tenet *Carpa ad Statutum Mediolanensem lib.* 2. *cap.* 283. *num.* 234. *& seq.* Item debet frater, qui duxit uxorem, habere omnia, ac cujuscunque generis mobilia, & immobilia, quæ uxoris intuitu domum fuerunt ingressæ; de quo *Menoch. Consil.* 21. *num.* 34. ¶ Et idem frater, qui uxorem duxit, omnia, quæ donata conjugi fuerint, nuptiarum tempore extrahere valet, ac etiam quæ filiis tempore Baptismi fuerunt donata, quia intuitu uxoris, vel mariti, aut filii, non verò fraternæ, præsumuntur donata, & ideò debent esse solius mariti. Clarus in §. *Donatio*, Q. 10 vers. *Sed nec aliquod*, Menoch. de Præsumpt. lib. 3. Præsumpt. 26. & de Arbitris lib. 2. Casu 118.

76 Conjugatus tamen frater societati fraternæ compensare tenetur quidquid insumpsit in donando iis, qui sponsæ, & filiis donaverunt, quia justum est ut sicut dona ad ipsum solum spectant, ita etiam soli ipsi imputentur impensæ, argumento cap. *Qui sentit commodum*; & cùm sit particularis societas, quidquid unusquisque frater pro suo particulari interesse expendit, illi imputari ad debitum debet. Sed ut hæc intelligantur, legendus est *Carpa sup. lib.* 2. *cap.* 483. *num.* 121. *ac* 136. *& seq. ac Mantica de Tacitis, lib.* 6. *tit.* 2. *num.* 5.

77 Octavó quòd expensæ factæ à fratre, qui duxit uxorem, ut matrimonium sequeretur, quæcunque sint illæ, tam factæ ante matrimonium contractum, quàm post illud contractum, uti ea, quæ donata sunt aliquibus, ut operam suam adhiberent ad hoc, ut matrimonium proprium suum sequeretur effectum, &c. conjugato imputantur fratri; & etiam expensæ factæ in itineribus voluntariis, & quæ nullo modo ad societatis utilitatem spectant. Facit textus *in L. Cum duobus*, §. *Per contrarium*, *& §. fin. ff. pro socio*, docetque Petrus de Ubaldis de duobus fratribus Part. 6 num. 26. *argumento L. Adeò*, §. *Quod in alta*, *ff. pro socio.*

78 Nonò quod aliæ multæ expensæ factæ à patre in convivio causâ nuptiarum, vel primi Sacri celebrati, aut promotionis ad Doctoratum, vel Professionis in Religione in legitimæ computationem non sunt reducendæ: nam omnia prædicta pertinent ad rationabilia alimenta filio debita, de quo fuse Molina Disp. 238. vers. *de expensis* plurimos referens. ¶ Secus de expensis causâ nuptiarum ultra convivium, vel causâ dotis, ut jam tactum est. Item ea, quæ donantur à patre ad subeunda matrimonii onera, uti sunt ea, quæ traduntur ad uxorem alendam, & familiam, nullatenus sunt conferenda, quia pater filium, ac nurum alere, & sustentare tenetur, ex quo censetur pater rationabiliter condonasse ea; secus dicitur de immobilibus rebus, quæ pater filio tradidisset, ut ex eorum fructibus familiam aleret. Legatur *Molina suprà.*

79 Decimó quòd expensæ à patre factæ circa bona adventitia filii, & quæ in dicti filii perpetuum emolumentum redundant, in communi conferri debent, nam cum tali animo impendisse patrem judicari debet; secus esset, si de voluntate patris contrarium constaret, & in dubio, si dictæ expensæ adeó necessariæ non erant ad dicta bona, neque ad utilitatem perpetuam, illas in legitimam filius computare non tenetur, quia censetur utiles tantùm ad fructuum perceptionem, quorum dominium est apud ipsum patrem, ac consequenter ad ipsum expensæ spectant. Ex *Barthol.* docet *Navar. cap.* 17. *num.* 163. & tenet *Molina suprà.*

80 Undecimó quòd, si filius delictum commiserit aliquod, ob quod pater pœnam pro filio solvit, dicta pœna in legitimæ partem erit, & non erit computanda; computanda erit, si pater solùm ex pietate illam solverit. Argumento *L. Liber captus*, *Cod. de collat.* Barthol. in Tract. de duob. fratrib. num. 31. quod idem dicitur, si filius redimendus esset dum est in captivitate, vel in carceribus, quanvis in his duobus intelligantur condonatæ expensæ,

nisi

nisi pater aliud expresserit. ¶ Et idem dicitur de expensis factis peregrinationis causâ ad Loca pia, ipso patre vivente. *Vasq. Dub. 8. num. 155. ac Molina Disp. 240.* cum aliis *Bonac. Disp. 3. Q. 6. P. 6. num. 19.*

81. Duodecimò quòd neque Doctoratus, nec Beneficium Ecclesiasticum, neque impensæ factæ in comparando tali Beneficio, &c. in communi conferendæ veniunt post patris mortem, nisi de voluntate patris contrarium expressè, vel saltem tacitè constet. Barthol. in L. 1. ff. de collat. bonor. §. *Nec cassreuse.* ¶ Secus dicitur de officiis, quæ vendi, & transmitti possunt ad hæredes, quia profectitia bona vocantur, in communique sunt conferenda ultra eorum æstimationem *Vasq. num. 9. Molina Disp. 241. & Covar. Var. cap. 19. num. 4.* ¶ Idem de bonis, quæ filius habuit à patre ob extraordinaria obsequia dicto patri exhibita. *Navar. cap 17. num. 144. ac seq. Vasq. Dub. 10. num. 163 Molina Disp. 244.* & alii.

82. Decimotertiò filius tamen in communi tenetur deducere id, quod communi nomine emit, quia illius est res, cujus nomine empta fuit, &c. ¶ Sed est dubium utrùm filius in communi teneatur deducere id, quod pecuniâ patris acquisivit, vel expensas eas deducere queat, quas pater alii extraneo dedisset, seclusis alimentis ei præstitis? Et dicitur filium ad conferendum in communi omnia ea teneri, quæ patris pecuniâ acquisivit, posse tamen, si velit, expensas omnes eas deducere, quas pater alteri ob ejus laborem, & curam erat daturus, & in communi eas non conferre, sed deductis expensis factis à patre in alendo filio, & nisi filius intendebat gratis facere, vel patri inservire, prout communiter filii facere solent dum sub patria potestate remanent. Sed circa hoc jam alibi vidimus. Tu vide Less. lib 2. cap. 12. num. 81. ac Angel. verb. *Peculium*, num. 11. ¶ Multa alia circa hæc de fratrum societate mittimus hîc, de quibus fortè *Tract. de Donat.* sermo iterum ibit: legantur citati, & *Lugo tom. 2. de Just. Disp. 24. Sect. 8. Fragoz. tom. 3. lib. 5. Disp. 8. §. 9. ac 10. & Ordinat. Lusitan. lib. 4. tit. 97.* per totum. Et de hoc satis.

CAPUT V.

De Censibus, Cambiis, Locatione, Conductione, Emphyteusi, & Feudo, ac de Fidejussione, Pignore, Hypotheca, Deposito, Commodato, Precario, Negatiis gestis, Sponsionibus, Assecuratione, & Sortibus.

OMnes præfati contractus, quos istius capitis titulus enumerat, frequenter habentur in praxi, ac ideo de omnibus illis hîc venit agendum, licèt breviter, & de eorum quolibet lectio tua erit. Sit pro Censibus ergo

LECTIO I.

Quid, ac quotuplex, an, & quibus in casibus licitus sit Census?

1 VAriis Censûs acceptionibus missis (quæ *apud Molinam tom. 2. de Just. Disp. 381. Azor tom. 3. Instit. Moral. lib. 10. cap. 1. Layman lib. 3. Tract. 4. cap. 12.* & apud alios videri poterunt) Census (prout de eo hîc loquimur, id est, quatenus annuum importat, ac significat redditum, qui ex rebus, & bonis alterius percipitur) sic definiri, præscribi vel potest, dicendo quòd *est jus percipiendi annuam pensionem ex re, vel ex persona alterius.* Explicatur.

2 Dicitur *jus*, quia non est res ipsa, quæ censui subjicitur, neque ipsa annua pensio, sed jus exigendi pensionem ex re supposita censui. Dicitur *percipiendi annuam pensionem*, quia per hoc tempus (esto per longum non repugnet fieri) solet solvi pensio, id est, redditus. Dicitur *ex re alterius*, quia ex re propria nemo censum percipere potest, in quo differt Census ab Emphyteusi, per quam dominium directum non transfertur in Emphyteutam, sed manet in concedente, & exigente pensionem; in censu autem dominium directum rei, in qua solvitur pensio, in eo manet, qui pensiones solvere debet. Additur *ex persona alterius* propter census personales, qui immediatè solam personam obligant, ex qua, & à qua solvenda est pensio. Hic tamen nota quòd is, qui ad pensionem solvendam se obligat, *censuarius* dicitur; is verò, qui percipiendi pensionem jus habet, *censitor*, seu *censualista* vocatur.

3 Ex differentia inter Censum, & Emphyteusim orta nascuntur alia. Primum, quòd, pereunte, vel sterili reddita re ad censum obligata, vel ipsius aliqua parte, perit jus exigendi, vel perit pars juris pro rata partis peremptæ, pereunte enim re censa, perit quoque jus, quod censualista in ea habebat; unde censuarius nec ad pretium, quod à censualista accipit, tenebitur; id quod constat ex Bull. Martini V. Callisti III. in Extravag. comm. de empt. & & Pii V. de forma creandi census. (Contrarium probabilius cum multis judicant *Salmant. Tract. 14. cap. 4. P. 2. §. 4. legendi num. 46. ad 48.*) cæterùm, & si pereunte absque Emphyteutæ culpa re in emphyteusim recepta, pereat dòmino directo jus exigendi pensionem, cùm pereat res, in qua ei pensio debetur, non tamen illud perit, re sterili effecta, vel tantùm illius pereunte parte, nisi pensio adeò magna esset, ut ex æquitate Juris minuì debe-

deberet; *L. 1. Cod. de jure Emphyteusi*, cujus est ratio: quia pensio hæc proprietario solvitur in recognitionem dominii directi, quod habet in re emphyteutica; unde quandiu manet res in Emphyteusim data, & si sterilis sit facta, partque illius perierit, in recognitionem talis dominii pensio manebit.

4 Secundum, quòd censuarius potestatem plenam habet vendendi, donandi, vel quocunque alio modo alienandi rem ad censum obligatam, modò semper censualista dict. Bull. Pii V. in venditione præferatur. E contrà vero Emphyteuta vendendi rem emphyteuticam liberam facultatem non habet, nisi requisito domino directo, quo non requisito, incidit in commissum, amittendo dominium utile ipsi domino directo. Deinde Emphyteuta tenetur ex pretio accepto ex venditione rei emphyteuticæ domino directo *laudimium* solvere, a quibus oneribus liber manet censuarius. Nota semper rem censualem transire cum onere solvendi pensionem censualistæ, ad quemcunque, & quocunque tit. tranſeat *ex L. 2. Cod. sine censu*, & reliquis. Ex quo sequitur censualistam realem actionem habere in rem sibi ad censum obligatam, ubicunque fuerit illa, nisi evincatur, nam tunc contra evictorem actionem non habet, sed contra censuarium, qui sibi de evictione rei censualis tenetur.

5 Tertium, quod, si Emphyteuta biennio pensionem non solverit, si ea Ecclesiastica fuerit, vel triennio, si secularis, incidet in commissum, ejusque dominium utile coalescit cum directo proprietarii. Censuarius autem, etiam si per multos annos censum non solverit, in commissum non incidet, amittendo dominium ipsi censualistæ, quod in re ad censum obligata habet, sed solùm tenetur ad solvendas pensiones non solutas. Ita Gloss. *in cap. Constitutus de Religios. domib.* verb *juxta ratam*. Legatur Lugo Disp 27. num. 3.

6 Census multipliciter dividi solet, dividitur itaque primo in *reservativum*, & *consignativum*. Reservativus est contractus, quo quis rem suam in alterum transfert quo ad dominium directum, vel utile, pensione quotannis solvenda sibi reservata, uti: Do tibi meum prædium, &c. mihique ex illo reservo pensionem certam, aut justam certam summam singulis annis, vel mensibus singulis mihi solvendam, putà 10. aureos; *L. ult. Cod. de rer. permutat.* & hoc modo Joseph Ægyptiis possessiones reddens, aliquam fructuum partem Regi reservavit, & de censu hoc non loquuntur Pontifices in suis Constitut. neque in eo conditiones ibi requisitæ procedunt, nec ex hoc censu debetur gabella, quia non intercedit emptio, & venditio ipsius censûs, sed reservatio quædam, qua dominus plenum rei dominium transfert retinendo tamen partem aliquam.

7 Census *consignativus* est contractus, quo quis alteri vendit jus percipiendi annuam pensionem super rebus suis, aut super persona, vel super utroque; unde in consignativo censu rei alienæ dominium retineo, nempe domûs, vineæ, &c. sed in illis constituo pensionem, puta 10. aureos per singulos annos, vel menses tibi solvendos, & sic in hoc genere censûs rem meam tibi non vendo, neque fructus ipsos à re mea percipiendos, sed jus ad illos percipiendos, & de hoc censu Pontificiæ Constitutiones loquuntur, de illoque gabella debetur, quia constituitur per veram venditionem, & emptionem. *Lugo supra.*

8 Deinde consignativus census (de quo hic sermo) triplex est, nimirum realis, personalis, & mistus. *Realis* est qui super re aliqua constituitur, cui adhæret, & qua pereunte census etiam perit. *Personalis*, quo sola persona obligatur ad pensionem solvendam, quatenus talis persona labore, ac industriâ aliquid acquirere potest, transfert enim jus in alterum exigendi aliquid, quod ab ipsa fuerit acquisitum. *Mistus* super re, & persona fundatur, ut si res pereat, persona ad pensionem solvendam obligata manet.

9 Rursus census alius est *perpetuus*, qui *irredimibilis* dicitur, alius est *temporalis*, quorum primus ille est, qui constituitur ad in perpetuum redditus solvendos, unde ad hæredes etiam transit, nec à censuario quocunque oblato pretio redimi valet, si emptor ipsum redimi nolit. Secundus ille est, qui ad perpetuos non constituitur redditus, oblatoque pretio à censuario redimi potest, esto censualista repugnet. *Censualis* aliquando vitalitius nuncupatur, uti si constituatur ad exigendam pensionem quandiu alter, vel uterque voluerit; & si est ad 10. vel 15. aut 20. &c. non vitalitius nominatur; unde colliges licitum non esse constituere censum perpetuum super persona, cùm hæc perpetua non sit, nec fructum perpetuum faciat. In dubio an irredimibilis, vel redimibilis sit census? Non concordant DD. Legatur *Lugo Disp. 27. num. 7.* ¶ Ulteriùs *Census* alius est *pecuniarius*, & est ille, qui pecuniâ solvitur; alius *fructuarius*, si fructus, uti oleum, vinum, frumentum, &c. qui ex re percipiuntur, solvuntur. Legantur *Lugo sup. Dicastill. Tract. 11. Disp. 1. Molina Disp. 383. & Salmant. sup. P. 2.* apud quos reperies omnes dictos census licitos, nonque usurarios esse, conditionesque pro eorum licito, de quibus & nos latiùs alibi. Legantur itidem *Busembaus de Censibus, Less. de Censib. Dub. 3. Bonac. Disp. 3. Q. 4. Palaus*

tom.

tom. 3. *Tract.* 32. *Disp.* 6. *P.* 10. *Amicus tom.* 5. *Disp.* 22. *Sect.* 3. *Azor* 3. *P. cap.* 5. *ac Rodrig. in Sum. lib.* 1. *cap.* 44.

SUBLECTIO.

Circa materiam præsentem aliqua alia trahuntur ad medium.

10 ROgabis primò utrùm maritus absque uxoris consensu in fundo dotali possit constituere censum? Negativè cum aliis respondet *ubi sup. Bonac.* quia res, super qua constituitur census, illius esse debet, qui censum imponit, cùm nemo jus, quod non habet, in alterum transferre valeat; sed fundus dotalis non est mariti quo ad dominium, sed solùm quo ad usumfructum, qui cessat morte ipsius mariti: ergo, &c. Addit non posse Clericum constituere censum super Beneficio, neque super fructibus Beneficii, quòdque neque feudatarium, nec emphyteutam super re accepta in feudum, vel in emphyteusim.

11 Secundò rogabis utrùm censuarius pensionem teneatur solvere iis in annis, quibus nulli fructus ex re censui subjecta percipiuntur? Cum aliis (contra alios contrarium probabiliter tenentes) respondet affirmativè *ubi sup. Bonac.* quia ibi venditur jus ad certam pensionem percipiendam ex re ipsa censita, quod jus perseverat, etiam si res aliquibus annis fructus non ferat; secus, si res censita in totum, vel in partem pereat, re namque pereunte in totum, tota pensio etiam perit, & pereunte in partem, in partem perit ac etiam, uti probabiliter suprà dicebatur. *Salmant.* autem *sup.* §. 4. *num.* 46. *ad* 48. contra plures alios cum multis resolvunt quòd, pereunte hypothecâ, census non perit.

12 Rogabis tertiò utrùm solvendus sit census, qui constitutus fuerat super aliqua domo, vel molendino, quod postea dirutum, aut combustum fuit, sed iterum refectum, vel reædificatum? Sub distinctione præfatus Auctor respondet, & dicit dictam obligationem remanere, si molendinum, &c. per partes reædificatur, nam remanet idem molendinum, in quo prius constitutus fuerat census; secus verò, si molendinum in totum reædificetur, licèt id fiat ex eadem præcedenti materia, quia jam sunt molendina diversa: unde, cùm periret id, in quo census erat fundatus, perit etiam census, sicut pereunte, & destructo subjecto, perit, ac destruitur accidens ei adhærens; quódque, si res culpâ censuarii pereat, ad restitutionem tenebitur, id quod ex dictis de Restitut. constat.

13 Quartò rogabis an censum emens possit obligare vendentem nè alienet hypothecam ita taliter, quòd, si venditio fiat, nulla, & irrita sit talis venditio, & alienatio? Affirmativè respondent cum aliis *Salmant. sup. num.* 49. dummodo gravamen hoc vendenti positum compensetur pretii augmento. Et *ibid. num.* 50. resolvunt quòd, si censuarius hypothecam vendere velit, prius emptorem monere debet. Legantur.

14 Rogabis quintò an possit census minoris emi, quàm ab initio fuit institutum, si à venditore enixè rogetur, & hoc etiam si census periculo nullo subjaceat? Affirmativè resolvitur, quia merces ultroneæ vilescunt juxta unos in tertia parte, ac juxta alios in medietate; & ita cum multis *Diana Coordinat.* omnino legendus *tom.* 6. *Tract.* 3. *Resol.* 78. *ad* 81. *ac Salmant. sup. P.* 2. *c.* 3. *n.* 34. *ad* 37.

15 Sextò rogabis an pactum de retrovendendo appositum in favorem emptoris censûs sit licitum? Probabiliter variant DD. *apud Dianam sup. Resol.* 58. ubi ipse cum multis pro affirmativa sententia se ponit, qui ibi legendus. ¶ Posse autem emi censum sub pœna, ut si intra decem annos non redimatur, sit perpetuus, docetur *apud Salmant. legendos sup. num.* 38. *ac* 39. *& a num.* 40. *ad* 45. ubi reperies primò esse pro utraque parte probabile censuarium posse, ac non posse obligari determinato tempore censum redimere. ¶ Secundò obligari posse, ut si redimat, id fiat in eadem moneta. ¶ Tertiò pacisci posse ut census intra determinatum tempus redimatur. ¶ Quarto & ut non redimatur per partes, sed quòd totum simul redimatur. Legantur.

16 Rogabis septimò an contractus sit usurarius vendere alicui fundum, vel domum, & annuales fructus, aut redditus sibi reservare donec pretium solvatur? Negativam partem cum aliis contra alios probabilem, tutamque praxi æstimat *Diana sup. Resol.* 56. *qui ibid. Resol.* 57. ex Joanne Valero resolvit quod ille, qui emit fundum, vel domum ad plura debita hypothecatam, dicta debita non tenetur in conscientia solvere quando verè principalis debitor ob suam inopiam non poterat solutionem apponere. Et iterum ipse *Resol.* 59. cum multis contra paucos alios resolvit, ac probat quòd de pecunia ante debita census constitui potest, vel tempore contractûs tradendo aliquas merces in pretium censûs, & infert quòd ex pensionibus non solutis antiquum censum augere quis potest, novumque constituere censum, sed hoc ubi Bulla Pii V. recepta non extat. Legatur Auctor.

17 Octavo rogabis an census redimibilis satis sit ad Patrimonium Clerici? Affirmativè respondet, & probat cum multis *Diana Coordi-*

nat. tom. 2. Tract. 5. Resol. 107. ibi omnino legendus, ubi alia confimilia ponit, qui *ibid. Resol.* 110. quærens an Clericus absque licentia Episcopi Patrimonium alienare possit, si aliunde acquisivit Beneficium, vel alia bona sufficientia pro victu, duas probabiles sententias ponit, & negativam probabiliorem dijudicat. Et rursus ibid. quærens an, si à Clerico absque licentia Episcopi Patrimonium vendatur, permutetur, &c. antequam habeat unde vivere possit, nulla sit alienatio talis, affirmativam sententiam probabilem putat. Legatur §. *Sed hic oritur, & verum, his non obstantibus.*

LECTIO II.

De Cambiis, quid, ac quotuplex sit Cambium, & ex quibus titulis licitum?

18 CAmbium, (quod idem est, ac permutatio, cambire enim permutare *est*) prout de eo in præsenti agimus, *est permutatio pecuniæ pro pecunia lucri causâ facta*, sicque cambium est contractus innominatus: *Do, ut des*, quia in eo campsor pecuniam dat, ut pecuniam accipiat. *Campsor* dicitur Ille, qui pecuniam dat, qui etiam vocatur *Bancarius*, *Tolenarius*, *Argentarius*, *Mensarius*, *Numularius*, *Trapezita*, & *Collybista*. Ita Tambur. hic num. 5. *Campsarius* autem dicitur ille, qui pecuniam accipit; sicut qui accipit donum, donatarius dicitur, & qui mutuum mutuatarius.

19 Differt cambium à contractibus aliis à venditione quidem, quia venditio est permutatio pecuniæ pro re, quæ pecunia non est, cambium vero est pecuniæ pro pecunia permutatio: à censu, quia in hoc restituitur, vel solvitur pensio, & in cambio pecunia solvitur. A mutuo, quia in mutuo post aliquod temporis intervallum pecunia est reddenda, & in cambio statim reddi valet, vel quia ad mutuum ex parte unius sufficit pecuniæ receptio, cùm ad cambium ex parte utriúsque necessaria sit pecuniæ receptio. Et à contractibus aliis proportionabiliter differt.

20 Cambium multipliciter dividi solet. Dividitur primo *in verum*, & *fictum*, seu *in reale*, ac *siccum*. Cambium fictum, vel siccum est quod solam cambii apparentiam habet, & est verè mutuum, verbisque solùm sonantibus cambium, uti si quis pecuniam tradat alicui solvendam in eodem loco, in quo eam tradidit, confictis literis ad distantem locum, quo re vera literæ non mittuntur, aut missæ nullum habent effectum, quia dolosè mittuntur, campsario sciente pecuniam actu, aut potestate in tali loco, ad quem literæ mittuntur, non esse, & appellatur cambium siccum, quia caret humore, sive justo titulo accipiendi lucrum. Et hoc cambium siccum esse iniquum, illicitum, & usurarium uno ore proclamant DD. Legantur *Salmant. sup. cap.* 4. *P.* 1. *a n.* 1. *ad* 3.

21 Cambium reale illud est, quo pecunia una re vera commutatur cum alia, & hoc duplex est, aliud *minutum*, seu *manuale*, id est, quando pecunia unius formæ, aut materiæ cum pecunia alterius formæ, aut materiæ permutatur, maior cum minori, pulchra cum deformi, nova cum veteri, vetita cum legitima, usualis in hac Provincia cum usuali in Regione alia, aurea cum argentea, argentea cum cuprea. Et dicitur minutum, seu manuale, quia fit de manu ad manum, idque regulariter in eodem loco, uti si scutum aureum pro pecuniis æreis, de præsenti datis, commutes, vel è contrà cum scuto pecunias æreas cambias.

22 Aliud est cambium locale, id est, quando pecunia præsens commutatur cum absenti, alio existenti in loco, eodem, vel diverso tempore reddenda, & quia id frequenter per literas, chirographa, vel librantias fit, à literis communiter nomen accepit, per literasque cambium vocatur.

23 Esse cambium reale, minutum, vel manuale, ex natura rei licitum (& non usurarium) non solùm campsoribus publicis, sed etiam personis privatis (si id eis Lege non prohibeatur) nunc certa, communis, & est jam opinio, prout tenet *Less. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 7. *Molina Disp.* 399. *Salmant. sup. num.* 8. *Lugo Disp.* 28. *de Just. à num.* 8. *Amic. tom.* 5. *Disp.* 23. *a num.* 8. *à Spiritu Sancto Tract.* 10. *Disp.* 19. *Sect.* 2. *num.* 935. apud quos res hæc bene probatur, & ideo legendi.

24 Dictum est *si id eis Lege non prohibeatur*, nam pluribus in Regnis minutum cambium privatis personis prohibitum extat, uti in hoc nostro Lusitaniæ Regno, prout constat *ex* 4. *P. Extravag. tit.* 11. *L.* 4. §. 10. *& in Regno Castellæ lib.* 1. *tit.* 8. *L.* 5. *Ordinat.* ¶ Si tamen aliquis contra dictas Leges ageret, non mortaliter peccaret, (quidquid sit, an venialiter, quod tenet *Rebell.* 2. *P. lib.* 11. *Q.* 4. *num.* 6. *Candid. de Cambiis, Disquis.* 20. *Art.* 3. *Dub.* 2. & cum eis *à Spiritu Sancto sup. num.* 934.) nec ad restitutionem teneretur. Non quidem teneretur ad restitutionem, quia, ut *Molina Disp.* 399. asserit, assignari nequit cuinam restitutio facienda erit; non enim illis, cum quibus permutat, quia non plus ab eis recipit, quàm omnibus expensis pecunia valeat, uti supponitur. Nec Reipublicæ, nec alteri, quia hæc, vel alter nullum damnum passi sunt, cùm igitur alius assignari nequeat, nulli restituendum est. Ex

quo

quo probatum relinquitur quód nec mortaliter peccant qui sic operantur, quia, si alteri damnum non faciunt, unde (præter aliquam venialem inobedientiam) habetur mortale peccatum?

25 Dictum etiam est sup. num. 23. cambium reale, & minutum licitum esse *non solum campsoribus publicis, sed etiam personis privatis*, pro quo legendus est *Diana cit. tom. 6. Tract. 3. Resol. 3. ad 6.* ¶ Sed est dubium utrùm illi, qui publici campsores non sunt, vel ministri non sunt ex officio ad id deputati, sed sunt tantùm particulares personæ, (divites sint, vel pauperes) tantum pretium accipere possint pro cambio, quantum publici campsores, vel ex officio accipere valent? Probabiliter de hoc negant uni, & affirmant alii. Legatur *à Spiritu Sancto sup. num.* 934. *Celestin. Tract. de Cambiis, cap. 2.*

26 Si scire velis an si Conventus, vel particularis Religiosus pecuniæ quantitatem cum fœnore consignaverit in Banco, possit exinde extractam illam distrahere, non obstante Paulinâ, & Decreto Congregat. Sacræ? Vide *Dianam Coordinat. tom. 7. Tract. 7. Resol. 222.* ubi duas inter se contrarias probabiles opiniones reperies.

SUBLECTIO.

Ex suprà jactis resolvuntur aliqua.

27 EX hactenus dictis resolves primó licitè posse lucrum accipi ex pecunia aurea, vel argentea cum cuprea commutata. Ratio datur: nam aurea ratione materiæ est nobilior, durabilior, servatu facilior, asportatu commodior, periculo minus subjecta quo ad valoris legalis diminutionem, ad plures usus idonea, ad pretium rerum, ad deaurandum, ad pretiosa conficienda vasa. Unde Sa verb. *Cambium* cum aliis censet posse pro auro, cujus legalis valor sunt undecim, duodecim accipi, quia prior taxatio est tantùm ad emptiones, & non ad permutationes. Et idem de permutatione pecuniæ argenteæ cum æreâ, vel cuprea propter majores utilitates unius, & non alterius.

28 Secundó licitè posse lucri aliquid accipi pro pecunia antiquioris materiæ, imaginisque in ea cussæ, eo quód æstimationis majoris apud homines propter antiquitatem quam habet: unde ii, qui antiquitatibus delectantur, diligenter eas conquærere solent, magnoque pretio emere, eò vel maximè, quia tales monetæ sunt raræ, & ob earum raritatem pluris æstimari solent. Legatur *Lugo de Just. Disp. 24. Sect. 1. num. 8.* pro quo etiam ad intentum facit doctrina *Molinæ Disp. 401. & Amici sup. à n. 13. legendi.*

29 Tertiò quód internuntius, uti Procurator, famulus, vel alius, qui auream pecuniam debitoris ad solvendum creditoribus defert, vel ad res necessarias emendas, licitè eam pro æreâ cum lucro commutare valet, atque lucrum sibi retinere, solvereque in pecunia æreâ; est enim tale lucrum fructus industriæ debitus potiori ratione, quàm lucrum ex suffurata pecunia à fure comparatum, sit fructus industriæ furis aliena pecunia negotiationis, quam propterea dómino pecuniæ restituere non teneretur. Sed

30 Excipe, nisi creditor cum ea pecunia aliquid lucraturus fuisset, quod cum alia lucraturus non esset, & debitor eo fine talem pecuniam creditori suo per internuntium misisset, ut scilicet per eam lucraretur, nam tunc, casu, internuntius lucrum ex cambio acquisitum unà cum capitali creditori restituere teneretur; secus, si debitor non eo fine pecuniam creditori misisset, nisi in casu, quo internuntius creditoris famulus esset. Primum constat; quia tunc debitori injuria fieret, quia ea intentione dictam pecuniam creditori suo misit, ut per eam lucraretur, injuria & creditori fit, quatenus eum eo lucro privat. ¶ Constat secundum, quia in tali casu nulli injuria fieret, non debitori, quia ille non habuit animum, ut tali pecuniâ lucraretur creditor; non creditori, quia ille non dum fuisset dóminus talis pecuniæ, quando ex ea lucrum comparatum esset, cùm non fuisset factus dóminus, nisi per acceptationem, unde ei tale lucrum cessare non potuisset. Deinde, quia si talis pecunia casu periisset, non creditori, cui tradenda erat, sed debitori, qui eam mittebat, periisset. ¶ Tertium constat, nam, si internuntius creditoris famulus, aut ejus Procurator esset, conferetur statim pecuniam adhibere sibi traditam nomine sui dòmini acceptare; proindeque lucrum in tali eventu ipsi cessaret, consequenterque lucrum ex tali cambio acquisitum ei debitum esset.

31 Sed, si dominus nihil fuisset tali pecuniâ à debitore sibi per famulum missa lucratus, non teneretur famulus lucrum ex cambio acquisitum dómino restituere, quia tunc nulli fieret injuria; unde, sicut posset idem famulus ex locatione equi sibi à dómino ad equitandum concesso pretium accipere, illud dómino restituere non teneretur, ita neque lucrum ex cambio pecuniâ domini sui comparatum, si dóminus pecuniâ tali nihil lucratus fuisset. Et

32 Ea, quæ de internuntio dicta sunt, depositario applicari possunt, qui ex pecunia in depósito accepta lucrum per cambium reporta-

taret, nec non Principum Miniſtris, qui curam certo tempore habent, aut debita dominorum lucrum creditoribus ſolvendi, vel credita à debitoribus exacta Principibus exhibendi: nam, ſi lucrum, quod intermedio tempore depoſitarius acquirit, nulli ceſſat, illud ſibi retinere poterit, tanquam fructum propriæ induſtriæ, ſecus autem, ſi tale lucrum ceſſet alicui, id quod ex circunſtantiis eſt colligendum. Legantur *Amicus à num.* 38. *Bonac. num.* 5. *Lugo num.* 24. *& Salmant. ſup. num.* 7.

33 Quantò quòd licitè poteſt moneta impura, ac minoris ponderis pro puriori, & plus ponderis habente permutari, nulla pro illo exceſſu compenſatione facta, quando legalis utriuſque monetæ valor eſt æqualis; ac eſt ratio: quia, licèt naturalis valor inæqualis ſit, & ideo pro puriore moneta plus exigi poſſet, quia tunc ſub ratione mercis, non autem pecuniæ conſideraretur; poteſt tamen qui eam accepit *nolle* illam ut mercem, ſed ut pecuniam accipere, quo caſu non plus valet, quàm illa alia minus pura, nec pro maiori valore eam acceptare tenetur; nam ſicut, ſi velles triticum emere, & pecuniâ ea puriore ſolveres, non teneretur venditor ea de cauſa plus tritici dare, quàm ſi minus pura ſolviſſes monetâ; (niſi aliud fuerit deductum in pactum) & ſicut ſi julios 100. vel regales mutuò mihi dediſſes in puriori moneta, ſatisfacerem ſolvendo totidem, habens eundem valorem legalem, in moneta minus pura, (niſi aliter fuiſſet conventum) ita pariter, quando das meliorem monetam, contra juſtitiam non facio monetam minus bonam pro illa præſtando, dummodo habeat eundem legalem valorem. Legatur *Lugo ſup. à num.* 19. ubi caſus alios reſolvit.

Quintò licitum, nonque uſurarium eſſe cambium locale, ſeu per literas, quando nimirum campſor in uno loco pecunias accipit, tradendas alibi, (iſte enim cambiendi modus eſt valde utilis, ac Reipublicæ neceſſarius propter frequentes neceſſitates, quibus aliqui pecuniâ indigent in uno loco, ubi eam non habent, nec ſine magno periculo, labore, & expenſis eò deferre poſſunt) nec enim ad iſtum cambiendi modum tituli deſunt, quia hîc datur translatio, ſeu aſportatio pecuniæ, ſaltem virtualis, & campſor officium facit translatoris, ſeu portatoris, imò & aſſecuratoris pecuniæ, ac ob alios titulos, apud Auctores infra citandos, videndos; quæ omnia ſunt æſtimabilia pretio. Unde, ſicut quilibet pecuniæ portator, & aſſecurator ex portatione, & aſſecuratione licitè lucrum accipere valet, ita pariter in caſu noſtro.

34 Inter tamen portatorem, ſeu bajulatorem realem, & virtualem, qui eſt campſor pecuniæ, duplex differentia datur, quarum prima eſt, quòd bajulator realis plus præmii exigere poteſt, quàm virtualis bajulator, nimirum campſor, quia iſte non tot expenſis, periculis, ac laboribus, ſi id præſtat, quàm ille, & quia propter copiam, ac opportunitatem campſorum jam faciliùs reperitur qui hoc beneficium præſtat, & propter facilitatem exequendi pretium decrevit quòd debet eſſe ſecundùm diſtantiam locorum, juxta periculum, ac expenſas, & illud juſtum erit, quod communiter in ſimili caſu à campſoribus exigitur aliis. ¶ Secunda, quòd bajulans, ſeu bajulator realis per hoc, quòd paciſcatur de pecuniæ aſportatione, non paciſcitur de aſſecuratione, quia non fit dominus pecuniæ ſibi in cuſtodiam traditæ, & idem, ſi abſque ejus culpa pereat, non ipſi, ſed domino, cujus eſt periculum, perit, ſicque ſeorſim computare poteſt aſportationem, & aſſecurationem, ac plus pro utraque, quàm pro una ſola exigere, cujus omne contrarium aſſerendum eſt de bajulante, ſeu bajulatore virtuali, id eſt de campſario, propter rationem contrariam. *Villalob. Tract.* 24. *Diffic.* 3. *Lugo ſup. num.* 35. *& Salmant. ſup. à num.* 9.

35 Sed circa dicta duobus præcedentibus num. venit notandum quòd dicta locum habent, ſive campſor prius pecuniam accipiat alibi dandam, aut ipſe det in præſenti alibi recipiendam, propter titulos jam aſſignatos (modò lucrum illud non exigat ob dilationem, vel maius, quia ſolutionem differt, hoc enim re vera uſura eſſet.) ¶ Locum & etiam habent, non ſolùm, quando dictum cambium extra eandem Provinciam, vel Regnum exercetur, ſed etiam quando intra eandem in alia Civitate celebratur; quia ſicut opera, quam præſtat campſor tranſmittendo pecuniam de una Regione in aliam, eſt æſtimabilis pretio, ita etiam ex una Urbe in aliam in Provincia eadem, modò tamò minus accipiat campſor, quantò minus intervallum inter utramque Civitatem interjiceretur, quia in minori diſtantia minus eſt periculi, & laboris. ¶ Et licèt contra hoc detur ſpecialis aliqua Lex alicujus Regni, uti in Regno Caſtellæ *L.* 15. *tit.* 18. *lib.* 5. *Recopilat.* hoc datæ doctrinæ non officit, quia, ut aiunt *Salmant. ſup. num.* 16. dicta Lex vel nititur præſumptione palliatæ uſuræ, & ſic ceſſante fraude, aut fictione, non ligat in conſcientiæ foro; vel talis Lex non eſt uſu recepta, & ſi fuit aliquando recepta, per contrariam conſuetudinem jam eſt abrogata, aut per aliam contrariam Legem; ſicut pro hoc Luſitaniæ Regno fecit ſtrenuiſſimus, chriſtianiſſimus, ac piiſſimus, ſemper deplorandus, & nunquam bene ſatis deploratus Rex noſter Sebaſtianus,

circa

circa quod vide *á Spiritu Sancto sup. num.* 937. *ac Rebell. lib.* 11. *Q.* 11. *à num.* 2.

36 Sextò illicitum, & usurarium esse, juxta unam sententiam, cambire in uno loco pecuniam (& idem rebus in aliis) pro eadem, vel simili reddenda in alio loco, ubi magis valet, non computato excessu, sive legali, aut propter raritatem monetæ, uti si quis apud Indos pecuniam reciperet, ubi minus æstimatur, reddendam Hispaniæ, ubi pluris habetur. Ita cum aliis *Salmant. sup. num.* 14. (*qui num.* 17. cum aliis notant licitum in foro conscientiæ esse campsori danti prius pecuniam ad cambium exigere pignus, fidejussorem, aut securitatem aliam à campsario, sicut id ipsum in aliis contractibus licet) secus juxta sententiam aliam, pro qua legatur *á Spiritu Sancto sup. num.* 941. *ac Lugo sup. a num.* 36.

37 Resolves septimò (cum *á Spiritu Sancto sup. num.* 939. *Dicastill. lib.* 2. *Tract.* 12. *à num.* 47. & aliis) quòd, si quis nuntium conducat, ut equum putà Ulyssiponem ducat, licitum est ei pro locata opera pretium ducere, etiam si ei negotiorum causâ necessarium foret, etiam conducto equo, eo ire, quod verum, licèt ille, qui eum conduxit, non illo, sed cum alio minori, vel cum nullo pretio pacturus fuisset. ¶ Item quòd si quis studiorum causâ ex Ulyssipone Conimbricam profecturus pecuniam Ulyssiponensi Mercatori tradat amico, vel cognato, rogans eum ut pecuniam hanc alteri ad cambium det, quo eam deinde cum lucro Conimbricæ recipere queat, id ei licitum esse, quia obsequium, quod nuntius in primo casu, & Mercator in secundo alteri præstat, re vera dignum est eo stipendio, & est omnino per accidens quòd nuntius, vel Mercator commodum inde capturus sit, nihil inde damni alteri personæ resultat, cum qua contractus initus fuit. ¶ Item licitum esse nuntio ab uno conducto ad deferendas literas Ulyssiponem v. g. iterum se ad eundem locum conducere, integra utraque mercede recepta, quia obligatio illa absolutè loquendo tanta mercede digna est respectu cujuque, & ad fortunam, industriamque hominis pertinet, ac per accidens est quòd utraque simul conjungatur casio, neutrique conductori damnum inde resultat, cùm uterque proprium nuntium simili data mercede conducturus fuisset. ¶ Idem de auriga, qui justa mercede accepta aliquem è Conimbrica in Ulyssiponem vexit, postea iterum necessariò reversurus Conimbricam, tantundem talis ab altero licitè recipere potest, ac si nullam redeundi necessitatem haberet, id enim ad industriam, & ipsam fortunam spectare videtur.

38 Octavò resolves non illicitè facere eos, qui aurificibus pecunias vendunt maiori pretio, quàm sit earum taxatio à Principe facta, quia eas non vendunt ut pecuniam, & pretium, sed ut rem, & ut merces quædam est pretiosior, purior, & utilior cæteris metallis, qua ratione pluris æstimatur. *Less. lib.* 2. *cap.* 23. *Dub.* 2. *num.* 14. & alii; facit & id, quod tradit *Layman* cum aliis *lib.* 3. *Tract.* 4. *cap.* 19. *num.* 4. *Less. sup. Dicastill. sup. num.* 34. *qui num.* 40. notat quod ille, qui pecuniam adulterinam ex cambio, &c. colligit vel scienter, sive ex inadvertentia, aut ignorantia, nullatenus illam justè expendere potest, quia ex eo, quòd aliquis ab aliquo, vel à se fuisset deceptus, titulus sufficiens non est, quo alios decipere possit, id quod jam ex alibi dictis constat. Legatur *Azor* 3. *P. lib.* 7. *cap.* 6. *Q.* 1. *de Mutuo.*

39 Resolves nono cambium reale per literas cum recambio, quo literæ mittuntur ad locum præfixum, putà ex Ulyssipone ad Romam, ibique verum fortiuntur effectum, eo quòd campsarius ibi correspondentem re vera habet, qui literas accipit, & solvit, & deinde Romæ conscribuntur literæ aliæ, quibus eadem pecunia Ulyssiponem recambitur, licitum esse, & non usurarium, quia hoc non est mutuum, nec cambium siccum, sed reale, in quo pecunia præsens cum absenti permutatur, ac hujusmodi *Cambium* approbari videtur in quadam Bulla Pii V. ad Bononienses, teste Sá verb. *Cambium*, Dicastill. sup. num. 54. & à Spiritu Sancto num. 943.

40 Si autem scire velis an cambium sit licitum, dum pro campsario respondet Procurator campsoris, non de propriis, vel alienis pecuniis, sed cum pecuniis propriis ipsius campsoris, lege *Dianam cit. Tract.* 3. *Resol.* 1. & 2. *ac Resol.* 67. *a Spiritu Sancto, & Dicastill. ubi sup.* apud quos circa hoc DD. reperies diversa dictamina posita.

LECTIO III.

De Locatione, & Conductione, quid sit Locatio, ac Conductio, quanam locari, & quisnam locare possit? Et de obligatione Locatoris, ac Conductoris.

41 LOcatio nihil aliud est, quàm *contractus, quo aliquid conceditur ad usum, vel fructum pro mercede, aut pretio* (conductio autem sic diffiniri valet, dicendo quòd *est contractus, quo aliquid pro mercede, vel fructu accipitur.*) Hæc tamen nomina *locatio*, & *conductio* non sunt diversorum contractuum, sed unius, & ejusdem, qui ex parte concedentis dicitur locatio, ac ex parte accipientis conductio dicitur; sicut etiam qui rem ad usum tradit, dicitur *locator*, qui eam ad usum recipit, dicitur

conduc-

conductor, & qui rusticanum prædium conducit, dicitur *Colonus*, qui autem suburbanum, *Inquilinus* dicitur.

42 *Locatio* differt ab Emphyteusi ratione temporis, materiæ, ac translationis dominii utilis, cùm Emphyteusis nonnisi de re immobili fiat, & ad minus per decennium, in Emphyteutam utili dominio translato; & locatio sit etiam de re mobili, & infra decennium nullo in conductorem dominio translato. Differt ab emptione, & venditione, quia in hac transfertur dominium tam proprietatis, quàm utilitatis; differt à mutuo, depositio, pignore, & hypotheca, quia in his contractibus res non conceduntur ad usum, vel fructus accipientis, sed vel ad mutuum, vel ad custodiam, vel ad assecurationem, & à reliquis contractibus ratione pretii differt.

43 In dicta autem definitione ponitur ly *contractus* ratione generis, per quod cum aliis contractibus convenit, & per ly *aliquid conceditur* extenditur locatio ad res mobiles, & immobiles, uti domus ad habitandum, ager, & vinea ad fructus colligendos, equus ad equitandum, vacca ad fœtum percipiendum, & lac; bos ad arandum, & onera portandum; (& quia stabilium nomine veniunt etiam jura, uti si quis Beneficium Ecclesiasticum habeat, quod est jus ad percipiendos Beneficii fructus, vel potiatur aliqua gabellâ, habet etiam jus illam exigendi, ideo etiam hæc locari valent pro pretio, omnibus expensis, justo, dummodo memor sis omnia, quæ vendi possunt, posse locari & etiam, exceptis his, quæ prohibentur, de quo infra. Lege *Tambur. hic cap.* 2.) sed etiam persona, vel homo semetipsum locare valet, vel si servus sit, locari à domino, & filiusfamilias à patre, &c. ad operandum pro mercede, vel pretio in alterius obsequium.

44 Ponitur *ad usum, vel fructum*, quia interdum solùm usus conductori conceditur, ut in domo, veste, equo locato, &c. interdum etiam & fructus locatur, ut ager, grex, capra, vacca, vinea, fundus, &c. ex quibus conductor fructus colligere, eosque sibi consumere potest, vel cui jus suum sublocavit, quia conductor ex vi contractûs conductionis non prohibetur rem sibi locatam alteri locare, vel sublocare, (nisi aliud explicitè, aut implicitè conventum fuerit, ac implicitè censetur conventum, sive prohibitum, quando ego tibi honesto viro honestam domum locavi; tunc enim eam meretrici sublocare non vales, quando id in domûs meæ dedecus vertitur; & sic in similibus, nec etiam rem conductam alteri ad diversum usum sublocare vales, nisi ex rationabili voluntatis domini præsumptione) prout cum *Layman lib.* 3. *Tract.* 4. *cap.* 2. tenet *Tamburr. sup. cap.* 3. Et per particulas has ab aliis contractibus differt, in quibus non tantùm usus, vel ususfructus, sed etiam dominium rei transfertur. ¶ Dicitur tandem *pro mercede, vel pretio*, id est, pecuniâ, vel re pecuniâ æstimabili, quia pretium pertinet ad substantiam hujus contractûs non minus, quàm ad emptionem, & venditionem, sicut nanque emptio pecuniam requirit, ita etiam & locatio ad distinctionem precarii, & commodati, in quibus pecunia non intervenit, sed celebrantur gratis.

45 Res omnes, quæ vendi possunt, valent ac etiam locari, nisi specialis aliqua de eo prohibitio adsit, ea enim, quæ ad venditionem requiruntur, postulantur etiam ad locandum, prout tenent omnes *in L.* 1. *ff. locati.* ¶ E contrà aliqua locari valent, quæ vendi prohibentur, uti sunt res pupilli, minoris, bona dotalia, quæ à viro, Tutore, & Curatore locari possunt, sed non vendi: aliqua tamen locari prohibentur, uti sunt servitutes prædiales, (non tamen personales), viæ scilicet, & subjectionis prædiorum (licèt hæc vendi queant.) ¶ Item *L. unica, Cod. de studiis liberalibus Urbis Romæ*, *L.* 1. *de studio literarum*, & *L. Soluto matrimonio* prohibetur nè domus vicina Magistro literarum, fabro, aut alteri Magistro locari valeat, nè in docendo eorum confundantur voces; & hoc maximè, si Magister contra fabrum, aut similem alium reclamet, juxta *Bonacinam de Contract. Q.* 7. *P.* 1. *num.* 2. ¶ Utrùm autem Doctor, Advocatus, Concionator, &c. fabrum, & hominem similem strepitum exercitio suo dantem, qui in ædibus Scholæ vicinis commoratur, expellere possit? Respondet Barthol. *in L. Soluto Matrim.* &

46 Dicit quòd aut prævenit fabrum, & tum eum expellere potest, vel è contrà faber Doctorem prævenit, & tunc aut Doctor alibi Scholam commodè regere valet, ac ei præfertur faber, aut non potest, & tunc potiores sunt partes Doctoris, quamvis ipse Bartholus etiam censeat id pendere ex arbitrio, ac officio Judicis, qui, consideratis personarum circumstantiis, locorum, &c. potest præcipere id, quod præstantius ipsi videtur, in ambiguis tamen semper jus Doctoris ob publicam utilitatem præfertur, vel prævalet; putat & etiam quòd, si faber juxta domum alicujus, vel aliquorum Scholarium habitet, potest expelli, uti sumitur *ex cap. Pridem* 15. *Q.* 6. ubi Episcopo Baptisterium volenti erigere prope Monasterium, Gelasius Pontifex interdixit, nè Monachi à Divinis Officiis impedirentur; ex quo jus est Religiosis in Cœnobio manentibus expellendi Judicis officio fabrum à vicina domo, nè vel Divina Officia perturbet, aut nè officiat infirmorum saluti. Legatur *Azor* 3. *P. lib.* 8. *cap.* 3.

Q. 11.

Q. 11. *Dicaſtill. Tract.* 14. *num.* 10.

47 Deinde prohibentur prædia quæcunque conduci à Militibus, & Curialibus, *L. Is, qui obligati ſunt Curiæ, L. Milites, L. Curiales, ff. locati.* ¶ Item prædia quæcunque prohibentur conduci à Clericis negotiandi causâ, licèt eidem conductori ſuccedere valeant. *Cod.* 1. *de vita, & honeſtate Clericorum.*

48 Item Eccleſiæ prædia ad longum tempus, id eſt, ad decennium prohibentur locari, tantùmque ad triennium locari permittuntur. Extravag. *Ambitioſæ.* Ex quo patet Beneficiarium Beneficii ſui fructus ultra triennium locare non poſſe, neque Capellanum, cujus Capellania Epiſcopi auctoritate fuit inſtituta, hæc enim nomine Beneficii Eccleſiaſtici comprehenditur, fructus verò, ſeu redditus Eccleſiæ ultra triennium locari valent, cùm ſint ſub pleno dominio Beneficiarii. Legatur *Molina ſup. Diſp.* 465. *Leſſ. ſup. Dub.* 10. *Amicus hic Diſp.* 26. *num.* 15. *ac Diana Coordinat. tom.* 6. *Tract.* 7. *Reſol.* 108. ¶ Et ſi ſcire velis quid quo ad hoc per triennium ſignificetur, lege Tambur. ſup. c. 2. à n. 7. Filiuc. tom. 3. Tract. 44. cap. 2. num. 8. Barboſ. in Collectan. ad dictam *Extravag.* num. 9. ac à Spiritu Sancto Tract. 10. Diſp. 20. num. 974.

49 Rogabis primò utrùm, ſi quis pauper habeat licentiam à Papa, vel ab Epiſcopo ad petendam eleemoſynam per ſe, aut per alios, ut ſuæ conſulat neceſſitati, jus hoc (ut ita appellem) alteri locare poſſit? Negat *Lugo* (aliquibus ſupreſſo nomine datis) *Diſp.* 29. *Sect.* 1. *num.* 4. affirmat *Sanch. lib.* 1. *Conſil. cap.* 7. *Dub* 2. Sed circa hoc jam vidimus alibi

50 Secundò rogabis utrùm res uſu conſumptibiles, uti pecunia, vinum, oleum, &c. locari queant? Negativè reſolvitur, niſi fortè ad pompam, uti ſi pecuniam auream ad oſtentationem, vel ornatum, ſive ad medicinam, vel etiam ad pignus locares, ſed minimè ad uſum, cùm rebus in his uſus à dominio non diſtingui dicatur, eorum dominium apud locantem perſeverare debet, id quod fieri nequit, locatione ſuppoſita, eo quòd, ſalva re, ejus abſolutum uſum alteri dare non poſſes, cùm uſus ipſe rem ipſam conſumat. Cum aliis *à Spiritu Sancto num.* 935. qui ibi

51 Ad caſum, an Pharmacopola officinam ſuam cum vaſibus, & medicamentis per aliquos annos locare poſſit ita, ut conductor poſt illos annos officinam non ſolùm cum prædictis vaſibus, ac locationis pretio, ſed etiam cum medicamentis integram reddere teneatur? Reſpondet quòd officina, & vaſa rectè locari poſſunt, medicamenta verò ſolùm ad oſtentationem, & pignus, nam, cùm uſu ipſo conſumantur, ad uſum locari nequeant propter nuper inſinuatam rationem, & ideo vel vendi debent, aut cum aliis permutari, aliàs eis uti conductor non valet. Legatur Tambur. cap. 3. Quæſt. incid. Lugo Diſp. cit. num. 84. & præcipuè Diana ſup. Tract. 3. Reſol. 61. ubi §. *His tamen non obſtantibus*, contrarium probabile ſentit etiam quo ad medicamenta.

52 Rogabis tertiò an quando duo, vel plures, habentes domum, vel fructum communem, non conveniunt in locatione, ſed unus locare vult, non verò alter, aut unus uni locare, alter verò non illi, ſed alteri, aut unus ad unum uſum, alter vero ad alterum, unus honeſtæ perſonæ, alter autem inhoneſtæ, quis prævalere debet? Reſpondet *Rebell. lib.* 14. *Q.* 16. & plures alii *apud Dicaſtill. ſup. num.* 23. eum prævalere debere, qui in re maius jus, maiorem vel partem habet. Item qui vult honeſtæ perſonæ locare, quia cæteris paribus præferendus eſt (& hoc dictat ipſamet ratio) qui maius jus, maiorem vel rei partem habet, aut in perſonam honeſtam inclinat, quàm alius. Sed, ſi utriúſque dómini ſit æqua conditio, tunc aut mittendæ ſunt ſortes, aut recurrendum ad Judicem pro inter utrumque concordia. Et hîc

53 Venit notandum primò quòd, ſi contractus locationis rei communis ab uno, vel à pluribus ſociis fuerit factus, diſſentientibus aliis, non valebit, ſi juſtè, & rationabiliter diſſentiant alii; valebit tamen, ſi abſque juſta, rationabilique cauſa renuant, quia eorum quilibet velle debet quod alteri prodeſt, & ſibi non nocet, alioquin irrationabiliter invitus cenſebitur. *Gomes tom.* 2. *Var. cap.* 3. *num.* 14. ¶ Secundò notandum eſt quòd pretium, vel penſio rei locatæ tradenda eſt etiam ſociis illis, qui rem locare noluerunt, contra quos locatores alii prævaluerunt, & hoc, non præcisè ratione locationis, ſed ratione uſûs rei ſuæ, quia talis uſus pretio eſt æſtimabilis, pro eoque pretium ſolvi debet, niſi remittatur. *Dicaſtill. num.* 27. *ac Rebell. contra Gomes*, & alios.

54 Quartò rogabis utrùm licitum, vel illicitum ſit res locare ei, qui re locata eſt abuſurus ad finem malum, & peccaminoſum, ut domum meretrici, vel uſurario, &c. Circa hoc jam vidimus alibi variis in locis, uti *Tract. de Charit. de Reſtit. &c.* Sed, ſi tibi placet, lege *Molinam Diſp.* 500. *Rebell. ſup. Q. ult. Amic. ſup. num.* 24. *&* 32. *ac Navar. in Sum. cap.* 17. *num.* 195.

55 Reſolutio quo ad tertiæ Lectionis partem, *quiſnam locare poſſit*, nihil in ſe difficultatis habet: dicitur ergo quòd omnes illi, qui emere, & vendere poſſunt, valent etiam locare, ac conducere, niſi aliqua ſpeciali Lege prohibeantur id exequi, nihil enim amplius ad

hunc

hunc contractum requiritur, ut communis docet. Prohibentur tamen Curiales, id est, qui obstricti, & obligati sunt Curiæ, ac Milites prædia ad colendum conducere. *L. Curiales, Cod. de locato, & L. Milites ibid. juxta L. ult. Cod. de rescind. vendit.* Lex tamen de Militibus juxta *Molinam Disp.* 488. solùm locum habet in Militibus, qui non sunt in otio, sed in actuali militia extant; qui & iterum notat quòd hæc non aliter sunt accipienda, quàm usu fuerint recepta. Item quòd ille, qui ignorat aliquem esse Militem, si ei locaverit, excusatur à pœna in prædictis casibus assignatis; & idem de locante alicui nobili, si nobilem esse ignorat ex *L. Si ignorans, ff. locati*; tandem quæ prohibita sunt Tutoribus, & Curatoribus comparatione minorum, etiam prohibita sunt circa eorundem bonorum conductionem. Legatur cit. Auctor, ac *Dicastill. num.* 30. *& à Spiritu Sancto sup. Sect.* 3. *num.* 977.

SUBLECTIO I.

De obligatione Locatoris, & Conductoris.

56 QUo ad obligationem locatoris, ac conductoris, dicitur primò quòd tenetur locator de culpa lata (juxta dicta de Restit.) conductoris non admoniti de rei vitio refarcire damna (tenetur enim locator aperire vitia rei locatæ non minus, ac venditor rei venditæ vitia aperire tenetur.) Non tamen tenetur, si nulla locatoris culpa intervenerit, & bona fide rem vitiosam locavit: sed in hoc casu tenetur de pretio locationis detrahere quantum conductori res minus est utilis. Est communis, ac est ratio: quia, sicut inter ementem, & vendentem, ita inter locantem, & conducentem intervenit implicitum pactum, ut quemadmodum conductor sine defectu pretium solvet, ita locans sine vitio rem locatam præstet. Unde

57 Resolves primò quòd, si locator rem subjectam tributis, ac oneribus locet, tributa, & onera solvere tenetur, nisi præcesserit pactum in contrarium, vel nisi conductor de tali vitio sit monitus, si nanque præcesserit pactum, aut monitus conductor de tali vitio fuerit, ac, eo non obstante, rem ita vitiatam sub debita, justaque mercede velit, nullam quo ad hoc injuriam recipiet (id, quod etiam pro aliis casibus infra resolvendis observa.) Legatur *Rebell. 2. P. lib. 14. Q. 9. num. 11. & Azor 3. P. lib. 8. cap. 8. Q. 4.*

58 Secundò, si quis dolia, vel alia vasa vitiosa locaret ita, ut conductor grave inde pateretur damnum, re vera ad restitutionem damni illati teneretur. Imò secundùm Leges Civiles locatoris ignorantia non excusatur, uti Cassius docet *in L. Sed addes, §. Si quis dolia, ff. locati*, ubi sic. *Si quis dolia vitiosa locaverit, deinde vinum effluxerit, tenetur in id, quod interest, nec ignorantia ejus erit excusata.* Azor sup. cap. 4. Q. 6. ubi ex Leg. Civil. plura affert, quæ tantùm post sententiam Judicis, & non antea in foro conscientiæ obligant.

59 Tertiò, si quis putà vitiosum equum assuetum se se in aquam projicere ad transferendas merces alteri locavit, ad conductoris damna tenetur, de quo *Navar. cap. 17. num. 196. Rebell. sup. Q. 4. Dicastill. num.* 40. ac communiter omnes.

60 Quartò, si domum alienam absque bona fide alteri locavit, quæ post aliquod tempus evecta fuit à vero domino, vel pro aliquo locatoris delicto fuit ablata, Fisco vel addicta, tenetur ad restitutionem damni emergentis, & lucri cessantis, quia censetur causa injusta damni per dolum, nonque pensionem tempori futuro respondentem exigere potest; in secundo autem casu de Fisco non tenetur de damno conductori, quia contra illum culpam nullam commisit; sed si bona fide processit alienam locando domum, ad restitutionem damni non tenetur, domo tamen evecta, futuram pensionem exigere non valet. Legatur *Bonac. de Contract. Disp. 2. Q. 7. P. 2. num. 4. Trullench. Decal. lib. 7. cap. 23. Dub. 3. num. 5. Molina Disp. 493. & Dicastill. sup. à n. 41.*

61 Quinto tenetur locator locatam rem conductori tradere, ut ea frui possit, alioquin tenetur solvere, & refarcire quidquid interest conductoris: *L. Conducto, & L. Si uni, §. Ubicunque*; & si per casum fortuitum conductor impeditus fuerit, ut re locata uti non possit, locator mercedem remittere debet, eam vel restituere, si jam habet receptam; non tamen tenetur ad id, quod conductoris interest, *ut Gloss. in L. Si uno in verb. personis, ff. locati.* ¶ Huc etiam pertinet, nè locator rem alteri præstet, vel det, nisi ei, cui locavit. ¶ Sed rogabis, si res eadem duobus successivè locetur, quisnam eorum sit præferendus? Primus equidem, si neutri data est possessio, ac multò magis, si jam apud eum sit rei possessio: sed, si apud secundum sit possessio, ut quid probabilius judicat *Tambur. sup. cap. 1. num. 5. cum Azor Q. 5.* contra alios hunc secundum præferendum esse, sicuti in pari casu secundus, cui tradita sit rei possessio, in venditione præfertur; & ratio hujus ea esse potest: quia possessio ea, vel ea detentio, quam secundus habet, jus dat ipsi, nè spolietur. Legantur citati.

62 Sextò, si dominus navis alienas merces adsportandas accepit, & cùm imperitus esset, sine Magistro, vel Nauta navigaverit, Magi-

stri

stri vel consilium sequi noluit, naufragio sequuto, mercis domino de damno tenetur ¶ Et idem, si una navi locata (ut dictum est suprà) merces sine domini consensu in aliam transtulit navem deteriorem, vel domino in contra reclamante, in aliam æquè bonam, vel meliorem, quæ mercibus periit, incolumi illa remanente alia.

63 Septimò, si expensis suis ad ædificium quis operas suas locavit, vel certo tempore absolvendum, ac postea vitiosum comperiatur ob materiæ defectum; aut quia nimis festinanter fuit operatum, de sequuto damno tenetur, si promisit ædificium taliter efficere, ut conductori placeret, intelligitur, vel saltem arbitrio peritorum placere debuerit, quòd si ante approbationem res fortuito casu perierit, conductori perit; *L. Opus*, *L. Si priusquam*, *L. Ea lege*, §. *Locavi*, circa quod omnino legendus est *Lugo Disp.* 29. *Sect.* 4. *num.* 66. *& seqq.* cum quo

64 Adverte pastores, ac eos, qui ad rem aliquam custodiendam operas suas locarunt, in externo non satisfacere foro, nisi probent rem absque sua perisse culpa. Si tamen probent in gregibus aliis æqualem numerum perire solere, & periisse, vel verisimilem afferant causam, cur in illo grege plures oves perisse debuerint, cogitur pastor jurare, ac ipsius juramento statur. *L. Si quis fundum*, §. *Si Imperator ff. locati*, & aliis. ¶ Ille tamen, qui equum ad iter agendum conduxerat, si mortuum probet, & juret absque sua perisse culpa, quia equus naturali cursu, & sine conductoris culpa perire solet, satisfacit, & locatori culpam intervenisse incumbit probandi onus.

SUBLECTIO II.

Prosequitur materia precedens.

65 SEcundò dicitur quòd locator tenetur omnes expensas (seu id, quod pro illis expensum est) conductori solvere, tam necessarias, quàm utiles, imò & voluntarias, juxta dicta de Restit. in comm. si per voluntarias locata res efficitur melior, & si eas renuat compensare locator, tunc, casus, potest conductor occultè sibi compensare, vel rem locatam sibi in pignus retinere, donec ejus usu, vel fructibus recompensentur expensæ in ea factæ. Et hoc, sive expensæ notabiles sint, aut modicæ, quia eadem est pro omnibus ratio, (quidquid quo ad modicas expensas sentiat *Gomes* 2. *Var. cap.* 3.) uti ex dictis de Restit. constat. Resolutio tamen hæc intelligenda est, nulla præcedente consuetudine, vel pacto, per quod decernatur ut locator expensas non solvat, tunc enim contraria resolutio erit. Unde

66 Resolves quod locator solvere tenetur expensas à conductore factas in reficiendo tecto domûs locatæ, in reparando murum ruinam minantem, in faciendo aggeres, & fossas agro conducto necessarias, ne flumina noceant, in apponendo equis ferreos calceos ad iter agendum, in adhibendo medicamenta equo infirmo, nè ad ambulandum reddatur ineptus, &c. omnes enim istæ expensæ sunt necessariæ ad usum rei locatæ, ad quas faciendas tenetur locator: (secluso consuetudine, vel pacto) quia tenetur rem aptam communi usui conductori tradere, & conservare, ac eam non aptam reddere aptam, & idem, si conductor in agro conducto vineam, arbores, &c. plantavit, (quæ quidem expensæ sunt utiles) nisi conductor dictas meliorationes ex pacto fecisset, in quo casu locator ob dictum onus aliquid ex pensione detrahere debet, cùm sit onus pecuniâ æstimabile. Molina Disp. 496. Azor sup. Q. 1. § *Tertia obligatio*, & alii.

67 Dictum est: *Nisi ex pacto conductor dictas meliorationes fecisset*, nam tunc standum est pacto expresso. ¶ Sed quid, si non expressum fuit pactum, sed locator tantùm exposuit ut fierent meliorationes prædictæ, non tamen cujus expensis fuit explicatum, an scilicet conductoris, nunquid locatoris? Variant DD. Ad locatorem hujusmodi expensarum solutionem expectare respondet *Molina Disp.* 496. ad conductorem pertinere respondet *Lugo sup. num.* 69. qui legendus etiam *num.* 70. legatur & etiam *Tambur. sup. num.* 23. *a Spiritu Sancto sup. num.* 991. *&* 992.

68 Deinde locator tenetur pensionem remittere totam, si sterilitas, & calamitas tanta sit, ut conductor nihil ex re conducta percipiat, veluti si eluvione, vel hostium incursione, si grandine, aut brucho devastentur segetes, vel si ita molendini elocati aditus intercipiatur, ut nullus amplius ibi ad molendum accedat, in his enim, & similibus casibus compensationem, & remissionem facere tenetur locator. *L. Ex conducto* 15. *ff. locati.*

69 Sed, si sterilitas, vel calamitas tanta non sit, licèt sit magna, tunc remissio pro rata facienda est cap. *Propter sterilitatem* 3. *de locato, & conducto*, ubi Divus Gregorius Magnus verba sequentia profert: *Propter sterilitatem afficientem magno incommodo conductores vitio rei sine culpa colonis, seu casu fortuito contingentem, colonis Ecclesiæ tuæ pro rata pensionis remissio est facienda, nisi cum ubertate precedentis, vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari.* Et est communis juxta *Gomes tom. Var. cap.* 3. *num.* 18. *ac Less. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 16.

70 Ast grave inter AA. dubium est, quan-

do dicta ſterilitas, & calamitas magna reputari debeat? *Leſſ.* tres circa hoc opiniones apponit, quarum prima dicit quòd hoc ex vulgi judicio, ac æſtimatione pendet. ¶ Secunda aſſerit tunc ſterilitatem eſſe magnam, quando res conducta partem dimidiam non confert, quam dare conſueverat. ¶ Tertia autem putat tunc magnam eſſe, quando, detractis expenſis, & æſtimatione laborum, fructus percepti ſatis non ſunt ad dimidiam penſionem ſolvendam, ac opinionem hanc putat amplectendam eſſe: quia, ſicut ſi quis ultra dimidium non fuerit deceptus, nulla ei competit actio, ita etiam, ſi conductor non paſſus ſit damnum, ſeu ſterilitatem ultra dimidium, non debetur ei compenſatio, & hujus ſententiæ eſt etiam *a Spiritu Sancto num.* 993. Sed circa hoc

71 Notandum primò quòd ſterilitas, & calamitas non ſolùm intelligenda eſt, ſi fructus non naſcantur, ſed etiam quando fructus jam eſſent collecti, & in horreo poſiti, poſteaque fortuito caſu perirent, antequam commodè recondi potuerint, in tali enim caſu compenſatio, vel remiſſio facienda eſſet non minus, ac ſi ſterilitas fuiſſet in fructus non producendo. *Cit. L. Ex conducto* 15. Et idem videtur eſſe dicendum, ſi collectis, & compoſitis fructibus in horreis fulmen, vel hoſtis ex improviſo ſuperveniens calamitatem inferat, quia eadem ratio videtur. *Leſſ. num.* 18. *& Gomes ubi ſup.* contrarium tenet *Navar. cap.* 17. *num.* 187. *ac* 188. *legendus.*

72 Secundò notandum quòd, ſi fertilitas præcedentium annorum dictam ſterilitatem, aut calamitatem compenſaverit, tunc, caſus, non tenebitur locator aliquid de penſione remittere, vel ſi poſtea in ſequentibus annis dicta compenſatio fuerit facta ex annorum fertilitate, non poteſt locator repetere id, quod demiſit ratione ſterilitatis, aut calamitatis. Eſt communis, & habetur *in L. Ex conducto cit.* ac in cap. *Propter ſterilitatem.* Legatur cit. Gomes, & Leſſ. num 19 ac 20.

73 An autem, quando in aliquo anno eſt extraordinaria ubertas, vel fertilitas, ratione ubertatis prædictæ augeri penſio queat? Decidit quòd, ſi ex cura, & induſtria coloni ubertas, vel fertilitas dicta provenit, penſio augeri non valet, bene verò, ſi ex fortuito caſu proveniat, uti ſi conductor ex molendino ſibi locato (& ſic in caſibus aliis) communiter quinquaginta recipiebat, & poſtea, quia vicina molendina cætera deſtructa fuerint, ex magno concurſu accipiat centum; quia ſic naturalis poſtulat æquitas ut in ſterilitatis caſu minuatur penſio, augeri debeat. Ita Panorm. in dicto cap. *Propter ſterilitatem*, Sylveſter verb. *Locatio*, Q. 14. Navar. cit. in loco num. 191. Leſſ. num. 21. ac 22. *ex L. Si merces*, §. *Si vis maior*, *ff. locati*, & Filiuc. Tract. 36. cap. 3. Q. 1 quod intellige, niſi Leges, vel conſuetudines contrarium præciperent A Spiritu Sancto ſup. ait quòd hoc non videtur in uſu.

74 Circa locatorem notandum tertio adhuc eum rem locatam ante finitum locationis tempus petere non poſſe, quia conductor per contractum ad certum uſque tempus jus acquiſivit. Eſt communis. Poterit tamen in quatuor caſibus, vel ex quatuor cauſis non ſolùm rem locatam ante finitum locationis tempus petere, ſed etiam conductorem adhuc invitum expellere *ex L. Æde*, *ff. locati*, *cap. Propter ſterilitatem*, §. *Verum de locato.* Et eſt

75 Prima, ſi conductor per biennium penſionem non ſolverit, quando res ad tempus longum eſſet locata, uti ad 4. vel 5. aut plures annos, quia frangenti fidem non eſt ſervanda fides: *Azor Q.* 2. *Bonac. Diſp.* 3. *Q.* 7. *P.* 1. *num.* 8. ac plures alii in quo caſu conductor obligatus non erit ſolvere, niſi ſolùm penſionem duobus illis annis correſpondentem; quòd ſi ad pauciores annos ſit facta locatio, conductorque tempore ſuo debito penſionem non ſolvat, tunc ſtatim expelli poterit. *Sylveſter, Gomes, Navar. ubi ſup.* & cum multis *Dicaſtill. num.* 56. probabiliter docet.

76 Secunda, ſi conductor conducta re abutatur, ſive damnum inferendo, aut infames perſonas, putà meretrices, in conducta re ingerendo, vel introducendo, aut aliter malè de re conducta utatur. Et in hoc caſu *Dicaſtill. num.* 59. *cum Navar. Rebell. Leſſ. Sá, ac Tuſco* merito dicit conductorem reſarcire damna debere, quæ propter abuſum talem locator eſt paſſus, uti ſi propter meretricis infamiam, ibi traductæ, conductor non reperiatur alius, conductor præcedens ad ejus damni reſtitutionem tenebitur, cujus per abuſum contra voluntatem dòmini cauſa adeſſe cenſetur ¶ Sed, ſi locator nullum patiatur damnum eo quod æquè bene alios conductores inveniet, ad nihil primus conductor tenebitur, quin potiùs tenetur locator pro rata temporis à die expulſionis remittere penſionem, niſi fortè exigat illam ratione damni.

77 Tertia, ſi inopinatus eventus eveniat, improviſus vel aliquis caſus, in quo locatorem domum ſuam putà habitare neceſſitas urget; *L. Æde*, *Cod. de locato*: unde, ſi locator domum ſuam locaverit Petro, & poſtea domus, in qua habitat ipſe locator, combuſta, aut diruta fuerit, nec aliam, ubi commodè habitare queat, habeat, tunc dictum inquilinum Petrum expellere poterit, quod idem, ſi duxiſſet uxorem, aliquam aut dignitatem conſequutus eſſet, ob quam maiori domo indigeret. *Bonac. ſup.*

sup. P. 2. num. 12. Leff. cap. 2. num. 37. Navar. & alii sup. cit. ¶ Imo poterit locator conductorem expellere, licèt promiserit etiam sub juramento eum non expellere, si juri suo cedere non intenderit, de quo *Bonac. sup. ac Leff.* ¶ Et quod dictum est de necessitate locatori ipsi superveniente, intelligitur etiam, si superveniat patri, avo, vel filius ipsius locatoris; de quo Bald. in dicta *L. Æde*, Cod. de locato, num. 11. legatur Dicastill. num. 66.

78 Quarta, si superveniat necessitas reparandi domum, qua reparatione locationis in tempore non indigebat, ac nisi conductor expellatur, domus reficì nequit; *L. Æde cit. & cap. Propter sterilitatem*; reparatione tamen finita, eadem domus reddenda iterum est conductori, si adhuc conductionis tempus non est elapsum, ac ille tenetur accipere, modò ex alio capite rationabiliter invitus non censeatur; id quod tunc erit, quando grave pateretur damnum, si eam conduceret domum, quia ex nullo Jure constat quòd conductor cum detrimento suo gravi domum accipere debet, quam sic reliquerat, & ex qua fuit ejectus. Et etiam in hoc casu locator tenetur ad temporis ratam pensionem remittere, aut aliam domum æquè commodam conductori quærere, quia æquum non est ut conductor absque sua culpa tale pensionis incommodum sentiat. *L. Cùm in plures, ff. locati*, Navar. Azor, Bonac. Less. ac Dicastill. locis cit. legatur Molina Disp. 499.

79 Finito tamen locationis tempore, neque conductores, nec eorum hæredes, imò neque eorum fidejussores inviti retineri possunt: *L. Invitos, Cod. de locato*, & aliis; ac ex altera parte neque locatores, aut eorum hæredes coguntur eisdem conductoribus, vel aliis rem suam locare. *L. Nec cui, Cod. de locato.* Deinde dicto tempore locationis finito nulli dubium est locatorem conductorem expellere posse, remque alteri locare. Sed

80 Dubium est an, si conductor pro æquali pretio in re conducta persistere velit, vel permanere, conductori alteri præferri debeat? Respondetur negativè, universaliter juxta Jus commune loquendo, id quod constat ex dicta Lege *Nè cui.* Alicubi tamen aliquibus personis id ex privilegio conceditur, & alicubi propriè, specialesque sunt Leges de hoc disponentes, uti disponit *Lex penult. Cod. de locat. prædii communis, vel Fisci*, prout habet *Tambur. cap. 6. num. 1.* ¶ De Lusitano autem Jure debet dominus per triginta dies antequam locationis finiatur tempus, locatorem monere, ut à locatione desistat, id quod si non fecerit, locatio ad alterum annum prorogari censetur. *Lib. 4. Ordinat. tit. 23.* ¶ Si locator sciens finitum locationis esse tempus, conductorem locatam rem tenere permittat, censetur etiam prorogari locatio vel ad annum, si res conducta rusticum sit prædium, vel quousque alteruter ex contrahentibus à conductione resilire velit, sive recedere, si res conducta prædium sit urbanum, scilicet, domus: *L. Item quoties, ff. qui impleto*; quod intellige, nisi domus in tali loco semel tantùm in anno locari soleat, & eo transacto tempore, non amplius inveniuntur conductores, nam etiam tunc ad annum locata censetur. Cum *Molina, Bonac. & Tambur. a Spiritu Sancto sup. num. 995.*

SUBLECTIO III.

An locatio ad hæredes transeat?

81 TAm locatoris, quàm conductoris hæredes ad servandam locationem factam usque ad præfinitum tempus tenentur: *L. Viam veritatis, Cod. de locato.* Unde, si quis alicujus ad aliquod opus perficiendum conduxit operas, locatore mortuo, per hæredes adimpleri debet opus, si per ipsos impleri potest; secus, si impleri non potest, tunc enim ad eos contractus non transit, & si ad beneplacitum facta esset locatio, tunc locatore mortuo, expirat beneplacitum, ac per consequens ipsa locatio. *Gomes sup. cap. 3. num. 7. Azor 3. P. lib. 8. cap. 6. Q. 1. ac Molina Disp. 489. legatur à Spiritu Sancto sup. Sect. 8.*

82 Dicta autem locatio ad emptorem non transit; ita ut si quis per quinquennium locaverit agrum, illumque post biennium alteri vendiderit, emptor dictam locationem servare non tenetur, res enim empta ad ipsum cum totali dominio transit; unde & conductorem expellere potest. Dictus autem conductor contra locationem agere potest, ut sibi reparet damnum. *Gomes num. 9. Molina Disp. 490. & Azor Q. 2.* ¶ Et idem juris de eo est, ad quem res locata ex donatione, vel legato devenit. *L. Qui fundum, ff. locati, L. Nihil proponitur, §. ult. ff. de legat.* ¶ Et idem, si res locata alienetur solùm quo ad dominium utile, aut si in emphyteusim tradatur; neque enim usufructuarius, nec emphyteuta locationi primo factæ stare tenetur: *L. Arbores, ff. de usufructu*; & est ratio: quia per dominium utile acquiritur jus in re, & conductori contra locatorem jus tantùm personale competit. ¶ At, si locator rem cesserit alteri sub hoc pacto, ut locationem continuet, tunc pacto stare tenebitur. ¶ Similiter, si quis in Majoratu, vel fideicommisso succedit, locationi ab antecessore factæ stare non tenetur; nam talis ab antecessore Majoratum non accipit, qui rem ad vitam locavit, sed à primo institutore; antecessor enim solùm dominium,

& administrationem habebat, ejus vitâ durante, ac erat quasi usufructuarius, sicque morte ejus expirat omnis locatio, sicut etiam ultra sortem fideicommissum non durat. Legatur *Molina Disp.* 491. *Azor cap.* 6. *Q.* 6. *& Trullench. Decal. lib.* 7. *cap.* 27. *Dub.* 7.

83 Fiscus, dum in alicujus bonis succedit, si particularia sint bona, locationi factæ stare non tenetur, succedit enim tanquam particularis successor, ac iste locationi à prædecessore suo factæ stare non tenetur, sed conductorem expellere potest, etiam & conductor recedere; sed locator, vel ejus hæredes conductori damnum refarcire debent, cui adversùs eos actio competit, ut damna refarciant, eo quòd usque ad locationis tempus contractus non continuetur; sed, si Fiscus succedit in omnibus bonis, aut in parte aliquota, ut in dimidia, tertia, vel quarta parte, tunc conductorem non potest expellere, quia tunc Fiscus tanquam universalis hæres habetur; & iste locationi, aut conductioni à prædecessore suo factæ stare tenetur, quem repræsentat, cùm in omnibus succedat, ideoque debet omnia ab eo servata servare *Molina ubi sup. cum Mantica*, & cum aliis *Bonac. cit. Disp.* 3. *Q.* 7. *P. ult.* & alii.

84 Pupillus, ac etiam minores Tutorum, & Curatorum locationi stare tenentur, sicut & Procuratorum, quia Tutores, &c. non ipsorum nomine, sed pupillorum, ac minorum locationes exercent; possent tamen pupilli, &c. si graviter læsi essent, beneficio Legis, & officio Judicis in integrum restitui. *Gomes num.* 8. *Azor Q.* 5. *Molina Disp.* 492. ac cum aliis *á Spiritu Sancto num.* 1013. ¶ Item uxor, mortuo marito, locationi ab eo de bonis paraphernalibus factæ stare tenetur, quia maritus non nomine suo, sed uxoris dicta bona locavit. Et idem de bonis communibus durante matrimonio acquisitis, ubi illa communia sunt, uti in Castellæ, & Lusitaniæ Regnis (juxta Fagund. de Just. lib. 4 à num. 14. ac Molinam de Just. tom. 2. Disp. 274. num. 4 & 5.) Legatur Azor §. *Quæres*, qui legendus etiam Q. 8. ac Molina sup. apud quos contrarium est probabile.

85 Prælati, etiam Abbates, Beneficiarii, locationi ab antecessoribus suis de bonis Ecclesiæ pertinentibus factæ stare tenentur, de his enim bonis prædecessores legitimi fuerunt administratores. Aliter dicendum est de bonis, & redditibus Ecclesiasticis, ad suam dignitatem, vel Beneficium pertinentibus, cujus fructus sui sunt, nanque in his succedunt, sicut primogenitus in bonis Maioratûs, cui prædecessor præjudicare non valet. Et idem de locationibus factis ab Administratoribus, vel Rectoribus Civitatum, Hospitalium, Collegiorum, & similium, nimirum quòd locationi stare tenentur, sicut à simili dictum est de pupillo, ac minore. Cum multis *Bonac. de Contract. Disp.* 3. *Q.* 7. *P. ult.* ubi legendus & etiam *Trullench. lib.* 7. *cap.* 23. *Dub.* 7.

SUBLECTIO IV.

De conductoris obligatione.

86 CIrca obligationem conductoris scire debes quòd tenetur in primis re conducta non uti, nisi solùm ad illum finem, ad quem illam conduxit, nisi aliter ex locatoris mente conjiciat; unde, si quis causâ Ulyssiponem eundi equum conduxit, ac postea in Conimbricam vadat, ibique pereat, ad restitutionem tenebitur ultra mortale commissum ob usum sibi usurpatum contra pactum, & locatoris voluntatem.

Secundo tenetur conductor rem conductam non demittere, nisi conductionis tempore finito. ¶ Excipe, nisi justa causa detur, veluti si res deterior facta sit absque culpa conductoris, ac illa uti non possit, vel si superveniat pestis, aut bellum periculosum, vel gravis inimicitia, aut simile.

Debet tertiò conductor conductionis tempore elapso rem eandem numero, & integram, sicut eam accepit, restituere, nisi aliter conventum fuerit, nanque per conductionem, ac locationem dominium non transfertur, sed tantùm rei usus ad certum tempus. ¶ Quartò debet conductor assignato tempore, vel juxta consuetudinem loci pensionem solvere. Legatur *Gom.* 2. *Var. cap.* 3. *num.* 21. *&* 22. *Azor* 3. *P. lib.* 8. *cap.* 9. *per totum, á Spiritu Sancto sup. num.* 101.

87 Non tamen tenetur conductor ad casus fortuitos, vel qui ex sua culpa non proveniunt, nisi id in pactum fuerit deductum, quod fieri valet, si tale pactum non reddat contractum injustum, & inæqualem propter maius onus alteri contrahentium impositum, sicque dicto pacto secluso, solùm ex culpa lata tenetur; (juxta dicta de Rest. in comm.) ex quo fit quòd, si domus conducta pereat, etiam domesticorum culpâ, vel eorum, quos conductor introduxit in eam, restituere tenetur, quia talis intercedit culpa.

88 Similiter qui conductus est ad portandam columnam, vel ad vitreos nimbos transferendos, restituere tenetur, etiam ex negligentia leviissima, quia hæc licèt secundùm se talis sit, in hujusmodi materia non reputatur leviissima, sed lata propter summam diligentiam tunc requisitam, id quod etiam ex dictis de Rest. in comm. constat. ¶ Item si damnum

oritur

oritur ex pacto aliquo non observato, putà si locator præscripserat nè in re locata accenderetur ignis, & igne accenso, res combusta fuit sine nova conductoris culpa, etiam tenetur, quia satis ad id est culpa præcedens pacti non observati.

89 Item si ex mora reddendi rem locatam tempore præscripto res postea pereat. ¶ Item si locatus fuit equus eo pacto, ut nonnisi tantùm leucas octo in die perageret, & 10. vel 11. peractis, ea de causa perit. ¶ Item si conductor vineæ, aut prædii ob culturæ negligentiam minus utilem reddiderit ad fructus postea ferendos, vel si nimia putatione vites infœcundas ad annum sequentem reddidit, aut si negligenter passus est servitutem contra prædium præscribi, vel proxima domo ruinam minante sibi cavere non fecit de damno infecto, aut locatorem non admonuit, ut rei suæ prospiceret, si damnum prævidens ab initio inferendum non impedivit, vel inimicitiæ causam dedit. Sic ex multis legibus *Lugo num.* 65. Et circa hæc omnia vide *Escobar Decal. lib.* 39. *num.* 8. *ac* 27. *Tambur. de triplici Jure lib.* 9. *Tract.* 4. *cap.* 3. §. 1. *num.* 23. *&* 27. *à Spiritu Sancto sup. num.* 998.

90 Deinde tenetur conductor facere expensas, quæ ad colligendos fructus sunt necessariæ, ut arare, fodere, metere, &c. An autem teneatur expensas eas facere, quæ necessariæ sunt ad avertenda mala, quibus res conducta periret, si ei non succurreretur? Negativè respondetur; (si pactum secludamus) unde omnes dictæ expensæ faciendæ sunt, fierique debent locatoris sumptibus, quia hæc mala, ut supponitur, obveniunt rei sine culpa conductoris: ex vi ergo contractûs ea suis expensis non tenetur avertere. Tenebitur tamen in facti contingentia, si potest diligenter rei succurrere, ne pereat, mutuando etiam sibi pecunias ad id, quas postea locator solvere tenetur, quas si solvere ipse noluerit, potest conductor sibi occultè compensare, vel tantundem de pensione retinere, vel rem locatam apud se conservare quo ad usque ex fructibus inde percipiendis satisfiat, siquidem rem utilem pro dómino fecit, & justitia postulat ut à domino refarciatur. Cum aliis *à Spiritu Sancto sup. num.* 1004. *ac* 1005. Sed

91 Ambigitur an, si conductor rem locatam dómino relinquat, nolens ea ob quamcunque rationem uti, totam integram pensionem restituere teneatur? Resolvitur affirmativè; quia sibi conductor imputare debet quòd nolit re conducta uti, nisi in casu, quo dóminus consenserit. ¶ Illud tamen certum esse docet *Tambur. num.* 13. si dóminus alteri æquali pretio rem suam locet, ut etiam si famulus expulsus à dómino inveniat cui æquali pretio serviat, nihil tunc à conductore primo deberi, vel à prædicto domino, quia tunc ipsum conductorem rem conductam deseruisse, vel famulum expulsum fuisse censetur, & sic nihil damni infertur. Legatur Auctor, & *à Spiritu Sancto sup. num.* 1002.

SUBLECTIO V.

De justa famulorum, & aliorum mercenariorum mercede.

92 EX supradictis constat non solùm res mobiles, & immobiles, sed etiam personas locari posse, unde videndum superest qualiter hoc fiat, vel fieri possit, & quodnam sit justum stipendium earum. Circa quod

Sciendum est primò non omnes famulos (de quibus jam alibi non pauca dedimus) eodem modo famulatum suum præstare, alii enim illud præstant ratione mercedis, juxta consuetudinem Patriæ, Principum legem, locorum, & particularium. Alii mercede judicanda dominorum arbitrio. Alii ex solo victu, & vestitu. Alii ex victu solo. Alii certam pensionem præter laborem ipsimet suis dóminis solvunt, ut aliquam artem addiscere possint. Alii famulantur quibusdam viris primariis (uti sunt Episcoporum, Ducum, &c. famuli) absque ulla mercede, & solùm ex se alicujus officii, vel Beneficii adducti.

Secundò sciendum justum famulorum stipendium (quod intra infimum, medium, ac supremum suam latitudinem habet) illud esse, quod Lege, vel consuetudine fuerit taxatum, & ideo contra commutativam Justitiam, ex qua restitutionis obligatio oritur, dómini faciunt, si minus infimo pretio stipendium famulis solvant, ac è contrà, si famuli ultra summum pretium aliquid accipiant. Quibus sic positis,

93 Dicitur famulis, aliisque officialibus justum stipendium esse solvendum, dummodo fideliter laboraverint, aut suum proprium officium egerint, quia dignus est operarius mercede sua; è contrà, si non fideliter, & ut debent, laboraverint, saltem intra latitudinem debiti laboris, stipendium eis non debetur, nisi tantùm pro rata laboris præstiti. Est communis, ac vera. Ex quo

94 Sequitur primò quòd, si in laborando non sint fideles, & exinde damnum aliquod dómino sequatur, vel lucrum cesset, ad restitutionem tenentur. Ratio est: quia, sicut ex justitia tenetur dóminus famulis suis mercedem debitam solvere, ita famuli ex justitia debitum laborem dómino præstare tenentur. *Rebel.*

bel. lib. 14. *Q.* 3. *num.* 13. *Molina Disp.* 306. *Reginald. lib.* 25. *cap.* 39. *num.* 513. *& Bonac. Disp.* 3. *P.* 4. *num.* 2.

95 Secundò sequitur famulos in casibus dictis occulta compensatione uti non posse, quia justè ob eorum culpam ab eis auferuntur merces, imò dicta occulta compensatione uti nullatenus possunt, quandò dubitant an sit, vel non infrà infimum pretium, cùm in dubio an aliquid sit ex justitia debitum, nullus detur compensationi locus; contrarium nanque damnavit Innocent. XI. quatenus sequentem Propositionem exterminavit: *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè hæris suis surripere ad compensandum operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt*: de qua jam vidimus alibi; poterunt tamen ea uti, si certò sciant sibi justum stipendium non dari, de quo etiam jam alibi dedimus. Legatur *Bonac. sup. num.* 3. *Azor cap.* 13. *Q.* 1. *Salmant. Tract.* 13. *cap.* 1. *P.* 19. §. 2. *num.* 315. *& Diana cit. tom.* 6. *Tract.* 3. *Resol.* 176.

96 Sequitur tertiò quòd, si famulus, debita diligentiâ posita, propriumque suum munus, prout debet, adimpleat, alias exerceat operas, eisque aliquid lucretur, hoc lucrum sibi acquirere potest, & retinere, quia quando se se domino addixit, hujusmodi à se potestatem non abdicavit, nisi illas præstiterit gratis, & liberaliter. Legatur *Tambur. sup. cap.* 7. §. 1. *n.* 4. *ac Dicastill. Dub.* 5. *num.* 121.

97 Aliquando tamen non tenetur dominus pretium justæ mercedis integrum famulis solvere, eo quod famuli ipsi mercedis defectum dominis condonare censentur, & id est, vel erit.

Primò, si ab ipsis dominis favorem, aut gratiam sibi faciendam sperant, imò munera, ac beneficia in Republica consequi, quia sola hæc spes est pretio æstimabilis, & si exinde nihil re ipsa acquiratur. *Tambur. sup. num.* 7. *Azor autem sup. Q.* 4. asserit dominum nihil ex justitia, sed ex charitate debere in casu, quo nullum famulo officium vult procurare, id quod est satis probabile. Imò verum, maximè in casu, quo dominus spem dictam cognosceret, nulloque modo animum correspondendi haberet. In tali tamen casu videtur teneri dominum ex justitia famulum monere de tali eo suo animo, ut sic famulus remedio alio ad suam spem consequendam uti valeat, & si non obstante monitione illa à domino facta, adhuc famulus absque mercede ulla inservire voluerit; tunc dominus erit in conscientia tutus, licèt mercedis nihil ei tribuat. Si autem servus dominum obligare intenderet ad sibi consequendum dignitatem, officium, vel Beneficium, (excipe Ecclesiasticum, nam hæc obligatoria intentio simonia esset) teneretur dominus, quantum in se est, ad tale quid procurandum, dum famulus idoneus fuerit, postquam verò dominus fecerit quantum in se est, ad nihil aliud manet obligatus, licèt famulus dictum officium non assequatur.

98 Secundò, si servus nullam de mercede conventionem faceret, sed illam domini remisisset arbitrio, tunc, casus, dominus ei infimum saltem justæ mercedis pretium deberet tribuere: (neque tunc, casus, ad amplius ex justitia teneretur) quia non ita servus domini arbitrio mercedem reliquit, ut ei totum obsequium, vel etiam partem gratis præstare intendat, sed solùm ut solvat quod ei gratum, justumque visum fuerit. Less. cap. 24. Dub. 4. num. 15. ac Bonac. sup. num. 1. §. *Dixi*, vel dicendum cum *Navar. cap.* 17. *num.* 108. aliis adductis, standum esse in tali casu arbitrio boni viri. Legatur *Lugo Sect.* 3. *num.* 63. *Dicastill. infra num.* 135.

99 Tertiò famulorum stipendium licitè dòmini minuere possunt ex eo, quòd dicti famuli patronos non reperiant alios, quibus inserviant, & hoc etiam in casu, quo ipsi dòmini talium famulorum servitio indigerent. Tum quia, sicut ementis necessitas rei pretium currens augere, & minuere non potest, ita etiam in casu nostro, tum & maximè, quia merces ultroneæ vilescunt, & secundùm unos usque ad 3. partem, ac secundùm alios usque ad dimidiam. *Tambur. sup. num.* 8. *& in Decal. cap.* 7. §. 4. *num.* 6. *lib.* 8. *à Spiritu Sancto sup. Sect.* 4. *num.* 982. ibi addens quòd ex dominorum defectu etiam pretium minui solet, vel potest, sicut cùm emptores non sunt, sunt vel pauci, & res venales sunt multæ, etiam stipendium in foro currens est minus. Legatur *sup. Less. num.* 26. *ac Bonac. num.* 6.

100 Quartò generaliter poterit dòminus minus stipendium famulis, aliis vel officialibus dare, si ipsi expressè, aut tacitè contenti sunt minimo pretio, vel aliquo obsequio; & tunc ad nihil amplius dòminus tenetur, nisi ad id, quod conventum est, quia famulus juri suo cedere potuit, & cessisse censetur; id quod etiam verum, licèt famulus inde speret fore ut dòminus postea aliquid amplius sibi conferat, munera, stipendia, Beneficia, &c. spes enim famuli obligationem justitiæ dòmino non infert. *Less. num.* 4. *Azor* 3. *P. lib.* 13. *Q.* 4. *Molina*, & plures alii.

Hìc tamen adverte quòd quando famuli, &c. ea conditione sunt admissi, ut tantùm victu, ac vestitu sint contenti, nihil amplius à dòmino accipere, vel surripere valent, quia contrahentium conventio inter eos legem parit, estque omnino contra Justitiam adversùs

Legem,

Legem, & pactum agere. *Molina Disp. 506. num. 2. Rebell. Q. 13. & Azor Q. 2.*

Sed, si dominus ex eo tradat modicam mercedem, qua se obligat ad docendum famulum aliquam artem, vel ad ei tempus dandum, ut literis vacare possit, omnino procurare debet ut dictus famulus artem addiscat, aut literis incumbat; aliter contra Justitiam peccat, & maximè, si illum ita occupet, ut artem addiscere nequeat. *Azor, & Molina supra.* ¶ Artifices verò aliquando aliquid à pueris accipere possunt, quos instruendos suscipiunt, quando eorum opera digna est pretio, neque industriâ, & labore puerorum compensari potest, dictique pueri debitum obsequium, & famulatum præstare tenentur, prout dictis dominis promiserunt, aliter ex justitia tenentur de damno illato. *Reginald. lib. 25. cap. 39. num. 3. Dicastill. Dub. 5. num. 128. Molina, & Bonac. supra.*

101 Quintò, licèt dominus famulum expellere nequeat, nisi elapso tempore, ante illud tamen elapsum eum expellere valet, data aliqua justa, & rationabili causâ, (veluti si famulus domini vitæ insidiaretur; si esset fur, si damnum eidem afferret, &c. vel etiam si famulatum suum notabiliter negligeret ita, ut adhiberet notabiliter minus infra infimum gradum ordinariæ diligentiæ, quam in simili ministerio alii famuli adhibere solent) & tunc tenetur solvere pretium, juxta servitium à famulo factum; sed si sine justa causa eum expellat, totum ei stipendium solvere tenetur non minus, ac si inserviset toto tempore inter ipsos consignato, quia conductor, qui sua culpâ, vel sine justa causa re conducta non utitur, à mercede debita non liberatur. *L. Qui operas, ff. locati,* Dicastill. n. 142. & Lugo n. 56.

102 Sextò (secluso Lege, & consuetudine loci, prout est in Castella, ac Lusitania juxta *Molinam Disp. 505. & 506.* quæ Leges, cùm sint pœnales, tantùm in externo foro obligant) si famulus sine culpa dòmini à servitio, vel famulatu recedat, aut fugiat, (ob quod ad damna, quæ dominus patitur, tenetur) tunc ei denegandum est salarium, non tamen totum, sed juxta ratam temporis futuri: cum aliis *Dicastill. num. 145. Rebell. lib. 14. Q. 13. num. 20. ac Lugo* ubi proximè, addens quod, si famulus, vel operarius non servivit, vel fuit operatus tempore illo fideliter intra limites obsequii, laboris, & curæ debitæ ita, ut saltem laborem infimum debitum prudentis arbitrio non attigerit, restituere tenetur dòmino de stipendio pro rata operis, quod præstare tenebatur, & non præstitit, imo & pro damno secuuto, ac lucro cessante. Legatur Diana Coordinat. tom. 7. Tract. 8. Resol. 12. §. *Non deseram tamen.* ¶ Intra quantum verò tempus famulo contra dominum actio detur ad mercedem suam petendam, jam vidimus alibi, sed legatur de eo *Molina Disp. 67.* ubi de eo agit, Regnorum Castellæ, & Lusitaniæ Juribus datis.

SUBLECTIO VI.

De famulorum mercede eadem materia prosequitur.

103 FAmulorum stipendium solvendum esse suo tempore debito, aliàs injustè procedere dominos, communis docet, & constat ex illo Lib. Levit cap. 19. num. 13. *Non morabitur opus mercenarii, &c.* Dictum stipendium debet solvi in re conventa, ut in pecunia, & non in panno, aut alia re contra voluntatem famulorum ipsorum, & si in re conventa solvi non possit, in alia re juxta æstimationem communem solvi debet. ¶ Imò si dicti famuli dicto panno non indigeant, aut alia re ipsis loco pecuniæ tradita, & ob hanc causam illum vendere debeant, & minori pretio vendant, tenentur domini ad restitutionem damni illati, ideoque summopere advertere debent Duces, & alii Ministri, qui stipendia Militum in pannis, ac hujusmodi solvunt, sunt enim in damnationis statu, nec absolvi debent usque ad integram restitutionem factam, (si solvere possint) ad quam ex justitia tenentur; de quo jam vidimus alibi. Sed legantur *Div. Antonin. 2. P. tit. 1. cap. 17. Vasques de Restit. in Opusc. cap. 5. Dub. 10. num. 63. Bonac. Disp. 3. Q. 7. P. 4. num. 15. ac Dicastill. num. 152.*

104 Utrùm autem, si quis alicui familiæ, Collegio, vel Monasterio, &c. operas suas locavit, uti ad vestimenta lavanda, ad panem coquendum, ad curandum, venas scindendum, barbitondendum, &c merx postea minui possit, si personarum numerus decrescat, augeri vel debeat, si numerus crescat? Si aliud non fuisset conventum, jam vidimus alibi. Sed legendus *Azor lib. 8. cap. 14. Q. 2. Rebell lib. 14. Q. 15. Bonac. Disp. 3. Q. 7. P. 4. num. 16. & Dicastill. a num. 154.*

105 Ad Quæst. utrùm, si quis operas suas locasset ad domum fabricandam, & postea experientiâ constet mercedem conventam inter locatorem, & conductorem justam non esse, maioresque expensas ad dictam fabricam requiri, compensationem petere queat, etiam jam vidimus alibi. Sed circa hoc, & circa consimilia alia legantur *Dicastill. sup. num. 161. ac 164. à Spiritu Sancto sup. Sect. 4. per totam, Bonac. sup. num. 18. & 19. Molina Disp. 102. ac 493. Navar. cap. 17. num. 187. Gomez 2. Var.*

cap.

cap. 3. *num.* 13. *& Trulbench. lib.* 7. *cap.* 23. *Dub.* 5.

106 Ad Quæst. an famulus possit dómino pro stipendio servire, quem scit non posse illi mercedem solvere, nisi cum damnó creditorum, quibus plura debet? Cum aliis respondet *a Spiritu Sancto sup. num.* 984. quód, si dóminus ita indiget famulis, ut absque magno dedecore juxta qualitatem personæ sine eis vivere nequeat, tunc posse famulum dómino tali servire, & mercedem constitutam ab eo accipere, quia, sicut dóminus excusatur à debitorum solutione ob tale incommodum, ita & famulus. Et idem dicitur de Medico, ac Pharmacopola, & aliis necessaria infirmis præbentibus, à quibus solvendum non est creditoribus, de talibus etiam dicitur ob eandem rationem rerum suarum petere pretium, & accipere posse. Legatur Auctor etiam *num.* 985. *ac Bonac. Disp.* 2. *de Restit. Q. ult. P.* 1. *num.* 10. *& Diana sup. tom.* 6. *Tract.* 3. *Resol.* 209.

107 Ad Quæst. utrùm quando famulus pro sua necessitate promittit suam operam dómino pro stipendio minori, quàm infirmo, sibi occultè compensare possit illud omne, quod deest, usque ad justum infimum pretium? (usque ad medium, & summum non posse supponitur.) Negativè resolvitur; pro quo legendus est *Rebell.* 2. *P. lib.* 14. *Q.* 15. *per totam, Lugo Disp.* 16. *de Just. à num.* 80. *ac Tambur. sup. Tract.* 4. *cap.* 7. §. 1. *num.* 15. Et hîc

108 *Tambur. num.* 21. notat primò quòd quando servus, & amicus obsequia aliqua exhibet, ad quæ non tenebatur, non potest sibi compensationem facere, si gratis obsequia fecit, quia re semel donata, eam iterum sibi reassumere nequit per hoc præcisè, quód voluntatem mutet, nisi etiam consensus ejus adsit, qui eam donationem recipit. Si tamen invitus donationem fecisti, uti compensatione valebis, quia labori debet æqualis merx solvi, & nemo facilè condonare præsumitur, nisi condonatio exprimatur. Legatur *Bonac. de Contract. Q.* 7. *Disp.* 3. *P.* 4. *num.* 4.

109 Secundó notat etiam num. 24. quòd, si per aliquos annos famulus sui famulatûs stipendium non petat, potest dóminus Jure communi per 30. annos præscribere debitum ita, ut non obligetur amplius solvere, si dóminus bona fide procedat, judicetque se nihil debere eo quód non est requisitus à servo. Legatur *Thomas Hurtado Tract.* 8. *Morali cap.* 2. *a num.* 245. ubi consimilia alia habet.

110 Notat itidem tertio num. 10. quód, si dóminus dives, vel Princeps honorario suo famulo præstet victum, & vestitum pro ipso, ac pro habendo equo ordeum, vel aliam victûs portionem, qua ipse honorarius famulus alium pro se famulum habeat, ipse verò non equum, neque famulum alium alat, illud ordeum, portionemque illam sibi reservare potest, quia ea, ut ipse equum, & famulum de facto habeat, non videntur dari, sed ut possit habere, & illorum defectus non redundat in damnum, sive dedecus domini, sed solùm ipsius honorarii famuli, & quia hujusmodi Principes, acdivites homines, & domini non ad justum stipendium, sed ad liberalem beneficentiam ea mensurant, quæ donant; quæ, inquit ille, rationes sunt Magistrorum Salmanticensium, doctrinam hanc approbantium *apud Lugonem de Just. Disp.* 16. *num.* 82.

111 Ad Quæst. an filius Caupons, Mercatoris, &c. qui patris bona administravit, salarium exigere possit, sibique retinere, & nunquid, si ob reverentialem metum petere illud non audeat, clam à patre accipere possit, etiam dictum est alibi. Legatur Layman Theolog. Moral. lib. 3, Sect. 5. Tract. 4. cap. 8. num. 6. ac Diana sup. tom. 6. Tract 3. Resol. 174. & Tract. 7. Resol. 45. præcipuè §. *Ex doctrina superiùs allata*, ubi pars affirmativa resolvitur.

LECTIO IV.

De Emphyteusi, ac Feudo, quid, & quotuplex sit Emphyteusis, ac Feudum, & quas conditiones requirant?

EMphyteusis valde affinis est Locationi, ac ideo facilè difficultates in hoc contractu occurrentes quilibet resolvet, si plenam Locationis notitiam habuerit. Deinde pro ea parte, qua à Locatione differt, magis ad Juristas, quàm ad Theologos pertinet; (ea quippe differentia parum, aut nihil ad casus conscientiæ decidendos deservit) qua de causa parum temporis in hujus contractûs explicatione insumere placuit, proindeque brevissimè ab eo nos expedire curabimus, lectori tamen aliqualem ejus notitiam dabimus, nè ab eo jejunus evadat, ad AA. alios, qui de hoc latissimè tractant, eum remittentes.

112 Emphyteusis itaque (quod meliorationem significat græcè (ita definiri, vel describi valet: *Est contractus rei immobilis, cujus tantùm dominium utile in accipientem transfertur, dominio directo apud concedentem retento, cum pacto certa pensionis statutis temporibus domino proprietatis in recognitionem dominii directi solvenda.*

113 Ille, qui dominium utile accipit, *Emphyteuta* dicitur; ipse verò contractus, quo id datur, & accipitur, *Emphyteusis* nominatur, ac ipsa solvenda pensio græcè *canon*, id est *regula* vocatur, quasi pensio ex certa, fixaque regula sit solvenda. Legatur *Azor* 3. *P. lib.* 10. *Tract.*

de

stit. de locat. In Jure tamen Lusitano lib. 4. Ordinat. tit. 65. §. ult. domus, vel solum ad domum ædificandam non potest in Emphyteusi concedi sub pensione vini, olei, & similium, sed solùm sub pecuniæ pensione, vel sub pensione aliquarum avium, aliàs contractus irritus, & nullus habetur; de quo etiam Jure non est, ut Emphyteuta aliquid pro ingressu solvat; eod. lib. tit. 66. ubi interdicitur tam Commendatariis Militarum, quàm Administratoribus tam Capellaniarum, quàm Maioratuum, & aliis similibus, nè aliquid (quidquid illud sit) pro ingressu Emphyteusis, vel ejus remuneratione recipiant sub pœna irriti contractûs, amittendi pretium datum, ac insuper solvendi ab Emphyteuta tantundem, quantum in pretium dedit, ut per hoc imponendi minorem pensionem in præjudicium successorum suorum evitetur occasio. Legatur *Rebell. lib.* 13. *Q.* 7. *num.* 5. *&* 6.

126 Si tamen Emphyteuta per tres continuos, atque completos annos in Emphyteusi seculari, seu communi (quæ est in re, cujus dominium ad secularem pertinet, & de qua juxta Civiles Leges judicandum erit) pensionem, seu Canon non solvat, cadit in pœnam commissi ita, ut dominus eum expellere possit, quanvis de solutione interpellatus non fuerit, amittetque rem emphyteuticam cum omnibus suis melioramentis, in ea factis, nec mora purgari valebit. Si verò Emphyteusis Ecclesiastica fuerit, satis est, si per duos continuos annos non solvatur pensio. *L.* 2. *Cod. de Jure emphyteutico*, ac habetur in L. *Lusitana* sup. tit. 61. §. 1. & 2. legatur Molina Disp. 453. Rebell. ac Dicastill. suprà.

127 Sed limita primò, nisi dominus Emphyteutæ sit debitor, Emphyteutaque titulo compensationis pensionem, vel laudimium apud se retineat. *Molina sup.* §. *Illud est.* ¶ Secundò, si Emphyteuta pensionem offerat, & per dominum stet quominus recipiatur, & hoc multò potentiore jure, si pensionem non solùm obtulit, sed etiam deposuit eam. *Dicastill. num.* 31. ¶ Tertiò, si ob ignorantiam, aut ex aliqua alia justa causa non solvit, quia nimirum novus hæres rem emphyteuticam esse ignorabat; quia ubi culpa non est, neque commissi pœna locum habet, quin potiùs restituendus est in integrum, etiam in casu, quo sit maior. *Leff. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 48. *Rebell. Q.* 8. ¶ Quartò in eam non incidet pœnam, nisi dominus voluntatem exequendi illam prius declaret. ¶ Quintò, si post elapsum biennium in Emphyteusi Ecclesiastica celeritate solutionis purget moram; quanta verò celeritate purganda sit mora, habebis, si leges *Dicastill. num.* 46. *&* 47. *ac à Spiritu Sancto num.* 1042.

128 Sextò limita, si dominus directus secularis, postquam Emphyteuta dignus ea fuit pœnâ, sequentis temporis pensiones recepit ab illo, quia tunc pœnam condonare censetur, jusque contra illum agendi amisit, licèt protestetur se non remittere caducitatem; secus autem, si pensiones tempore antecedente caducitati correspondentes recipiat. *Dicastill. num* 48. *& à Spiritu Sancto num.* 1036. ¶ Septimò quando citra Emphyteutæ culpam tota res periit, secus, si aliqua rei pars remaneat; tunc enim Emphyteuta cogi potest ad integram pensionem solvendam, si superstes pars de se ad id sit sufficiens; pro quo stat illud commune Proloquium

Si perit pro tota, non debet Emphyteota;
Sed, si pro parte, nulla se liberat arte.

129 Octavò si non solvat ob supervenientem sterilitatem eodem tempore contingentem, & idem, si propter hostiles incursus fructus non recipiat. ¶ Nonò si pensionem non solverit tempore, quo possidere desiit. ¶ Decimo quoties sine peccato mortali fit omissio, vel dilatio solutionis. Sed circa dicta, & alia, quæ hîc adduci poterant, legatur *Rebell. Q.* 7. *Dicastill. Disp.* 3. *Lugo sup. à num.* 86. *& à Spiritu Sancto a num.* 1030.

130 Tertia conditio est, ut bona subjicienda Emphyteusi non sint Ecclesiæ bona, hæc enim à Prælato in Emphyteusim tradi non possunt, nisi ex legitima causa, & cum certa solennitate, & nisi sine solennitate tali in Emphyteusi tradi sint solita; quia tunc hæc nova non est alienatio, sed primæ Emphyteusis alienatio, ad quod solùm requiritur quòd eo modo tradatur, quo prius fuerat tradita, veluti si res erat pro descendentibus tantùm, non pro extraneis tradatur; si per tres vitas concessa erat, non tradatur in perpetuum: & requiritur quòd res non jam Ecclesiæ sit incorporata. Legatur *Molina Disp.* 369. *ac Dicastill. sup. num.* 316. *&* 378.

131 Conditio quarta est, ut Emphyteutæ non liceat, domino irrequisito, emphyteuticum fundum per venditionem alienare, ejusque meliramenta, totumque jus utile suum vendere, aut ad decennium locare, tradere vel alteri in Emphyteusim, seu libellum; quare, si Emphyteuta dominum directum non admoneat, in commissum incidet: *L. ult. Cod. de jure emphyteutico*, & L. *Lusitana* sup. tit. 4. §. *Fendo caso*, quod verum est, & si Emphyteuta postea rem ab emptore recuperet. Jus enim directo dòmino quæsitum est, nisi ante litem contestatam recuperet, tunc enim de Lusitano Jure in commissum non cadit. Dòmino tamen admonito, duos menses illi ad se deliberandum concedere debet, quo tempore elapso, ipsoque emere nolente, tunc poterit Emphy-

teuta cui voluerit vendere eodem, vel maiori pretio, dummodo illis non vendat, quibus vendere vetitum est, aut à quibus proprietarius debitam pensionem absque gravamine, vel difficultate obtinere non valeat, id quod ex Lusitana Ordinat. patet sup. tit. 64. *Deve ser vendida a tal pessoa, que livremente pague o foro.* Cum Rebell. sup. & a Spiritu Sancto num. 1046.

132 Quinta conditio est, ut directo dòmino laudimium solvatur quoties donatione, permutatione, locatione, vel venditione res emphyteutica alienetur, & si detur casus, in quo dominus directus moriens uni hæredi proprietatem relinquat, & usumfructum alteri, semper laudimium proprietatem habenti solvendum erit, id est, quinquagesima pars totius pretii, seu æstimationis Jure communi, uti constat ex L. 3. Cod. de Jure emphyteutico, consuetudine tamen solet esse trigesima; sed Lusitano Jure est quadragesima, sic in Ordinat. lib. 4. tit. 38. & laudimium hoc de communi Jure ab emptore solvi debet, uti cum communi tenet Julius Clarus, §. Emphyteusis, Q. 23. sed de Jure Lusitano venditori incumbit hoc onus lib. 1. Ordinat. tit. 62. num. 48. ibi: *O dito foreyro poderá vender, e do preço, porque assim vender, pagar a capella, ou centurio a quarenta.* Et obligatio hæc laudimium solvendi realis est, ac non personalis, sicque alienatas res sequitur, & ad successorem cum eisdem transit. Legatur *Rebell. lib.* 13. *Q.* 6. *Fragozo* 3. *P. lib.* 6. *Disp.* 13. §. 1. *Lugo num.* 89. *& a Spiritu Sancto sup. a num.* 1052.

133 Aliqui tamen assignantur casus, in quibus laudimium solvi non debet, ac est primus quando hæres necessarius (& idem de hærede extraneo) rem titulo hæreditatis accepit, vel filia titulo dotis. ¶ Secundus quando plures hæredes rem inter se dividunt. ¶ Tertius quando cohæres partialiter in Emphyteusim succedens, cohæredi alteri partem sibi correspondentem ante divisionem vendit; secus, si vendat extraneo, vel etiam cohæredi, sed post divisionem factam. ¶ Quartus quando res ad venditorem redit, resoluto contractu, ex pacto de redimendo. ¶ Quintus, si alienatio fiat ad debita solvenda excedentia, vel æqualia pretio recepto, nec bona alia dentur, ex quibus solutio fiat. Legatur *Lugo sup. Dicastill. num.* 69. *& a Spiritu Sancto num.* 1056.

134 Circa contractum Emphyteusis, ac Feudi non paucæ, nonque parvæ difficultates se offerunt, inter quas excitantur sequentes. Prima, quis in Emphyteusi succedere debeat? ¶ Secunda an pater unu filiorum emphyteuticum bonum donare, vel prælegare valeat? ¶ Tertia an si Emphyteusis ad duas, vel tres generationes concessa revertatur ad dòminum, obligatus sit dòminus agnato potiùs ultimi Emphyteutæ, quàm alteri Emphyteusim concedere? ¶ Quarta an Emphyteuta emphyteutica re privari possit, si ipsius culpâ lata, vel levi notabiliter deterior reddatur? ¶ Quinta ad quem spectet Emphyteusis, si Emphyteuta Religionem approbatam profiteatur? ¶ Sexta nunquid Emphyteuta nominare possit aliquem ad Emphyteusim, inconsulto dòmino; & quæ nominatio sit valida, quæ invalida, quæ revocabilis, quæ irrevocabilis, & quot testes in nominationibus his sint necessarii? ¶ Septima an Emphyteusis concessa filiis, & nepotibus masculis comprehendat filias, ac earum descendentes masculos?

Octava nunquid Emphyteusis concessa alicui pro se, & filio suo primogenito, mortuo primogenito, deferatur secundogenito, vel filio à primogenito relicto? ¶ Nona an tribus personis concessa cum pacto, quòd, illis finitis, liberè revertatur ad dòminum, sit iterum revocanda à descendentibus ultimi possessoris? ¶ Decima in quibus casibus, publicatis Emphyteutæ bonis, transeant ad Fiscum? ¶ Undecima nunquid in Emhyteusi tam seculari, quàm Ecclesiastica filii naturales, aut spurii succedere possint? ¶ Duodecima an Emphyteusis pro se, & pro uxore sua, quam quis de præsenti habet, putà Maria, & pro filiis utriûsque concessa, filiis secundæ, & tertiæ uxoris concedi valeat? ¶ Decimatertia nunquid pater nominans ad Emphyteusim tam liberæ nominationis, quàm de pacto, & providentia, possit gravare nominatum, sive in testamento, aut extra? ¶ Decimaquarta an Emphyteuta Ecclesiæ ad gabellas, seu tributa teneatur, & quid, si Emphcusis sit redimibilis? ¶ Decimaquinta nunquid dictus Emphyteuta teneatur ad collecta, ac onera realia, per statuta laicorum super rebus, & bonis imposita? ¶ Decimasexta an coram Episcopo pro solutione Pensionis conveniri queat? Hæ, & aliæ excitantur quæstiones, quæ videri poterunt (licèt non totæ in omnibus) *apud Molinam à Disp.* 444. *ad* 484. ubi totam materiam de Emphyteusi late prosequitur, *apud Dicastill. sup. Disp.* 5. *per totam, apud Bonac. de Contract. Disp.* 3. *Q.* 8. *P.* 2. *apud Amicum Disp.* 25. *apud Trulbench. lib.* 7. *cap.* 23. *apud Fragoz.* 3. *P. lib.* 6. *Disp.* 9. *apud Azor* 3. *P. lib.* 10. *cap.* 10. *apud Filiuc. tom.* 2. *Tract.* 36. *cap.* 8. *apud a Spiritu Sancto Tract.* 10. *Disp.* 21. *per totam, apud Dianam Coordinat. tom.* 9. *Tract.* 2. *Resol.* 278. *ac* 279. *&* 280. *ac tom.* 6. *Tract.* 3. *Resol.* 194. *ad* 199. *& ibid. Tract.* 7. *Resol.* 108. quæ omnia nos examinare omittimus ob id, quod hujus Lectionis initio est exaratum.

LE-

LECTIO V.

De Fidejussione, quid, & quotuplex sit Fidejussio, quis fidejubere possit, ac quod pretium pro Fidejussione accipi poterit?

135 FIdejussio communiter à DD. ita describitur, dicendo quòd *est alienæ obligationis in se susceptio, qua quis se obligat ad eam implendam, si debitor principalis non solverit.* Ita sumitur ex Instit. tit. 21. lib. 3. & ff. lib. 26. tit. 7. ac lib. 46. tit. 1. videndus est Gomes tom. 2. cap. 13. num. 11. ¶ Perficitur autem talis contractus verbis ex Jure Civili, seu mediante stipulationis formulâ, quæ si deficiat, non inducet obligationem in foro externo, sed erit tanquam nudum pactum, Jure tamen Canonico, & in conscientiæ foro talis stipulationis formula non requiritur, sed sufficit consensus verbis expressus, & acceptatus. ¶ Est etiam iste contractus non parum Reipublicæ utilis, quia, cùm multi sint, qui pecuniis carent, neque totam fidem habentes, nullo modo eis pecuniæ darentur, si pro ipsis alii non fidejuberent, & ob talem contractum etiam multæ emptiones, ac venditiones fiunt, sine quo adeo liberum, & utile non esset commercium.

136 Fidejussio duplex est, quarum *judicialis* una dicitur, quæ ad criminalem causam pertinet, ut quando quis in carcerem detentus ob delictum aliquod, fidejussione ab aliquo data de præsentando dictum Reum iterum in carcere tempore à Judice præfixo, Reus ipse à carcere liberatur; altera *extrajudicialis*, quæ ad civilem pertinet causam, ac extra Judicium fit, ut cùm quis præter Judicium se obligat ad solvendum in defectu principalis. *Molina Disp.* 539. cum multis *Bonac. de Contract. Disp.* 3. *Q.* 9. *num.* 17.

137 Fidejussor dupliciter se obligare valet, vel tanquam *principalis* ita, ut tam ipse, quàm debitor se æquè creditori obligent, & tunc poterit creditor pro libito ab utroque suum exigere creditum, nam tunc fidejussor non tam propriè est fidejussor, quàm principalis debitor: vel potest se obligare *non tanquam principalis*, & tunc tenetur tantùm, principali debitore non solvente, ac in ejus defectu. Et si fidejussor in defectu debitoris solvat, tunc fidejussori solvere tenebitur expensas, ac damna, quæ fortè passus sit ob ejus fidejussionem, si ipse debitor ex culpa sua non solvat, quia justum non est quod alter damnum patiatur ex officio, quod in alterius gratiam, utilitatemque suscepit. Secus tamen, si debitor in culpa non fuit, eo quòd impotens ad solvendum erat, quia tunc non debitori, sed necessitati hujusmodi damna imputari debent. *Tamb. de triplici Jure lib.* 9. *de Contract. Tract.* 7. *cap.* 1. §. 1.

138 Conditiones pro hoc contractu communiter à DD. assignantur quatuor, & est prima, ut hic contractus sit accessorius alium debitorem supponens, ac obligationem præsentem, vel futuram. Ita *Instit. de Fidejuss.* §. 1. & 2. videndus est *Gomes sup. num.* 1. *Less. lib.* 2. *cap.* 28. *Dub.* 1. potest tamen aliquis fidejubere antequam debitor se obliget, uti si dicat: Ex nunc ego fide jubeo pro Petro in contractibus omnibus, quos ipse fecerit, vel in tali contractu, si ipse fecerit. Cæterùm tunc fidejussio re vera non habet effectum donec se obliget Petrus, proindeque semper aliquo modo obligatio Petri præcedere debet antequam fidejussor absolutè obligetur. ¶ Sed hic adverte *ex Tambur. sup. n.* 2. fidejussorem cum duobus contrahere, nempe cum creditore, cui se obligat, & cum principali debitore, quem sibi obligat, & contra quem habet actionem, si non solvat, ipseque fidejussor pro ipso solvat. Legatur Molina Disp. 539. §. *Illud est observandum.*

139 Secunda conditio est, ut fidejussor ad plus, quàm principalis debitor obligari non possit, scilicet ut plus solvat, aut in alio loco, ac tempore, ad quod principalis debitor obligatus non erat. Instit. cit. §. 6. & est ratio: quia, cùm ejus obligatio sit accessoria, (quatenus est fidejussor) in idem objectum, in quod principalis tendit, omnino tendere debet. ¶ Et est advertendum ex Lugone num. 5. ac ex à Spiritu Sancto Tract. 10. Disp. 26. num. 1772. quòd aliud est *non plus*, & aliud *non ad plus* obligari, ac ideo sæpe contingit fidejussorem *plus*; id est, magis, & arctiùs obligari, quàm principalem debitorem, non tamen *ad plus*; unde fidejussor juramento obligari, etiam hypothecâ, Instrumento publico, licèt principalis debitor modo hoc non obligetur; potest etiam naturaliter, ac civiliter obligari, licèt principalis solùm naturaliter sit obligatus, & etiam ad pœnam, si non solverit, licèt debitor ad nullam pœnam se obligaverit. Videatur *Molina Disp.* 541. *ac Gomes sup. cap.* 3. *num.* 1. *&* 2. *ac Less. supra.*

140 Conditio tertia est, ut accessoria obligatio obligationem principalem sequatur ita, ut si principalis obligatio sit valida, firma etiam sit accessoria, si autem nulla sit principalis, nulla & sit accessoria. *L. Cùm Lex, ff. de fidejussorib.* Et ideo nulla erit fidejussio, quæ sit pro solutione usurarum, aut pro solutione pretii promissi pro re sacra à laico vendita *ead. L. cit.* Erit tamen valida obligatio, & fidejussio, facta de re, ex qua quis tantùm naturaliter tenebatur, uti si quis fidejusserit pro servo, vel

pro

pro minore contrahente absque dómini, aut Curatoris auctoritate, vel pro Religioso, aut pro uxore contrahente sine sui Superioris, vel mariti auctoritate, quia hi obligantur ad contractum implendum, quantum in ipsis est, & ideo, si fidejussores habeant, fidejussores ipsi obligati manent; & hoc etiam si ipsi beneficio restitutionis in integrum elidant obligationem, vel *illi*, ad quos contractûs ratificatio spectat, nullum dictum contractum reddant. *Gomes sup. num.* 2. *ac Molina Disp.* 539. *num.* 8.

141 In casu tamen, quo minor immobilem, vel mobilem pretiosam rem venderet, ad nihil ejus fidejussor, adhuc naturaliter, ex tali contractu teneretur. *L.* 2. *Cod. de fidejuss. minor.* Et idem dicito, si minor absque auctoritate Tutoris rem aliquam emeret supra dimidium justi pretii, vel infra dimidium venderet. Ex ead. *L.* legatur *Less. sup. num.* 7. qui ibi notat quòd, si quis esset fidejussor in securitatem contractûs, id est, nè contractus à Superiore, vel beneficio Legis rescindatur, tunc fidejussor tenebitur, quia tunc obligatus esset in eventu, quo principalis obligatus esset, & non solveret: unde si principalis ideo non solvit, quia non est obligatus, nec fidejussor obligatus erit.

142 Quarta conditio est, ut fidejussor conveniri non possit, nisi prius in bonis debitoris executione facta, inveniatur hanc non sufficere, *Authent. Præsente, Cod. de fidejussorib.* ¶ Sed excipe primò, quando fidejussor renuntiavit beneficio Legis præfatæ. ¶ Secundó, si constet principalem non esse solvendo, vel procul abesse, nonque habere bona in eodem territorio, ex quibus ad solvendum pretium sumi possit. ¶ Tertió, si fidejussor neget se esse fidejussorem, quia per dictam negationem beneficium excussionis amittit. *L. Si dubitetur* 10. §. 1. *Cod. de fidejuss.* & lib. 4. Ordinat. Lusit. tit. 59. §. 1. cum Tambur. ac Lugone à Spiritu Sancto sup. num. 1275. ¶ Si autem quis Exceptionem dictam non apposuerit dum potuit, sed per ignorantiam omisit, ob quam jam fuit condemnatus, vel etiam solvit, creditor ad restitutionem aliquam non tenetur, quia Jus non concedit dictam Exceptionem contra substantiam actionis, sed ratione ordinis procedendi, anteque litem contestatam opponi debet, cùm sit Exceptio dilatoria. Legatur *Gomes cit. in loco, & Less. sup. num.* 9. *ac* 10.

143 Ex dictis resolvitur quòd quando plures fidejubent, si eorum quilibet fidejubet tantùm pro parte, tunc quilibet pro parte tantùm tenetur: si autem quilibet eorum pro toto, vel in solidum fidejubeat, tunc singuli tenentur in solidum, proindeque poterit creditor à singulis indifferenter, & ad libitum solutionem petere; si tamen omnes ad solutionem idonei sint, & unus solus inveniatur, iste talis Exceptionem ex Epistola D. Adriani adducere potest, ut scilicet quilibet pro sua parte conveniatur. ¶ Excipe in Lusitania, ubi Exceptio hæc non admittitur, nec opus est illi renuntiare, sed prout creditor maluerit, ab uno, vel ab omnibus totum suum debitum exigere valet, ut patet ex lib. 4. Ordinat. tit. 59. num. 4. ¶ Sed si alii solvendo non sint, cogitur etiam unus, qui solvendo est, totum præstare, vel si etiam alibi solvendo sint. Si tamen unus integrum solvat, non opposita Exceptione, non habet quidem jus repetendi, creditorem tamen cogere potest, ut contra reliquos fidejussores sibi actionem cedat, per quam eos compellat, ut solutionis singuli suam refundant portionem, etiam ut ipse à principali debitore petere possit, si iste in totum, vel in partem solvendo sit. Legatur *Gomes sup. num.* 15. *Molina Disp.* 542. *ac* 644. *Reginald. lib.* 25. *num.* 221. *& Filiuc. Tract.* 38. *num.* 163.

144 *N. à Spiritu Sancto (ex Molina, ac Lugone)* hic sequentia notat. Primum, quòd casu, quo aliquis Exceptionem illam Adriani apponat, illam ante definitivam sententiam, qua solvere videbatur, apponere debet. ¶ Secundum, quòd Exceptio hæc ei non competit, qui sponte, vel compulsus per definitivam sententiam solvit, aut si fidejubendo huic privilegio renuntiavit. ¶ Tertium, quòd, si conventione jam præcedente, fidejussor totum solvit, non potest jam creditor hujusmodi actionem cedere fidejussori, quia creditor integrè satisfactus jam contra fidejussores jus nullum habet. Unde solùm fidejussori, qui totum solvit, contra debitorem remanet actio, & debitor tenetur id ei solvere, quod pro ipso solutum est creditori, ac totum interesse, & damnum, quod ex causa emersit.

145 Deinde resolvitur (contra aliquos oppositum probabiliter docentes) fidejussorem ante Judicis sententiam obligatum esse debitum, in defectu principalis, solvere, & ratio est efficax: quia fidejussor, ut de se patet, obligationem principalis, saltem in illius defectu in se suscepit; sed debitor principalis etiam ante Judicis sententiam solvere tenebatur: pariter ergo & fidejussor, nisi justa excipiendi interveniat aliqua causa, quæ potest esse prima, si ita conventum fuerit, ut elapso certo tempore (vel cùm fidejussor id peteret) à fidejussione liber evaderet, *L. Si pro ea, Cod. mandati*; unde liberatur, si creditor debitori terminum proroget, pro quo fidejusserat, quando tantùm ad determinatum tempus se obligavit (non tamen si simpliciter se obligaverat, indefinita nanque obligatio non tollitur temporis

poris lapsu. *L. Celsus, ff. de Arbitris, §. Idem ait.*) Et est ratio: quia obligatio ultra pactum non se extendit, vel quia sicut qui tantùm fidejubet pro sorte principali, non tenetur ad interesse, ita qui tantùm fidejubet pro tempore aliquo, ultra illud non tenetur. Legatur Sylvester verb. *Fidejussor*, Q. 13. Petr. Navar. lib. 3 cap. 4. num. 160. Azor 3. P. lib. 11. Dub. 12. Gomes sup. num. 19. ac Mantica de Tacitis, & Ambig. Convent. lib. 16 tit 21. ubi dicit quòd in dubio tempus appositum censeri debet ad limitandam obligationem assignatum.

146 Secunda causa, quæ excipiendi est sufficiens, est, si principalis debitor debita, vel bona sua dilapidare incipiat, fidejussionique immineat periculum. *L. Si pro ea, ac L. Lucius junctæ Gloss. ff. mandati.* ¶ Causa tertia est, si fidejussor longo tempore in fidejussione, vel obligatione manserit. *L. Lucius* sup. Et idem, si debitor in longissimas terras sit discessurus. Abbas in cap. ult. *de Fidejussorib.* ¶ Quarta, si fidejussor ad solvendum condemnatus sit, statim antequam solvat, contra principalem debitorem agere potest, ut ipsum liberet, indemnemque servet Jurib. cit. ¶ Quinta, si fidejussor, adveniente termino, timore pœnæ, aut aliter solutionem offerat, & quia non oportet eam minori creditori dare, in loco sacro, ac deputato deponit. *Reginald. sup. Azor sup. Q.* 8. 9. *& 13. Lugo Disp.* 31. *num.* 20. *a Spiritu Sancto num.* 1290. ac præcipuè *Molina Disp.* 546. ubi plures causas affert, ob quas fidejussor adversùs debitorem agere non valet.

Similiter fidejussor, qui se obligavit ad Petrum putà exhibendum, & constituendum, ab hoc onere, ac obligatione liberatur, si Petrus, pro quo fidejussit, post fidejussionem perpetravit crimen capitale, ob quod condemnatus fuit, vel proscriptus, & aufugit. *L. Sed & si quis.* ¶ Item qui fidejussit pro Reo, cui periculum capitis, aut manuum mutilationis impendebat, Reo fugiente absque illius culpa, capite plectendus non est, mutilationis manuum, vel flagellationis pœnâ afficiendus; quia hæc sunt criminum supplicia, non solutionis debitorum, & quia ad hanc pœnam se obligare non potuit, uti dicit *Clarus L. 5. Sententiar. §. fin. Q. 46. num.* 18. quem sup. legendus sequitur *Less.* obligatur tamen fidejussor ad pœnam pecuniarum, ut praxis est, ac docent dicti DD. cum *Sylvestra sup. vide Dicastill. lib. 2. Tract. 16. Disp. 1. num.* 19.

SUBJECTIO.

De pretio pro fidejussione, & quinam fidejubere valeant?

147 ROgabis primò an fidejussor aliquid à debitore pro fidejussione accipere valeat? Respondetur affirmative, modò pretium prudentis arbitrio sit justum. Et ratio est efficax: quia hujusmodi onus, ac obligatio, quam in se suscipit, est pretio æstimabilis, quam in se nemo tenetur suscipere gratis; quod verum, etiam si fidejussor nulli se exponat periculo, molestiæ, vel labori fidejubendo, quia non tantùm propter periculum id accipit, sed pro obligatione solvendi pro debitore, quæ obligatio, cùm sit civilis, foroque externo subjecta, re vera pretio æstimabilis est. Azor 3. P. lib. 11. cap. 22. Q. 5. Sylvester verb. *Fidejussor*, Div. Antonin. 2. P. tit. 1. cap. 7. §. 45. Caietan. 22. Q. 78. Art. 2. ad 4. Sotus, & alii relati a Petro Navar. lib. 3 cap. 2. num. 247. cum multis Dicastill. num. 26. à Spiritu Sancto cum aliis num. 1298. quidquid alii in contrarium, quo ad utramque partem, probabiliter dicant.

148 Ex qua doctrina sequitur, ut creditor lucrum possit etiam à fidejussore se ab obligatione fidejussionis volente eximere, lucrum, vel pretium accipere, sed hoc, quando debiti solutio per debitorem facienda dubia esset, secus, si de eo dubium non esset. *Azor Dub. 6. Molina Disp.* 319. *Rebell. lib.* 16. *Q. unica, num.* 3. & alii, qui omnes asserunt posse fidejussorem maius, vel minus pretium a debitore accipere, juxta maius, vel minus periculum, quod patitur, vel ad quod se exponit, ac sequitur *Bonac. Disp.* 3. *Q.* 9. *P.* 1. *n.* 12.

149 Sed notatur primò quod, si postea casu contingat ut debitor creditori suo non solvat ex mera impotentia, & absque culpa, ob quam non solutionem fidejussor aliquod damnum, ac expensas patiatur, debitor non tenetur prædicta refarcire damna, cùm sine culpa ipsius acciderint; tenetur tamen ad solutionem debiti, si illud fidejussor solverit. ¶ Secundò quòd creditor pro libito suo fidejussor, vel assecurator esse non potest, & pretium accipere, esset enim id usura; unde Petrus creditor cum Paulo, debitore suo, convenire non potest, ut ipsi Petro pretium solvat, quod dictus Paulus fidejussori solvturus erat, eo quòd ipsum Paulum liberet à fidejussione præstanda, in tali enim casu quilibet ex mutuo lucrum reportare posset. Legatur *Azor sup. Q.* 6. ¶ Tandem notatur fidejussionis obligationem transire ad hæredes, quia obligatio realis ex contractu orta, qualis est hæc, ad hæredes transit.

150 Se-

150 Secundò rogabis quis possit fidejubere? Respondetur quod omnes illi, qui se principaliter obligare possunt, etiam valent fidejubere, nisi in contrarium privilegium habeant, sive contraria Lege prohibeantur; unde resolves filiumfamilias, nisi habeat peculium castrense, sine consensu patris fidejubere non posse. ¶ Idem de pupillo sine consensu Tutoris. ¶ Idem de minore sine Curatoris consensu. Quod si minor 25 annorum fidejubeat pro aliquo, quanvis obligetur naturaliter, beneficio tamen restitutionis in integrum obligationem elidere potest, quia semper præsumitur læsus; *L. Ait Prætor 7. §. Non solum 3. Cod. de minorib.* obligaretur tamen, si fidejuberet pro patre incarcerato, quia ad id teneretur, & si non faceret, exhæredari posset, si masculus 18. annorum esset. *Authent. Si captivi, Cod. de Episcopis, & Clericis.*

151 Item neque fidejubere possunt pauperes, furiosi, amentes, neque Religiosi, saltem sine Superioris licentia, majoritque partis Capituli; imò neque Superior ipse, si res fuerit magni momenti, bene tamen, si parvi momenti sit; quia de hac, sicut sine consensu Capituli liberè disponere valet, sic etiam fidejubere valebit. ¶ Item cæcus, mutus, ac surdus fidejussores esse non possunt, secundùm plures.

152 Item Clerici fidejubere non valent pro laicis extra necessitatem sub pœna depositionis, si fiat, frequenter, *ex cap. Te quidem, Q. 1.* ¶ In casu tamen, quod fidejubeant, fidejussio tenet, uti colligitur *ex cap. Provenit, & ex cap. Constitutus de fidejussorib.* ¶ Fidejubere tamen Clerici possunt in casu necessitatis urgentis, putà causâ dotis, vel in casu, quo non sit alius, qui fidejubere possit, ac laicus multum detrimenti patiatur, si Clericus pro eo non fidejubeat, sive detrimentum sit corporis, vel Animæ, id quod verum, ubi contraria consuetudo non fuerit, sed in casu, quo Clericus fidejubere potest, tunc coram laico Judice conveniri non valet Neque fidejubere Clerici possunt in Ecclesiæ præjudicium, cæterùm ex consuetudine Clerici pro aliis Clericis, & suis Ecclesiis ex bonis patrimonialibus, ac fructibus Beneficiorum, quos suos faciunt, fidejubere possunt, ita tamen, quòd congruam relinquant. Cap. *Oduardus de solut.*

153 Præterea uxor pro marito fidejubere non valet, & si fecerit, invalidè agit, neque etiam pro aliis fidejubere potest, nisi cum Instrumento publico, tribus cum subscriptione præsentibus testibus, quanvis competat ei *Exceptio Senatûs consulti Veleiani*, per quam dictam obligationem elidere potest; sed hoc ante sententiam, & tunc ipsa ad nihil etiam in conscientiæ foro obligabitur.

154 In aliquibus tamen casibus poterit mulier pro alio fidejubere, & Exceptione, ac privilegio consulti Veleiani non uti Primo, si pretio conducta fidejubeat. ¶ Secundo, si huic privilegio renuntiavit cum juramento, aut coram Magistratu. *Less. num.* 17. quanvis huic opinioni magis adhæreat, nihilominus contrariam sententiam etiam probabilem sentit, & tenet *Sanch. lib. 4. de Matrim. Disp. 9. num. 15.* pro quo legatur etiam *à Spiritu Sancto.* ¶ Tertio, si mulier fidejubeat pro dote alterius. ¶ Quarto, si fidejubeat, ac se obliget pro suo creditore, cui ipsa aliquid debet, & juxta debitum fidejussionem faciat. ¶ Quinto, si se obliget ad aliquid solvendum pro libertate alicujus servi. ¶ Sexto, si fidejubeat, ac postea elapso anno pignus dederit, vel obligationem iterum susceperit. Videat. Lusitana Ordinat lib. 4. tit. 61. §. 1. ad 4. Extra hos casus ille, qui à muliere fidejubente aliquid acceperit, ad restitutionem tenebitur, quia fidejussio fuit invalida, nec potuit dari dominii translatio, & ad restitutionem tenebitur etiam quis, quando mulier Veleiano privilegio utitur, sed circa hucusque tradita legendi sunt *Reginald. Disp 25. a num. 217. Molina Disp. 539. ac Disp. 541. ad 545. Bonac. de Contract. Disp. 3. P. 9. Trullench. lib. 7. cap. 2. Dub. 1. Less. lib. 2. cap. 28. Dub. 2. Lugo de Just. Disp. 32. à Spiritu Sancto Tract. 10. Disp. 26. & Diana Coordinat. tom. 8. Tract. 9. Resol. 7. ac tom. 6. Tract. 5. Resol. 16. 18. 24. & 32. ac ibid. Tract. 3. Resol. 163.*

LECTIO VI.

De Pignore, & Hypotheca, quid, & quotuplex sit Pignus, ac Hypotheca, & in quo differant? Ac de Pactis, quæ in Pignoribus apponuntur.

155 *Pignus* (quod à pugno dicitur, eo quòd circa rem nobilem versatur, quæ de pugno ad pugnum, vel de manu in manu transfertur) in hunc modum describi solet: *Est datio, seu traditio rei mobilis data de manu, & potestate debitoris in manum creditoris pro debiti securitate*, vel ita: *Est obligatio pro debito facta a debitore ad securitatem creditoris*, ac ita ex Hostiensi Sylvester verb. *Pignus* num. 2. Et dicitur *ad securitatem*, quia securius est pignori incumbere, quàm in personam agere; §. *Furti, Instit. de oblig. quæ ex delicto nascuntur*, ac maior cautio est in re apud se retenta, quàm in persona. *L. Plus cautionis, ff. de regulis Juris.*

156 Hypotheca autem sic describi valet: *Est suppositio, seu obligatio rei immobilis, à debitore facta pro securitate ipsius creditoris.* Nomen nan-

nanque *Hypotheca* (quæ dictio est Græca) totum hoc dicit, nempe obligatio rei immobilis, &c. unde jam clarè constat in quo Pignus, & Hypotheca differant.

157 Differunt ergo primò in hoc, quòd Pignus rei traditionem requirit, id quod non requirit, nec petit Hypotheca, cùm præcisè fita sit in nuda partium conventione, & hac de causa Pignus dicitur de re obligata, ac tradita creditori, Hypotheca verò de re obligata, sed non tradita creditori. *L. Si rem alienam, ff. de pignoratitia actione, & L. Plebis, ff. de reg. Jur.* Secundo differunt in eo, quòd Pignus est de re mobili, Hypotheca autem obligatio de re immobili. Instit. de action. & obligat. §. Inter Pignus. ¶ In Jure autem Pignus, ac Hypotheca idem valent, ac proinde quidquid aliqua Lex, vel Statutum, etiam municipale, de pignore decreverit, intelligitur etiam de hypotheca, ut probat *Azor* 3. *P. lib.* 7. *cap.* 1. *Dub.* 4. *Molina legendus Disp.* 528. *Less. lib.* 2. *cap.* 28. *Dub.* 5. *& Rebell. lib.* 16. *Q. unica de Pignor.* Et licèt Pignus sit de re mobili, Hypotheca autem de re immobili, hoc non tollit quòd aliquando res mobilis hypothecari possit, ac res immobilis oppigneari, ut constat *ex* §. *Item Serviana.*

158 Pignus, prout Hypothecam etiam comprehendit, dividitur in *conventionale*, & *prætorium*; (seu judiciale, quod idem) conventionale fit particularium hominum pactis, *prætorium*, vel judiciale fit jussione Prætoris, vel Judicis, id est, quando Judicis mandato ante sententiam ob contumaciam alicujus alter contrahentium mittitur in possessionem, seu tentionem rei illius, per eam quippe immissionem comparat jus in re illa, eaque res pignoris Prætoris rationem sortitur. Legatur *à Spiritu Sancto Tract.* 10. *Disp.* 27. *Sect.* 1. *n.* 1303. *& Less. sup. Dub.* 6. *num.* 33.

159 Deinde dividitur Pignus (sicut & Hypotheca) in tacitum, ac expressum, & tacitum alio nomine appellatur legale, quia beneficio Legis, Juris que dispositione inducitur, tuncque datur, quando ex vi Juris aliqua, vel omnia bona obligantur, ac hypothecantur pro debito, quanvis id à debitore non exprimatur, de quo infra. Expressum (quod etiam conventionale appellatur) illud est, quod oritur ex pacto, & conventione inter ipsos contrahentes inita; uti quando debitor expressè in contractu aliqua, vel omnia sua bona pro debito obligavit.

160 Hypotheca quandoque est rei determinatæ, uti unius, vel plurium rerum in specie obligatio, quæ res ad quemcunque possessorem perveniant, obligatæ manent, & hæc Hypotheca particularis, seu specialis appellari solet; quandoque autem est rei indeterminatæ, dicique solet Hypotheca generalis, quia ad omnia bona se extendit, non solùm præsentia, sed etiam futura, ac talis adesse censetur, etiam si debitor ea non exprimat verba: *Obligo bona mea tam præsentia, quam futura*, vel: *Ate obligo fide, & periculo rerum mearum, prout habetur in L. ult. Cod. quæ res pignori obligari possunt*, ac L. *Quæ non dum, ff. de pignorib.* ¶ Sed no a quòd in generali hac Hypotheca ea non censentur comprehensa, quæ nemo prudens facilè in specie obligaret, uti quotidianæ vestes, & supellex, Doctorum libri, artificum instrumenta, mancipiorum necessaria ministeria, demum quæ ad affectionem debitoris spectant. *L. Oblig generali, ff. de pignorib. Legantur Azor, & Molina sup. Salmant. etiam tom.* 3. *Tract.* 13. *cap.* 1. *P.* 12.

161 Certum omnino, ac citra dubium est in pignoribus, ac hypothecis prohiberi omne pactum turpe, & quod Jure naturali, Divino, ac humano damnatum est. Unde inter pacta, quæ in pignoribus, & hypothecis apponi nequeunt, est pactum Legis commissoriæ: (de quo jam sup. ubi de Empt. & Vendit. actum extat) tale enim pactum Civili, ac Canonico Jure (imo naturali, & Divino, juxta Azor citandum) damnatum extat. *L.* 3. *ac ult. de pact. pignor. & cap. Significante de pignorib.* ac ibi Gloss. verb. *Commissoria.* Legatur Covar 3. Var. cap. 2. num. 8. Azor Instit. Moral. 3. P. lib 7. cap. 10. vers. *prohibetur itaque*, & à vers. *sed dubium illud.* Legatur etiam vers. *sed cur*, & vers. *quæres an valeat.* Legatur & Ordinat. Lusitana lib. 4. tit. 57. §. 1. & 2.

162 Non tamen illicitum, sed potiùs licitum est, vel erit creditori cum debitore pactum inire, ut scilicet, si intra certum tempus, vel d em pecunia soluta non fuerit, ipsius creditoris pignora fiant; sed hoc in casu, quo pecunia tanta sit, quanti oppignerata res valeat, quia tunc justus est venditionis, ac emptionis contractus sub ea tali conditione celebratus, cessat enim ratio prohibitionis talis contractûs, cùm nullum lucrum tunc, casus, creditor ex mutuo acquirat, neque debitor plus solvere cogatur, ac dare, quàm debebat, remque suam minori, quàm in se valet, pretio vendere; quod ita verum est, ut, si in externo foro venditio rescindi jubeatur, nihil creditor debitori restituere teneatur, cùm nihil extra sortem ratione mutui, ac commodati acceperit, prout expressè docet Covar. 3. Variar. cap. 2. vers. 4. *& ult.* ac vers. *secundo pactum illud.* Et etiam in casu, quo pacto hoc sit initus contractus, ut nimirum, si debitor intra certum diem pecuniam non solverit, pignora empta sint ipsi creditori justo pretio arbitrio boni viri definien-

do, quod colligitur *ex L. Si fundum, §. ult. ff. de pignerib.* & habetur *in* Lusitana L. ubi supra.

163 Item *non* prohibitum, sed licitum est pactum, ut *debitore* non solvente intra talem terminum, *pignus* creditor vendere possit, ut ex pretio *sibi* satisfacere valeat, & si quid superfit, *debitori* reddat; in quo casu, termino elapso, & non antea, censetur debitor esse in mora, etiam creditore non petente, quia dies pro *creditore* clamat, vel interpellat. *L. Magnum, Cod. de contrab. & commit. stipulat.* Sed, si dies non fuit præfinitus, mora incipit quando, rationabili tempore elapso, interpellatur à creditore. *L. Si ex legati causa, ff. de verb. oblig.* in quo casu non requiritur quòd dominus pignoris admoneatur ut res vendatur: quia hoc non fuit deductum in pactum, ut supponitur. Cum aliis *à Spiritu Sancto sup. Sect. 5. n.* 1316. qui legendus & etiam *num.* 1317. legatur ac etiam *Lugo Disp. 32. Sect. 2. num. 37. & Dicastill. lib. 2. Tract. 17. Disp. 1. Dub. 1. a n. 16.*

164 Item prohibitum non est, sed licitum (quidquid aliqui probabiliter in contrarium dicant) pactum hoc: *Nisi ego tibi ad talem diem tuam pecuniam solvam, pignus in solutum habes,* quia istorum verborum sensus non est, ut creditor loco debiti pignus accipiat, aut pro debiti solutione habeat illud, sed solùm solutionis in partem. Azor sup. vers. *Sed quid, si dubitetur,* qui idmetipsum dicit de hoc pacto: *Nisi tibi tali tempore tuum debitum solvero, promitto tibi daturum pignus hoc in solutum.* Sed hoc solùm, quando debitor gratis, & liberaliter sponte sua, nemineque cogente, promittit; nam si creditor pecuniam ideo dat mutuam, ut debitor id promittat, tunc usurarium pactum dicitur, quia creditor debitorem obligat ad aliquid sibi dandum, vel sibi faciendum præter mutuum. Azor vers. *Non est item pactum.*

165 Reprobatum, invalidum, ac illicitum est pactum istud: *Solvam tibi talem, vel talem pœnam, si repetivero pignus, aut illud redemero.* Communis, id quod verum, etiam in casu, quo tale pactum juramento confirmetur. Azor sup. vers. quæres itidem, & alii. Debitor tamen jus jurandum servare tenetur, nisi à Superiore illius relaxetur, quia ex parte ipsius pactum turpe non est, ac licitè servari potest, solùm enim turpe, & usurarium ex parte creditoris dicitur. Et idem dicitur, id est, esse turpe, ac usurarium, de pacto isto: *Nisi tali tempore tibi tuum debitum solvam, rem tibi talem dabo,* aliam scilicet diversam à pignore, quia hoc in casu re vera creditor ex mutuo lucrum acquireret, quod est iniquum, & usurarium, ac idem in aliis pactis similibus. Azor vers. *verum id.* Et idem dicit ille vers. 3. *quæritur* de pacto, nè scilicet debitori liceat redimere pignus, vel liberare ad triginta annos. Idem dicitur de pacto, in quo creditor, ac debitor conveniunt, nè debitori liceat pignus vendere; valere tamen pactum, in quo creditor, & debitor conveniunt, nè creditor possit pignus vendere, nisi prius denuntiatione debitori facta, docet ipse *Azor legendus cap.* 10. per totum.

166 Ea, quæ sequuntur, ut certa habentur. Primum, quòd aliquando, etiam ex fortuito casu, creditor ad pignus manet obligatus, ac erit, si casus fortuitus acciderit per moram, & culpam in restituendo pignore, vel si ab initio inter creditorem, ac debitorem fuit ita conventum, ut creditor, etiam ex casu fortuito, debitori obstringeretur. *Azor sup. cap.* 10. *in fine.*

167 Secundum non posse creditorem cum debitoris damno, & absque ejus consensu tacito, vel expresso uti pignore accepto in securitatem crediti, quia jus non habet aliena re utendi cum detrimento dòmini, bene tamen, ac licitè pignore uti posse, si eo fine dòmini detrimento utatur, vel de ejus consensu, saltem tacito, quia tunc nulli damnum, vel injuriam infert; unde poterit creditor equo sibi in pignus dato uti moderato usu, & sufficienti, ne otio torpeat. *Molina Disp.* 535. *Reginald. lib.* 25. *num.* 589. *Sylvester verb. Pignus, Q.* 7. *num.* 7. & alii.

168 Tertium, quòd creditor tenetur computare in sortem fructus omnes rei oppigneratæ, quos ex ea percepit, (nisi prudenter præsumatur dominum sibi usum concedere pignoris) & hoc, etiam si debitor ob ejus incuriam, vel aliter tales fructus percepturus non esset, neque percipere cogitabat, putà fructus agri, qui negligentiâ debitoris sterilis factus erat, ac creditoris diligentiâ factus est frugifer, fructus equi, qui debitoris inertiâ indomitus erat, & proinde inutilis, ob quam causam non illum locare solebat, ac pretium ex locatione suscipere, arte tamen, & industriâ creditoris tractabilis factus est, mansuetus, frænoque obediens, jamque solet à creditore locari, ac pretium ex locatione percipi; fructus domûs, quam dominus non solebat locare, vel locationem non inveniebat. Creditor tamen eam quotannis locabat, & pretium ex locatione accipiebat, & sic in aliis: ii enim omnes fructus rei oppigneratæ, & hypothecatæ sunt fructus, & non omnes simpliciter industriæ, ideoque (deductis expensis, & quantum industria, ac diligentia creditoris meretur, & æstimatur) computandi sunt in debiti sortem, restituendique debitori, quia res oppignerata res est debitoris, non autem creditoris, ac res semper suo fructificat dómino. Et

idem,

idem, ſi res oppignerata multò plures, ac maiores fructus ferat apud creditorem, quàm apud debitorem ferebat, id quod in eodem ſenſu, & ob eandem rationem. Cum multis *Dicaſtill. ſup. a num.* 33. ac etiam *Fagundes* legendus hic *num.* 3.

169 Quartum, quòd creditor (quidquid aliqui aliud probabiliter dicant) in ſortem computare tenetur, & in ſortem deducere, non ſolùm fructus pignoris, quos ipſe percepit, ſed etiam quos ipſe idem creditor, adhibita maiori diligentiâ, percipere potuiſſet, ſive debitor ipſe percepiſſet, aut non, ſi rem apud ſe haberet; ſed hoc in ſolo caſu, quo creditor dolo, & culpâ lata juridica ſimul cum gravi Theologica fructus tales non percepiſſet. Legatur *Fagund. num.* 6.

170 Quintum, quòd, ſi creditori in domo ſibi oppignerata habitet, tenetur computare in ſortem penſionem illam, ſive maior, aut minor fuerit; pro qua alius prædictam conduxiſſet domum, ſi creditor eam ei elocaſſet (& non ſolùm penſionem illam, quod aſſerunt probabiliter multi, quam ipſe creditor pro domo ſolviſſet, quam conducturus eſſet.) Et eſt ratio: quia creditor ipſe non eſt melioris conditionis, nec peioris, quàm alius, qui eam conduceret domum; unde, ſi eam domum alius maiori, vel minori pretio conduxiſſet, & ille eam ei elocaſſet, teneretur in conſcientia illud pretium, quale illud fuerit, cum ſorte computare: ergo, &c. id, quod etiam extenditur ad caſum, quo creditor nullam conducturus eſſet domum, in qua habitaret, quia propriam ipſe habebat, & nihilominus in domo ſibi oppignerata habitare voluiſſet: quia, cùm conductores alii adeſſent, quibus eam domum elocare poſſet, ſi non locet, ſibi imputet, & tenebitur fructus pignoris debitori reſtituere, cùm in eo caſu dolo, & lata culpâ creditor ipſe procedere dicatur, contrarium etiam in hoc caſu eſt valde probabile.

171 Aſt, ſi nullus adſit, qui illam domum conducere voluerit, ac ob hanc cauſam in ea habitaverit creditor, nè abſque habitatore fiat deterior, nihil tunc temporis reſtituere tenebitur, quando neceſſaria diligentiâ adhibita, conductorem nullum invenit, licèt invenerit, qui propriam ipſius domum conduxerit, (fieri nanque poteſt ut propria domus tanquam commodior, aut in ſalubriori, & commodiori loco poſita, conductores habeat, quibus domus loco pignoris accepta careat) cujus eſt ratio: quia tunc ad commodum, ac utilitatem debitoris illius habitavit domum, & aliunde per eum non ſtetit quominus prædicta domus alteri elocaretur, uti ſupponitur.

172 Si verò creditor talem domum alteri minori elocavit pretio, quàm à conductore alio potuiſſet accipere, tunc, ſi alius penſionem maiorem offerebat, cui creditor domum locare noluit, eam penſionem ſolvere tenetur, niſi id ob juſtam cauſam, vel bona fide feciſſet. Quòd ſi alius conductor non erat, qui maiorem penſionem, mercedem vel offerebat, tunc ſatis eſt eam in ſortem computare penſionem, quam à conductore accepit. Omnia hæc num. his tribus allata videri poterunt apud Azor 3. P. lib. 7. cap. 8. verſ. *duæ ſunt opiniones*, & verſ. *quòd ſi creditor*. Legatur etiam Fagund. ſup. à num. 7. uſque ad finem cap. ac Molina tom. 2. de Juſt. Diſp. 321. & etiam legatur ſup. ubi *de Mutuo, & Uſura*, ubi alia reperientur ad rem hanc attinentia.

SUBLECTIO I.

In quibus caſibus, & contractibus tacita, vel legalis Hypotheca contrahatur?

EX dictis ſup. num. 159. conſtat pignus, ac hypothecam dividi in tacitam, & expreſſam, & quid ſint, nunc autem videndum id, quod Sublectionis iſtius titulus adnotat.

173 Dicitur ergo plures dari poſſe caſus, in quibus tacita hypotheca contingere valeat, eſtque primus, in quo Juris diſpoſitione tacita hypotheca invenitur introducta, quando quis contractum aliquem initi *cum Fiſco*; *L.* 2. *Cod. In quibus cauſis pignus*, *L.* 3. & 4. *Cod. de privileg. Fiſci*, ſive pro cenſibus, & tributis præſtandis, *L.* 1. *Cod. eod.* & *Cod. ſi propter publicas penſitationes vendita facta fuerit*; unde, ſi quis vectigal, tributum, vel cenſum Fiſco debet, tacite ejus bona Fiſco remanent, ac manent obligata, quod verum, etiam in caſu, quo Fiſco aliquid emat. Sed hoc intellige, ſi emptor maior ſit 25. annis, nam ſi fuerit minor, vel pupillus, ſola res empta Fiſco obligata manet pro pretio talis emptionis, non tamen omnia, & reliqua ejus bona. Textus *in L.* 2. verſ. *quòd ſi a Fiſco* juxta Gloſſ. ibi verb. *emerit*, *ff. de rebus eorum, qui ſub tutelâ*. Legantur Salmant. ſup. P. 12. §. 2. num. 240.

174 Sed eſt notandum primò quòd hypotheca Fiſci prævalet, vel eſt privilegiata quibuſcunque aliis, (eſtò non ſemper) & ideo prius Fiſco ſolvi debet, eſtò detur creditor alius, qui ſit prior: textus *in L. Si is, qui, ff. de jure Fiſci.* ¶ Secundò quòd nomine Fiſci publicum ærarium Principis, vel Imperii intelligitur. Legatur Barthol. *in L.* 2. *in princip. ff. ad fin.* jure Fiſci, & in *L. Non tantùm*, §. *Ait Senatus*, *ff. de petit. hæredit.* Bald. *in L.* 1. *ad fin. Cod. de hæred. vel action. vend.* eſtque legendus Azor tom. 3. lib. 7. cap. 3. verſ. *quæres an tacita:*

175 Dictum est *est hæc non semper*, nanque in casu dubio, quando Fiscus, ac privatus homo concurrit, & de prioritate juris tum, ac hypothecæ nullatenus constat, nec apparet quis in hypotheca prior, posterior vel fuerit, uti cùm duo proferuntur Instrumenta eodem die confecta, nec de alicujus prioritate apparet vel per ordinem naturæ, aut per oppositionem horæ, tunc, casus, si fuerit in causa dotis, tam ex parte mulieris, quàm ex parte viri, semper causa dotis Fisci causæ præferenda est, uti docet Bald. *in L. dotis, Cod. de jure dotium*, & allegat *L. Non puto, ff. de jure Fisci, ac L. 1. ff. soluto Matrim.* & est ratio: quia quando privilegiatæ personæ concurrunt, magis privilegiata semper præfertur; sed mulier magis est privilegiata, quàm Fiscus, ut patet, cum præferatur creditoribus omnibus priorem tacitam hypothecam habentibus, *L. 1. Cod. rem alienam gener.* tenetque Negusan. in Tract. de Pig. noris. & Hypothec. P. 2. Membr. 4. n. 114. ergo, &c. Ex quo clarè sequitur quòd, si in casu dubii præferri debet, multo magis, si in tempore certè fuerit anterior. Legantur *Salman. cit. in num.*

Neque contra dicta aliquid obstat Lex: *Satis notum, Cod. in quibus causis pignus tacitè contrahatur*, ubi habetur quod aliquando favor Fisci favori dotis præfertur; quia hoc solùm habet locum, quando in dote fraus committitur, dolusque in Fisci fraudem fraudulenter facta esset. ¶ Quando tamen persona privata concurrit, & Fiscus, si res Fisci est in causa onerosa ex parte Fisci, in dubio æquali semper homini privato præferendus est Fiscus; sed quando res Fisci est in causa lucrativa, homo privatus Fisco præferendus est. Sed circa hoc lege *Fagundes num.* 21.

176 Secundus casus, in quo beneficio Legis tacita hypotheca reperitur, est in bonis Tutoris, & Curatoris, eo enim ipso, quòd quis Tutoris, ac Curatoris officium velit, nolit acceptat, bona illius tacitè hypothecantur pupillo, & minori pro administratione; *L. Si mater, Cod. eod. tit. ac L. Pro officio de administrat.* Legatur Azor tup. cap. 3. vers. *Secundò*, & Fagund cap. 4. à num. 1. qui num. 4. notat quòd tacita hypotheca in bonis prædictorum Tutorum (ac Procuratorum, qui illi sunt, qui se pro Tutoribus ingerunt) incipit à tempore, quo ipsi malè administrare incipiunt, & non à tempore, quo Tutores, &c. esse incipiunt. Ex quo infert quod bona illa, quæ fuerint ab ipsis alienata, ante malam hanc administrationem validè alienata censentur. Legatur Auctor, qui dicit hanc communem DD. sententiam esse.

177 Casus tertius est in bonis patris, ac matris respectu filiorum, dicta enim bona hypothecata remanent pro administratione bonorum filiorum, in quibus filii ipsi dominium, & proprietatem habent, ac pater solùm administrationem, & usumfructum, ac etiam in illis, in quibus pater proprietatem habet, & filii usumfructum, tunc etiam patris bona hypothecata manent pro bona administratione ususfructûs filii, id quod constat ex allatis Juribus, ac *ex L. Cùm oportet, §. fin. Cod. de bonis, quæ liberis*, & tenet Azor tup. lib. 7. cap. 3. vers. *Sextò si pater*, Dicastill. lib. 2. Tract. 17. num. 56. cum aliis Fagundes cap. 4. num. 5. qui notat quòd in hujusmodi casibus incipit hypotheca ab eo tempore, quo pater horum bonorum administrationem suscepit, & non à tempore malæ administrationis. *Authent. Item hereditas, §. Cùm tacitus, Cod. de bonis*, quæ liberis. ¶ Item quando pater (idem de matre) ad secundas nuptias transit, omnia illius bona tam præterita, quàm futura filiis ex priori matrimonio susceptis tacitè obligantur, seu hypothecantur. *L. Hac edictali, §. Omnibus, Cod. de secundis nuptiis, & L. Si quis prioris, §. penult. Cod. de secundis nuptiis*, ac ibi Glos. Barthol. Bald. & alii apud Fagund tup. legend.

178 Quartus, bona patris tacitè de jure hypothecata manent pro dote filio cum uxore data, quando pater vel jussit filium uxorem ducere, ac dotem filio promisit, vel filio accipienti uxorem in talem dotem consentit, vel quando se obligavit pro dote data, & promissa filio ab alio, in omnibus his casibus regulariter loquendo pater obligatur pro conservatione dotis suæ nurûs; quod intellige, modò pater consentiat receptioni dotis filii, aliter enim non obligatur, etiam si sciret, & consentiret filium matrimonium contrahere, nisi consentiat in tali dote filii; Barthol. *in L. Transgrediamur, L. Si cum dote, ff. soluto matrim.* docetque Negusan. sup. Membro 4. num. 36. ac Fagund. sup. num. 10.

179 Quintus, de Jure introducta est tacita, & legalis hypotheca in dote, & in actione dotis, juxta notabilem textum *in L. unica, §. Et ut plenius, Cod. de rei uxor. act.* unde ex dicta Lege sunt bona mariti obligata ad restitutionem dotis uxoris, ac è converso uxoris bona ad præstandam dotem, quæ marito promissa sunt, illique non dum fuit tradita, quod procedit, tam in dote vel promissa per ipsam uxorem, quàm per alios pro ea, & similiter tam in dote recepta per maritum, quàm per alios pro illo, ac tam in dote profectitia, quàm adventitia, & tam de dote, de qua confecta est scriptura, quàm de ea, de qua nullum Instrumentum est confectum. Et ita *Negusan. sup. num.* 25. videndus ac *Fagund. num.* 9. ¶ Et dicta hy-

potheca

potheca bonorum pro dote extenditur etiam ad bona paraphernalia uxoris ita, ut bona mariti obligata maneant pro bonis paraphernalibus uxoris restituendis. Ita communior, & probabilior sententia. Sed hoc in casu, quo maritus penes se talium bonorum administrationem habeat, secus autem, si uxor talem administrationem penes se retineat. Covar. 1. Var. cap. 7. num. 7. Azor sup. vers. *Sed numquid*, ac Fagund. sup. num. 11. qui omnes docent etiam mariti bona tacitè ex Juris dispositione obligata manere pro donatione propter nuptias, quam ipse maritus fecerat uxori, & etiam pro alimentis uxori à marito debitis, tam constante, quàm soluto matrimonio, sicut ac etiam pro pretio rerum dotalium per maritum venditarum. Legatur *Negusan. sup. num.* 59. & 73. *ac Ordinat. Lusitana lib.* 4. *tit.* 3.

180 Sextus, de Jure introducta est tacita hypotheca in administratione bonorum Urbium, & Civitatum; unde eo ipso, quod quis Urbium, ac Civitatum administrationem suscipit, bona illius tacita hypothecata manent Reipublicæ, Urbi, & Civitati. Azor lib. 7. cap. 4. vers. *Idem juris est*, & alii.

181 Septimus, patrimonialia bona Prælati hypothecata manent pro mala administratione bonorum Ecclesiæ, quia Ecclesia privilegiis minorum gaudet. *Cap.* 1. *de Restit. in integrum, & cap. Auditis eod. tit.* ac minor tacitam habet hypothecam in bonis Curatoris. *L. Pro officio, Cod. de administrat. Tutor.* Camera tamen Episcopalis privilegium tacitæ hypothecæ non habet; unde, si quis cum Episcopali Camerâ, vel Episcopo contrahat, bona illius non manent hypothecata Episcopi, neque Episcopatui, quia hoc in Jure expressum non manet. Legatur *Fagund. num.* 26. ¶ Item bona Præfecti Hospitalis tacitè hypothecata manent ipsi Hospitali. Baldus *in L. Si quis Presbyter in princip.* & alii. ¶ Si autem plura alia de hypothecatis bonis scire velis, omnino legere debes *Salmant. sup. dicto P.* 12. §. 2. *ac* 3. per totos.

SUBLECTIO II.

De obligationibus ex pignore, & hypotheca tacita ortis.

182 DE obligationibus loquendo, quæ ex tacita hypotheca, ac pignore oriri possunt, dicitur primò obligationem ex parte debitoris esse, ut rem uni oppigneratam pignori alteri non tradat, vel hypothecæ. ¶ Secundò, ut creditori omnes utiles, & necessarias expensas solvat, quas creditor fecit in conservanda, ac tuenda re oppignerata, sive in conservando, vel tuendo pignore. ¶ Tertiò, ut ipse debitor pignus repetere non possit quousque integrum debitum creditori solvat, unde creditor pignus pro minima etiam sortis parte retinere poterit. Azor lib. 7. cap. 7. & constat *ex L. Quandiu, Cod. de distract. pign. ac ex L. Debitores, Cod. debitorem vend. pign. impedire non posse, & L. Solutum*, §. *Si creditori, ff. de pignerat. act.*

183 Ex parte verò creditoris tres, vel quatuor obligationes reperiuntur, ac est prima, ut curet ne pignus pereat, aut deterius fiat, aliter debitori damna compensare tenetur. *L. Si rem venderet*, §. *Venit autem, ff. de pignerat. act. L. Prætor*, §. *Præterea, ff. de bonis auctorit. Judic. possid.* Ex qua autem culpa ad id teneatur? Constat ex dictis de Restit. in comm.

184 Secunda, quòd creditor pignore absque dómini consensu uti non valeat, alias tenetur de omni damno ex usu pignoris dómino sequuto, quod peccatum furti esse dicitur. *L. Si pignore, ff. de furtis, & Instit. de obligat. quæ ex delicto nascuntur*, §. *Placuit, L. Creditor, Cod. de pignerat. act. & L. Eleganter*, §. *Et si res, ff. eod. tit.*

185 Dantur tamen aliqui casus, in quibus permittitur pignoris usus, ac est primus quando creditor in gratiam, & commodum debitoris pignore utitur, nè scilicet ex parte, vel ex toto pereat, deteriusve fiat. *L. Creditor, ff. de pignerat. act.* ubi decernitur quòd creditor locet prædia sibi jure pignoris obligata, eo quòd ipsa prædia culturâ ipsa meliora reddi soleant. Secus dicendum de re mobili, ut constat *Instit. de obligat. quæ ex delicto nascuntur*. Pari ratione domus hypothecæ supposita locari potest, quia ædificia, nisi habitentur, labescunt, ac pereunt. ¶ Secundus casus, quando usus rei nullum pignori incommodum affert, neque creditori expressè est interdictus, uti si pignus vas sit argenteum, & creditor semel, aut bis eo ad convivium utatur, quia bona fide creditur debitorem in eo concessurum, vel si pignoris usus est talis, ut gratis, ac liberaliter inter amicos soleat concedi, uti est liber pignori datus, quod est expressum exemplum Div. Thom. 22. Q. 78. Art. 1. ad 6. legatur Azor sup. vers. *An verò.*

186 Tertia ex parte creditoris obligatio est, ut ipse computet in sortem omnes fructus ex pignore perceptos, nec non etiam illos, quos ex sua negligentia omisit; id quod ex jam sup. dictis constat. ¶ Quarta est, ut statim post solutionem debiti pignus debitori restituat; hoc enim ex natura ipsius pignoris provenit, quia creditori datur, ut illud retineat, donec totum, & integrum debitum sibi solvatur. *Azor sup. ac Filiuc. Tract. 38. cap. 9. à num. 176. ad* 180. legatur etiam *Fagund. sup. cap. 5. qui*

ad

ad Quæſt. an fidejuſſionem, vel fidejuſſores pro libito dare promittens liberetur à promiſſione dandi pignus, creditore invito, & nunquid promittens pignus dare liberetur dando fidejuſſores? Ad utrumque negativè reſpondet, quia unum pro alio, creditore invito, ſolvi non valet, & hoc, etiam ſi melior offeratur conditio, ac eſt videndus, ſicut & *Leſſ. ſup. cap. 18. Dub. 6.* per totum.

SUBLECTIO III.

Qui poſſint pignora dare, & quæ res in pignus dari queant?

187 Dicitur quòd omnis ille, qui rerum ſuarum, vel alienarum adminiſtrationem liberam habet, ea bona pignori dare poteſt, reſolutio hæc eſt per ſe nota, liquet ex terminis, & conſtat *ex L. Solum, §. ult. ac L. Si convenerit, ff. de pignerat. act.* docentque Azor ſup. cap. 5. & Bonac. de Contract. Diſp. 3. Q. 10. P. 1. Secunda Propoſit. A Spiritu Sancto ſup. Sect. 2. Unde

188 Reſolvitur primò pignori dari non poſſe à ſervo, niſi illa bona peculii, de quibus liberam adminiſtrationem habeat. *L. Si liberam, Cod. quod cum eo, qui in aliena poteſt.* ac ibi Bald. & in *L. Si convenerit, §. ult. ff. de pignerat. act.* & etiam tunc neceſſum eſt ut dicta obligatio in ipſius peculii utilitatem cedat, aliàs obligatio rei, ſeu pignoris datio nullius roboris eſſet ſine conſenſu, ac mandato domini. *Barthol. & Gloſſ.* ubi nuper. Et

189 Idem dicitur de filiofamilias, hic enim nec rem patris pignori dare valet; poterit tamen pignori dare bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia, etiam repugnante patre, modò filius pubes ſit, licèt 25. annum non excedat, quia talium bonorum liberam, & abſolutam adminiſtrationem habet, ac illa pro libito quocunque modo diſtrahere valet. Molina de Juſt. tom. 2. Diſp. 277. verſ. *quando uſusfructus*, & Diſp. 261. verſ. *contrariam ſententiam*, Petr. Navar. lib. 3. de Reſtit. cap. 1. num. 69. ac Navar. in Sum. Latina cap. 17. num. 141.

190 Imò, licèt filiusfamilias alienare non poſſit, & conſequenter nec pignori dare bona adventitia, in quibus pater uſumfructum habet, ſine ipſius patris conſenſu, nè filius patri in ſuo uſufructu noceat, in aliquo tamen caſu id efficere poterit, (ſi pubes ſit, eſtò annum 25. non excedat) & erit, ſi longè diſtet à patre, ibique adventitia aliqua habeat bona, vel quando pater aliquorum bonorum dictorum liberam adminiſtrationem filio reliquit, & hoc ex tacito conſenſu patris, quia qui talium bonorum liberam filio adminiſtrationem reliquit, tacitè ei uſumfructum talium bonorum concedit, conſequenterque ei tacitè permittit, & concedit facultatem ad liberè de eis diſponendum extra teſtamentum, & à fortiori ad illa per pignus, ac in pignus obligandum, quod eſt minus. Legatur *Molina ſup. Q. 261. & 277.*

191 Secundò non poſſe pupillum rem ſuam pignori dare, adhuc Tutoris conſenſu ſuppoſito, niſi Judicis mediet decretum, bene tamen eo mediante; quod intelligitur de obligatione voluntaria, non autem de neceſſaria, ob neceſſitatem namque pupilli, ac ob neceſſitatem bonorum ipſius, uti ad defendendam cauſam, vel rem pupilli, bene poterit ſolus Tutor pupilli bona pignori dare. Barthol. *in L. 1. ff. quæ res pignori obligari non poſſunt, & Gloſſ. in L. ult. §. Defenſionem, Cod. de adminiſtrat. Tutor.* Azor ſup. cap. 5. verſ. *primò quæritur.*

192 Tertiò defunctum minimè poſſe ante mortem hæredis bona pignori dare, niſi hæres id ratum habeat; & ratum habebit, ſi ſciens defunctum bona ipſius hæredis obligare, illius hæreditatem adeat, & acceptet. Barthol. *in L. Rem alienam, §. Si autem, ff. de pignerat. act.* Signus, Salicet, Fulgoſ. & alii *in L. Aſſiduis, Cod. qui potior in pignor. habeant.*

193 Quarto neque Eccleſiæ Prælatos Eccleſiaſtica bona hypothecæ ſpeciali obligare poſſe, bene tamen generali, ſed abſque rei traditione, niſi in caſibus à Jure permiſſis ex cap. *Nulli de reb. Eccleſ. non alienand.* quod ex communi tradit *Neguſantius 2. P. Membro 1. num. 3. Panorm. in cap. 1. de Pignorib.* ¶ Mobilia tamen, quæ ſervando ſervari non poſſunt, poteſt Prælatus alienare ad inſtar Tutoris. *Cod. de adminiſtrat. Tutor. L. Lex, quæ* in fin. Et quod dictum eſt de Prælatis Eccleſiaſticis, à fortiori procedit de Prælatis Regularibus quo ad Religionis bona. Legatur Azor ſup. cap. 5. verſ. *quartò quæritur.*

194 Quintò neque ſocium rem ſibi communem cum ſocio pignori, aut hypothecæ obligare poſſe. *L. 1. Cod. ſi communis res pignori data ſit, L. 2. Cod. communi dividundo, L. Si fratres, Cod. communia utriuſque, L. Nemo ex ſociis, ff. proſocio*; quod intellige abſolutè, & in totum, ſecus autem pro parte ſua, id eſt, ſi res ſit communis duobus, vel pluribus ſociis, pro indiviſo quicunque illorum poterit pro parte ſua, non autem pro parte ſociorum illam obligare; textus *in L. unica, Cod. ſi communis res pignori data ſit*, quod totum in privatis procedit; Fiſcus namque ex privilegio rem communem cum alio in totum obligare, & alienare valet. *L. 1. Cod. de vendend. re fiſcal. cum privat. commun.* lib. 10. legatur Neguſan. 2. P. Membr. 3. num. 36.

195 Sextò

195 Sextò tandem neque Procuratorem, vel alium negotia alterius gerentem, rem illius, cujus eſt Procurator, vel negotiorum geſſor, pignori dare poſſe, niſi ad hoc ſpeciale habeat mandatum: *L. Solutum ult. ff. de pignerat. act. & L. Si inter, ff. de pignorib.* Barthol. *in L. Filiusfamilias, ff. de donat.* & etiam non, niſi liberam bonorum adminiſtrationem habeat. *L. Procurator, cui libera, ff. de Procurat. ac L. vel univerſorum, ff. de pignerat. act.* & idem dicitur de publico Adminiſtratore alicujus Civitatis cum libera diſponendi facultate: *L. Si is, cui bona, ff. de pignorib.* daturque ratio: quia pignori, vel hypothecæ rem ſubjicere quoddam alienationis eſt genus, quod non, niſi ſolis dóminis convenit, vel aliis de eorum mandato ſpeciali. *L. ult. Cod. de reb. alien. non alienand.* Azor ſup. & Filiuc.

Circa res, quæ poſſunt pignori dari.

196 Dicitur eas omnes res quemlibet pignori dare poſſe, quas vendere valet, & de quibus liberam habet adminiſtrationem, ſive tales res mobiles ſint, aut immobiles, ſive præſentes, vel futuræ, ſive ſint in re, aut in ſpe, uti fructus arborum pendentes, ancillarum partus, pecorum fœtus, etiam ſi nondum fuerint concepti, ſive res ſint incorporales, uti cenſus, vectigalia, juriſdictio, &c. *L. Et quæ non ſunt, ff. de pignorib. L. Quæ prædium, Cod. ſi aliena res pignori data ſit, L. Qui filios, Cod. quæ res pignori dari poſſunt.* Item oppignerari poteſt uſusfructus emphyteuſis, ſine præjudicio tamen proprietarii, necnon ſervitus ruſticorum, & tandem omnia, quæ in noſtris ſunt bonis: *L. Quæ prædium* ſup. cit. Azor cap. 6. lib. 2. cap. 28. Dub. 7. num. 42. Molina Diſp 529. & communis. ¶ Si autem ſcire velis an, & quænam nobilium, ac Senatorum res Luſitano Jure oppignerari queant, vel non, vide *Ordinat. Luſitan. lib. 3. tit. 86. §. 23.*

197 Aliquæ tamen ſunt res, quæ pignori dari nequeunt, & in primis homo liber in pignus dari non poteſt. *L. Qui filios, Cod. quæ res pign. dari poſſ. L. Ob æs alienum, Cod. de act. & oblig.* imó recepto homine libero in pignus pro debito, perditur debitum, ut docet Gloſſ. in cap. 1. de Pignorib. Sa verb. *Pignus*, num. 3. Nec etiam filiusfamilias in pignus dari quit, cit. *L. Qui filios, & L. Quæ res pignori dari non poſſunt*, & accipientes puniuntur, ac in exilium mittuntur. *L. fin. ff. eod. tit.* Si quis autem captivum hominem pretio ſoluto redimeret, eum loco pignoris, donec pretium ſolvat, retinere poterit. *L. Ab hoſtibus, & L. ult. de captivis poſt liminio reverſis*; poteſt itidem pater in neceſſitate gravi filios vendere, ac oppignerare. *L. 1. & 2. Cod. de patrib. qui filios diſtraxerunt*; poteſt etiam liber homo in obſidem dari, ac pro pace tradi, vel pro fide data, aut actione jurata ſervanda *Cap. Ex reſcripto, & jurejurando.*

198 Item ſtipendia publica, aut Militum, & aliorum ſimilium, uti illorum, qui ob talia ſtipendia ſunt Reipublicæ obligati, oppignerari non poſſunt; *L. Stipendia, Cod. de exequut. rei judicatæ.* Item nec inſtrumenta aratoria, aut boves, vel quævis alia animalia (ac etiam ſervi) ad arandum deſtinata, neque femina ad illud miniſterium agriculturæ neceſſaria, nec arma quarumcunque perſonarum, ad Regnum defendendum habita, ob quæcunque debita etiam Regia oppignerari valent, *L. Pignor. L. Agricultores, Cod. quæ res pign. oblig. non poſſunt*, & habetur in Luſitano Jure, lib. 3. tit. 86. Item nec authoritate privata oppignerari valet ſpes præmiorum eorum, quæ pro colonis à tletis redduntur. *L. Spem, Cod. quæ res pign. oblig. poſſ.* Azor lib 7 cap. 6.

199 Item res aliena, licèt vendi queat, in pignus dari non valet, ac ſi oppigneretur, oppigneratio non tenet. *L. 1. §. 1. de Pignorib. gloſſ. & ibi Barthol. Cod. ſi probabilis, & ſi res aliena pign. detur*; ſed ut intelligatur cur res aliena vendi poſſit, non autem oppignerari, legatur *Azor ſup. Q. 1. Filiuc. tom. 2. Tract. 38. cap. 9. num. 175. Molina Diſp. 530. Vaſques in Opuſc. cap. 1. de Pignorib. ac Fagund. ſup. cap. 6. n. 17.* qui *n. 18.* notat, & probat poſſe creditorem pignus à debitore acceptum alteri loco pignoris dare.

200 Tandem res ſacræ (vel, quod idem, res, quæ uſui Eccleſiæ ſunt deſtinatæ) ut cœmeterium, ſepulchrum, jus patronatûs, mobilia pretioſa cultui Divino dicata, Calices, Caſulæ, ſacerdotalia inſtrumenta, veſtimenta, libri, &c. tam Jure Canonico cap. 1. de Pignor. juncta Gloſſ. quàm Jure Luſitano in novis Ordinat. lib. 2. tit. 24. oppignerari non valent. Sed

201 Excipiuntur aliqui caſus: primus in caſu neceſſitatis, ut ſi Eccleſia æs alienum contraxerit, & aliunde debitum ſolvere nequeat, niſi ex bonis ſuis *cap. Hoc jus 10. Q. 2.* ¶ Secundus cauſa pietatis, veluti ad redimendos captivos, vel pauperes, ac miſerabiles alendos, & ſuſtentandos: *Cod. aurum 12. Q. 2.* ¶ Tertius cauſa majoris utilitatis, ſcilicet ut res Eccleſiæ meliores reddantur. *Cap. Sine exceptione 12. Q. 2.* ¶ Quartus cauſa damni, aut detrimenti, vel alicujus incommodi evitandi, nè videlicet res Eccleſiæ deteriores fiant, aut quia ſunt res exiguæ, & difficiliter conſervari queunt. *Cap. Ferulas 12. Q. 2.* unde res, quæ ſervari poſſunt, alienari non valent. *L. Lex, quæ, §. ult. Cod. quando decreto non eſt opus, & cap.*

cap. Boze quidem, Dist. 96. nisi Juris formâ servatâ; cap. Sine exceptione sup. Legantur Azor sup. Sylvester verb. *Pignus*, Cardoz. verb. *Res*, à Spiritu Sancto Sect. 2. à num. 1306. ac Fagund. sup. num. 21. Et si quis de pignorib. ac hypothecis *plura* velit, legat cit. Vasq. Molinam præcipuè à Disp. 529. Azor, & Negusan. cit. in locis, & Dianam Coordinat. tom. 7. Tract. 1. Resol. 210. ac tom. 8. Tract. 3. Resol. 27. & tom. 5. Tract. 1. Resol. 187.

LECTIO VII.

De Deposito; quid, & quotuplex sit Depositum, ac de obligatione depositarii, & deponentis.

202 DEpositum *est contractus, quo sola rei custodia alterius fidei committitur, ut integrum illud restituat, vel reddat.* Molina Disp. 522. Gomes 2. Variar. cap. 7. ac à Spiritu Sancto Tract. 10. Disp 13. Sect. 1.

203 Ex verbis dictæ diffinitionis manifestè constat quòd in Deposito non transfertur dominium, neque ususfructus in depositarium, ut patet ex verbis illis, *ut integrum illud restituat*, per quod distinguitur à mutuo, in mutuo namque dominium rei mutuatæ in mutuatarium transfertur, nec, nisi post certum tempus, repeti potest, cujus contrarium est in deposito, cùm in eo dominium non transferatur, & semper repeti valeat. Deinde differt etiam à commodato, ac precario, hæc enim conceduntur ad certum usum, depositum verò ad solam rei custodiam. Ita communiter DD. unde ex his sequentia

204 Resolves, primò tria requiri ad depositum, primò consensum tradentis, & accipientis, est enim verus, ac perfectus contractus, qui ex natura sua petit consensum ex utraque parte; quare non eo ipso, quòd domi meæ aliquid deponis, ego tecum depositi celebravi contractum, etiam si videam; sed requiritur quod ego signa ostendam, quibus significem depositum me acceptasse, quòdque specialis cura talis rei actu mihi commendetur, vel certè quòd ex officio id muneris habeam.

Probabile tamen est quòd hoc ipso, quòd ego illud officium custodiendi res habeam, saltem implicitè rem illam custodire promitto, modò videam rem apud me deponi, licèt custodire illam non promittam expresè, & hoc modo probabiliter dicitur teneri caupones, stabularios, aurigas, nautas, & hujusmodi res custodire; sed juxta aliam opinionem requiritur etiam in istis quòd ab hospitibus specialis cura suarum rerum illis actu commendetur, circa quod videndus est *Tamburr. de triplici Jure, lib. 9. de Contract. Tract. 7. cap. 5. §. 1. num. 2. Less. lib. 2. cap. 27. num. 10. Trullench. lib. 7. cap. 25. Dub. 1. à Spiritu Sancto sup. num. 531. ac Lugo Disp. 33. Sect. 1.*

205 Secundò requiritur quòd res tradatur, quia depositum est contractus, qui traditione perficitur, *L. 1. in princip. ff. de pactis*, & nemo rei custodiendæ curam censetur suscipere, quæ in sua potestate non extat; per quod etiam patet quod res in depositio tradita communiter debet mobilis esse; licèt non repugnet immobilia in depositum dari, uti si ego peregre proficiscens domum, vel villam meam apud amicum meum deponam, ut ejus curam, ac custodiam habeat. *Tambur. & Lugo supra.*

206 Tertiò requiritur quod eadem met res restituatur, aliàs in naturam mutui transiret, ac etiam quòd restituatur in eodem loco, in quo res fuit tradita, nisi aliter fuerit conventum. *Tambur. sup.* Et etiam quòd statim reddatur, ac à deponente petitur, & hoc etiam si deponens dixisset se in annum deponere, & postea mutato animo in fine hebdomadæ, vel statim petat. Cap. *Bona fides de Deposito, L. 1. §. Est autem, ac §. penult. de Deposito.* Legatur Molina Disp. 526.

207 In aliquibus tamen casibus non tenebitur depositarius depositum reddere. Primo, si ipse expensas aliquas fecit in re deposita custodienda, tunc non tenetur depositum dare, donec factæ restituantur expensæ, nisi in casu, quo depositarius deposita re usus fuerit, & usus compensetur expensis. *Lugo sup. num. 7. legantur Salmant. tom. 3. Tract. 13. cap. 1. P. 19. num. 305.* ¶ Secundo quando deponens in suum, vel aliorum damnum depositum petit, uti si petit gladium ad occidendum injustè, vel in furore. ¶ Tertio quando bona deponentis publicata sunt, ac Fisco addicta, tunc Fisco reddi debent. ¶ Quarto quando dominus simul cum fure, qui rem furtivam deposuit, petit, reddenda est, non furi, sed domino, si certò constet suam esse; sed hoc, nisi ex eo, quòd furi res non redderetur, grave damnum depositario imminneret. ¶ Quinto, si res furto ablata apud proprium dominum deponatur. Alias quæstiones huc spectantes invenies sup de Restitut. in comm. ¶ Si autem scire velis an depositarius teneatur restituere depositum perditum, & nunquid ille, qui rem suam alteri depositam surripit, peccet, & ad quid teneatur, lege, & scies *Div. Thom. P. 2. Q. 105. Art. 2. ad 5. & 22. Q. 62. Art. 6. in corp.* pro primo, & pro secundo 22. *Q. 66. Art. 5. ad 3. & Art. 3. ad 3.*

208 Secundò resolves non licere depositario depositio uti contra voluntatem dómini, quod si fecerit, & depositum usumfructum habeat, uti si sit vestis, equus, & hujusmodi,

ejus

ejus usûs valorem reſtituere tenebitur, ſi ſit pretio æſtimabilis, quia hic eſt fructus rei, quæ dómino ſuo fructificabit. Communis, & conſtat ex dictis. Legatur *Molina Diſp.* 524. *ac à Spiritu Sancto ſup. Sect.* 2. Aliquando tamen poterit depoſitarius re depoſita uti, quando nimirum dominus non cenſetur rationabiliter invitus; unde quando res eſt uſu conſumptibilis, ut pecunia, triticum, vinum, &c. non cenſetur grave peccatum eam in ſuum conſumere uſum, ſi certus ſit ſe tantundem æquè bonum in promptu habiturum tempore reddendi depoſitum; ſi tamen dominus generoſum vinum, quid vel ſimile deponat, difficulter in ſua bonitate reddendum, vel ſi deponat pecuniam in ſacculo ſigillo munitam, vel arca clauſam, tunc cenſetur dominus rationabiliter invitus, & tacitè non conſentire, ſi depoſitarius talibus rebus utatur ſine ejus licentia expreſſa. *Molina ſup. Leſſ. num.* 8 *Lugo num.* 4. *ac a Spiritu Sancto num.* 534. *legatur Dicaſtill. num.* 13. ¶ Similiter etiam poterit depoſitarius re depoſita uti, quando bona fide putavit talem uſum dómino non diſplicere, & hoc, etiam ſi in eo decipiatur, debèt tamen poſtea, dómino volente, compenſare pro uſu recepto, ſi ex eo ditior evaſerit. *Lugo num.* 4. legatur etiam *Diana Coord. tom.* 6. *Tract.* 3. *Reſol.* 144.

209 Ex proximè dictis ſequens reſolvitur caſus, legendus *apud Lugonem ſup. num.* 5. *Molin. Diſp.* 523. *Filiuc. tom.* 2. *Tract.* 34. *cap.* 1. *n.* 6. *Tambur. ſup. §.* 4. *A Spiritu Sancto ubi ſup.* Quidam Luſitanus, ex Braſilica veniens, ſuas, & aliorum amicorum arcas ſacchari plenas in navi vehebat, ipſe tamen itinere quadam in Inſula, ob piratarum metum, merces ſuas diſtrahere voluit, & per literas earum pretium in Luſitaniam deferre; quia tamen ſuæ in profundo navigii erant, nec facile erat eas ex eo extrahere loco, dedit emptori alienas illas, quæ ſuper eminebant, veroque animo ſuas amicis applicuit, æqualis omnino bonitatis, & pretii; poſtea accidit ut navis illa in piratarum incideret manus; quæſitum fuit poſtea cui perirent arcæ illæ à piratis furreptæ, an nauclero vendenti, an verò amicis? Periſſe amicis, non verò nauclero ob præſumptam, & rationabilem amicorum voluntatem reſpondent (contra *Bonac. Diſp.* 3. *de Contract. Q.* 14. *P.* 1. *n.* 3.) nuper citati, & *apud Tambur. num.* 1. conſimilis alius adducitur caſus, ſicque legendus.

210 Reſolves tertiò quòd, ſi depoſitarius rem depoſitam tanquam mutuam accepit tacitè, vel expreſsè, valor talis rei accreſcit, ac decreſcit ei, & non deponenti, quia in hoc caſu translatum eſt dominium rei (quæ uſu conſumitur, uti pecunia) in depoſitarium, ac depoſitarius tenetur de fortuito caſu. Si tamen rem uſu conſumptibilem nec expreſsè, neque tacitè in mutuum accepit, ſed illam ut depoſitum habuit, uti ſi pecuniam obſignatam in ſacculo per modum maſſæ repoſuit, vel triticum in arca habuit clauſum, tunc res depoſita deponenti accreſcit, & decreſcit, ſicut etiam ſi fortuito pereat caſu, ipſi perit. *Trulbench. lib.* 7. *cap.* 25. *Dub.* 1. *num.* 4. cum multis *à Spiritu Sancto ſup. Sect.* 3.

211 Utrùm autem, ſi depoſitarius re in depoſito data utatur, illaque negotietur, & lucretur, lucrum illud ex tali negotiatione receptum ſibi retinere queat? Vide quæ dedimus de Reſtit. in comm. & affirmativè reſpondebis, vel lege Tambur. ſup. §. 1. num. 5. à Spiritu Sancto Sect. 2. num. 535. Molinam tom. 2. de Juſt. Diſp. 327. §. *Secunda concluſio*, Fagund. Decal. lib. 7. cap. 16. num. 18. Villalob. in Sum. tom. 2. Tract. 28. Diffic. 5. num. 16. ibi dicens: *El criado, que juega el dinero de ſu Amo, gana, aunque juega, por poner a peligro la hazienda, que no era ſuya, haze ſuyo lo que gana*, &c. legatur.

212 Depoſitum, licèt multipliciter dividatur, (prout habet *Filiuc. tom.* 2. *Tract.* 34. *cap.* 1.) ad depoſitum duplex tamen reducitur, nempe judiciale, & privatum, quorum primum illud eſt, quod fit ratione litis pendentis ex decreto Judicis, vel quando creditor pecuniam à debitore accipere nollet, tunc enim depoſitum non liberatur, niſi finita lite ex decreto Judicis, quod alio modo *ſequeſtrum* dicitur *L. Licet, ff. depoſiti, Molina Diſp.* 526. Depoſitum verò privatum dicitur, quando deponitur aliquid apud confidentem perſonam, ut ab ea cuſtodiatur. Idem *Molina Diſp.* 522. *Dicaſtill. ſup. Dub.* 2. & *Azor lib.* 7. *cap.* 2.

213 Omnes illi, qui rationis uſum habent, poſſunt depoſitarii eſſe, quia rei apud ſe depoſitæ cuſtodiam adhibere poſſunt. Unde poſſunt depoſitarii eſſe etiam pupilli, fœminæ, Clerici, ac etiam Religioſi, quin per hoc contra paupertatis votum eant. Hic tamen nota quòd, ſi pupillus, Clericus, & Religioſus ſine authoritate Tutoris, Eccleſiæ, ac Prælati depoſitum recepit, & in ejus manu res periit, reſtituere non tenetur, niſi ditior factus fuerit, non tenetur, id eſt, Eccleſia, Tutor, ac Prælatus; ſi tamen Prælatus, Conventus, vel Eccleſia cum ſuo Capitulo depoſitum ſuſcepit, tunc obligantur, ſicut alii depoſitarii, depoſitum reddere. *Molina Diſp.* 525. *Layman lib.* 3. *Tract.* 4. *cap.* 24. *num.* 6. *Tambur. ſup. cap.* 5. §. 2. *num.* 4. & 5. *Azor* 3. *P. lib.* 7. *cap.* 3. *Lugo ſup. num.* 6. *à Spiritu Sancto ſup. Sect.* 4. Et circa Religioſum depoſitarium legatur etiam *Diana Coordinat. tom.* 7. *Tract.* 3. *Reſol.* 66. *ac* 67. & *Reſol.* 18. *ac* 21. & 23. *ac tom.* 5. *Tract.* 1.

Resol. 150. & 214. *ac Villalob. in Sum. tom.* 2. *Tract.* 31. *Dissc.* 3. *num.* 6. verbis in illis *pudiera dar eſcusa de que lo tenia en deposito de algun ſeglar.*

214 Si autem scire velis primò utrùm depositarius in pari periculo suæ rei, & rei depositæ obligetur rem alienam suæ præferre? Vide *Lugonem de Just. Disp.* 8. *num.* 14. *ac* 139. & 142. *Bonac. de Contract. Q.* 1. *P.* 6. *num.* 23. *ac Palaum Tract.* 32. *Disp.* 3. *P.* 8. *à num.* 18. ¶ Secundò an Princeps debitoribus induias concedere debeat? Vide *Dianam Coord. tom.* 6. *Tract.* 5. *Resol.* 27. ¶ Tertiò nunquid, quando creditor, & debitor sunt in necessitate extrema, debitor teneatur creditori solvere? Vide *Dianam sup. tom.* 4. *Tract.* 7, *Resol.* 47. *ac* 48. de quo & nos jam alibi diximus.

LECTIO VIII.

De Commodato, Precario, & Negotiis gestis; quid sit Commodatum, ac de ejus effectibus.

215 COmmodatum nihil aliud est, quàm *alicujus rei ad specialem aliquem usum gratuita facta concessio*, §. *Item is, Instit. quibus modis re contrahitur obligatio, cap. unico de Commodato*, & Gloss. verb. *Commodatum*, Molina Disp. 194. ac communiter DD. omnes.

216 Dicitur *alicujus rei*, tam mobilis, quàm immobilis, tam corporalis, quàm incorporalis, cujusmodi sunt servitus *ex L.* 1. §. 2. *ff. commodati*, Gloss. & Barthol. ibi; res tamen in commodatum data debet esse usu non consumptibilis, cùm ea, quæ usu consumuntur, mutuò dari soleant, ut pecunia, vinum, oleum, &c. nisi dentur ad pompam, videlicet ad ostendendam pecuniæ abundantiam, tunc enim etiam commodatum appellatur. *L.* 3. §. *ult. ac L. seqq. ff. commodati.*

217 Deinde *ad usum* dicitur, nam dominium, seu proprietas rei commodatæ non transfertur in commodatarium, sed apud commodantem remanet: *L.* 9. *ff. commodati* ibi: *Nemo enim commodando rem facit ejus, cui commodat.* Et addit Ulpianus sup. dictam legem: *Sed rei commodatæ & possessionem, ac proprietatem retinemus.* Et per hoc differt commodatum à donatione, ac etiam à mutuo, in qua dominium rei donatæ in donatarium transfertur. *L.* 1. *ff. de precario*, ex quo infertur quòd, si res absque commodatarii culpa pereat, non ipsi, sed commodanti perit, cui eadem met in individuo tradenda erat.

218 Item *ad alienum* dicitur, ut per hoc distinguatur à Precario, quia hoc concedi solet absque certi usûs præfinitione, sed ad merum nutum, & beneplacitum concedentis, commodatum autem conceditur ad certum, ac determinatum usum commodatarii; ex quo oritur quòd Precarium ad concedentis arbitrium repeti potest, secus autem commodatum, commodatarius namque non tenetur restituere commodatum, nisi post elapsum tempus, ad quod usque fuit concessum, ante quod tempus, si commodans contra voluntatem commodatarii commodatum extorqueat, tenetur ad restitutionem damni inde sequuti, quia violat jus, quod jam commodatarius ad de illa re utendum habebat, ut communis tenet. Excipe tamen, nisi commodans simile passurus sit damnum, si rem suam non repetat, tunc enim repetere potest, sibique magis, quàm alteri providere debet; cap. *Sicut licet* 23. *Q.* 5. neque commodans in tali casu commodatum concedere voluisse censetur. *Molina Disp.* 294. & 295. (ibi circa hoc ult. aliquas limitationes adducens, sed non admittuntur ab aliis) *Less. lib.* 2. *cap.* 17. *Dub.* 5. *num.* 18. *Azor cap.* 8. *de Commodato, lib.* 7. *Lugo Disp.* 33. *Sect.* 2. *num.* 10. *Dicastill. lib.* 1. *Tract.* 7. *Disp.* 1. *Dub.* 1. *n.* 5. & alii contra alios.

219 Additur *ad specialem* ad denotandum non posse commodatarium ad alium usum re commodata uti, nisi ad eum, ad quem res est concessa, aliàs, si res, etiam casu, in alio perierit usu, erit restitutioni obnoxia, ut tenet Ulpianus *L. Si ut certò, ff. commodati*, & §. *Item is* sup. docetque *à Spiritu Sancto Tract.* 10. *Disp.* 14. *Sect.* 3. Sed de hoc plura *Tract. de Restit. cap.* 1.

220 Additur tandem *gratuita facta concessio* ad differentiam locationis, in qua res conceditur ad usum, sed mediante mercede, in locato enim venditur usus, in commodato autem gratis conceditur, ac per hoc unum differt ab altero. Differt etiam commodatum à pignore, & à depositio, quia in his non conceditur usus.

221 Commodare non solùm potest dominus rei, sed etiam ille, qui illâ utendi jus habet; unde poterit commodatarius jus sibi concessum, nisi pactum, vel voluntas domini in contrarium adsit, concedere alteri, cùm quilibet possit jus suum alteri dare. *L.* 1. §. *Inter commodatum, ff. commodati*. Molina Disp. 194. ¶ Item eadem Lege qui domum, &c. conduxit, illam commodare alteri valet. ¶ Item pupillus sine authoritate Tutoris commodare valet, quia alium sibi potest obligare. *Instit. de auctorit. Tutoris.* ¶ Item uxor rem viri sui commodare valet. *L.* 29. §. 6. *Solut. matrim.* ¶ Item fur, & prædo rem furtivam. *L.* 16. *ff. commodati, ac L.* 64. *de Furtis.* ¶ Item usufructuarius §. 1. *Instit. de usu, & habitat.* ¶ Item filiusfam. *L.* 9. *ff. de reivind. & act.* ¶ Item servus, ignorante etiam, ac invito domino. *L.* 14. *ff. commodati,*

modati, & *L.* 36. *de condit. indebiti.* Et denique omnes alii, qui rei possessionem habent. ¶ Deinde commodatum accipere valet omnis ille, qui contrahere potest, & rei alicujus usum accipere.

222 Plura alia hîc de Commodato (sicut & de Depositio) afferri poterant, videlicet primò ex qua culpa teneatur commodatarius, ac depositarius, si res commodata, & depositata pereat? Secundò ad quid obligetur commodatarius, quando est in mora solvendi? ¶ Tertio an possim compensare quod mihi debes, retinendo commodatum? ¶ Quartò nunquid, si ad te mittam rem per hominem fidelem, qui ad te illam non affert, obligatus maneam ad mittendum æquivalens? Sed de his omnibus, & aliis huc pertinentibus satis dedimus de Restit. in comm. ubi legendum.

SUBLECTIO I.

De Precario.

223 PRecarium *in L.* 1. *de precariis* sic diffinitur: *Est quod precibus petenti utendum conceditur, quandiu is, qui concedit, patitur*, seu *non revocaverit.* Precarium convenit, & differt à Commodato, convenit quidem, quia in utroque usus tantùm rei gratis conceditur; differt autem, quia commodatum ad certum usum, certumque tempus conceditur, ante quod licitum non est concedenti illud revocare, ut dictum manet; Precarium verò neque ad certum usum, nec ad certum tempus, sed ad nutum, & beneplacitum concedentis præstari solet: *L.* 2. *ff. de Precario.* ¶ Sed nota quód, licèt Precarium ad concedentis nutum revocari valeat, adhuc tamen in eo concedi debere aliquantulum temporis, prudentis arbitrio diffiniendum, quo alter re concessa utatur, quia secus fraus, & dolus præsumeretur, dum ex una parte rei usus concederetur, ac tolleretur statim ex alia. *Bonac. Disp.* 3. *de Contract. Q.* 15. & *Lugo ubi suprà.*

224 Precarium non expirat morte concedentis, si absolutè, ac sine restrictione concessit, sed transit ad hæredem, & successorem accipientis: *L. Quæsitum*, §. *Quod a filio*, *ff. de Precario*, *L. Cum precario*, & *aliis.* Est enim gratia, quæ semper durat, donec à concedente, ab ejus vel hærede, ac successore revocetur, prout communis DD. omnium tententia docet, de quo legendus *Covar.* 3. *Var. cap.* 15. *ubi num.* 3. subtiliter advertit attendendam semper esse formulam, quâ conceditur precarium, sicut & quælibet alia gratia, favor, aut privilegium, si enim his conceditur verbis, nimirum: *Ad beneplacitum*, vel *quandiu voluero*, & aliis æquipollentibus verbis, certè concedentis morte expirat, eo quód ejus voluntas, ac beneplacitum etiam expirat, & cùm mortuus beneplacitum, ac voluntatem non habeat, jam remaneret sine placito, & voluntate Precarium, quod non videtur voluisse concedens, quia concessisse videtur, donec ejus voluntas, ac beneplacitum durat. *Molina Disp.* 298. *Sanches lib.* 8. *de Matrim. Disp.* 28. *Tambur. sup. num.* 7. *Amic. tom.* 5. *Disp.* 30. & cum multis *Dicastill. lib.* 2. *Tract.* 6. *Disp. unica*, *num.* 26. *Lugo sup. num.* 17. ac plures alii.

225 Quando autem Precarium gratiâ (& idem de quolibet privilegio) absolutè, vel sub hac formula datur, & conceditur: *Donec revocavero*, *vel donec revocetur*, *quandiu non revocavero*, *vel quandiu non revocetur*, *quandiu non mandetur contrarium*, & aliis similibus verbis, quibus significatur exigi actum concessioni contrarium, non expirat concedentis morte, sed ut expiret, ab hæredibus, vel successoribus necessariò revocari debet. Communis.

226 Deinde diligenter videndum est quando Precarium, gratia, vel privilegium conceditur ab aliquo in dignitate collato, vi cujus dignitatis facultatem illam concedere valet, an illud faciat, & concedat ad beneplacitum ipsius dignitatis, putà Regiæ, aut Pontificiæ, nunquid verò ad beneplacitum personæ, nam in hoc posteriori casu duntaxat concedentis morte expirat; unde ea, quæ dantur ad beneplacitum Apostolicæ Sedis, sive quandiu Apostolicæ Sedi placuerit, perseverant, donec à successoribus Pontificibus revocentur, quia Apostolica Sedes non moritur; illa tamen, quæ conceduntur ad beneplacitum Pontificis concedentis, per ejus obitum cessant. Legatur *Covarruv.* ubi nuper.

227 Sed *ex Tambur. sup. num.* 9. diligenter adverte valde probabile esse sub nulla ex formulis hucusque adductis finiri concessionem, favorem, gratiam, vel privilegium morte concedentis, quia in communi loquendi modo illa clausula *ad beneplacitum*, &c. æquivalet illi *donec revocavero*, & pro isto loquendi modo *citat Castr. Palaum Tract.* 3. *Disp.* 4. *P.* 16. §. 5. *num.* 5.

228 Finitur tamen Precarium morte ejus, cui conceditur, nec ad ejus hæredes transit, quia censetur privilegium personale. *L. Cum Precario*, §. *ult. ff. de Precario*, & *cap. ult. de Precariis*; unde, si precario mihi concessisti me per tuum prædium transire posse, & ego moriar, tali privilegio hæres meus non gaudet, neque uti potest; de hoc contractu tractant communiter DD. præter citatos, ac de eo hic satis.

SUBLECTIO II.

De Negotiis gestis.

229 NEgotia gesta illa dicuntur, quæ in alterius favorem fiunt, & perficiuntur absque ejus mandato, & scientia; unde quando quis absque mandato formaliter, vel virtualiter alterius negotium gerit, putà negotium Petri absentis, dicitur negotiorum gestor, sive gestator. Bonum enim commune, ac ipsius rei natura expostulat ut, nè res, & negotia absentium, ac minorum pereant, detrimentumve patiantur, inter illum, qui talia negotia gerenda suscepit, & eum, cujus negotia geruntur, obligatio oriatur aliqua; quare ut aliquis negotiorum gestator dicatur, necesse est ut alterius negotia utiliter agat absque ullo mandato, etiam virtuali. Et ex hoc quasi contractu obligationes oriuntur ex utraque parte, nempe tam ex parte negotiorum gestatoris, ut scilicet reddat rationem eorum, quæ gessit, & solvendi ea, quæ ad ipsum ex tali negotio pervenerunt, ut fructus rei administratæ, pecuniæ à debitoribus solutæ, &c. ac ex parte ejus, cujus negotium gessit.

230 Obligatio tamen, quæ oritur ex parte ejus, cujus est negotium gestum, consistit in solvendis expensis factis à negotiorum gestore ipsi gestori, seu gestatori, in quibus expensis computandus est etiam valor industriæ, & laboris appositorum; unde negotiorum gestator actionem contra dominum negotii habet ad exigendas omnes expensas factas in negotiis gestis, ac omnia alia, quæ expensarum nomine veniunt. ¶ E contra verò datur actio in dominо contra negotiorum gestatorem ad exigendum ab eo quidquid accepisset à debitoribus, vel ab administrando negotio. *Instit. de obligat.* §. 2. *quæ ex quasi contractu*, & *L. Si remunerandi* §. 1. *ff. mandati.* Hujusmodi autem obligatio, cùm sit personalis, transit utrinque in hæredes, & contra hæredes, tam negotiorum gestoris, quàm ejus, cujus negotium est gestum. *L.* 2. §. *Hæc autem*, *ff. de negotiis gestis.* Molina Disp. 553. n. 1.

231 Quatuor autem modis geri potest alterius negotium: primo curâ, & officio, ut in Tutore, Curatore, Procuratore, Administratore, ac similibus. ¶ Secundo re ipsa, ut cùm in utilitatem alterius impenditur aliquid, etiam si intuitu illius non fiat. ¶ Tertio ratihabitione, ut quando unus alterius nomine negotium gerit, & ille ratum habet quod alter ejus nomine fecit, ac nisi ratum haberet, nihil ad ipsum pertingeret. ¶ Quarto ipsa actione negotii gesti, vel ipsa gestatione negotii, uti si quis creditori alterius solveret, eo absente, vel ignorante. Et nihil refert, an quis per se, vel per alium similia negotia gerat, quia alium tanquam Procuratorem substituere potest, suo periculo tamen: *L. Nam & Servius*, §. *fin. ff. de negotiis* gestis, ac docent Azor 3. P. lib. 11. cap. 24. Filiuc. Tract. 39. cap. 3. Q. 1. & à Spiritu Sancto Tract. 10. Disp. 28. Sect. 2.

232 Negotiorum gestor solùm ex dolo, & lata culpa dòmino negotiorum tenetur, juxta dicta de Restit. in communi; quòd si negotium gestum in negotiatoris bonum sit etiam, sunt qui dicunt teneri etiam de culpa levi, ut in contractibus aliis, ac etiam sex enumerant casus, in quibus etiam de levissima culpa, & fortuito casu tenetur: primo, si pupilli negotium gesserit. ¶ Secundo, si animo deprædandi accesserit. ¶ Tertio, si accessit ad negotia injusta, quæ non sit solitus gerere. ¶ Quarto, si fortuitum casum specialiter in se suscepit. ¶ Quinto, si casum culpa præcessit, uti si quis incendii fuerit causa. ¶ Sexto, si fuerit in mora, quod probant ex pluribus Legibus, sed hoc pro foro externo tantùm, in nostra namque sententia solùm ex culpa lata tenetur; pro contraria vide Azor 3. P. lib. 11. cap. 24. vers. *dubium secundum*, Molinam Disp. 553. Filiuc. sup. ac a Spiritu Sancto sup. n. 1344.

233 Si quis putans negotium gerendum esse Petri, & est Pauli, ac dictum negotium gerat, tunc re vera actio contrahitur inter ipsum, & verum negotii dominum, non secus ac resultaret inter gestorem ipsius negotii, & eum, cujus intuitu est gestum, si ad illum illa res pertineret: *L. Si cum putavi*, *L. Liberto*, §. 1. *ff. de negotiis gestis.* ¶ Item si arbitratus te mihi mandasse ut tuum negotium gererem, illud egi, cùm tamen mihi tale quid non mandasses, oritur inter me, & te negotiorum gestorum actio, non verò mandati. ¶ Item etiam si quis acceperit rem unius, & fuerit alterius, si verus dominus ratum habuerit, inter ipsum, & accipientem contrahitur actio. *L. Si pupilli*, §. *Item quæritur*, *ff. Cod.* vide plura, ac fusiùs apud Molinam Disp. 553. & apud Azor 3. P. lib. 9. cap. 24.

234 Si quis alicujus particularis multa gerenda negotia habeat, incumbereque noluerit, nisi ad unum eorum, vel ad aliqua particularia, reliquaque omittat, liberum est ei id agere; & tunc, casus, nullatenus tenetur de iis, quæ non gessit, regulariter loquendo, id, quod non currit in Tutoribus, Curatoribus, Administratoribus, & omnibus illis, qui ex officio, vel suscepto mandato negotia minoris, vel cujusvis alterius administrare tenentur, eo quòd ii omnes nihil ex iis, quæ ex officio, aut suscepto mandato administrare tenentur, omittere possunt, prout habetur *in L. Tutori*, *Cod. de negotiis*

negotiis geſtis, ſecus tamen negotiorum geſtor, hic enim de uno, & non de aliis prò libito curare poteſt. Et

235 Diximus regulariter loquendo, nanque, ſi caſu alius adeſſet, qui omnia abſentis negotia gereret, & non vult gerere, quia aut ad omnia, ſive ad nullum incumbere vult, (vulgò *ou tudo, ou nada*) tunc, caſus, tenetur talis negotiorum geſtor huic tertio negotia relinquere omnia, aliàs de non adminiſtratis tenebitur dòmino. *L. Si pupilli, §. Videamus, ff. de negot. geſtis.* ¶ Similiter ſi quis alterius negotium ſuſcipit, & poſtea illud relinquit in damnum proprii dòmini, ad totum illud damnum tenetur, quia dum cœpit, quaſi contractus initus cenſetur inter ipſum, ac dòminum de negotio gerendo, & perficiendo. *L. In commodato, §. Sicut, ff. commodati.* ¶ Et idem, ſi omitteret aliqua, quæ de novo ſupervenirent, quando ſpes à principio erat aliqua eſſe ſuperventura, præſtoque alius erat, qui ſuperventura etiam agere volebat, & hic adminiſtrationem ſuſcipiendo impedimento fuit, nè alius etiam ſuperventura adminiſtraret. Legatur *Molina ſup. num. 6.*

236 Quando is, cujus negotium geritur, expreſsè ſignificavit nè alius ſuum negotium gereret, non tenetur ad expenſas poſt monitionem factas, etiam ſi negotium ſit utiliter factum, bene tamen expenſas ante admonitionem factas ſolvere tenetur. Conſtat *ex L. fin. Cod. de negot. geſt. & L. Si ex duobus, ff. de negot. geſt.* Si tamen nulla admonitio præceſſit, & negotium jam ſit utiliter geſtum, omnino expenſas ſolvere tenetur. Nunquam tamen expenſæ maiores eſſe debent, quàm ſit utilitas rei geſtæ; quòd ſi maiores fuerint, ad illas ſolvendas negotii dòminus non tenetur; unde ſolùm tenetur juxta rationem utilitatis rei acquiſitæ; quare, ſi Petrus putet Franciſci negotium utiliter gerere, & in rei veritate tale negotium in Franciſci utilitatem non cedit, non tenetur Franciſcus expenſas ſolvere. Et hinc

Fit quòd, ſi Petrus plura Franciſci negotia egerit, quædam utilia, quædam verò damnoſa, non tenetur Franciſcus expenſas ſolvere in damnoſis negotiis geſtas, bene tamen in utilibus negotiis factas, ſicut etiam neque ad expenſas ſuperfluas, ac vanas tenetur, hoc enim negotium geſtor ſibi imputare debet: *L. Si quis alienum, ff. de negot. geſtis, L. Sed an ultro, L. Si hæreditaria, ff. de negot. geſt. & L. Si ſervum, Cod. de negot. geſtis*; ſolvendæ tamen ſunt expenſæ, quando quis alterius negotium utiliter geſſit, ac poſtea fortuito caſu res, circa quam erat negotium geſtum, periit, uti ſi Petrus Franciſci domum reficeret, & poſt illius refectionem fortuito igne fuit ſuccenſa, vel caſu corruit, non enim æquum eſt ut in dicto caſu Petrus expenſas perdat. Cum multis aliis *a Spiritu Sancto ſup. num.* 1345. Et hæc ſatis de Negotiis geſtis; ſi quis plura alia velit, legat citatos.

LECTIO IX.

De Sponſione, Aſſecuratione, &c. quid ſit Sponſio, & an licita ſit?

237 SPonſio (vulgò *apoſta*) *eſt contractus, in quo duo de veritate, vel eventu rei contendentes, ſibi invicem aliquid ſpondent.* Ita communiter diffiniunt DD. Et

238 Quòd iſte contractus, ſive ſponſiones per ſe ſint licitæ, ſi abſit fraus, dolus, &c. ac ſervetur æqualitas, eſt doctrina communis, ſervat hominum praxis, & probatur; tum quia nec rationi, neque ulli Legi Juſtitiæ ſunt contrariæ, imò conſonæ. *L. Cum ad præſens, §. De reb. creditis, L. A Titio, ff. de verbor. obligat. L. Si pater, Cod. de inoffic. teſtam.* tum quia ibi datur contractus fortunæ, quo uterque contrahens periculo lucri, & jacturæ exponitur, docetque *Diana Coord. tom. 6. Tract. 4. Reſol. 71.* cum multis *Salmant. tom. 3. Tract. 14. cap. 4. P. 3. num. 64.* Unde

239 Reſolves primò licitas eſſe ſponſiones ſuper eventu futuro, ex quo damnum ſubſequetur proximum, illudque optandi occaſio datur, putà an Petrus intra tot dies morietur, & eſt ratio: quia occaſio illa optandi Petri mortem eſt omnino ad rem de materiali, ac per accidens, & ſpondens quòd morietur optimè poteſt mortem non optare, ac ſi optet, id ex propria ſua culpa evenit. ¶ Confirmatur: quia communis ſententia ſenſus vitalitios approbat, & tamen eadem ſolventi optandi mortem datur occaſio, cum Sanch. Lugo, & Scaccia Diana ſup. Reſol. 81. §. *Notandum eſt tamen*, ibi legendus ac Tract. 7. Reſol. 141. §. *Non deſeram.*

240 Secundò licitas eſſe Jure naturæ ſponſiones ſuper peccato committendo ab aliquo tertio, peccaret tamen mortaliter qui ob lucrum illud peccatum fieri optaret, vel ad hoc opem, aut conſilium præberet, ad reſtitutionem tamen lucri nullatenus teneretur. Cum aliis Diana cit. Reſol. 81. §. *Idem etiam dicendum.*

241 Tertiò ſponſiones, quæ aliquam conditionem illicitam habent, omnino ex utraque contrahentium parte illicitas eſſe, uti ſi duo inter ſe ſponſionem faciant circa maiorem potentiam comedendi, & bibendi, (vulgò *a mais naõ poder, ou a quem hade comer, e beber mais*) vel ſi unus ſpondeat quòd intra tot dies occiſurus

eſt

est Petrum, alius quòd non est occisurus; uterque enim in hac, & in illa sponsione mortaliter peccat, unus, quia peccatum facere promittit, & alius, quia alium ad peccatum inducit, & ad peccandum animosiorem reddit; cæterum etiam in hoc casu non est restitutionis obligatio. Et notatur sponsionem hanc licitam esse, nimirum si me spondente me non peccaturum, tu me peccaturum spondeas; quia lucrum speratum magis me impediet à peccato committendo. Cum aliis *Diana* ubi nuper omnino legendus.

242 Quartò illicitam esse sponsionem, quando quis cum electore spondet se eligendum non fore, ut ipse elector lucri desiderio ipsum spondentem eligat. Communiter asseritur.

243 Quintò quando plures, putà quatuor, decem, vel plures ad officium unum concurrunt, ut eorum eligatur unus, & unus eorum cum cæterorum singulis certat, & sponder, putà 100. eos officium non adepturos, peccat, & restituere tenetur, id quod lucratur à singulis, juxta *Salmant. cit. num.* 64. citantes *Ledesma, ac Villalob.* (*contra Sanch.*) docet & *Trullench. Decal. lib.* 7. *c.* 28. *Dub.* 6. nonque rej cit *Diana cit. Tract.* 4. *Resol.* 77. *ac* 78. ibi legendus, ubi etiam sententiam *Sanch.* probabilem sentit.

244 Sextò quòd, licèt probabile sit quód ille, qui rei præteritæ, præsentis, vel futuræ eventu scientiam habet, (sive hæc certitudo, vel scientia ex revelatione Divina, aut experientia, vel aliter proveniat) idque dissimulet, sive alium ad sponsionem inducat, & spondeat, licitè facit, & ad restitutionem non tenetur; contrarium est verius, ac probabilius, & id, quod tenendum.

245 Sed, si ille, qui certò scit rei eventum, alterum de sua scientia moneat, & nihilominus alius adhuc contendat, in suoque dicto pertinax perseveret, licitè spondet, & lucratur sine onere restitutionis, quia scienti, & volenti nulla fit injuria, & pertinaciæ, ac duritiei alterius imputandum est, qui adhuc de certitudine motus desistere noluit, & voluit amittere.

246 Si verò qui certò rem antea sciens, postea ob hoc, vel illud dubitare incipit, adhuc spondere, & lucrari potest, quia in dicto casu alicui periculo jam se exposuit; si tamen credit habere certitudinem rei, quam asserit, & affirmat, cùm tamen re vera dicta res sit incerta, tunc hoc modo contrahendo tantùm peccabit ratione malitiæ, & conscientiæ erroneæ, qua nullus periculo se se intendit exponere, non tamen ad restitutionem tenebitur, quia re vera jam se periculo exposuit, nec ipsius falsa credulitas incertitudini rei aliquid addit, per quod obligationem contrahere possit, quæ non, nisi ex justitiæ actu, contra Proximum patrato actualiter oritur, quodque in damnum Proximi cedat; pro his, quæ hic à num. 44. dicta sunt, legantur *à Spiritu Sancto sup. Disp.* 24. *Sect.* 9. *num.* 1232. *Azor* 3. *P. lib.* 11. *cap.* 19. *Molina Disp.* 508. *Rebel. lib.* 16. *Quæst. unica de Sponsal. Bonac. de Restit. Disp.* 3. *P.* 1. *num.* 18. *& Diana dicto Tract.* 4. *Resol.* 72. *ad* 76. *ac ibid. locis ad marginem.* Et

247 Notat ex aliis *à Spiritu Sancto n.* 1231. quód, si res tantùm ex opinione probabili sit nota, aut signis, indiciis, conjecturis, &c. probabilibus, vel fide solùm humana, licita erit sponsio, quia hæc omnia fallere possunt, cùm solùm probabilem, nonque certam cognitionem importent, & pariant; unde infert quód, si quis ex ipso Pontifice sciret aliquem Cardinalem esse creandum, adhuc sponsione certare posset, quia Pontificis voluntas (sicut cujuslibet alterius hominis) mutari potest, ac ex se est mutabilis, quod ad sponsiones licitum sufficit, citatque *Dianam.*

248 Septimò, si quis spondeat super vita, morte, vel futura electione Summi Pontificis, licitè spondet, si res secundùm se consideretur, quia res est de eventu omnino dubio, & incerto, (sicut licitæ sunt sponsiones, quæ in Genuensi Civitate fiunt pro electione Ducis, ac Senatorum) respectu tamen Summi Pontificis graviter prohibitæ sunt, & idem de sponsionibus pro Cardinalium electionibus, & creationibus, pro quo omnino legendus est *Filiuc. tom.* 2. *Tract.* 37. *cap.* 2. *Q.* 7. *&* 8. *ac Diana sup. Resol.* 73.

249 Octavó sponsiones has (quas in Flandria, & Gallia dicuntur fieri solitæ) nimirum spondet Petrus Francisco aureos centum conditione ea, ac lege, ut Franciscus in propriam Patriam teneatur salvus redire, & sanus post duos annos, vita urbe Româ, vel si intra illud tempus ducat uxorem, aut Presbyter fiat, quam sponsionem Franciscus acceptat, bis centum promittens, si vita Româ, salvus, ac sanus non redeat, vel nisi Presbyter fiat, aut ducat uxorem, quia tales sponsiones sunt de re dubia, & incerta, nec in hoc contractu mutuum adest. Et ita *Azor* 3. *P. lib.* 11. *cap.* 21. *Q.* 1. *Filiuc. tom.* 2. *Tract.* 37. *cap.* 2. *num.* 32. *ac Diana sup. Resol.* 84.

250 Nonò licitas esse sponsiones sequentes, quæ in Anglia fieri solent. Das putà 100. Petro condition ea, vel lege, ut si ipse dans 100. vivat post annum, teneatur Petrus reddere 100. & 10 Item si pater det aliquid, putà 100 alicui Mercatori cum pacto, ut si filia recenter nata ad annum 13. pervenerit, teneatur

reddere

reddere 300. quia dictus cõtractus non eſt mutui, nec ſocietatis, ut de ſe patet, ſed innominatus contractus: Do, ut des, facio, ut facias; & ad contractum ſortium reducitur, in quo ambo contrahentes exponunt pecunias ſuas periculo illas perdendi ex incerto eventu, ac bene quis lucrari poteſt, cùm etiam perdere poſſit. Sup. *Azor Q. 2. Filiuc. num. 33. & Diana ſup. Reſol. 83.*

251 Decimò licitam ſponſionem eam eſſe, qua Petrus ſpondet cum Paulo quòd illum jactu, vel ſaltu, aut curſu ſuperabit. Unde ſi poſtea Petrus currere, &c. nolit, ſponſionem ſolvere tenetur, quia per eum ſtat quòd curſus non fiat, & cenſetur adimpleta conditio, quod tantùm verificatur, quando fit per modum ſponſionis, ac quaſi certando de rei veritate, non autem ſi per modum provocationis fiat ad ludum, tali pœnâ, vel pretio addito, quia in hoc caſu ante inceptum ludum non eſt adimplendi, & incipiendi obligatio. Ita *ex Lugone, a Spiritu Sancto ſup. num. 1238. Diana ſup. legendus Reſol. 80.* ¶ Si autem ſcire velis an, ſi capitale maius (vulgò *todo o reſto*) quis in ſponſione aliqua expoſuerit, poſſit ille, qui capitale minus habet, acceptare ſponſionem, & lucrari illud plus ſine reſtitutionis onere? Vide *Dianam ſup. Tract. 4. Reſol. 56. 57. ac 79.* & partem affirmativam tenebis. Alia pro hoc contractu ex dicendis de Ludo conſtabunt.

SUBLECTIO.

De Aſſecuratione. Quid ſit Aſſecuratio, quas conditiones requirat, & an ſemper liceat pretium ob aſſecurationem accipere?

252 ASſecurationis contractus, qui eſt contractus fortunæ, communiter ita deſcribitur, dicendo quòd *Aſſecuratio eſt contractus, quo quis in ſe rei alienæ periculum ſuſcipit, obligando ſe ad compenſationem talis rei, ſi pereat.*

253 Quatuor dantur Aſſecurationis ſpecies, vel quatuor ſunt modi Aſſecurationis; primus quando aſſecurantur merces transferendæ per mare, vel terram. ¶ Secundus quando aſſecurantur pecuniæ ex uno in alium locum. ¶ Tertius quando aſſecuratur tranſitus unius perſonæ per loca periculoſa. ¶ Quartus quando aſſecuratur vita alicujus perſonæ, uti ſi Petrus cum Paulo conveniat ut ei 20. aureos tribuat, ſi vixerit 10. annos, ſin minus ipſe totidem, vel plures (prout convenerint) ſolvat. *Azor 3. P. lib. 11. cap. 18. Q. 5. Bonac. Diſp. 3. P. 3. num. 6. ac a Spiritu Sancto ſup. Diſp. 24. Sect. 1.*

254 Aſſecurationis contractum licitum, nonque uſurarium eſſe pro comperto habemus; tum quia ſicut licitus eſt uſus ſponſionis, ac ſortis, quando de re dubia agitur, atque dividenda de conſenſu partium, ita pariter aſſecuratio licita eſſe debet, qua quis in ſe ſuſcepit periculum rei alienæ cum ſpe lucri, nanque damni, & lucri periculo exponitur; tum quia contractus, hic in bonum commune cedit, cùm, eo ſtante, Mercatores merces ſuas ex uno in alterum locum tranſportare audeant ob maiorem ſecuritatem, quam habent non amittendi res ſuas; tum denique, quia ita decet communis, ſervatque communis Mercatorum praxis. Legatur *Molina Diſp. 507. Sanch. lib. 6. de Juſt. Q. 7. Art. unico, & Bonac. ſup. num. 2.*

255 Ut tamen contractus iſte licitus ſit, aliquas conditiones requirit, quarum prima eſt, ut inter pretium aſſecuranti datum, ac periculum ab aſſecuratore ſuſceptum æqualitas detur temporum, loci, & perſonarum, circunſtantiis bene penſatis. Et pretium illud eſſe debet, quod Lex, vel uſus communis, aut in arte expertus judicaverit. ¶ Secunda conditio eſt, ut aſſecuratio ſit libera, nonque metu extorta. ¶ Tertia, ut aſſecurator ab eo, qui aſſecurationem petit, admoneatur de veris periculis, quibus aſſecuranda res ſubjicitur, ut ſic aſſecurator conſideret ſecum, & videat an aſſecurationem ſibi aſſumere ſibi ſit expediens, & quantum pro gravamine, quod ſubit, exigere poteſt. ¶ Quarta, ut res, quæ aſſecurantur, verè exiſtant, veroque periculo ſubjiciantur, nam ſi res fingantur exiſtere, eſt quaſi cambium fictum, deficitque materia contractûs, ſubindeque nullus erit, ſi nanque id aſſecurator ſciret, nullatenus aſſecuraret. ¶ Quinta, ut qui aſſecurat, habeat bona, de quibus totius rei aſſecuratæ compenſationem facere poſſit, ſi totam rem aſſecuravit, & partis rei, ſi ſolam partem aſſecuravit, alias contractus erit injuſtus, & nullus; nec poterit aſſecurator aſſecurationis recipere pretium, quinimo reſtituere tenebitur omnia damna inde Mercatori ſequuta. ¶ Sexta, ut rei eventus incertus ſit utrique, ſaltem quo ad notitiam, quam de illo uterque contrahens habet. Quæ omnia communia ſunt apud DD. Unde ex his

256 Reſolves primò quòd, ſi quis à te petat navis aſſecurationem, quam certò ipſe ſcit periiſſe, vel mercibus vacuam eſſe, tunc, caſus, invalida eſt talis aſſecuratio navis, ac mercis, & reſtituere tenetur id omne, quod pro tali aſſecuratione ſuſcepit. Dictum eſt *certò*, nam ſi ſit dubium, & hoc tibi ſit notum, ad aſſecurationem pretii tali dubio proportionati procedi poterit. Et è contrà, ſi aſſecurator certò ſciat ſive per Epiſtolam ab amico miſſam, aut

per

per Astrologiam, sive arte dæmonis, aut revelatione, vel alio modo, navem jam esse in tuto, vel à piratis rutum esse mare, aut tempestatem non fore venturam, (quæ omnia alteram compartem, vel mercium dominum latebant, de quo idem erit dicendum, si ita hæc omnia sciat) etiam erit contractus invalidus, quia, cùm hic contractus sit sortis, & fortunæ, debet uterque in æquali periculo esse, quod non fieret, si unus certus, & alius incertus de periculo esset; ac ita cum aliis *à Spiritu Sancto sup. Disp.* 23. *num.* 1180. *legatur Trullench. in Decal. lib.* 7. *cap.* 24. *Dub.* 3. *& Amicus tom.* 5. *Disp.* 27. *num.* 6.

257 Secundo quando plures in solidum, ac indiscriminatim merces assecurant, singuli tunc tenentur pro rata; sed, si singuli singulas duntaxat mercium partes assecurant, solùm ob id, quod quilibet assecurat, tenetur, id quod indubium extat, & ex ipsis terminis patet.

Tertio non tenetur assecurans ad ea damna, quæ bonis assecuratis ab extrinseco vitio rei proveniunt, veluti si vinum acescat, vel ex vitiato vase deterioretur, si fructus computrescant; quia assecurationis contractus tantùm se extendit ad resarcienda damna, quæ ab extrinseca vi, ut à tempestate, piratis, & latronibus proveniunt, & accidunt, alias dictus contractus multis dolis, ac fraudibus esset expolitus. Unde fit quòd omnia ea damna, quæ bona assecurata sunt passa, etiam si in eodem loco, unde translata sunt, fuissent mansura, non sunt ab assecuratore resarcienda, nisi expressè id in pactum fuerit deductum; ex quo etiam fit assecuratorem non teneri ad solutionem bonorum perditorum juxta valorem, quo ante æstimata fuerunt, sed quo æstimata sunt post eorum amissionem.

258 Quarto, si assecurator tantùm partem pretii habet, putà quinque aureorum millia, navem decem aureorum millia importantem assecurare non potest, etiam si tantum pretium pro quinque accipiat, eo quòd contractus totus fuit nullus; & si dominus navis id sciret, ab eo assecurationem talem non peteret, cùm dimidium æstimationis navis in periculo maneat & sic dictus assecurator peccabit, pretiumque, si quod recepit, restituere tenebitur, ac etiam damna, quæ ex inde resultant. *Bonac. sup. num.* 4. *& Tambur. num.* 6.

259 Quinto, si assecurator non totam navem, nec aliquid in particulari, sed solùm certam partem in communi, putà duo aureorum millia assecuravit, totaque navis pereat, tenetur duo millia aureorum solvere; si verò dimidium illarum mercium pereat, quæ merces sex mille aureis æstimatæ fuerunt, solùm mille aureos solvere tenetur, ac eadem proportione de reliquis mercibus, quæ perierint. Si tamen determinata pars, & singularis assecurata fuerit, solùm ea pereunte solvere tenetur assecurator. *Molina Disp.* 507. ac cum eo *à Spiritu Sancto sup. num.* 1185.

260 Sextò validus est assecurationis contractus, quem celebravit Mercator, nesciens merces naufragio deperditas fuisse, aut à piratis captas, cùm re ipsa fuerint deperditæ, vel captæ, quia mens contrahentium juxta receptam praxim est, ut periculum intelligatur susceptum, etiam quo ad præteritum, si Mercator res perditas, vel captas fuisse ignorat. *Rebel. num.* 7. *& Bonac. num.* 3. fine dicens in hac re consuetudini standum esse.

261 Septimò validus, ac licitus est contractus assecurationis, qui in Hispaniis celebrari solet, illud videlicet, in quo certa pecuniæ summa alicui viro tribuitur, ut pretio tanto assecuret gabellas, & redditus Regios ita, ut si voce præconis non reperiatur qui pro eis plus offerat, ipse eas pro tali pretio accipere teneatur. Ratio est: quia Magistratus de pretio justo securus redditur, simul & de assecuratione suæ gabellæ. Et etiam vir ille pro eo, quod promittit, (quod re vera onus est) mercedem justam accepit, nec alii, qui concurrunt ad eandem rem emendam, vel conducendam, de hoc conqueri valent, eo quòd assecurator ille jus habet non minus, quàm alii offerendi maius, vel minus pretium. *Azor* 3. *P. lib.* 11. *cap.* 21. *Dub.* 3. cum aliis *à Spiritu Sancto sup. num.* 1187. *Lugo hic num.* 103. notans assecurari posse lucrum in nundinis, sicut & mercis libertatem, etiam si periculum sit captivitatis, pecunia si per periculosa loca sit transportanda. Legatur iterum Molina Disp. 507. §. *Utrùm autem licitum sit.*

LECTIO X.

De Sortibus, quid sint sortes, quomodo licite, & quando, vel quomodo in illis quis peccet?

262 SOrtes (juxta Div. Thom. 22. Q. 95. Art. 8. in corp.) *propriè dicuntur, cùm aliquid fit, ut, ejus eventu considerato, aliquid occultum innotescat.* Verba sunt Præceptoris Angelici. ¶ Sortes in triplici sunt differentia Aliæ enim sunt *divisoriæ*, & tunc fiunt, quando judicio sortium quæritur quid cui sit tribuendum, sive hoc sit res, aut honor, sive dignitas, aut pœna, sive functio aliqua, & quid simile. ¶ Aliæ dicuntur *consultoriæ*, & tunc accidunt, quando in aliquo obscuro negotio Divinum consilium quæritur, ut sciatur quid in eo sit agendum. ¶ Aliæ *divinatoriæ* denominantur, & tunc dantur, quando in eis

quæri-

quæritur futurus eventus. ¶ Differentia autem inter consultorias, & divinatorias stat in eo, quòd, si sortes fiant ad aliquod bonum consilium petendum à Deo, consultoriæ dicuntur, at si fiant ad malum finem, quia in eis dæmonium consulitur, divinatoriæ appellantur. Unde est notandum quod sortium eventus vel à Cælo, aut casu, vel à Deo, sive à dæmone expectari potest. Legatur *Div. Thom. cit. in loco.*

263 *Divinatoriæ* sortes omnino illicitæ sunt, cùm semper in eis quæratur à dæmone futurus eventus, dicente ubi nuper Præceptore Angelico, *& tales sortes sunt illicitæ, & secundum Canones prohibentur*; id quod constat *ex cap. 1. de Sortilegiis, & 26. Q. 5. cap. Sortes, cap. Pervenit* 28. *cap. Si quis Clericus* 3. *cap. Contra* 18. *cap. Episcopi* 12. in quibus non solùm sortilegia prohibentur omnia, sed etiam omnes divinationes, ac incantationes. ¶ Et hujusmodi sortes aliæ ordinari possunt ad cognitionem futurorum, vel occultorum. ¶ Aliæ ad operationem. ¶ Primæ tunc fiunt, quando quis per sortem, ob meram curiositatem quærit quis Prælaturam, victoriam, quid vel simile obtinere debeat. ¶ Secundæ ordinari solent ad manifestandum occultum malefactorem, &c primæ sunt purè sortes consultoriæ, & in se superstitionis malitiam continent. Secundæ sunt partim consultoriæ, partim divinatoriæ, in se injustitiæ malitiam continentes, quia super in innocentem, & nocentem occultum cadere possunt, quod est contra Justitiam. Sed hoc ad 1. Decal. Præceptum attinet, & ideo hic omittendum, legatur tamen *Div. Thom. ubi supra.*

264 *Consultoriæ* sortes illicitæ sunt regulariter, id quod perbellè Doctor Angelicus sup. in corp. probat, ibi legendus, & probatur: quia velle ut Deus voluntatem suam peculiari hoc modo revelet, est ipsum Deum tentare, nec ipse Deus sortes has temperaturus promisit; unde omnes illi, qui tales sortes emittunt, periculo se exponunt, ut decipiantur à dæmone, consequenterque mortaliter regulariter peccant, quapropter hic sortium usus à Parente Augustt. reprehenditur Epistol. 119. & à Leone IV. ad Episcop. Britanniæ, ut habetur cap. 7. *Sortes* 26. Q. 5.

265 *Quadrupliciter* juxta Div. Thom. cit. in loco in sortibus his peccare quis potest, primò, si absque ulla necessitate ad sortes recurrat; quia id esset Deum tentare. ¶ Secundò, si etiam in necessitate absque reverentia Dei sortibus utatur, cùm per eas Divinum consulatur consilium, sive judicium, cui reverentia summa debetur. ¶ Tertiò, si Divina oracula ad terrena convertantur negotia, juxta *S. Aug. Epistol.* 219. *ad Januar. de Ritib. Eccles. cap.* 20. ¶ Et denique quartò, si in electionibus Ecclesiasticis, quæ inspiratione Spiritûs Sancti omnino fieri debent, aliqui sortibus utantur, prout prohibuit Honorius III. in cap. Ecclesia de sortileg. ibi: *Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnamus.* Legatur Angelicus Doctor, ac Venerabilis Beda super electione Divi Mathiæ Apostoli.

266 Dictum est *illicitæ sunt regulariter*, quandoque nanque licitæ erunt, & esse possunt, ac erunt casibus in illis, in quibus humanum consilium non suppetit, & necessitas urget, tunc enim cum humilitate, & reverentia Divinum sortibus implorare consilium licitum erit, tunc enim dictæ sortes à Deo temperari solent, juxta illud Lib. Proverb. cap. 16. num. 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Legatur ubi sup. Div. Thom. ac ibi etiam Divus Augustinus.

267 Item consultoriæ sortes istæ justæ, & licitæ essent, quando ex Divina inspiratione fierent, ut quandoque factum in sacra Pagina legimus, uti patet in electione Saulis, & Mathiæ Apostoli, ac ut habetur Josue 2. ubi sortium judicio Acham fuit inventus, qui de anathemate aliquid sibi usurpaverat. Jonas à nautis deprehensus est similiter sortibus. Jon. cap. 1. Et licèt ipsi non a Deo, sed à dæmonibus expectarent eventum, temperavit Deus tamen propter Jonam. Item Saul. 1. Reg. cap. 14. filium suum Jonatham mel comedisse sorte deprehendit. Zacharias etiam Lucæ 1. sorte exiit, ut in censum poneret.

268 *Divisoriæ* sortes licitæ quandoque sunt, & aliquando illicitæ; sunt quidem licitæ primo, si adhibeantur in casibus, in quibus non prohibentur, proindeque fieri valent ad lites sedandas, maximè seculares, ut inter hæredes, & legatarios. *L. Si cum ambo, ff. de Judic.* ¶ Secundò si fiant, quando aliqui volunt inter se aliqua dividere bona, quæ de facili dividi non possunt, tunc enim ut faciliter dividantur, sortes mitti solent, uti quotidiana praxis observat. ¶ Tertiò quando danda est aliqua dignitas, vel honor, (dummodo Ecclesiasticum non sit Beneficium, & hujusmodi) & multi æquales adsunt; sortes etiam tunc mitti solent. ¶ Quartò si officium dandum sit aliquod, in se periculum aliquod continens, tunc itidem sortes mitti possunt, cuinam sit conferendum, prout Sanctus Augustinus Epistol. 180. resolvit: *Sorte* (ait) *eligendum esse Sacerdotem, qui tempore pestis, ac persequutionis maneat in oppido, ut res sacras Fidelibus ministret.* ¶ Quintò in infligendis pœnis, ut quando ex multitudine Reorum alicui, vel aliquibus Princeps parcere vellet, & aliis justitiam facere,

ecre, (prout in *Militia* aliquoties evenit) fortes *similiter mitti* possunt. ¶ Sextò quando Milites inter se non conveniunt quinam in incursione contra hostes præcedere debeant. ¶ Septimò si in periculosa tempestate maris mittere fortes licet, ut sciatur quinam sit projiciendus in mare, ne pereant omnes.

269 Erunt tamen illicitæ primò, si fiant violando jus, vel justitiam alterius, unde inter dignum, ac indignum ut aliquid detur, vel distribuatur, nullatenus licet mittere fortes, quia contingere potest ut in indigni favorem fors cadat, & digni jus violetur. ¶ Secundò & etiam si aliqui habeant jus circa rem aliquam, non possunt mittere fortes, aliis jus non habentibus aliquod, quia sequeretur illis injuria, & damnum. ¶ Tertiò, si fiant ex intentione prava, vel opinione erronea, uti si quis credat humanos actus ab Astris dependentiam habere, vel in dæmonis adjutorio speret, quia utrumque superstitio esset. Si tamen credat humanos actus tantùm ex fortuna accidere, erit tantùm veniale peccatum, nisi Divinam Providentiam dirigentem excludat, quia tunc esset mortale. ¶ Quarto si in electione ad officia fiant, *ubi* prius dignorum, & æqualium facta fuisset electio, ut suprà, nam tunc contra distributivam Justitiam esset. ¶ Quinto si fiant de re aliena. ¶ Sextò si cum fraudibus fiant. ¶ Septimò si quis Evangeliorum libris ad sortiendam temporalem rem uteretur. ¶ Octavò si essent prohibitæ, fuissent simul peccaminosæ, uti in electione Ecclesiastica, utpote suprà est habitum.

270 Et id, quod de Ecclesiastica electione dictum est, ita est verum, ut nec etiam admittantur fortes in casu, quo suffragia paria sint; quia semper prohibitæ, & quia ad hoc datur in Jure remedium per compromissarios: *Cap. Quia propter elect. & Gloss. in cap. Duobus de Rescript. in 6.* quo casu, si electores compromittere noluerint, nec inter se concordarint, adeundus est Superior, ut electoribus terminum præscribat, quo transacto, si adhuc fuerint discordes, aut non elegerint, tunc electio ad Superiorem devolvitur, ut tenet *cit. Gloss.* ac de quo legendus est *Trulbench. Decal. tib. 1. cap. 10. Dub. 9. num. 7.* Et

271 Advertit, vel addit *Trulbench. ibid. n. 8.* impossibile non esse id, quod *Less.* docet, nimirum posse plures idoneos examinari, & eorum unum per fortes ad officium eligi, modò id fiat absque damno communi, ac injuria Proximi, & à fortiori, inquit, probabiliùs sustineri potest posse Ecclesiasticam electionem forti committi, quando repetitis suffragiis remanent duo, vel tres cum suffragiis æqualibus, ac electores inter se convenire non possunt. Et pro certo existimat licere (si Judicis authoritate fiat, & non aliter) litem inter Clericos per fortes componere, etiam in causis Beneficialibus, quia Leges tantùm prohibent fortes in electionibus, & cùm sit lex pœnalis, ac odiosa, extendenda non est ad alios casus. Hucusque dicta (licèt non omnia in omnibus) reperies *apud Trulbench. sup. Less. lib. 2. cap. 43. Dub. 9. Suar. tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 12. Filiuc. tom. 2. cap. 4. Tract. 24. Villalob. 2. P. Tract. 28. Diffic. 5. Sanch. lib. 2. Oper. Moral. cap. 38. Bonac. tom. 2. Disp. 3. Q. 5. P. 3. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 21. Clav. Reg. lib. 4. cap. 5. Reginald. lib. 17. Lugo de Just. & Jure, Disp. 31. Sect. 6. num. 91. ac a Spiritu Sancto Tract. 10. Disp. 24. Sect. 10.*

272 Sortium contractum (dempta fraude, & dolo) licitum esse, in quo multi concurrunt contribuentes ad rem, vel res aliquas emendas, ut forte experiantur ad quem, vel ad quos ex contrahentibus expectare debeant, non dubitamus, & tenent *ubi sup. Lugo, ac a Spiritu Sancto.* Et hic contractus ita disponitur. Primò constituuntur publica authoritate Ministri aliqui, qui ab unoquoque pro qualibet sorte duos, vel plures argenteos recipiant, ac postquam jam omnes contribuerunt, scribitur cujuslibet contrahentis nomen in schedula ita, ut tot schedulæ inscriptæ mittantur in urnam, quot correspondent, putà duobus argenteis contributis, & tot etiam mittantur in alteram urnam, quarum schedularum aliquæ sunt in albis, nihilque secum commodi afferunt, & aliæ sunt, in quibus vas aureum, vel argenteum est annexum, aut quid simile aliud; quo pacto priusquam sortes extrahantur ex urnis, solvitur ex cumulo publicis Ministris de hoc curam habentibus justum laboris sui stipendium; deinde ex contributionibus loco pio, vel operi pio aliqua pars designatur, quibus omnibus ita dispositis, atque paratis, designatur puer, à quo extrahitur sors ex una urna, & sors ex urna altera, vel schedula ex una, ac schedula ex alia, & hæc quandoque venit in albo, aliquando cum signo venit, prout sors, ac fortuna cujusque ei favorabilior extat. Et hic contractus non tolùm in Roma, prout asseverat *Lugo num. 91.* sed etiam in Lusitania, prout sup. asserit à Spiritu Sancto, exercetur, nosque hic Ulyssipone, ac Matriti vidimus practicatum multoties; imò in nostra sacra Excalceata Carmelitana Familia suo modo vidimus imitatum, præcipuè in diebus Patchalibus, ob honestam recreationem, vel animi refocillationem; ubi Religiosi ex his rebus, quas ad usum habent, aliquas ludo hoc, & fortibus his exponunt, & maximè illas, ad quas habent, vel sentiunt propensum affectum, ac

quibus

quibus naturalis amor magis inhæret; quod abs dubio opus est maximæ recreationis, quidque valde laudabile, honestum, virtuosum, sanctum, atque meritorium, cùm sic à mundanis, terrenisque rebus Religiosus quilibet (si quem habet ad illas) abjiciat affectum, ut ita expeditiùs ad Cælum pervolare queat: *Porque que importa que el pajarillo estè prezo por un hilo, o por una maroma, si no menos el hilo, que la maroma le detiene el buelo?*

CAPUT VI.

De Contractu Ludi.

LUdi contractus fortunæ contractus est etiam, & frequenter apud homines quotidie praxi mandatus, multamque connexionem cum sortibus habet; de eo lato calamo DD. aliqui tractant, nos verò breviùs illum attingemus, solùmque ea de eo dabimus, quæ magis usu recepta, & practicabilia videntur, vel quæ in praxi occurrere valent; pro eo sit ergo

LECTIO I.

Quid, ac quotuplex sit Ludus, & an licitus?

1 LUdus, (de quo Div. Thom. 22. Q. 168. ac in 2. Sentent. Dist. 30. Art. 5. & Dist. 15. Q. 2. Art. 4. Q. 3. ad 2. ac Dist. 16. Q. 4. Art. 2. Quæst. 1. in corp.) si generatim sumatur, *est operatio exterior animi relaxandi causâ suscepta.* Si verò specialim accipiatur, *est contractus, quo ludentes periculo res suas exponunt ob spem lucrandi rem alterius*, sive lucri faciendi gratiâ, vel aliter, ut Salmant. Tract. 14. cap. 4. P. 3. num. 52. describunt, *est pactum, in quo victori certaminis res ab utroque expositæ tribuuntur.*

2 Ludus ergo ex se, ex natura sua, & ab intrinseco malus non est, sed res est indifferens, quæ ob diversas circunstantias, causas, &c. aliquando erit bona, quandoque mala, imò aliquando erit virtus, quæ ab Aristotel. *Eutrapelia* dicitur, teste Div. Thom. cit. loco 22. Eutrapelus autem quis dicitur à bona conversatione, eo quòd aliqua dicta, vel facta in solatium, & relaxationem, vel refocillationem animi bene convertit adeò, ut Eutrapeliæ finis sit honesta hominis recreatio. Et

3 Dicta animi recreatio sæpe numero maximè necessaria extat ad animum propter res serias defatigatum honestè oblectandum: nam, ut perbellè, & discretè ait Div. August. lib. 2. de Musica cap. ult. *decet sapientem interdum remittere aciem rebus agendis intentam*, ac, ut Præceptoris Angelici Div. Thom. ubi nuper verbis utamur, *sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non potest continuè laborare propter hoc, quod habet finitam virtutem, qua determinatis laboribus proportionatur, ita etiam ex parte Animæ, cujus etiam est virtus finita ad determinatas operationes proportionata ::: sicut autem fatigatio corporalis solvitur per corporis quietem, ita etiam oportet quod fatigatio animalis solvatur per Animæ quietem; quies autem Animæ est delectatio, & ideo remedium contra fatigationem animalem adhibetur per aliquam delectationem, intermissa intentione ad insistendum studio rationis, sicut in Collationibus Patrum dicitur quòd Beatus Joannes Evangelista, cum quidam scandalizarentur quod eum cum discipulis suis ludentem invenerant, dicitur mandasse uni eorum, qui arcum gerebat, ut sagittam traheret, quod cum pluries feciſſet, quæsivit utrum hoc continuè facere posset; cui respondit quod, si hoc continuè faceret, arcus frangeretur. Unde Beatus Joannes subintulit quod similiter animus hominis frangeretur, si nunquam a sua intentione relaxaretur, &c.* Hæc subtiliter Beatus Joannes, & hæc doctissimè, ac magistraliter Magister Angelicus, qui toto eo Art. legendus.

4 Et equidem optimo jure, nanque, ut ait Aristotel. 9. Ethicor. cap. 10. *sicut utimur sale ad condiendos cibos*, (parcè scilicet) *ita debemus uti ludis ad vitam transigendam*; ad quod etiam valde conducit illud celeberrimum Senecæ dictum lib. 1. de Tranquillit. vitæ, cap. 15. *Sicut terra etiam pingues fiunt steriles, si semper colantur, & serantur, ita ingenia etiam subtilia torpent, & gravantur labore continuo, ob id necesse est intromittere aliquando*; quod adeó verum est, quòd dicat Div. Thom. cit. Dist. 30. Art. 5. in fin. corp. quòd *ludere ad recreationem, servato modo Eutrapeliæ, quæ medium tenet in ludis, ut dicitur in 11. Eth. licut comedere, & bibere, servato modo temperantiæ, meritorium est in eo, qui charitatem habet, qua Deum ultimum finem vitæ suæ constituit.*

5 Ex hactenus dictis clarè, manifestèque constat ludum non solùm quandoque esse licitum, sed etiam aliquando maximè necessarium ad animum fatigatum recreandum; & eó homini magis necessarius erit, quò magis ipse literarum studio, Divinæque contemplationi fuerit intentus, ac si aliquis tristis, melancholicus, vel hypochondriacus fuerit, si moderato, & honesto ludo utatur ad hypochondriam, &c. expellendam, non solùm peccatum non facit, sed potiùs Eutrapeliæ virtutis actum exercet. Legatur iterum Angelicus Doctor super cap. 3. Isaiæ.

6 Multipliciter solet dividi Ludus: alius enim est ludus religiosus, sanctus, honestus, &

pius, ad cultum Divinum pertinens, ex gaudio, devotione, ac ex quodam erga Deum hilari affectu, & talis fuit ludus David coram Arcam Dei ludentis, sive saltantis, & *ludam, & vilior fiam plusquam factus sum.* Lib. 2. Reg. cap. 6 num. 22. quo ludendi modo quandoque Religiosi viri ex Christiana devotione, ac pietate moti utuntur, ac præcipuè in festis Natali Domini, Corporis Christi, & Resurrectionis, qui ludi (modo decentes sint) à Concil. Trident. Sess. 13. cap. 5. commendantur.

7 Alii sunt ludi continentes turpitudinem, ad libidinem provocantes, quibus abs dubio Diabolus initium dedit, utpote malitiæ, & turpitudinis pater, & auctor, ac de hoc genere ludi aut Div. Chrysostom. Homilia 6. in Matth. *Non Deus dat ludere, sed Diabolus*, hocque ludi genus in sacris reprehenditur Literis: *Et sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Lib. Exod. cap. 32. num. 6. *Et nunquam cum ludentibus miscui me.* Lib. Tob. cap. 3. num. 17. de hisque ludis loquens Div. Thom. in 4. Dist. 16 Q. 4. Art. 1. Quæst. 1. in corp. (legendus etiam 22. Q. 168. Art. 4. ad 1.) dicit quòd *tales ludi ab omnibus vitandi sunt, & præcipuè à pœnitentibus, qui per fletum peccata corrigere debent; sicut ludi, qui in theatris agebantur, ad luxuriam provocantes.*

8 Alius est ludus, qui fit exercendi vires corporis gratiâ, ac experiendi, sive illarum periculum faciendi, uti currere, saltare, luctari, pugnare, jacere ferrum, vulgò *tirar à barra*, lapidem, vel globum, &c. Alius, qui fit gratiâ faciendi periculum animi, ut ludus latrunculorum, &c. alius mistus, in quo & animi, & corporis vires exercentur, ut ludus pilæ, vulgò *jogo de pélla*, globorum maiorum ad pyramides, vulgò *os bolos*, *ou paos*, vel ludus globorum minorum ad circulum ferreum, vulgò *a argolla*, *bola*, *ou aro*, vel *gladiatoriæ* pugnæ, vulgò *esgrima*.

9 Deinde alius est ludus ob propriam recreationem exercitus, vel eorum, cum quibus est colludendum, (de quo in præsenti). & hic adhuc est triplex. Alius, qui ex sola industria, aut viribus, vel ingenio, aut scientiâ, vel arte dependet, ut balista, lucta, schachia, globorum jactus, torneamenta, & similia. Alius est ex sola fortuna dependens, in quo nihil corporis vires, scientia, ars, ac industria valent, ut tallarum, seu taxillorum ludus, & ludus aleatorum, vel ludus exercitus in chartis depictis, ubi est mera fortuna, sine arte, secluso dolo, vel fraude ludentium; alius mistus, in quo simul fortuna, & industria obtinent locum, eo quod partim regitur arte, partim fortunæ permittitur, uti Tabularum ludus, & non pauci, qui sunt in chartis depictis.

LECTIO II.

Quibus circunstantiis, & causis ludus vitiari possit.

10 EX dictis constat quòd ludus ex se, stanteque solo naturali Jure, malus non est, (de quo legi poterunt *Clavis Reg. lib. 11. cap. 12. à num. 2. Molina Disp. 510. Dicastill. lib. 2. Tract. 18. Disp. 1. num. 14. ac Sanch. lib. 1. Consil. cap 18. Dub. 24.*) licèt tamen hoc ita sit, ex variis circunstantiis, & causis vitiari potest, multoticsque vitiatur, id quod videndum.

11 In primis itaque primus, si de eo in genere loquamur, vitiari potest primò ratione materiæ; quare illicitus erit, si ejus materia fuerit obscœna, & irreligiosa, vel de rebus turpibus ad libidinem provocantibus, quo pacto erit mortale, ac etiam si sacra Scriptura, vel vestes sacræ amatoriis, & turpibus cum rebus misceantur. ¶ Secundò erit illicitus ratione finis, eo quòd finis ludendi sit malus, ad malum vel ordinetur ipse ludus. ¶ Tertiò ratione malorum, quæ ex ipso ludo sequuntur, & ratione scandali, ac tunc erit ex his capitibus mortale peccatum, quando vel finis sit mortaliter malus, aut quando scandalum notabile fuerit. ¶ Quartò similiter, si sequatur periculum vitæ, vulneris, aut mutilationis proprii, vel alieni membri, ut in duellis, hastiludis, torneamentis, & agitatione taurorum, ut etiam si blasphemiæ, rixarum, furti, vel transgrediendi Dei, aut Ecclesiæ Præcepta periculum adsit.

12 Quintò illicitus erit ratione loci, uti si in Ecclesia exerceantur ludi profani, & vani, aut ludi theatrales, ac similes, cap. *Decet*, §. *Cessent de Immunit. Eccles. in 6.* quia tunc adest interpretativus contemptus, tum loci sacri, tum Legis Canonicæ id prohibentis, & tum procul dubio mortale erit. Veniale tamen erit sine causa ibi ludere, modò ludus sine scandalo, ac sine actibus indecentibus, joco vel faciendis fiat. Et nullum erit peccatum, si cum justa, rationabilique causa fiat, ac sine irreverentia, quinimo cum merito quandoque fieri poterit, uti si fiat ob recreationem infirmi ibi existentis, vel nè alioquin dormiat, aut ad solatium Militum ibi se defendentium tempore belli, vel locum sacrum tuentium, &c. quia quibus habitatio conceditur, accessoria ad habitationem etiam concessa videntur. Legantur Cajet. 22. Q. 168. Art. 4. Dub. 3. in Sum. verb. *Ludus*, Clav. Reg. sup. num. 3. Trulhench. Decal. lib. 7. cap. 27. Dub. 1. num. 2. & Diana Coordinat. (apud quem alii) tom. 6. Tract. 4. Resol. 3.

13 Sextò

13 Sextò erit illicitus ratione temporis, uti ſi multum temporis inſumatur in ludis, neceſſariis in aliis deficiendo. Et erit mortale, ſi ob ludum Miſſa omittatur, vel ſi tempori ſacro magna irreverentia fiat, uti ludere pilâ, Comœdias repræſentare, &c. in Paraſceve, quando tempus non eſt recreationis, ac lætitiæ, ſed potiùs triſtitiæ, doloris, & fletûs, his tamen ſecluſis, ludus de ſe in die feſto mortalis non erit, licèt ludus magni ſit laboris, aut tota die ludatur, modo ludus non ſit periculoſus, inhoneſtus, &c. quia labores ii ludibrici non ſunt labores ſerviles, ſed liberales, & licèt ſint præter, non tamen ſunt contra Præcepta, eo quòd, licèt finis Præcepti ſit Deo vacare, finis tamen Præcepti non cadit ſub Præceptum, ut alibi vidimus. Legatur Dicaſtill. ſup. num. 18. & Div. Thom. cit. Q. 168. ſic dicit: *Attendendum eſt, ſicut & in omnibus humanis actibus, ut congruat* (ludus) *perſonæ, tempori, & loco, &c.*

14 Septimò erit illicitus ratione nimii affectûs ad ludendum, mortale tamen peccatum non erit, niſi ratione illius nimii affectûs expreſsè, vel interpretativè præponat quis ludum Deo per contemptum ipſius, aut Legis Divinæ, vel humanæ tranſgreſſionem, id quod nunquam, aut raro continget, cùm ludens tantùm in ludendo ad ſatiandum appetitum ludendi attendat. Doctrina eſt Præceptoris Angelici cit. Q. 168. Art. 3. in corp. Audiatur.

15 *Alio modo poteſt eſſe exceſſus in ludo ſecundùm defectum debitarum circunſtantiarum, putà cùm aliqui utuntur ludo, vel temporibus, aut locis indebitis, vel etiam præter convenientiam negotii, ſeu perſonæ, & hoc quidem quandoque poteſt eſſe peccatum mortale propter vehementiam affectûs ad ludum, cujus delectatio præponit aliquis dilectionis Dei ita, quod contra Præceptum Dei, vel Eccleſiæ talibus ludis uti non refugiat, quandoque autem eſt peccatum veniale, putà ſi aliquis non tantum afficitur ad ludum, quod propter hoc velit aliquid contra Deum committere.*

16 Octavò erit illicitus, quando in ludo delectatio animalis per ſe ſolùm intenditur, & non ordinando illum, aut expreſsè, vel virtualiter in alium finem operationis honeſtæ, quia delectatio non eſt propter ſe, ſed propter operationem; erit tamen illicitus venialiter tantùm, ſicut ob delectationem guſtûs comedere. Legatur Div. Thom. ſup. Art. 4. in corp. ubi ſic legitur: *Delectatio autem, & quies non propter ſe quæritur in humana vita, ſed propter reparationem, ut dicitur in* 10. *Eth.*

17 Nono erit illicitus, ſi principaliter propter lucrum ludatur, modò media viâ injuſta, & illicita fiat, non tamen erit illicitus, adhuc venialiter, quidquid alii *apud citand. Dian.* in contrarium autument) ſi media viâ juſta, & licita fiat, uti ſi luderet ad honeſtè vivendum, ad ſuſtentandam familiam, & ſtatum, &c. (Et ſi ludens honeſtam recreationem principaliter intendat, minuſque principaliter lucrum, tunc abs dubio nullum erit peccatum, & ſi ludens non luderet, niſi ſale lucrum ſperaret, ut patet in Sacerdote, qui ſine ſtipendio Sacrum non faceret.) Legantur *a Spiritu Sancto ſup. num.* 1189. *Dicaſtill. ſup. Dub.* 4. per totum, *Lugo de Juſt. tom.* 2. *Diſp.* 31. *Sect.* 1. *à num.* 3. *ac Diana* (apud quem plures) *cit. Tract.* 4. *Reſol.* 6.

18 Decimò erit illicitus ratione modi ludendi, quando nimirum in ludo dolus, aut fraus adhibeatur, vel quis invitus ad ludendum trahatur, ſive per violentiam apertam, aut per tales ſuaſiones, preces, aut verba, quæ alio. quin rubore alium, niſi ludat, afficiunt. *Sanctus Doctor* 22. *Q.* 32. *Art.* 7. *Clavis Regia* cum aliis *num.* 3. multique alii, quorum plures adducunt *Salmant. ubi ſup. num.* 56. ibi legendi.

19 Undecimò erit illicitus ratione prohibitionis, ſolent namque aliqui ludi legibus aliquibus prohiberi, uti ſunt illi, quibus magis fortuna, quàm ars, peritia, & ſcientia dominatur, quales ſunt ludi chartarum, & taxillorum, *cartas, e dados* (ſub quorum nomine juxta *Navar. cap.* 19. & communem, omnis intelligitur, qui ex ſorte, caſu, ac fortunâ potiùs, quàm ex induſtria dependet.) *L.* 1. 3. *&* 4. *ff. aleæ uſu, ac in Authent. alearum uſus, Cod. de Aleatoribus, cap. Epiſcopus Diſt.* 15. Et in Regnis Caſtellæ, ac Lusitaniæ multæ circa ludos dantur prohibitiones, ac Leges; videant Caſtellani Leges ſuas, noſtratesque ſuas videant *lib.* 5. *Ordinat. titul.* 48. ¶ Inſuper pro Clericis eadem datur Lex, & prohibitio, *Can.* 41. *ac* 42. *Apoſtol.* & circa ludum antiqui omnes renovantur Canones *in Concil. Trident. Seſſ.* 22. *cap.* 1. *de Reformatione.*

20 Utrùm autem hæ Leges, & prohibitiones quo ad laicos obligent mortaliter, vel venialiter tantùm? Inter AA. non parva eſt diſſenſio. Alii dicunt obligare mortaliter, alii ſolùm venialiter obligare; ſed probabile eſt non mortaliter, nec venialiter obligare: (niſi adſit ſcandalum, aut alia circunſtantia peccaminoſa, & tunc erit mortale, vel veniale, ſecundùm quod circunſtantia fuerit) quia hujuſmodi Leges tam Civiles, quàm Canonicæ, quo ad laicos, etiam & Clericos, licèt ſint Beneficiati, conſuetudine ſunt abrogatæ, prout probat Sanch. in Conſil. lib. 1. P. 1. cap. 8. Dub. 25. num. 5. ac Dub. 26. num. 7. Truſhench. lib. 7. cap 27. Dub. 1. num. 3. probant & alii apud à Spiritu Sancto ſup. n. 1191. legatur Dicaſtill. ſup Diſp. 2. Dub. 1. præcipuè num. 13. Lugo à num. 10. ac Diana ſup.

Reſol.

Resol. 1. §. *Supponoſecundò*, & Resol. 7. §. *Et ideo.*

21 Diximus quo ad laicos, & Clericos dictas Leges *eſſe abrogatas*, nam quo ad Religioſos ſentimus ſuo in robore eſſe, ac præcipuè reſpectu Religionis ſtrictioris obſervantiæ, *qualis* eſt noſtra Carmelitana Excalceata, (Capucinorum, & hujuſmodi) in qua nunquam prohibitos ludos chartarum, taxillorum, &c. vidimus practicari.

Aſt ſub qua culpa ſit Religioſis chartarum, &c. ludus prohibitus? Variant DD. multi *apud Dicaſtill. ſup. Diſp. 2. num. 16.* & apud alios judicant eſſe ſub mortali prohibitos; alii apud eundem ſentiunt eos in eo non peccare mortaliter, niſi aliquis publicus ſit aleator, vel ludo prohibito plurimùm deditus, aut ſequatur ſcandalum: quia, ſecluſo ſcandalo, ratione præcisè ſtatûs perſonæ malitia nulla ſaltem lethalis ludo huic ineſſe videatur, Jure autem poſitivo non videtur præceptum ſub mortali, & ſi ſub mortali eſt, tantùm de aleatoribus publicis intelligi debet, aut de eo, qui aleis, &c. eſt nimiùm deditus. *Dicaſtill. num. 19. legatur Diana Coordinat. cit. Tract. 4. Reſol. 7.*

22 Sed non approbamus doctrinam *N. à Spiritu Sancto*, quam circa Religioſorum ludos *in ſuo Regular. Tract. 3. Diſp. 4. Sect. 5. num.* 318. affert, quatenus dicit quod, *ſi ludus ſit prohibitus vel à Jure, vel à Regula, vel à Conſtitutionibus, vel a Superiore, vel ſit ſcandaloſus, nec magnam, nec parvam licet ludere quantitatem.* Non inquam doctrinam hanc ita generatim prolatam approbamus, neque approbare poſſumus, in multis nanque doctrina fallit.

23 Fallit enim primò, quia, tametſi ludus à Jure, Regula, Conſtitutionibus, vel à Superiore prohibitus ſit, adhuc licebit parvam (licèt non magnam) ludere quantitatem, ſi ſuprà enumerati juſti tituli adſint, putà honeſtæ recreationis gratia ad animum refocillandum, &c. prout ipſemet Auctor num. 317. (in hoc ſibi contrarius) fatetur, quatenus ibi aiebat: *Nam ſicut filiusfamilias habet authoritatem ludendi in modica quantitate, juxta facultates patris, ita Religioſi, quando inveniuntur in domo parentum, vel manent extra Monaſteria de licentia Prælati; eſt enim tunc ludus actus honeſtus*, ſi enim *tunc ludus eſt actus honeſtus*, (qui jam reſpectu Religioſorum eſt à Jure, &c. prohibitus) quomodo infra ait quòd, ſi ſit à Jure, &c. prohibitus, *non magnam, nec parvam licet ludere quantitatem?* Et ſi in parentum domibus, ac extra Monaſterium alibi, ubi ludus cum ſecularibus, & coram illis eſt, ac eſſe debet, licitus dicitur, cur non intra Monaſterium? Ipſe, vel alius pro ipſo videbit. Et

24 Iterum fallit: nam, licèt, ſi ex ludo ſequatur ſcandalum, non magnam, nec parvam quantitatem ludere liceat, eo tamen ſecluſo, ludere licebit, ſive à Regula, & Conſtitutionibus ludus prohibitus extet, (contemptu ſemoto) dummodo prohibitio ad culpam non obliget, ſed ſit purè, ac mere pœnalis. Unde, cùm in Regula noſtra talis prohibitio non extet, & Lex, vel Conſtitutio noſtra (quæ 4. P. cap. 4. §. 1. num. 1. id prohibet) ſit tantùm pœnalis, nonque ſubditos in conſcientia obliget, ſed tantùm ad pœnam, poſt ſententiam, aut Superioris juſſu, & non antea obliget, clarè, ac evidenter ſit inde quòd, ſi & Religioſus noſter ad taxillos, & aleos ludat, non peccabit mortaliter, imò neque venialiter, quantum eſt præcisè ex vi Regulæ, cùm hæc id non prohibeat, ac ex vi etiam Conſtitutionis, cùm hæc ſit purè pœnalis. Quo ad id, quod attinet ex Jure communi, conſtat ex dictis, quid ſit tenendum. ¶ Si autem ſcire velis, quam quantitatem Religioſus ludere valeat in caſu, quo ei ſit licitus ludus? Vide *a Spiritu Sancto ſup. num. 320. Silmant. ſup. Tract. 13. cap. 6. P. 8. num. 94.* nos verò dicimus quòd omne id, quod, quidquid ipſe licitè poteſt liberaliter dare, quod quid ſit, jam vidimus alibi.

25 Rogabis an ludere preces Sacras, putà Salutationem Angelicam, Salve Regina, Pſalmos, Sacrum facere, &c. pro Animabus Purgatorii, vel ad nutum victoris quid licitum ſit, & laudabile? De hoc partem affirmativam jam dedimus alibi, pro qua modò ac etiam ſtamus, (quidquid immerito aliqui dicant apud Lugonem num. 5. apud à Spiritu Sancto n. 128. apud Dianam Coordinat. tom. 6. Tract. 4. Reſol. 4. & tom. 5. Tract. 7. Reſol. 16. §. *Eminentiſſimus dominus*, ac tom. 7. Tract. 3 §. *Aſſerui enim*) ſtat & Sanch. in Opuſc. tom. 1. lib. 1. cap 8. Dub. 24. num. 25. cum eo, & aliis Diana ſup. id

Quod hac unica, ſed ſolida, ac efficaci ratione probatur: quia hoc quotidie, vel ſæpe ſæpiùs ſæpiſſimè apud Sanctiſſimas Religiones videmus in praxi ſervatum, & obſervari; hoc enim modo ludendi Magiſtri, ac Prælati noſtri (& etiam aliarum Religionum) pro Novitiis, ac Profeſſis, & Scholaſticis obtervant, ac quandoque etiam Conventuales ætate longævi, Parentis Auguſtini memoriâ illud retinentes: *Decet ſapientem interdum remittere aciem rebus agendis intentam*, ut ſic ipſi naturam divertant, & iterum eorum quilibet hilaris, fortior, atque viribus robuſtior ad proprios labores, tum ſpirituales, tum literarios redeat.

26 Cæterùm in dictis ludis tria hæc obſervari neceſſariò debent. Primum, quòd ludus non ſit prohibitus, neque illicitus. ¶ Secundum,

cundum, nè propter præsentiam ludi, & levamen periculum sit defectû, reverentiæ debitæ in oratione solvenda, dum propter reditum ad ludum mente omnino distracta, & festinanter oratio quasi ludrica habeatur, & recitetur. ¶ Tertium, ut utrinque solvenda sit oratio, nam si ex una parte ponerentur preces, & ex alia temporale pretium, procul dubio Simoniæ periculum esset, quatenus spirituale opponitur temporali in oneroso contractu, & hoc periculum omnino cessat, si utrinque purè spirituale ponatur, atque solvatur; commutare nanque spirituale pro spirituali nullibi prohibitum extat, nisi humano Jure materiis aliquibus, putà in Beneficiis, quare, ait Lugo, nec etiam si ludentes se civiliter obligent, Simonia intervenit.

LECTIO III.

Quanam conditiones requirantur ad ludum, ut licitus sit, ac ex eo restitutionis obligatio non oriatur?

27 CONditiones tres, vel quatuor ad ludi justitiam assignari solent, & est prima, ut colluſores administrationem liberam habeant rerum earum, quas ludo exponunt, aliena nanque res, aut quæ alienari non valet, nullo modo exponi potest, nec debet; cùm generalis regula sit ab eo aliquem lucrari non posse, qui liberam rerum administrationem non habet; unde, si ludens propriam pecuniam non habeat, quam colluſori fortè vincenti solvere nequeat, non init contractum æqualem dum vincere voluit, & perdere non potuit.

28 Secunda conditio est, ut alter alterum ad ludum non inciter, & trahat dolo, fraude, minis, convitiis, importunis precibus, si istæ tales sint, ut mallet ipse rem suam periclitari, quàm tantis molestiis affici; tales vel sint, ut eis resistere non valeat sine nota quòd sit nimis durus, inurbanus, agrestis, &c. Sed circa hanc conditionem, quæ ex se libertatem exposulat, prout à coactione, & dolo distinguitur, vide quæ de Contractibus in communi dedimus Lectione secunda, ubi de Metu, & Dolo, an irritent contractum, &c. egimus, nam ea, quæ ibi de Contractibus aliis exarata manent, ad ludum applicari valent, ac debent.

29 Conditio tertia est, ut colluſores non utantur fraudibus contra ludi leges, alioquin tenerentur, tam ad restitutionem rei à colluſore deperditæ, quàm alterius rei, quam colluſor victus lucraturus esset, si dictæ fraudes non adhiberentur. Si tamen non esset certum quod qui perdidit rem aliam victoris lucraturus erat, tunc non tenebitur victor, dictis fraudibus utens, nisi ad restitutionem rei, quam ipse fraudibus vicit, nam in dubio melior est possidentis conditio, ut vidimus alibi. Legatur *Less. lib. 2. cap. 26. Dub. 2.*

30 Diximus contra ludi leges, nanque in ludo aliæ sunt fraudes injustæ, & illicitæ, aliæ licitæ, ac permissæ, & quæ secundùm leges illius ludi communiter permittuntur; unde, si aliquid his permissis in ludo fraudibus acquiratur, obnoxium restitutioni non extat, nam in hoc ludentes tacitè consentiunt, id quod verum esse dicitur, tametsi leges eas adversarius ignoret, quia contractus ludi (sicut & alii) juxta leges loci, in quo luditur, fieri censetur. In dubio tamen peritorum in arte judicio semper erit standum. Legantur *Molina sup. num. 33. à Spiritu Sancto sup. n. 1202. ac Salmant. Tract. 14. cap. 4. num. 48.*

31 Quarta conditio est, ut inter ludentes servetur æqualitas, vel æquaitas in ludo servetur, tam in lucro, quàm in jactura, quod intelligitur respectu unius ludi, vel jactus, putà si Petrus habeat 10 & Paulus 4. aureos, non poterit Paulus in uno ludo, vel jactu decem à Petro lucrari, sed tantùm aureos quatuor: nemo enim per se loquendo lucrari potest plus, quàm colluſor ab eo lucrari valet, quia conditio utriûtque debet esse æqualis; quapropter, cùm alter una vice, uno jactu, vel una manu capitale exponit, si perdit, standum est capitali minori alterius, quia plus, quàm sit ejus capitale, lucrari non valet, nisi in casu, quo neutri constet cujus maius sit capitale, tenque fortunæ commutant, tunc enim sive capitalia æqualia sint, aut non, totum capitale lucratur. Et ita cum aliis *à Spiritu Sancto sup. num. 1211.* legatur ac etiam *Diana cit. tom. 6. Tract. 4. Resol. 21.* apud quem probabiliter asseritur quòd ille, qui habet minus, lucrari plus potest, quàm habet.

32 Dictum est; *cum alter una vice, uno jactu, vel una manu*: nam pro diversis vicibus, jactibus, vel manibus abs dubio plus lucrari valet, & sic, licèt habens tantùm quatuor non possit in prima manu lucrari nisi quatuor, his tamen lucratis jam ex suo octo habet, unde jam in secunda manu octo lucrari poterit, & sic deinceps. Item in prima manu qui quatuor duntaxat habet, plusquam habet, lucrari valet, si non solùm cum uno, sed cum pluribus ludat, à quolibet enim tunc tantum, quantum habet, lucrari valet, putà si quatuor habet, & cum decem ludatur, poterit ab eorum quolibet in prima manu quatuor lucrari, & sic deinceps, secundùm quod habet. Item lucrari potest plus, quàm de præsenti habet, si pecuniâ credita ludat cum altero, qui ad statim solvendum

dum de promptu pecuniam habet, dummodo id ille sciat, suoque juri cedat. Circa hæc videndus est *Azor* 3. *P. lib.* 5. *cap.* 25. *Q.* 4. *Molina Disp.* 519. *Bonac. Disp.* 2. *Q.* 3. *P.* 2. *Sanch. in Consil. lib.* 1. *cap.* 19. *Dub.* 18. *& à Spiritu Sancto sup. num.* 1213.

SUBLECTIO I.

Ex conditione prima inferuntur aliqua.

33 EX conditionibus præfatis aliquos ultra dinumeratos casus deducere, inferre vel placet. Ex prima conditione ergo deducitur, vel infertur primò quòd qui cum fure, usurario, aut depositario ludit, si lucretur ab illis rem, cujus ad ipsos dominium non pertinet, (uti est res usu non consumptibilis) nec à rei domino facultatem ita alienandi illam habet, statim illam vero domino reddere tenetur ubi primùm scit alienam esse, vel rescindere contractum, rem furi reddendo, ut pretium suum lucratum recipiat, & fur ei de evectione tenebitur juxta dicta de Restitutione.

34 Si vero furis, usurarii, &c. res usu consumptibilis erat, ut pecunia, &c. furque, &c. bona alia habeat, unde restituat, bene, ac licitè potest collusor victor illam sibi retinere, quia de rebus usu consumptibilibus facienda non est restitutio in numero, sed in specie. Et etiam fur lucratum quæstum sibi retinere valebit, eo quòd exponendo talem rem ludo, eam sibi applicavit, suam aliam in ejus locum subrogando; & hoc etiam in casu, quo pecunia dicta cum furis pecunia permista non fuerit. ¶ Sed, si fur non habeat unde tantundem domino restituat, tunc distinguendum, vel collusor victor id ignorabat, aut non; si hoc secundum, contractus fuit nullus; si primum illud, fuit validus, sicque veritate cognita, res vero domino est reddenda ratione rei acceptæ, quia adhuc sub ejus dominio est, & fur de evectione tenetur; sed hoc in casu, quo possessor non habet necesse reddere ipsi furi, ut se indemnem conservet, ab eoque recipiat saltem obligationem reddendi sibi æquivalentem rem postea; quæ omnia constant ex dictis de Restit. & de quibus legi poterunt Lugo sup. à num. 13. vers. *primò ergo infertur* ad 17. Bonac. P. 2. Molina Disp. 518 ac Diana sup. Tract. 4. Resol. 26.

35 Quòd si fur, usurarius, & hujusmodi, pecuniâ, furto, vel usurâ acquisita pecunias alias, res vel alias emisset, vel dictas furatas pecunias cum aliis propriis justo titulo acquisitis, ac possessis admiscuit, tunc uterque collusor lucrum in ludo acquisitum sibi justè retinere valebit, nam istarum rerum dominium apud furem, & usurarium remanet, ideoque bene poterit illud in alium transferre, sibique illud acquirere lucrum. ¶ Imò, si fur, qui, cùm sibi pecunia in ludo deficeret, clam à collusore pecuniam surripuit, eaque postea ditatus est, totum lucrum ea pecuniâ in ludo acquisitum, sibi retinere valebit, si tempore furti habebat unde furatam pecuniam solvere posset, (secus, si non habebat, quia tunc contractus fuit nullus) sicut quando exposuit pecuniam ab alio tertio furto sublatam, quia casus non variat per hoc quòd ipsi collusori, vel alteri tertio res sit ablata *Lugo cum Sanch. num.* 18. contra alios scribentes oppositum. Legatur *Diana sup. Resol.* 25. §. Sed circa præsentem quæstionem.

36 Secundò deducitur, vel infertur quòd, si filiusfamilias pubes sit, id est, 14. annum ætatis excedens, & aliquis ab eo ludo lucretur de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, restituere non tenetur, cum filiusfamilias talium rerum usum, ac proprietatem habeat, ut constat ex alibi dictis. Est resolutio certa, & apud omnes recepta. ¶ Si tamen de bonis adventitiis lucretur, quorum administratio est apud patrem, restituere non tenetur, (nec filius id, quod ludendo amisit, in portionem cum hæredibus aliis adducere tenetur) quia dicta bona filii sunt, & non parentis, subindeque dictus contractus fuit validus. ¶ Sed excipe, nisi repetente patre compellatur victor ad solvendum per sententiam Judicis: at in hoc casu restituenda est patri administratio, & usus talium bonorum, vel tantundem pretii, quanti prudentis arbitrio dicta administratio æstimatur, patre id postulante, si enim non postulet, præsumendus est id ratum habere, & condonare. ¶ Item nec restituere tenetur, si lucretur de bonis adventitiis, quorum administratio ex commissione, vel permissione parentis, aut ex alio capite est apud filium ob eandem rationem. Molina *Disp.* 519. cum eo Dicastill. Disp. 4. Dub. 1. ac Diana sup. Resol. 16. §. *Ad hoc dubium.*

37 Tertiò quòd, si aliquis cum filiofamilias, qui extra paternam domum versatur, putà in studiis, vel Curia, ludat, & à bonis sibi à patre in sustentationem missis aliquid ludo lucretur, quod quinque, vel sex aureos non excedat ex 100. sibi pro anno missis à patre, (quod idem proportionabiliter de maiori, vel minori quantitate) licitè illud acquirere valet sine ullo restitutionis onere, sicut & filius talem quantitatem licitè ludere valet; quia illa, quæ à patre filio extra paternam domum jacenti mittuntur, non præcisè ad sustentationem, sed ad honestam recreationem, qualis est ludus honestus, censenda sunt missi. Ita *Dicastill.*

ſtill. tredecim adducens DD. *ſup. num.* 6. & cum multis aliis *Sanch. lib.* 1. *Conſil. cap.* 8. *Dub.* 7. *num.* 3. qui id ipſum aſſerit de filio, qui eſt in domo paterna, ac ibi rationabiliter providetur, quinimo cum Sarmiento aſſerit ipſe quòd ſi quis à minori ditiſſimo, dono, vel ludo 20. aureos acquirat, non peccat, nec reſtituere tenetur; & idem ait de filiofamilias, ac uxore, quibus dives pater, & vir ſolent in alimenta notabilem quantitatem concedere. Et ſi à filiis dominorum, ut Ducum, Marchionum, Comitum, aliarumque perſonarum multorum redditiuum aliquid amplius lucretur, reſtituere non tenetur, quia his amplior licentia concedi poteſt, & quantitas, quia quæ in aliis perſonis eſt magna, extat in his moderata. Legatur Auctor, ac Diana ſup. § *Tertiò.*

38 Quartò nec ſimiliter quis reſtituere tenetur, ſi a filiofamilias (& idem de uxore) aliquid moderatum lucretur contra expreſſam voluntatem patris nolentis filium ludere, quia tunc voluntas patris nolentis non eſt ad ludum claudere fores, ſed ſolùm nè nimiam quantitatem ludo exponat. *Sanch. ſup.* ¶ Imò addit quòd etiam in caſu, quo pater, & vir expreſsè contradicant ad quantitatem minimam, adhuc aliqualem quantitatem ludo exponere poſſunt; unde liquidò conſtat eum, qui à filio, vel uxore dictam quantitatem in tali ludo, etiam contra voluntatem patris, ac mariti, acquirit, reſtituere non tenetur; quia pater, & vir in tali ludo conſentire tenetur, ſin minus irrationabiliter invitus cenſetur. Legatur *Diana ſup. Reſol.* 17.

39 Quintò neque reſtituere tenetur ille, (ſicut nec filiusfamilias) qui à filiofamilias lucratur aliquid ultra eam quantitatem ſibi aſſignatam, & miſſam filio in ſtudiis, vel Curia degenti, modò filius ex eo, quod ſibi ſupereſt, decenter ſuſtentetur, & nihil amplius à patre ſuo ad ſuſtentationem iterum exigat, pro illo anno videlicet. Molina tom. 1. de Juſt. Diſp. 242. cum eo Dicaſtill. num. 7. Diana ſup. §. *tertio, quarto, & quinto.* ¶ Et illud certum, quòd lucrans à filiofamilias (ac idem de aliis, qui non ſunt ſui juris ad perdendum) quantitatem notabilem, non tenetur reſtituere totum, ſed tantùm exceſſum, nam contractus ille ſolùm quo ad exceſſum redditur nullus. *Sanch. ſup.* (contra alios) *num.* 7. legendus etiam *num.* 6.

40 Utrùm autem in caſu, quo filiusfamilias (& idem de aliis, qui alienare non poſſunt) ea quantitate deperdita, quam diximus ludo licitè conſumere poſſe, ex aliis bonis paternis, quæ alienare non valet, poſtea iterum ludat, & cum dictis bonis aliquid à colluſore lucretur, lucrum illud retinere non poſſit, ſed colluſori reſtituere teneatur? Variant DD. circa quod legatur *Molina Diſp.* 519. *Bonacina ſup. P.* 2. *ac Dicaſtill. ſup. num.* 16.

41 Sextò filiusfamilias ea ludo exponere poſſe, quæ ex ſuo labore, induſtriâ, aut ſervitio acquirit, ſive ea acquirat, dum extra patris domum eſt conſtitutus, aut dum intra domum paternam exiſtit Diana ſup. §. *Ex his infertur & ſecundo quod quando*, qui ibid. Reſol. 18. probabiliter judicat quòd filiusfamilias, qui patris pecunias ludo exponit, reſtituere non tenetur id, quod cum dictis pecuniis lucratus eſt, neque colluſorem in altero ludo compenſare ſe poſſe. Pro quo deſervit ac etiam id, quod ipſe dicit *Reſol.* 19. legatur etiam *Reſol.* 20. *ad* 22. ubi de ludis filiorumfamilias alia habet, legantur & *Salmant. Tract.* 14. *cap.* 4. *P.* 3. *num.* 54. *ac* 55.

42 Septimo quòd, ſi minor, vel pupillus ex ſuis bonis ſine Curatoris, aut Tutoris facultate aliquid ludant, validus in una ſententia extat talis contractus, minorque in conſcientiæ foro amiſſum reſtituere tenetur, & ille, qui ab eo lucratus eſt, reſtituere non tenetur in eodem foro; cujus ſententiæ ea eſt ratio: quia Leges Civiles, & Canonicæ, quæ dantur, & irritant contractus à talibus factos, ita eos irritant, ut tamen, ſi ſint onoroſi, teneatur ipſe pupillus, vel minor reddere quod accepit; & de hoc in Judicio contra minorem actio datur. *L.* 1. §. *An in pupillum, ff. depoſiti*, ac multis aliis *apud Molin. Diſp.* 224. & ideo, ſi detur aliqua Lex (prout datur) decernens translationem dominii à minore factam nullam eſſe, interpretari debet in externo foro, ac in Judicio, nullam eſſe, non vero in conſcientiæ foro, & ſecundùm Jus naturale. Legatur *Molina* ubi nuper, ac *Diſp.* 519. *Dicaſtill. ſup. num.* 31. *Diana ſup. Reſol.* 14. & 15. ac locis ibid. ad marginem.

43 Octavò quòd mancipium licitè poteſt ludo exponere, eoque inſumere bona ea, quorum vel ex conceſſione domini, vel aliunde proprium dominium habet, & ideo ille, qui hæc ab eo lucratur, ad reſtitutionem non tenetur. Eſt communis, ac per ſe nota.

44 Sed circa mancipium adverte quòd, ſi dominus ejus nihil ei præbeat, quod in honeſtam, & licitam recreationem inſumat, aut inſumere poſſit, nec aliunde ipſe ad hunc intentum aliquid habeat, tunc moderatum aliquid ex domini bonis accipere poteſt, ac id in moderata recreatione, aut ludo inſumere; habet enim jus ad moderatam aliquam recreationem ſibi aſſumendam. Dicaſtill de Juſt. lib 2. Tract. 18. Diſp. 5. Dub. 7. num. 48. & cum eo Diana ſup tom. 5. Tract. 7. Reſol. 16. §. *Notandum eſt hic*, ac tom. 7. Tract. 8. Reſol. 25.

ubi §. *Notandum est etiam* ex Dicastill. advertit quod, si mancipium propter ludum dominum proprio labore privaret, teneretur restituere illi, si haberet unde, tantum pretii, quanti ejus labor æstimaretur, quo fraudavit dominum. Et ibid. §. *Conveniunt* sex casus apponit, in quibus mancipium aliquarum rerum dominium habere valet.

45 Nono quòd uxor de bonis illis, quorum administrationem habet, imò & de illis, quorum etiam dominium ad maritum pertinet, justè, ac validè, inscio, vel etiam sciente, & invito marito, aliquid ludere potest, aut in ludo insumere, ad honestè se recreandum: nam, si hoc potest filius, ac servus, ut dictum manet, cur non uxor? Unde, si id maritus uxori suæ omnino prohibeat, non secundùm rectam rationem procedet, nec uxor dictæ prohibitioni, vel præcepto assentire tenetur, sed contra illud ob tactam rationem procedere potest. ¶ Sed adverte quòd solùm illam quantitatem possunt uxores in ludo insumere sine expressa viri licentia, aut eo renuente, quam aliæ uxores similis conditionis, tam quo ad statum, quàm quo ad facultates regulariter in recreationibus suis insumere solent; quòd si amplius in ludo insumant sine viri facultate expressa, eo vel renuente, malè faciunt, & excessum restituere tenentur. *Dicastill. a num.* 59. cum aliis *Diana sup. tom.* 6. *Tract.* 4. *Resol.* 22. *ac* 23. omnino legendus. ¶ De bonis, quorum dominium est apud uxorem, nulli est dubium eam posse illa quocunque modo distrahere, sive ludo, aut aliter.

46 Decimò quòd, si maritus aliquid ex bonis sibi, & uxori communibus ludat, (imo & si sit notabilis quantitas in una opinione, secus in alia) & ludendo deperdat, nec ipse, neque lucrans aliquid uxori restituere tenetur, si ludus, quo ipse deperdit, lucro, & amissioni sit æquè expositus. Molina Disp. 275. & 520. cum multis Dicastill. à num. 61. Diana legendus ubi nuper Resol. 24. qui ibi (cum Dicastill.) §. *Si tamen maritus*, bene notat quòd, si maritus ludo bona dotis uxoris amiserit, quæ in specie conservanda erant, illicitè procedit, quòdque uxor illa à lucrante repetere, & extrahere potest; sed si non erant in specie servanda, vir illud damnum ex propriis bonis refarcire tenetur, à possidenteque bona mariti eam recompensationem petere potest, quia dicta bona pro dote uxoris hypothecata censentur, expressèque docet *Molina Disp.* 520.

47 Undecimò restituere non tenentur illi, qui à Clericis ludo acquirunt bona patrimonialia, & per testamentum, vel donationem acquisita. ¶ Item ea, quæ habent, tanquam stipendium alicujus officii, uti si Grammaticam, &c. doceat, vel sit Advocatus, Sacrista, aut cantet, aut organa pulset, & hujusmodi. ¶ Item idem de distributionibus, quæ quotidie Clericis pro assistendo choro, Divinisque Officiis traduntur. ¶ Item idem de eleemosynis, quæ conferuntur ipsis pro Missis, pro defunctorum Officiis, ac etiam de fructibus, quos habent ex Capellaniis, vel anniversariis, aut de pensionibus ex justa causa collatis. ¶ Item idem de Ecclesiasticis bonis, quæ ex Pontificia dispensatione habent, qualia Templariorum bona. Restituere tamen tenentur quidquid ab Episcopo, vel Clerico acquirant ex immobilibus Ecclesiæ bonis, uti sunt hæreditates, oppida, &c. vel bona sustentationi pauperum, aut xenodochiis applicata, consequenterque tenentur (in nostra sententia, quam dedimus, fusèque probavimus alibi) restituere quidquid ab Episcopo, vel quocunque alio Beneficiario ex Beneficii bonis, quæ suæ decenti, & congruæ sustentationi superfluunt, ludo, vel aliter acquirunt, cùm in sententia nostra dicta superfluentia bona non Episcoporum, nec Beneficiatorum sint, sed pauperum, & piarum causarum, quidquid immeritò alii autument.

SUBLECTIO II.

Casus, qui ex conditione secunda sequuntur, deducuntur, vel inferuntur.

48 EX secunda conditione ad ludum requisita infertur, sive deducitur quòd ille, qui alterum invitum vi, convitiis, vel precibus importunis æquivalentibus trahit ad ludum, mortaliter peccat. Est communis.

49 Sed utrùm restituere teneatur omne illud, quod ludo lucratus est? Non est sententia una, sed quatuor dantur, quarum prima dicit trahentem alium ad ludum, quocunque modo eum trahat, totum lucrum ei restituere debere; sed hæc sententia ita universaliter sumpta communiter rejicitur. Legatur *Molina Disp.* 516. ¶ Secunda sententia dicit dari obligationem restituendi ex utraque parte, nimirum trahentis ad ludum, & illius, qui tractus est, si ipse lucretur, in casu, quo tractio sit violenta, aut gravi metu injusto facta, & hanc *Sanch. Dub.* 11. vocat probabilem. ¶ Tertia est huic ex diametro opposita, dicitque neutrum restituere teneri, estò cum injusta violentia trahens contra justitiam peccet. Et hæc est *Molina Disp.* 516. & aliorum, quam probabilem vocat *à Spiritu Sancto Tract.* 10. *Disp.* 24. *num.* 1209. pro ea DD. plures adducens, & addit idem dicendum esse de illis, qui postquam amiserunt pecuniam aliquam, collusores in medio ludi ad persistendum in ludo, ut ab eis iterum perditam

ditam pecuniam acquirant, cogere solent. ¶ Quarta denique (quam communiorem, ac veriorem vocat *Lugo Disp.* 31. *num.* 28.) dicit quod, licèt ille, qui cogitur, & trahitur injustè, lucrari possit, ac lucrum sibi retinere, trahentem tamen, si lucretur, tracto lucrum restituere teneri; & hanc præter Lugonem tenet *Sanch. Dub.* 9. *ac Less. cap.* 26. *Dub.* 2. Sed est omnino legendus *Diana cit. Tract.* 4. *Resol.* 43. & 44. ac locis ibi ad marg. & etiam *Salmant. ubi sup. num.* 56. *ac* 57.

Quo ad tertiam conditionem.

50 EX conditione tertia (nimirum, quòd non adsint contra ludi leges fraudes) infertur, deducitur, vel sequitur primò quòd ille, qui potiores in ludo chartas habet, jamque securus est de victoria, sponsionem (id est, *envidar*) adhuc augere potest, ut plus lucretur. ¶ Imò & etiam si inferiores chartas habeat, certòque sciat pro competitore suo stare victoriam, sponsionem augere valet, ut alter timeat, ac tenere recuset. ¶ Similiter etiam qui meliores habet chartas, simulare formidinem potest, ut sic adversarius sponsionem augeat. ¶ Item tacere valet, licèt videat adversarium plures sibi, quàm debet assumere chartas, ob quem excessum postea perdere debeat. ¶ Item si adversarium errare videat in punctis dinumerandis, vel in locum primum accipiendo, non tenetur eum monere, nec etiam, si vincat, ad restitutionem tenetur, modò ipse ad illum non concurrat errorem; quod idem erit dicendum, si casu chartas adversarii videat, vel etiam ex negligentia illius, & propter hoc lucratus sit: *á Spiritu Sancto num.* 1003. *Lugo num.* 34. *ac Sanch. in Consil. lib.* 1. *cap.* 8. *Dub.* 12. legendus, qui plures alios DD. aliosque plures casus adducit.

51 Secundò deducitur, vel sequitur quòd, si quis designet chartas notis aliquibus à se cognitis, & aliis colludentibus occultis, veluti si illas à tergo cognoscat, aut si eas suffuretur, vel arte quadam eas componat, ut non casu, sed ex certa quadam dispositione meliores, aut validiores sibi contingant, vel arte quadam eas disponat, ut eas videre queat, aut habeat alium alterius ludum videntem, qui ipsum moneat, & hujusmodi, restituere tenetur, non solùm id, quod hujusmodi fraudibus fuit lucratus, sed etiam quantum fuerit compertum impedivisse, nè lucraretur alius; quia totius hujus damni iniqua, ac injusta fuit causa. Cum multis *Dicastill. sup. Disp.* 5. *num.* 29. *Sanch. sup. num.* 10. *Diana legendus sup. Resol.* 46. *ad* 60. *& locis ibid. ad marginem, Villalob. in Sum. tom.* 2. *Tract.* 2. *Diffic.* 4. *n.* 6. *Salmant. sup. n.* 58. *ac* 59.

52 Notat tamen *Sanch. cit. in num.* & bene, quòd, si quis chartas non signet, sed colludentes ambo sint pares, vel fere pares industriâ facili cognoscendi chartas, aut chartæ nimis usu ita sint signatæ, ut ab utroque cognoscantur de facili, nulla tunc est restitutionis obligatio, quia ex utraque parte æqualitas adest, nisi eorum alter prius, quam alius noverit chartas, nam talis tunc lucrando restituere tenebitur, cùm alium notabiliter excedat. Idem, quod tenet *Villalob. sup.* & cum eo *Diana cit. Resol.* 46. qui ibid. id ipsum ait (id est, restituere teneri) de eo, qui chartas furatur, taxillis vel utitur fallis, aut uno casu transvertere alium, &c.

53 Tertio quòd tenetur restituere ille, (sicut & monens) qui auctionem, sive sponsionem (vulgò *envite, seu envido*) à collusore altero factam acceptavit, eo quòd ab aliquo alio tertio utriúsque colludentis inspectore chartarum admonitus fuit ut acceptaret, sed hoc in casu, quo decreverat non acceptare, antequam moneretur ab altero. Ratio est: quia utitur admonentis fraude, & tale lucrum suum non faceret, si non admonitus fuisset. Si verò, antequam moneretur ab altero, acceptare decreverat, ad nihil tenetur. ¶ Quòd si ante admonitionem dubius erat an acceptaret, vel non, & per admonitionem ad acceptandum se determinavit, tenebitur equidem ad restitutionem, non tamen totius lucri, sed partis prudentis arbitrio determinandæ, quia fieri poterat ut adhuc acceptaret, sicut fieri poterat ut non acceptaret. *Molina Disp.* 517. cum aliis, *Dicastill. num.* 32. Legatur *Sanch. sup. Dub.* 17. *& Diana sup. Resol.* 49. *qui ibid. Resol.* 48. ad quæsitum, an quando socii contra socios alios ludunt, socius socium de suis chartis monere queat sine restitutionis onere? Respondet in hoc standum esse ludi illius particularibus legibus. Legatur.

54 Quartò quòd quando alter minus, quàm perdiderat, solvit, & minus, quàm in sponsione erat, ex negligentia lucrantis, restituere tenetur, quia in pecunia fallacia esse non debet. Et hæc est lex in ludo recepta. *Sanch. sup. num.* 12. ¶ Item si judex ludi, bona etiam fide procedens, contra veritatem judicet, tenetur restituere quæstum, quem lucratus est, rei veritate detecta. *Dicastill. num.* 28. *ac Sanch. num.* 13. ¶ Item ipsum, si ludens plura in se puncta dinumeret, & pauciora in adversario, prout ex se, ac ex dictis constat. ¶ Item si defraudet numerando pecuniam amissam, & debitam. ¶ Si locum primum ex industria præoccupet, quando non ad se, sed ad suum adversarium attinebat, multumque ad ludi eventum conducens erat. ¶ Item si dicit, ac fingit se habere chartas, quas non habet, veluti proji-

projiciendo chartas in mensam, & dicendo: Victor existo, (vulgò *tenho ganhado*) & adversario credente, nonque de dolo, ac fallacia curante. ¶ Item si fingat se de ludo parum scire, cùm bene sciat, ab alioque petit aliqua sibi puncta præberi. ¶ Item si lex ludi sit, ut socii ad invicem signa non faciant circa à se habitas chartas, nè ad invicem sciant qualiter se gerere debeant, secus autem, si circa hoc ludi lex nulla detur. Legantur *Lugo sup. num.* 35. *Sanch. & Dicastill. sup. ac Diana cit. in locis.*

55 Quintò, (id quod ex dictis jam constat) si lusores totum suum restans in una manu exponant, quorum unum est altero maius, tunc integrum alterius restum lucrari non valet, sed solum tantum, quantum restans suum erat, aliàs contractus inæqualis esset; sed excipitur casus, quo ambo se fortunæ committant, suaque restantia, sive maiora, aut minora fortunæ exponant, neutri constando quale sit restans cujuslibet maius, quia tunc contractus est utrinque æqualis, & uterque periculo lucri, ac jacturæ exponitur. Cum aliis *Sanch. num.* 18. plures & alii.

56 Sextò item, si tantundem perdas cum eo, cui ob fraudes in ludo 100. restituere debebas, restituere 200. teneris, 100. quidem ob fraudes exercitas, ac iterum 100. ob justitiam ludi alterius. Et hoc, licèt perdat in eodem ludo. (Si enim altera die, vel in alio ludo perdas, aut cum alio tertio ludendo, non est dubium ad novam restitutionem teneri.) Et hujus ea ratio datur: nam, si inter ludendum clam accepisses ab eo aliquam pecuniæ partem, quam postea ipse lucraretur, à restituendi obligatione non liberareris ob furtum præcedens; idem ergo in allato casu dicendum esse videtur, quia quod per fraudem abstulisti, re vera furatus es, & restitui debet, nec unica solutione duplici diverso debito satisfieri debet. *Lugo num.* 39. *Sanch. Dub.* 19. probabile contrarium sentiens, & Armilla verb. *Ludus*, num. 7.

57 Septimò quòd ille, qui ludit animo non solvendi, si perdat, vel animo repetendi postea solutum, ac utendi beneficio Legis restitutionem concedentis, si lucretur, lucrum retinere non valet, eo quòd hîc non servatur æqualitas, cùm hic exponatur lucro, & non perdendi periculo, cùm deficiat animus solvendi pecuniam deperditam, & de ratione contractûs est ut in eo servetur æqualitas. Ita in sententia *Lessii cap.* 26. *num.* 31. *Ludovici Lopes, ac Victoriæ apud Sanch. Dub.* 5. ubi id probabile sentit. Legatur *Diana sup. Resol.* 35.

Cæterùm in sententia contraria contrarium resolvitur, & dicitur talem lucrum retinere, nonque restituere posse; ex eo, quia talis utitur beneficio Legis sibi id concedentis, nè scilicet solvere teneatur; & alter sibi imputet, cùm cum eo ludere velit, qui beneficio Legis potest non solvere, ac etiam solutum repetere. Neque in hoc contractu æqualitas deest, nam etiam hoc Legis beneficio alter uti valet, nonque, si perdiderit, solvere, & si solvat, solutum repetere. Sanch. legendus num. 3. Lugo num 58. legatur etiam Moya tom. 2 ad Tract. 6. Miscellan. Disp. 2. Q. 3. ac Diana nuper §. *Sed mihi.*

Quo ad conditionem quartam.

58 EX quarta conditione sequitur, sive deducitur (præter dicta) quòd, si ludentium unus alterum peritiâ, & dexteritate ludendi excedit, quandoque licebit ei aliquando non aliquid à minus perito lucrari; licebit utique, si unus, & alter ignarus sit peritiæ, ac imperitiæ alterius, quoulque de excessu constet; uterque tunc enim æquali periculo, & æquali fortunæ exponitur. ¶ Item licebit, si uterque sit ignarus, & certus de peritia, ac imperitia alterius, quia ex parte ejus, qui exceditur, aliqua condonatio adesse censetur, cùm certus omnino de scientia, & dexteritate alterius adhuc ludere velit; ac etiam, quia scienti, & volenti nulla fit injuria, sibique quod amiserit imputare debet. Ita statim citandi.

59 Non tamen licebit, sed erit restitutionis obligatio primò, si notabiliter alium in scientia, arte, & dexteritate ludendi excedens, ipse solus certò sciat hunc talem excessum, alter verò nesciat, quia tunc in dicto casu æqualitas deficit. ¶ Secundò restituere tenebitur, quando in dicto casu ambo sunt ignari peritiæ alterius, si qui peritus est, adeò peritus sit, ut vix sit aliquis, quem non excedat, quia etiam tunc moraliter scit excessurum se alium. ¶ Tertiò quando quis se ludi fingit ignarum, manifestumque suum excessum collusori occultat, etiam tunc lucrum restituere tenetur. ¶ In casu tamen, quo neuter alterius peritiam gnorit, (in quo dictum est restituendi non adesse obligationem) si in medio ludi, vel inter ludendum cognoscatur excessus, sive à solo peritiore, aut etiam ab adversario suo, tunc ille, qui peritior est, non tenetur à ludo desistere; quia tunc absque ulla fictione, fraude, vel dolo procedit. ¶ Utrùm autem, quando magis peritus positivè non fingit, nec decipit, sed adversarius à se ipso deceptus, quia ejus peritiam, ac dexteritatem non satis novit, ludit, lucrum restituere debeat? Utrinque probabiliter variant DD. tu circa dicta lege *Dicastill. Disp.* 5. *Dub.* 1. per totum, *Azor* 3. *P. lib.* 5. *cap.* 25. *Q.* 4. *Sanch. sup. Dub.* 13. *à Spiritu Sancto sup. num.* 1215. *Molina Disp.* 517. *Less. lib.* 2. *cap.* 27.

Dub.

Dub. 5. & omnino *Diana sup. Resol.* 36. *ad* 38.

LECTIO IV.

Circa Ludum excitantur, & resolvuntur aliqui alii casus.

60 ROgabis ergo primò an acquisitum ludo prohibito restitutioni sit obnoxium, quando extra Judicium exigitur? Dicitur restituendi obligationem non esse ante sententiam Judicis; cum multis *Salmani. legendi sup. cap.* 4. *P.* 3. *num.* 60. & 61. *à Spiritu Sancto sup. Sect.* 8. aliique plures, ac est hæc sententia communior, & probabilior. Et est etiam omnino legendus *Diana dicto Tract.* 4. *Resol.* 27. *ad* 31. Et hinc

61 Resolves primò non debere restitui lucrum acquisitum, estò extra Judicium repetatur; imò & si in Judicio petatur, antequam Judicis condemnatio adsit. ¶ Secundo dictam obligationem non dari, licèt victor impediat (excipitur, nisi per vim, dolum, vel fraudem id fecerit) ne Judex eum ad restitutionem obliget, vel nè contra eum sententiam ferat; quia utitur jure suo, curando, nè condemnetur. ¶ Tertiò quòd neque etiam restituere victor tenetur, si interrogatus à Judice etiam juridicè, justè, vel injustè veritatem neget, pro quo legatur *Lugo num.* 62. *Sanch. Dub.* 2. & præcipuè *Diana ubi sup. Resol.* 29.

62 Quartò qui amisit aliquid prohibito ludo, illud in Judicio repetere potest intra tempus sibi à Lege permissum, licèt his Legibus (juramento secluso) renuntiaverit, quia dicta Lex statuta est in favorem boni communis, cui particularis renuntiare non valet, ut tenet communis; sed doctrina hæc in Lusitania locum non habet, ubi Lex victo repetendi facultatem non præbet, sed solùm præcipit condemnationem Fisco, & accusanti faciendam esse. Legatur *Ordinat. lib.* 5. *tit.* 82.

63 Dictum est, juramento secluso, nam si non solùm simpliciter promisit, sed juravit solvere, vel restitutionem non petere, tunc juramento stare debebit, obligat enim juxta *Molinam Disp.* 515. *Less. sup. num.* 26. ¶ Utrùm autem jurans dicti juramenti relaxationem petere possit? Negant non pauci cum *Lugone num.* 66. affirmant & quamplures *apud Salas de Contractu Ludi Dub.* 3. subnectens virtute etiam Bullæ, ac Privilegiorum Mendicantium commutari posse, quia nulli parti fit injuria, si amissum non solvatur, vel solutum in Judicio repetatur. ¶ Imò quod plus est *Vasques legendus Opusc. de Testam. cap.* 3. *num.* 40. asserit hujusmodi juramentum relaxatione non indigere, tenet & etiam cum *Covar. Rebel.* 2. *P. lib.* 12. *Q.* 2.

64 Quintò quòd quando oppignerata fide, seu ad creditum luditur, lucrum a lucrante, sive victore retineri valet, si ei à victo solvatur (contrarium est probabile *apud Salas Disp.* 26. & apud alios.) Et hoc loquendo etiam quo ad Legem promissionem irritantem, (uti Lex Hispana) & est ratio: quia, licèt Leges promissionem irritaverint, & ab obligatione solvendi victum liberaverint, nunquam tamen dominii translationem irritarunt, si lucretur, nec hoc (ut ait *Lugo num.* 67.) expediebat, quia nobiles, ut fidem datam, honoremque suum ab omni nota liberarent, adhuc solverent, & lucrantes acciperent, nec Lex talis deserviret, nisi ad subditorum conscientias illaqueandas; quæ doctrina locum habere dicitur, etiam si solvens ignoret se ad solvendum obligatum non esse, quia semper ad hoc ut victus solvat, titulus manet, nimirum, ut liberet fidem humanam à se datam, & nè in verbis, promissionibusque suis inconstans, vel infidelis reputetur. Legatur *Lugo, Sanch. Dub.* 4. *Salmant. num.* 62. *ac* 63. & omnino *Diana sup. Resol.* 32. *ad* 34.

65 Sextò quòd locis in illis, in quibus Lex victo coram Judice repetitionem concedit, *ibi* victus sibi occultè compensare nequit de re ludo prohibito perdita, nec ad alterum ante Judicis sententiam ad restitutionem obligare, quia prædictæ Leges solùm præcipiunt restitutionem post sententiam Judicis in pœnam, & nemo nisi post sententiam pœnam solvere tenetur. ¶ Licitè tamen victus uti compensatione poterit, si per vim, fraudem, aut dolum aliquid ab eo fuerit lucratum. Et etiam si Judex injustè repetitionem negaret, posset victus, non quidem à victore, sed à Judice per compensationem sibi damnum illud injustè illatum refarcire. Item poterit victus cum victore pacisci, ut lucri sibi partem reddat, nè repetitionem integram apud Judicem petat. Sed hoc locum non habere dicitur, quando victus verè habebat animum non repetendi in Judicio. *Lugo Sect.* 5. per totam. Cum multis *à Spiritu Sancto Sect* 7. *num.* 1227. *Dicastill. Disp.* 3. *Dub.* 2. *num.* 6. & 16. *legatur Diana sup. Resol.* 30. *ac* 31. *legatur Lugo tit. in loco*, ubi ex Angles dicit probabile esse quòd victus compensatione occulta uti valet ad recuperandum quod amisit, & solvit. Et circa in hoc num. dicta legantur etiam *Salmant. num.* 61.

66 Rogabis primò an prohibito ludo ludentes solvere teneantur? Interrogatio hæc omnes Legibus prohibitos ludos comprehendit, sive sint pecuniâ præsenti, vulgò *de contado*, aut pecuniâ credita, vulgò *de fiado*. Et circa

eam

cum (quæ jam ferè constat ex dictis) duplex est sententia, negativa una, affirmativa & alia; de quo videri poterunt *Salmant. sup. à num.* 60. *Sanch. de Matrim. Disp.* 38. *à num.* 34. *lib.* 9. *Molina tom.* 2. *de Just. Tract.* 2. *Disp.* 512. 513. *ac* 515. (ubi notat Leges omnes ludum prohibentes abrogatas esse, solùmque in externo foro obligationem inducere, & docet Diana sup. Resol. 1. §. *Supponoſecundo*) Less. lib. 2. cap. 26 Lugo Disp. 22. num. 300. Dicastill. Disp. 3. Dub. 3. Diana sup. Resol. 7. & à Spiritu Sancto sup. Sect. 7. per totam.

67 Secundò rogabis an tenentes domum ad ludum expositam peccent mortaliter? Negant uni, affirmant & alii, dicentes subministrantes domum, mensam, aleas, & chartas indifferenter omnibus ad ludendum prohibitis ludis peccare mortaliter, neque Principes ad id licentiam concedere posse, nec id permittere; quam sententiam cum *Sanch. Trullench.* & aliis tenet *Diana* legendus *sup. Resol.* 1. *ac* 2. ¶ Qui ibid. *Resol.* 5. cum aliis resolvit mortale non esse quantitatem magnam perdere ludo; sed excipit, quando id fit cum detrimento notabili filiorum, & uxoris, ac eorum, quos sustentare tenetur, aut quibus solvere debet, sic ab illis debita subtrahendo alimenta, & sic ad debita solvenda se impotentem faciens. Et *similiter*, addit, *erit mortale, quando quis est causa propter ludum, ut exponantur filiæ, vel uxor periculo amittendi pudorem, aut in usu habet admiscere fraudes in ludo, vel pejerare, aut blasphemare, dum male cedit alea, vel odio prosequi, & injuriis afficere lucrantem. Unde hujusmodi non sunt absolvendi donec desistant.* Hæc ipse ibi, quem videre etiam debes ibid. Resol. 58. ¶ Si scire velis an justum sit hoc pactum, nimirum ludit quis pro se, & pro alio, sicque cum eo, cujus vice ludit, paciscitur, ut si perdiderit, solvat ipse dimidium, si vero lucratus sit, portet tantùm tertiam lucri partem. ¶ Apud quem etiam Resol. 59. quæstionem illam decisam reperies, in qua quæritur an, si tantum perdas cum aliquo, quantum illi ob fraudes restituere debebas, (putà centum) debitum compensare possis, & ab illa restitutione liberari?

LECTIO V.

De Voto non ludendi, qualiter scilicet quis voto à se facto de non ludendo maneat obligatus?

68 Licèt ad id, quod in titulo Lectionis illius jam ex à nobis traditis *in* 3. *P. Tract.* 17. *cap.* 2. *de Voto Lect.* 5. satis constare possit, placet hîc de eo aliquid ponere; & suppositis iis, quæ ibi (*in Sublect.* præcipuè *à num.* 73. quæ omnino recoli debent) sunt exarata.

69 Dicitur, & resolvitur primò quòd, si votum non ludendi (id quod dictum fuerit de voto, de juramento etiam intelligendum venit) sit de non ludendo ludo periculoso, immoderato, vel pecuniâ immoderata, procul dubio obligat, quia prout sic est de re licita, & honesta, subindeque Deo grata; id quod satis ad Votum. Communis.

70 Secundò dicitur quòd, si votum sit de non ludendo absolutè, prout ludum tam illicitum, quàm licitum, & honestum comprehendit, qui est objectum *virtutis Eutrapeliæ*, tale votum nullum, & irritum it, nulloque modo obligat. Et est ratio: quia ludus moderatus, & recreationis causâ, ac ex quo non nascitur blasphemiarum, juramentorum, rixarum, & hujusmodi periculum, Eutrapeliæ virtutis extat objectum, ac per consequens valde rationi conformis, & in aliqua occasione est sub consilio, ac sub præcepto, ut adnotavit *Suar. tom.* 2. *Relig. Tract.* 6. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 13. votum ergo de abstinendo ab eo esset contra bonos mores, ac virtutis actus: nullum ergo, & irritum erit. Tum sic; sed qui votum emisit de non ludendo absolutè, vel de ab omni ludo abstinendo ludum comprehendit honestum, & qui virtutis est actus: votum ergo absolutum de non ludendo nullum, invalidum, ac irritum extat. Et

71 Confirmatur: (per quod quædam evacuatur evasio) quia, licèt abstinentia à ludo, prout delectationem sensibilem causat, ac prout sic est mortificatio, materia sit voti, eo quòd magis Deo placet quòd quis mortificetur hujusmodi recreationibus, & delectationibus licitis, sive non illicitis, tamen non magis Deo placere videtur abstinentia hujusmodi, quatenus Eutrapeliæ virtutis materia est necessaria, id quod exemplo patet: nam, sicut moderatus cibus est temperantiæ necessaria materia, & prout sic materia voti, multum enim Deo placet quòd homo sit in cibando moderatus, ac parcus, si tamen homo votum de nunquam cibum sumendo emitteret, vel de nullo utendo cibo, tale votum esset nullum, & irritum; quia omnimoda abstinentia ciborum Deo non placet, sed displicet: pariter ergo omnimoda ludorum abstinentia non videtur Deo placere. Et ob hanc rationem egregiè *Magister Angelicus* 22. *Q.* 168. *Art.* 4. *in corp.* (legendus & etiam *in* 4. *Sent. Dist.* 16. *Q.* 4. *Art.* 2. *Quæst.* 1. *in corp.*) inquit quòd defectus in ludo est vitiosus. *Est autem* (ait) *contra rationem, ut aliquis aliis se onerosum exhibeat, putà dum nihil delectabile exhibet, & etiam eorum delectationes impedit. Unde Seneca dicit: Sic te geras sapienter, quòd nullus te habeat tanquam asperum, nec contemnat quasi vilem. Illi autem, qui in ludo*

defi-

deficiunt, nec ipsi dicunt aliquid ridiculum, & dicentibus molesti sunt, quia scilicet moderatos aliorum ludos non recipiunt, & ideo tales vitiosi sunt, & dicuntur duri, & agrestes, ut Philosoph. dicit in 4. Eth. hæc, & alia ibi ad rem Angelicus Doctor. Votum autem non est de vitio, & sic ille, qui absolutè vovet nullo ludo usurum, non tenetur voto, & si postea ludo illicito ludat, quia materia voti non fuit ludus aliquis in particulari, sed omnis omnino ludus, quæ materia ut sic est vitiosa, & mala, malum nanque *ex quocunque defectu.* Sic tenent Emman. Rodrig. tom. 1. (& in 2. editione) cap. 189. num. 10. Basseus tom 2. verb. *Ludus,* Villalob. tom. 2. Tract. 34. Diffic. 2. num. 2. Thom Hurtad. de Possessore malæ fidei, Tract. 8. Resol. 79 Navar. & Dicastill. apud Dianam legendum sup. Resol. 63. ¶ Aliter in hoc casu discurrunt Salmant. omnino legendi (quod nobis non displicet) Tract. 17. cap. 2. à num. 95.

72 Rogabis unde in voto, vel juramento non ludendi gravitas, vel levitas materiæ desumatur? Dicitur desumi debere ex fine, sub quo emissum fuit juramentum, vel votum ita, ut si materia, vel finis sit gravis, gravis etiam sit ejus transgressio, & levis, si levis. Unde fit quòd, si vovens habeat pro fine privare se delectatione ludi in satisfactionem peccatorum suorum, vel ut mens ad Divinas, & spirituales res exercendas aptior, ac expeditior reddatur, erit mortale peccatum per multum tempus in ludo se detinere, & hoc, licèt sit parva, vel nulla quantitas, quæ tunc ludo exponitur; secus, si tempus in ludo insumptum sit exiguum, vel modicum. Et hoc, & si magna sit quantitas ludo exposita, tunc enim levis culpa duntaxat erit; nisi, ut de uno in alium multùm detineatur in ludo, periculum detur. Et idem omnino dicitur, si finis fuit in ludo consumpti temporis jacturam vitare, ut Deo, vel studio, aut familiaribus rebus vacaret.

73 Si verò juramenti, vel voti finis fuit pecuniæ, aut bonorum lapidationem vitare, tunc gravitas, vel levitas peccati, non ex tempore in ludo consumpto, sed ex quantitate pecuniæ ludo expositæ desumenda erit, ac etiam mortale erit semper quòd magnam quantitatem ludi periculum detur. ¶ Præterea, si voti, vel juramenti finis sit vitare discordias, rixas, juramenta, & hujusmodi, tunc gravitas, vel levitas ex occasione, aut periculo ad hæc veniendi desumenda erit. Et quia in ludo, in quo magna exponitur quantitas, frequenter hujusmodi peccata reperiri solent, non ita in ludo moderato parvæ quantitatis, ideo frequenter mortale erit magnæ quantitatis ludo post votum, vel juramentum vacare, veniale autem, si ludus quantitatis sit parvæ. Legantur *Salmant. supra num.* 98. *Sanch. lib.* 3. *Sum. cap.* 18. *num.* 2. *ac* 3. *tom.* 1. *Fagund. lib.* 1. *cap.* 26. & *Diana sup. Resol.* 68. *per totam, ac Resol.* 63. & 70. §. *Observandum est etiam hic.*

74 Dicitur, & resolvitur tertiò quòd, si quis juret, vel voveat non lusurum cum aliqua determinata persona, vel aliquem determinatum ludum, puta *aos dados, &c.* aut in domo determinata alibi ludendi vel cum aliis, sive aliis ludis, facultate, seu libertate manente, tunc, casus, non obligat votum; unde non obligat, si quis juret, vel voveat ludo tali non ludere, quia sibi molestus, in eoque semper perdit, aut quia semper sibi est talis domus, vel ludus infelix, aut quia collusor aliter bene fortunatus.

Si verò votum illud emittat, quia persona est Religiosa, vel quia non sui juris, aut quia ludus blasphemiarum, rixarum, &c. est occasio; vel quia temporalia bona dilapidandi est causa, aut quia non lusurum vovet, ut vacet Divinis rebus, & pœnitentiam agat, obligat votum. ¶ Si autem votum ob hoc præcisè motivum fiat, nimirum ut in non ludendo vindictam sumat ab altero, vel ut injuriæ suæ satisfaciat, non obligat votum, quia illius materia nec expressè, nec tacitè ad Divinum cultum ordinatur, id quod omnino requiritur. Legantur *Sanch. sup. à num.* 9. *Hurtad. sup. Resol.* 80. *Candid. Disquisit.* 26. *de Juram. Dub.* 11. *Conclus.* 22. *Salmant. sup. num.* 100. *ac Diana dicta Resol.* 68.

75 Quartò dicitur, & resolvitur quòd, si quis sine patris, vel amici consensu non lusurum voveat, mortuo amico, vel patre, cessat obligatio voti. *Sanch. sup. num.* 14. *Bonac. in* 2. *Decal. Disp.* 4. *Q.* 1. *P.* 16. *num.* 6. ac cum aliis *Hurtad.* qui idem judicat, si pater, vel amicus in perpetuam amentiam incidat, quia pater in hoc casu jam imperium amisit in filium quo ad ejus gubernationem, & pro se citat Barthol. *in L. Sanctissimus* 46. *num.* 13. *de verb. signif.* contrarium tenent Bonac. & Sanches.

76 Dicitur, & resolvitur quintò quòd, si quis juramentum, vel votum emisit non ludendi, contra votum, aut juramentum non operatur, si alteri numos det, vel mutuet, ut suo nomine ludat, aut ipsum in ludo coadjuvet, nisi hæc expressè fuerint sub juramento, vel voto, quia hoc propriè loquendo non est ludere. Et votum, sive juramentum ultra id, quod verba sonant, ac intentio dicit, extendi non debet, quin potiùs restringendum; & hoc, etiam si juramenti, vel voti finis concurrat, quia ad hoc attendi non debet, sed solùm an res sit sub voto, aut juramento comprehensa, secundùm sensum, ac proprietatem verborum,

rum, & ita cum multis *Salmant. sup. num.* 99. Et

Notant ex aliis *ibid. Salmant.* quòd talis etiam alterius nomine ludere nequit, si voti, vel juramenti finis sit, nè jacturam temporis faceret, aut quia in ludo occupatus ministerio suo non attendebat, vel ut Deo vacare posset, aut ut in privatione ludi mortificationem subiret aliquam, quia ex una parte verè ludit, & ex alia finis in juramento, ac voto intentus salvatur. Poterit tamen sine juramenti, vel voti fractione ludere, si finis sit pecuniarum jacturam, dissipationem bonorũ, & hujusmodi, quæ oriuntur ex ludo, vitare; cùm ut in plurimum talis finis salvetur, quando nomine alterius quis ludit. Legatur *Diana sup. Resol.* 64. *ac* 65.

77 Sexto dicitur, & resolvitur quòd, si quis votum pœnale emiserit; uti si voveat pœnam aliquam luere, si ludat, videlicet daturum eleemosynam, jejunaturum, &c. tunc, casus, si postea voti immemor ludat, non tenetur solvere pœnam, eo quòd naturalis oblivio ignorantiæ æquiparatur, vel æquipollet Civili Jure. ¶ Et idem, si dum ludit, memor sit voti, non autem pœnæ impositæ, etiam si pœna sit Religionis, Castitatis, peregrinationis Hierosolymitanæ, &c. pœnæ nanque ignorantia à pœna liberat ipsa, sicut à voto ignorantia voti, sicque communiter DD. resolvunt quòd, si quis scienter contra præceptum, cui annexa est censura, operetur, sed pœnæ, & censuræ ignarus, peccabit quidem operando contra præceptum; nullatenus tamen censuram incurret, cùm censura medicinalis sit pœna ad resipiscendum, & coercendam contumaciam apposita; cùm in nostro igitur casu medicinalis etiam sit dicta pœna, ut scilicet illius terrore ab exequutione peccati retrahatur vovens, ad talem pœnam luendam non obligabitur ludens; si quando ludit, de illa non recordetur, vel invincibiliter illam ignoret. *Salmant. Tract.* 17. *cap.* 1. *num.* 175. *Hurtad. Resol.* 83. *Trulhench. lib.* 2. *cap.* 2. *Dub.* 26. *num.* 9. ac plures alii.

78 Dicitur, & resolvitur septimò quòd, si quis promittat duplici voto ac ludum vitare, & si ludat, pœnam subire talem, primique voti dispensationem obtineat, vel relaxationem, à secundo etiam voto liber evadit. Ratio est: quia secundum emittitur cum dependentia à primo, & ut illi accessorium, ac principali deficiente, deficit etiam & accessorium. ¶ Id, quod intellige, si ante pœnæ incursionem talem dispensationem, aut relaxationem obtineat. Secus, si luserit, jam contra votum, consequenterque ad pœnam jam obligationem subierit; quia tunc, cùm jam votum de pœna subeunda sit absolutum, nova dispensatio pro illo requiritur. Si tamen solius pœnæ, sive jam incursæ, aut incurrendæ relaxatio petatur, necessum non est materiæ principalis voti, cui illa annectitur pœna, mentionem facere; sed satis obligationem ad pœnam exponere, vel explicare, quia quo ad partem tantùm voti relaxationem expeti potest, licèt nanque, principali ablato, accessorium corruat, non tamen è contrà. Legatur *Sanch. cap.* 22. *num.* 10.

79 Octavò dicitur, & resolvitur quòd, si quis ludum vitare voveat sub talis pœnitentiæ, &c. pœna, non tenetur toties ad pœnam luendam, quoties in ludo se exercuerit, sed hoc, si votum *non duplex*, sed solùm *simplex* fuerit, & mere pœnale, uti: *Si lusero, hoc, vel illud faciam*, tunc enim de prima vice intelligitur; sicut si in vigilia alicujus Sancti jejunare voveret, pro prima intelligitur vigilia occurrente, nisi de voventis mente contrarium constet, quia pœnæ obligatio, cùm sit odiosa, non est extendenda, sed restringenda. ¶ Sed, si votum fuerit *duplex*, veluti: *Promitto me non ludere, & si lusero, hoc facere*; adhuc in respondendo sub distinctione proceditur, & dicitur quod aut pœna gravissima est, & quæ communiter non repeti solet, uti longa peregrinatio, Religionis ingressus, eleemosynæ magnæ largitio; & tunc tantùm pro prima obligat vice, ac ea posita, extinguitur votum quo ad pœnam luendam; si verò pœna sit levis, tunc toties incurritur, quoties transgreditur votum. *Salmant.* cum multis *sup. num.* 177. legatur *Sanch. lib.* 4. *cap.* 22. *num.* 21. *Trulhench. lib.* 2. *cap.* 2. *Dub.* 26. *& Diana sup. Resol.* 66. *ac* 67.

80 Dicitur, & resolvitur nonò quòd, si quis voveat, vel juret se non lusurum, seque voti, aut juramenti dispensationem non petiturum, si ludat, si postea petat, valet dispensatio, vel relaxatio, (multóque magis commutatio) id quod verum, & si juret, aut voveat se non ab alio, nisi solùm à Pontifice Summo id petiturum, valet enim etiam tunc dispensatio, vel relaxatio ab Episcopo data, vel ab aliquo alio dispensare potente, uti à Regularibus virtute privilegiorum suorum, & à quocunque Confessario virtute Cruciatæ: (ac juxta *Sanch.* votum de non petenda dispensatione ab alio, nisi à Summo Pastore, non est validum; unde in tali sententia dictum votum dispensatione non indiget) quia vovens per tale votum Episcopis, & aliis potestatem non coarctat, sed vovet non utendi jure, quod ad petendum ab illo dispensationem habet, cùm per meum votum ab Episcopis, vel ab aliis sua potestas non sit ablata. Ita cum *Trulhench. Sanch. & Bonac. Diana sup. Resol.* 69. ac iterum cum eodem *Sanch. Azor, Sayro, Reginald. Suar. & Bartholom. á Sancto Fausto tom.* 4. *Tract.* 3. *Resol.* 82. docet

& Hur-

& *Hurtad. sup. num.* 780. Et

Idem omnino dicendum judicat *Hurtad.* de voto, quo quis promisit se ad Romam, vel Hierosolymam iturum, si luserit (contra *Bonac. & Sanch.*) eo quòd, licèt hujusmodi vota facta ob maiorem Dei cultum omnino indispensabilia sint, præterquam à Summo Pastore, nihilominus quando pœnalia fiunt, aut sub aliqua conditione, putà ut si Deus à tali periculo maris, vel infirmitatis liberet; tunc ab alio, præter Summum Pastorem, dispensari, relaxari, & commutari valent: si ergo quis sub pœna adeundi Romam, vel Hierosolymam non ludere voveat, Episcopus, &c. in tali voto dispensare poterit, ac etiam in pœna, si ludat; hoc ex *Hurtado.* Legatur *à Spiritu Sancto Consult.* 28. *à num.* 10.

81 Decimo dicitur, & resolvitur quòd votum, ac juramentum ludendi ludo aliquo ex omni circunstantia honesto, quando, ubi, ac quomodo oporteat, est validum, (& multò magis, quàm votum adeundi agrum sanitatis causâ) ac est ratio: quia non esse Eutrapelum est vitium, & durities, ac inurbanitatis peccatum, ut Sanctus Doctor suprà dicebat, referibilis est ergo in cultum Dei voti hujus materia, quia Deo cultus, & reverentia resultat ex carentiæ cujuslibet vitii, prout de se patet.

82 Attamen, licèt id, quod dictum est, verum sit, aliqui sunt ludi in Deum non referibiles, prout à ludentibus fiunt, consequenterque votum, ac juramentum de illis non tenet, & talis est ludus taurorum, actus, & repræsentationes, etiam Sacramentales, prout à publicis histrionibus fiunt, cùm in eis multa indecentia admisceant, item indecentes choreæ. De choreis tamen tenebit votum, sicut & de repræsentationibus, si sint de rebus Divinis, & ab honestis, modestisque hominibus faciendis; in hujusmodi namque votis motivum excellens adesse potest, ut videlicet homines propter nimiam elongationem à Divino cultu ludis his allecti Divinis interfint, ac ita cum *Lumblino* tenet *Hurtad. sup. Resol.* 82.

LECTIO VI.

De theatralibus Ludis, & similibus aliis.

Licèt ex his, quæ hucusque exarata de Ludis relinquimus, ac etiam ex illis, quæ secunda hujus Breviarii Parte, Tract. 11. cap. 7. Lect. 2. dedimus circa alios differentes ludos, non multùm difficile quid sit sentiendum, resolvere esset circa ludos, de quibus hic, nihilominus de illis hîc aliqua ponere placet. De theatralibus igitur Ludis (vulgò *Comedias, Entremezes, Bayles*) loquendo.

83 Dicitur primò quòd repræsentare Comœdias honestas, (& non turpes, nonque immediatè ex se provocantes, vel inducentes ad venerem) illisque assistere, aut interesse ob animi remissionem, moderatamque recreationem, quantum est ex se, nullum est peccatum prava luxuriæ intentione semota, simulque scandali ratione secluſa, periculoque consensûs in venerem; & tantùm ad summum veniale erit, si ob vanitatem id exequatur. Est communis. Legatur *Div. Thom.* 22. *Q.* 168. *Art.* 3. *ad* 3. *ac in* 4. *Dist.* 16. *Q.* 4. *Art.* 2. *Quæst.* 1. *Sanch. in Consil. lib.* 1. *cap.* 8. *Dub.* 33. *Torrecilla tom. Tract.* 3. *Disp.* 2. *cap.* 3. *Sect.* 12. *á n.* 176. *& Diana Coordinat.* (apud quem plures) *tom.* 7. *Tract.* 5. *Resol.* 26. *ad* 29.

84 Ex dictis sequitur primò repræsentare Comœdias, illisque interesse, non turpes, sed ex se honestas, in Ecclesiis, & quæ fiunt in honorem Dei, ac Sanctorum, putà Passionis Christi, aut vitæ alicujus Sancti illicitum non esse. Sic cum Tabiena, Sylvestro, & Sanch. Diana sup. Resol 25. (contra Bartholom. Gavantum) ex Zerola addens *optimè aliquos Episcopos prohibuisse dictas recitationes nullibi fieri posse absque eorum expressa licentia*, ac nos addimus quod antequam licentia detur, registrari Comœdiæ debent ad sciendum an in illis turpe aliquid reperiatur.

85 Secundò sequitur non peccare mortaliter Clericos in Sacris, nisi grave scandalum adsit, (& idem de Regularibus) Comœdiis interessentes, quia de eo apud eos extat consuetudo, ac praxis, & nullus eorum Comœdias videns postea ad se confitendum scrupulum format, licèt multi ex illis sint timorati, ac si antiquitus circa eos Comœdias videntes aliqua fuerunt Decreta, vel non fuerunt recepta, aut si fuerunt, jam non sunt in usu, nec ad mortale obligant, nisi ratione periculi Proximi, siquod habeant videntes, quæ obligatio sine Decretis illis etiam adesset, quod si Clericus aliquis (& idem de quolibet alio) in peccatum ex visione Comœdiæ consentire se sentit, abs dubio illam non videre tenetur. ¶ Dictum est: *Et idem de Regularibus.* Sed excipe nos Carmelitas Excalceatos, Carthusianos, Capucinos, & similes, ii enim omnes publicas Comœdias videntes, in locoque publico, januâ vel, ubi videantur ab interessentibus aliis, semper ratione scandali, quod semper adest, mortaliter peccant dicto modo interessentes; quo ad Clericos, cæterosque Regulares, legatur *Diana suprà Resol.* 26.

86 Secundò dicitur quòd Actores, ac Repræsentatores turpium, & ut plurimùm ex se, aut ex natura sua ad venerem excitantium, mortaliter peccant, illas nutibus, aut gestibus

obscœnis, &c. repræsentantes, & hoc, licèt solùm intendant curiosos delectare auditores, vel interessentes, absque ulla prava intentione eos ad lasciviam provocandi, sed solùm ex scurrilitate, vel levitate, aut ob ingenii ostentationem, &c. Est communior, nobisque vera, & docent *Sanch. de Matrim. lib.* 9. *Disp.* 46. *num.* 42. *Bonac. de Matrim. Q.* 4. *P.* 9. *num.* 33. *Filiuc. Tract.* 30. *cap.* 10. *tom.* 2. *num.* 210. *cum Salas, Caiet. Angel. Comitol.* & aliis *Arca Vitalis de Charit. præcepto Inquisit.* 3. *num.* 11. qui ibi multis id probat.

87 Sed probatur breviter primò, quia hoc colligi videtur ex Divo Antonino 2. P. tit. 5. cap. 1. §. 8. ibi dicente: *Facientes cantilenas plenas lasciviis peccare mortaliter*, ac ex Div. Thom. sup. & Q. 167. Art. 2 ad 2. ibi: *Quando scilicet utitur aliquis causâ ludi turpibus verbis, vel factis, vel etiam his, quæ vergunt in Proximi detrimentum, quæ de se sunt peccata mortalia, & sic patet quòd excessus iste in ludo est peccatum mortale*: repræsentantes ergo Comœdias valde turpes, ac ex natura sua inducentes ad venerem mortaliter peccant.

88 Secundò: nam hujusmodi Comœdis, vel Comicis, aut Histriombus denegatur Communio Sacra, uti constat *ex* 2. *Dist. de Consecrat. cap. Pro dilectione tua, & ex Concil. Carthagen.* 3. *cap.* 33. modò in suo officio, & arte perseverent: sunt ergo in statu peccati mortalis, nemo namque, nisi ob mortale peccatum, à Sacra Communione privatur.

89 Tertiò: quia hujusmodi homines repræsentantes Comœdias valde turpes, ac ex se ad venerem provocantes causa sunt Proximo suo spiritualis ruinæ, & sine necessitate Proximum suum periculo mortalis peccati exponunt, suisque dictis nutibus, ac gestibus ad malum inducunt; peccant ergo in ita repræsentando mortaliter. ¶ Neque valet dicere quòd dictæ inhonestæ personæ non intendunt directè, & formaliter spiritualem ruinam Proximi. Non, inquimus, valet; namque causam ponunt, quæ ex se, ex natura sua, ac re ipsa Proximum ad ruinam ducit, inducit, & provocat: unde, cùm dicta causa sit volita, ab ipsisque posita, est etiam volita, & ab ipsis, saltem in alio, posita, spiritualis ruina Proximi, consequenterque mortaliter peccant.

90 Quartò: nam tales personæ in talibus actibus inhonestis, ac turpibus ferè semper venereè se delectant nutibus, & gestibus illis obscœnis, vel ad minus se exponunt proximo, ac probabili periculo se delectandi: mortaliter igitur peccant, nam qui amat periculum, peribit in illo. ¶ Ex quibus omnibus fit hujusmodi Histriones, Comœdos, aut Comicos esse in statu peccati mortalis, & omnino incapaces absolutionis, nisi officium, vel artem de facto omnino relinquant, aut hoc efficaciter, ac verè promittant efficere. Legantur ea, quæ dedimus 2. *P. Tract.* 11. *cap.* 7. *Lect.* 2. *à num.* 31.

91 Sed hîc nota aliquos esse DD. *à Baldello Disp.* 18. *num.* 2. relatos, qui asserant non peccare mortaliter repræsentantes Comœdias turpes, si solùm ob vanam recreationem turpis sit illa repræsentatio, & absque periculo spiritualis ruinæ sui, vel Proximi id faciant, quia repræsentatio rei turpis non est intrinsecè mala, nisi mali finis, pravæque intentionis circunstantia aliqua adsit, quæ deficit, si solùm ob vanam recreationem animi turpis sit illa repræsentatio. Cæterùm, cùm semper sit, & adsit in talibus turpibus, ac obscœnis Comœdiis spiritualis ruinæ periculum sui, vel Proximi, & omnium adstantium, semper repræsentantes peccabunt mortaliter. Unde ex dictis

Inferuntur aliqua.

92 DEduces primò peccare mortaliter, tam componentes, scribentes, vel interpretantes libros turpes, ac plenos lasciviis, quàm pingentes, aut fingentes statuas turpes, inhonestas pro suo libito, & sine ulla justa, ac rationabili causâ cum probabili periculo delectationis venereæ in se, vel in aliis, quia hæc omnia ex se valde ad turpia excitant, & provocant, ac quia absque ulla necessitate, & temere multos periculo se delectandi exponunt, cùm hujusmodi res multis reipsa spiritualis ruinæ sint causæ. A peccato tamen prædicti se excusabunt, si componant, scribant, pingant, &c. aut ob veritatem historiæ, vel ob Superiorum necessariam informationem, aut si ad id adsit vis, sive metus gravis, alia vel causa justissima, aut si id ob indeliberationem, inconsiderationem, vel ob ignorantiam probabilem agant; pro quibus legantur ea, quæ dedimus loco nuper adducto: *Sanch. lib.* 9. *de Matrim. Disp.* 46. *num.* 43. *ac Filiuc. suprà.*

93 Secundò deduces quòd, licèt adstantes, & assistentes Comœdiis turpibus, ac plenis lasciviis, illaque audientes cum prava intentione venereè se delectandi ex rebus visis, & repræsentatis, vel cum proximo, ac probabili periculo in venerem consentiendi, mortaliter peccent, ut ex dictis constat, & de quo non est dubitandum; nullatenus tamen mortaliter peccant illi, qui talibus Comœdiis assistunt ob solam curiositatem, & animi recreationem, absque tamen probabili periculo propriæ spiritualis ruinæ, (ac idem de legentibus illas) & sine prava intentione, ac malo fine, & semoto scandalo. Resolutio hæc, prout jacet, com-

communis est, & tam ab extrinseco, quàm ab intrinseco valde probabilis; pro qua legi possunt *Sanch. sup. num.* 38. *Bonac. sup. num.* 21. *Arca Vital.* (plures adducens) *sup. num.* 33. *ac Diana sup. Resol.* 28. & nos eam in Schola nostra Morali quo ad utramque partem sufficienter probavimus.

94 Utrùm autem audientes Comœdias obscœnas, & turpes mortaliter peccent ex eo, quòd ex eorum stipendiis Histriones alantur, qui mortaliter peccant dictas lascivas Comœdias repræsentando? Est quæstio excitata *apud Dianam sup. Resol.* 27. *ac* 28. ubi duæ apponuntur contrariæ sententiæ, ubi §. *Notandum est etiam* ex Hurtado resolvit nullum ad Comœdias, vel amatorias, aut quibus inhonestæ choreæ, & cantilenæ interuntur, alios absque peccato scandali invitare posse; neque esto non rogent, illis proponere an ad dictas Comœdias, &c. ire velint, quando ipsi sine rubore, aut alio incommodo se excusare non possunt.

95 Deinde utrùm Magistratus Comœdiarum recitationes permittentes mortaliter peccent? Affirmat *Hurtad.* negat *Baldel. apud cit. Dianam Resol.* 29. ipse vero sequentia dicit; primum, quòd Magistratus, & Principes, ac omnes ii, ad quos expectat permittere, vel prohibere Comœdias, &c. mortaliter peccant, si illas fieri mandant, quia nemo licitè mandare valet quod alius licitè exequi nequit. ¶ Secundum idem, si Comœdias approbent, Histrionibus auctoritatem præbeant, aut aliter eos in peccato foveant. ¶ Tertium non autem peccare, si pro aliquo tempore ad evitandam in populo maiorem licentiam Histriones, & Histrionum spectatores non puniant. Hæc ibi ipse *ex Baldelo* refert. ¶ Deinde utrùm Comœdiæ tempore Quadragesimæ à Magistratibus prohiberi debeant? Respondebis affirmativè, si legeris *Salmant. tom.* 5. *Tract.* 23. *cap.* 1. *P.* 11. §. 2. *num.* 233.

96 Deduces tertiò homines illos, qui Funambulorum ludum exercent dicunturque proinde Funambuli, (vulgò *Borlatins*) quia per funes huc, illac volutando deambulant, mortaliter peccare semper quòd est (ac ferè semper est) in illum exercendo ludum probabile vitæ periculum, id quod ex ipsis terminis patet. Si tamen tale vitæ periculum absit eo quòd tales Funambuli viribus sunt valde potentes, & dexteritate, ac velocitate præditi, & exercitati, deturque cautio prudens, moderamenque debitum, non peccabunt ita ludendo mortaliter. Navar. in Sum. cap. 15. num. 8. Azor 3. P. lib. 2. cap. 15. fine, Naldus in Sum. verb. *Ludus*, num. 1. Arca Vital. sup. num. 58. & alii.

97 Illud tamen hîc certum, nimirum non esse mortale peccatum dictum funambulosum ludum aspicere, & hoc adhuc in casu, quo semper dicti Funambuli mortaliter peccent, ratione periculi probabilis vitæ in tali ludo, quia aspiciens non delectatur de tali ludo, prout est formaliter peccaminosus, sed solùm de illo, prout est quid jocosum, & admirabile, ac est delectari, tanquam de agilitate, & dexteritate ludentium, ac ita delectari de eo, illumque hoc fine aspicere nullatenus erit mortale. Et idem omnino erit dicendum de spectatoribus hasti ludi, id est, *jogos de canas, sortilhas, justa, esgrima, torneyos, &c.* vide Sanch. in Consil. sup. Dub. 34. per totum, & Alcoler lib. de Ludo a cap. 51. ad 55.

98 Quo ad ludum agitationis taurorum, ac similium, lege DD. quos dedimus 2. *hujus Breviarii Parte, Tract.* 11. *cap.* 7. *Lect.* 2. *num.* 39. & insuper *Sanch. sup. Dub.* 31. *Rodrig. tom.* 3. *Q.* 68 *Art.* 3. *Thomam Hurtad. Tract.* 8. *cap.* 7. *num.* 709. *Ledesma tom.* 2. *Sum. cap.* 3. *de Excommun. Conclus.* 5. *& Pantoja in Commentar. ad L. fin. Cod de aleatoribus, pag.* 249. *num.* 105. apud quos reperies taurorum agitationes videre, etiam Clericos, & Regulares, mortale esse, secundùm unos, non autem juxta alios.

99 Quo ad choreas, sive ludos saltandi, ac tripudiandi (vulgo *baylar, e dançar*) inter viros, & fœminas habitos; vide etiam id, quod loco nuper adducto dedimus *num.* 38. AA. qui ibi allatos, ac insuper *Trullench. Decal. lib.* 6. *cap.* 1. *Dub.* 12. *num.* 12. *Sanch. sup. Dub.* 35. *Dianam Coordinat. tom.* 7. *Tract.* 5. *Resol.* 12. *& tom.* 8. *Tract.* 6. *Resol.* 12. §. *ultimo, ac Salmant. tom.* 6. *Tract.* 26. *P.* 1. *n.* 17. *&* 18.

100 Quid autem dicendum sit *de ludo larvali* quo ad Clericos, ac Regulares habes *in* 3. *hujus Breviarii Parte, Tract.* 16. *cap.* 2. *Lect.* 6. *num.* 205. & propter Auctores ibi adductos. Legatur Arca Vital. de Statu Ecclesiast. Inquisit. 1. num. 7. Barbos. in Collectan. ad cap. *Cum decorem* de vita, & honest. Clericor. num. 3. larvatè autem, vel personatè (vulgò *Mascarados*) incedere nihil aliud est, quàm alteram personam fingere, aut repræsentare; unde *personatus*, vel *larvatus* quis dicitur, quando intus quid est diversum ab eo, quod foris ostendit, veluti si mulier vestita esset in hominis habitu, aut è contrà secularis in habitu Monachi, vel è contrà. Vide Ordinat. Lusitanam in Repertorio verb. *Mascaras.*

101 Sed non possumus non hîc adnotare quòd Arca Vital. à mortali liberat Clericos, & Regulares incedentes *larvatè*, aut *personatè*, vel larvarum exercentes ludum, si modestè illum exerceant, talisque ludus secundùm se consideretur, citatque Less. lib. 4. cap. 4. Dub. 13. num. 89. Caietan. in Sum. verb. *Larvarum*

uſus, ac Vival. in Supplem. ad Candelabr. aureum, cap. 14. num. 21. & ſeqq. ac quo ad Clericos ita in ſubſtantia ab eo

Probatur primò: quia talis ludus non eſt ſecundùm ſe illicitus, quin potiùs licitus eſt, cùm ſit inſtitutus ad rectè recreandum animum: Clerici ergo, (& idem de Regularibus) ſi quælibet mala circunſtantia abſit, larvalem ludum exercentes non peccant mortaliter, cùm actionem ſecundùm ſe illicitam, ac malam non exequantur. ¶ Secundò: quia quilibet ludus ad Eutrapeliæ virtutem ſpectans cuilibet ſecundùm ſe licitus eſt; ſed talis eſt ludus larvalis, cùm per eum delectatio animalis, & animi quies, ac lætitia quæratur: licitus ergo erit Clericis, (ac etiam Regularibus) conſequenterque nullus eorum tali eo ludo utens peccabit mortaliter.

Confirmatur primò: quia à nullo Canonico Jure præfatus dicto modo ludus expreſsè eſt prohibitus Clericis, cùm nullus ſit textus id eis expreſsè prohibens: ergo, &c. ¶ Secundò: quia ideo peccarent mortaliter, quia ita ludendo, vel incedendo grave aliis ſcandalum darent, ſed hoc non: ergo, &c. Probatur minor; tum quia ſic incedendo exemplo ſuo aliis occaſionem mortalis ruinæ non præbent, (ſupponitur enim modeſtè, & cum debitis circunſtantiis incedere) tum quia ex parvitate materiæ grave non inſurgit ſcandalum; tum ob uſum, ac conſuetudinem, quæ ubique viget, ut Clerici perſonati quandoque incedant; tum quia, ut in plurimum incogniti incedunt, & à prætereuntibus non cognoſcuntur: perſonati ergo incedentes ſcandali peccato non peccant mortaliter, dum tamen modeſtiam, pudicitiam, ac decorem obſervent. Hæc ex doctrina illius, qui argumenta contraria diſſolvere tentat. Et circa Regulares loquendo, ſequentia dicit in ſubſtantia, & ponit

Quòd ſcilicet neque Regulares Religionis ſuæ Habitum dimittendo, dum per breve temporis ſpatium perſonati incedunt, mortaliter peccant, nec conſequenter contrahunt excommunicationem ipſo facto latam in cap. *Ut periculoſa* contra Religioſos profeſſos ſuæ Religionis *temerariè* Habitum dimittentes, etiam ſi extra Monaſterium id faciant, larvas per urbem geſtando; id, quod ſic ex ejus doctrina (pro qua non ſtamus)

Probatur; tum quia breve temporis ſpatium materiæ eſt parvitas, & hæc excuſat à mortali, ubi datur, ac per conſequens ab excommunicatione, quæ ſemper ſupponit, & exigit culpam mortalem; tum quia illa Habitûs per breve tempus dimiſſio temeraria non dicitur, eo quòd propriè ea temeraria habitûs dimiſſio dicitur, quæ fit ſine ulla rationabili cauſa, vera, vel apparente, & aliquo modo in contemptum Habitûs, ſed Habitûs illa dimiſſio propter ludum larvarum honeſtæ recreationis cauſæ videtur eſſe cum juſta, & rationabili cauſa, ſaltem apparente: non igitur talis dimiſſio temeraria erit. Tunc ſic: ubi non eſt temeraria Habitûs dimiſſio, non eſt mortale peccatum, nec eſſe poteſt excommunicatio: ergo, &c. Et minorem hujus Syllogiſmi tenet *Bonac. infra*, *Suar. Antonin. ac Sylveſter*.

Confirmatur tertiò: quia juxta *Sanch.* (alios adducentem) *in Sum. lib. 6. cap. 8. n. 57. Navar. in Sum. cap. 27. num. 131. Bonac. infra*, *Diana Coordinat. tom. 7. Tract. 1. Reſol. 206.* (legendus & etiam à Reſol. dicta utque ad 210.) Religioſus Habitum, ut fornicetur, per breve tempus dimittens, vel ut furetur, &c. ac per tempus illud ad hunc effectum alium diverſum, & ſi ſecularem habitum induat, ex hoc præcisè non peccat mortaliter, nec excommunicationem incurrit ob talem habitûs dimiſſionem: potiori ergo jure non peccabit mortaliter, nec excommunicationem incurret dimittendo habitum proprium, larvatèque incedendo ex levitate animi abſque pravo fine cum aliqua apparenti excuſatione, videlicet, ut lætificet cor, animum recreet, &c. dum perſonati indult habitum, eoque ambulat larvatè. Hæc ex prælaudato Doctore, ubi ad contraria argumenta reſpondet, citatque *Sanch.* DD.que plures, & graves adducit. Legatur *Bonac. de Clauſur. Q. 2. P. 2. num. 20. & 25. Suar. de Cenſur. Diſp. 23. Sect. 4. num. 27. ac 28. Sayrus de Cenſur. lib. 3. cap. 33. num. 12. Azor 1. P. lib. 12. cap. 13. Quæſt. 5. Diana* ubi proximè; & quo ad dimiſſionem Habitûs à Religioſis factam, vel à Clericis, lege ea, quæ dedimus *in hujus Breviarii Parte*, *Tract. 9. cap. 5. Lect. 1.* ac itidem circa Habitûs dimiſſionem legantur *Salmant. tom. 4. Tract. 15. cap. 5. P. 6. à Spiritu Sancto Tract. 3. Diſp. 6. & Lezana tom. 1. cap. 13.*

TRA-

TRACTATUS XXIX.

DE PROMISSIONE GRATUITA HOMINI facta, ac de Donatione.

PROMISSIONEM, ac donationem ad Tract.unum,& eundem vocamus, ac unam, & alteram ſub eodem conjungimus, quia inter ſe utraque valde concernit, de quibus duo capita erigenda veniunt, & prim. ſermo de Promiſſione erit. De ea autem agit *Magiſter Angelicus* 22. *Q.* 88. *ac* 110. *& in* 4. *Sentent. Diſt.* 38. *Q.* 1. *Art.* 1. *Quæſt.* 1. communiterque Doctores; etiam & nos hîc de ea agemus, citò non longo tudore. Pro utraque ergo res noſtra ſit.

CAPUT I.

De ſimplici Promiſſione gratuita homini facta.

PRomiſſio poteſt eſſe hominis ad Deum, ac hominis ad hominem; de prima, ſicut & de Promiſſione ad Sanctos, *Breviario in hoc* 3. *P.* (& alibi) *Tract.* 17. *cap.* 1. ſufficienter egimus. De ſecunda autem, licèt *in* 2. *P. Tract.* 12. *cap.* 1. ubi de Sponſalibus, non pauca jam ſint exarata, de ea adhuc aliqua dicenda ſuperſunt, ſunt enim ſcitu digna, ac ideo omitti non debent. Promiſſio autem in tota ſua latitudine ſumpta poteſt extendi ad contractus tam gratuitos, quàm oneroſos, in futurum explendos, de promiſſione, quæ onerosos contractus comprehendit, conſtat ex dictis præcedenti Tract. & ideo quid de ſimplici, gratuita, & liberali promiſſione homini facta ſit ſentiendum ſcire oportet, pro ea ergo ſit

LECTIO I.

Quid ſit Promiſſio ſimplex, & qualiter differat á Propoſito?

1 POmiſſio, prout ſermo in præſenti de ea, nihil aliud eſt, quàm *vera, ſpontanea, atque deliberata datio fidei alteri de re licita, & poſſibili*; quare tunc verè vera promiſſio datur, quando quis ſponte, ac liberaliter, veroque animo ſe obligandi pollicetur quidpiam alteri dare, vel facere, quod licitè, & honeſtè dari, vel fieri valet. Et hæc duplex eſt, alia *acceptata* ab eo, cui aliquid promittitur, & hæc *perfecta promiſſio* dicitur, ſive *conſummata*; alia autem eſt *nondum acceptata*, & hæc *pollicitatio* denominatur, ſolius ſcilicet offerentis promiſſionem. *L.* 3. *ff. de pollicitat.* promiſſio verò perfecta connotat acceptationem ex parte ejus, cui fit.

2 In data promiſſionis definitione ly *vera* ponitur, quia ad ſimplicem, ac veram promiſſionem ambigua non ſufficiunt verba, neque ſufficit quòd promiſſor aliud habeat in corde, & aliud in ore, imo hoc ultimum veræ ſimplici promiſſioni omnino repugnat: promiſſio nanque verè, ac propriè talis verum animum ſe obligandi dicit, & importat, ſi nanque abſque tali animo facta ſit promiſſio, non tenetur vi illius quis adimplere promiſſum, cùm voluntas ſe obligandi deficiat, id quod exigit promiſſio propriè dicta. Unde non ſufficit quòd promiſſor dicat: *Dabo*, vel *Faciam tibi hoc*, per hæc enim, ac ſimilia verba de futuro nihil de præſenti promittitur, ſed talia verba proferens ſolùm ſignificat ſe bonum animum dandi, vel faciendi habere; quapropter prædicta verba aſſertionem tantùm ſimplicem continent, non autem veram, & propriam promiſſionem, vel obligationem actualem; aut, ut meliùs, & aptiùs dicamus, continent ſolum faciendi, vel dandi propoſitum, quod eſt *voluntas præſens aliquid poſtea faciendi, nulla ſibi ad hoc nova obligatione impoſita*. Et propoſitum non ſufficit ad inducendam obligationem; imò nèc inſinuatum Deo ſatis eſt ad votum, ſed eſt ſimplex affirmatio, vel indicatio animi, ſed

aliis

aliis placendum, non verò promissio, prout communis tenet, de quo legatur Sotus lib. 7. de Just. Q. 1. Art. 2. §. *Unde pro solutione*, Trusbench. *lib. 7 cap.* 17. Dub. 1. num. 1. Bonac. de Contract Disp. 2. Q. 9. P. 2. num. 12. ac 13. Salmant. tom. 3. Tract. 14. cap. 4. P. 4. num 66. unde ex his jam patet qualiter à Proposito Promissio differat.

3 Licèt tamen verba illa: *Dabo, Faciam tibi hoc, &c.* propositi tantùm, & non promissionis sint verba inducentis obligationem, si illa tamen proferens speciali intentione per illa verè promittere, seque verè obligare velit, absque dubio obligatus manebit, obligationes nanque, quas quisque assumit sibi, ac imponit, magis ex animo, & intentione propria pendent, quàm ex verbis externis, cùm verba ex intentione illa proferentis totam vim, ac efficaciam habeant, & ideo in promissionibus magis ad intentionem, quàm ad ipsa nuda, ac externa verba attendi debet, dictaque intentio ex antecedentibus, & circunstantiis colligetur. ¶ Imó licèt quis verbo *Promitto* utatur, si tamen fictè promittat, & non promittendi animum habeat, per se loquendo, in conscientiæ foro non obligabitur ad promissionem etiam connubialem, uti vidimus alibi. ¶ Obligabitur tamen in foro externo, quia in illo præsumitur simul cum verbis intentionem adesse, ac voluntatem se obligandi, humanæ nanque aures ex verbis intentionem, & animum colligunt. *Rebel. de Oblig. just. 2. P. lib.* 18. *Q. 1. num. 5. Navar. in Sum. cap.* 18. *num.* 6. *Sancius lib. 1. de Sponsal. tom. 1. Disp. 5. num.* 21. ac plures alii. Sed circa intentionem promittendi, & se obligandi vide, & lege quod dedimus *in 2. P. Tract. 17. cap. 1. Lectione* 3.

4 Diximus *per se loquendo*, nanque per accidens, & si promittendi, ac se obligandi animus non detur, fieri potest ut ita promittens aliunde obligetur, uti si promissarius credidit verè sibi aliquid promitti, aut donari, ex quo periculum sit, ut damnum inde patiatur, tunc tenebitur promittens adimplere promissum, aut ratam promissionem habere, ut alterius damnum præcaveatur, nè per dolum ejus damni sit causa. Sanch. lib. 1. de Matrim. Disp. 9. Less. de Promiss. Dub. 1. num. 6. & Dub. 8. num. 59. Rebel. sup. Sà verb. *Promissio*, Azor 3. P. lib. 11. cap. 1. Q. 7. cum multis Reginald. lib. 25. num. 89. ac 91.

5 Quòd si promissionis verba, vel signa de se, vel in se ambigua fuerint, aut promissor dubitet an ex intentione promittendi, & se obligandi ea protulerit, nunquid verò solùm ad exprimendum animum, ac voluntatem præsentem, tunc inclinandum est in utroque foro in promissoris favorem, restringendaque potiùs, quàm amplianda sunt verba, simul & intentio: quia in dubiis in materia justitiæ melior semper est possidentis conditio, dum de veritate non constat, ac libertatis suæ possessor est ille: *L. Quidquid adstringenda, ff. de verbor. obligat.* & communis.

6 Hic tamen nota cum infra citandis quòd, si quis aliquid alicui per generalia verba promittat, in nullo foro obligatus manet, quia generalia verba, expresso etiam promittendi verbo, absolutè prolata in particulari non obligant, uti si dicas: *Promitto me facturum, aut tibi daturum quidquid a me velis, vel quidquid jubeas*; etiam si fiat, non simpliciter ad complacendum, sed ad testandum officii, vel beneficii memorem animum. Panormitan. & alii ad cap. *Cum venissent de Institut.* Navar. in Commentar. de datis, & promissis, num. 18. Anton. Gom. 2. Var. cap. 4. clarèque constat ex cit. cap. *Cum venissent*, ubi quidam Archidiaconus, cujus hæc ad Episcopum suum verba dicta fuerant: *Non tantùm de Archidiaconatu, vel de omnibus meis bonis faciam quod tibi placeat*, à vinculo promissionis absolvitur. Et

7 Idem dicendum, si promissio sit gloriosa ad jactantiam facta, ut tenet cit. Navar. num. 20. ac expressè colligitur *ex L. ult. ff. de testam.* quatenus decernitur ibi bona illius, qui se Imperatorem hæredem facturum jactaverat, à Fisco comparari non posse. Et id extendendum est ad promissiones consimiles, quæ passim ex urbanitate fieri solent, dum scilicet aliquis alteri promittit se, suaque omnia ad illius obsequium paratissima fore. Et ex hac doctrina resolvit *Fagund. de Contract. lib. 3. cap. 1. num.* 10. dubium illud, quod in præclarissima Ulyssiponis hac Urbe suo tempore accidit, de quo interrogatus fuit ipse. In hac igitur præclarissima, ac potentissima Curia lusoria quadam in domo urbani quidam homines aderant, quorum unus Regius Minister, alter verò ditissimus erat, & ille ditissimo huic (præsentibus aliis) dixit: *Dòmine mi, tu ditissimus es, uxore, & filiis cares, cognati, & frater tuus ditissimi similiter sunt, relinqueque mihi tua bona post mortem, sumus enim valde amici*; cui à ditissimo datum fuit hoc responsum: *Relinquam ex vero corde, & voluntate bona, & ita promitto*; postea talis hic ab intestato obiit, & quæsitum fuit an teneret dicta promissio? Et negativè respondet *Fagund.* qui legendus, legatur ac etiam comes ejus *Lugo Disp. 23. Sect. 1. à num. 6. ad* 10. sed negativa data responsio difficultate non caret, illa: *Et ita promitto*, & acceptatione suppositis.

SUB-

SUBLECTIO I.

Circa illam diffinitionis clausulam spontanea.

8 Dicitur quòd promissio debet esse *spontanea* ad ostendendum promissionem vi, metu, aut fraude extortam (loquendo de metu, &c. ab extrinseco illato, pro quo videa, quæ dedimus *Tract. 27. cap. 1. Lect. 2.*) non obligare; id quod verum, sive vis, metus, vel fraus fiat ab illo, in cujus utilitatem promissio fuit facta, sive ab alio, qui eam vi, &c. intenderet ut alteri fieret, hæcque resolutio in metu gravi certissime locum tenet; prout tenet communis, & constat ex à nobis dictis loco nuper allato; & ratio ipsa suadet; tum ex dictis *cit. in loco num. 33.* ubi legendum; tum quia promissio gratuita, cùm sit voluntarius, ac gratuitus voluntatis, libertatisque actus, oportet ut omnino sit libera, & spontanea, ac non illicitis, & indebitis modis extorta. Et re vera non bene cohærere videtur ut ea, quæ sunt gratuita, ac mere, purè, vel voluntaria, coactè, & per injuriam fiant. Neque enim ratio, & æquitas patitur ut ex fraude, ac iniquitate sua aliquis commodum reportet sibi, vel alteri; & certe illud reportaret is, qui metum, aut vim incussit, dolum, vel fraudem induxit, si ita inductus vi, &c. promissum teneretur implere.

9 Tum quia in liberali promissione, vel donatione (cùm non sint contractus rei pro re, vel ubi titulus rei pro re esse possit) requiritur titulus perfecti voluntarii, vel (quod idem valet) requiritur plena, & libera voluntas, tale autem quid non est, ubi ratione metûs, &c. admissum involuntarium datur, ac ideo usurarum promissio (quanvis ibi metus cadens in virum constantem non adsit, sed solùm timor alicujus incommoditatis, & quandoque non magnæ, sed parvæ) naturali Jure non obligat, ut constat ex jam dictis alibi, & non alia ratione, nisi quia, licèt ibi voluntarium simpliciter adsit, non adest tamen plenum, & perfectum voluntarium, signum igitur est quòd in iis, quæ non habent alium titulum rei pro re, non sufficit voluntarium simpliciter, sed requiritur perfectum, ac omnino liberum.

10 Utrùm autem idmetipsum dicendum, si metus, aut vis sit levis? Variant DD. *apud Dicastill. lib. 2. Tract. 4. Disp. 1. Dub. 3.* sed ipse ibid. cum sex supra decem AA. gravibus affirmativam partem tuetur, & tenet ubi sup. cum multis *Fagund. Bonac. de Contract. Disp. 3. Q. 12. num. 14.* & alii; ac id eisdemmet rationibus nuper adductis manet probatum. Sed clariùs

11 Probatur; quia quod metu etiam levi acceptum est, injustè habetur, cùm, renitente dante, res accipiatur ob metum: restituere ergo tenetur accipiens, remque ad pristinum statum reducere, consequenterque non acquirit jus in re, quam accipit, si donatio sit, vel non acquirit jus, ut promittens stet promissioni, quia rationi non congruit quod per injustam, & injuriosam actionem verum jus acquiratur.

12 Sed nota primò (ut sic tacita præcludatur evasio) quòd nos hîc non contendimus quòd in his casibus promissio, aut datio gratis non fiat, hoc enim asserimus, sed contendimus quòd *hoc ipso*, quòd sic gratis fiat, dominium, aut jus transferre non possit, nisi plenè voluntaria fuerit: quia in hoc ab oneroso contractu promissio differt, nimirum, quòd in oneroso contractu titulus acquirendi dominium est res pro re, quæ in eo pacto interveniunt, sed in promissione gratuita titulus est, & debet esse ipsa voluntas, quæ non sufficit rem gratis dandi, sed requiritur quod ita sponte habeatur, ut non extorqueatur injustè, & invitè. ¶ Secundò nota quod, si gratuita promissio metu extorta juramento firmetur, obligabit juramenti virtute, prout cum *Div. Thom. 22. Q. 89. Art. 7.* tenent DD. & hinc patet quòd promissio vi, metu, aut fraude extorta non obligat Jure naturæ; unde

13 Resolves primò quòd promittens per vim, metum, vel dolum, &c. promissionem adimplere non tenetur, & qui hoc modo promissum recepit, illud in conscientia restituere debet, id quod procedit in conscientiæ foro, etiam de metu levi loquendo, & licèt in exteriori foro Leges promissiones, aut donationes ex metu levi factas non rescindant, id fit, (juxta *Covar. Vasques, Sanch.* & cum multis *Bonac. sup. num. 14.*) nè multiplicentur lites, & quia præsumit Jus hujusmodi promissiones, ac donationes coactè factas non esse, sed omnino liberè. ¶ Imò addit *Sanch.* plures alios referens *lib. 4. de Matrim. Disp. 9. num. 5.* quòd, licèt in externo foro actio non detur, nisi metus sit gravis, succurretur tamen ei, qui levem passus est metum, & rescindatur contractus.

14 Secundò resolves quòd etiam restitui debet promissio, ac donatio per reverentialem metum extorta; qualis illa, quam filius, & filia interdum habet erga patrem, uxor erga maritum, famulus, vel vassallus erga dominum, Clericus erga Episcopum, libertus erga Patronum, modò talis metus levis, & reverentialis in constantem virum non cadens, promissionis, vel donationis causa sit totalis, aut non sit præcisè ipsa verecundia, quam filii, &c. coram patre, aut aliis, quibus reverentia debetur, concipere solent; sed sit metus ille, quo renuente voluntate, & quasi coactus quis consentit

sentit, contradicere non audens, juxta cap. *Ex literis de dispensat. impuber.* Molina Tract. 2. Disp. 267. Sanch. cum multis sup. num. 11. Reginald. lib. 25. à num. 35. ad 45. ¶ Et idem, si promissio, vel donatio importunis precibus fiat, si promissa, aut data sunt ab eo, qui animo repugnante, vel importunitatem repellere, dedit, & promisit, est enim tunc mistum involuntarium, & quasi per vim tradidit. Et hinc

15 Resolvit, vel infert tertiò *Rodrig.* 1. *P. cap.* 132. *Conclus.* 2. *Sanch. sup. num.* 13. *Lopes* 2. *P. cap. ult.* teneri patrem in conscientia restituere hæreditatem, cui filius renuntiavit involuntariè mistè per metum reverentialem, posseque filium occulta compensatione uti, si aliter damnum refarcire non valet; obtenta tamen prius relaxatione juramenti, si fortè juravit. ¶ Et idem dicit *Sanch.* de uxore, quæ per reverentialem metum ad evitanda jurgia mariti pro illo fidejussit, quanvis Juris solennitates serventur, ac privilegiis quibuscunque cedat. Lege *Tract.* 27. *cap.* 1. *num.* 48.

16 Quartò quod, quanvis preces importunæ adsint, si tamen ille, qui promisit, vel dedit, dedit omnino non repugnante, aut licèt ille initio repugnet, si postea tamen libenter consentiat, ad restitutionem non tenetur donatarius, vel promissarius. *Sanch. sup. Disp.* 10. *num.* 5. *Less. lib.* 2. *cap.* 18. *Dub.* 1. & alii. ¶ Idem dicitur, si promissio fuit obtenta, ac extorta per blanditias, vel missiva munuscula; quia hæc voluntatem non auferunt, sed illam augent. ¶ Imò etiam si quis vi, vel metu gravi promissionem extorqueat, si tamen postea, vi, vel metu gravi cessante, promissor promissionem adimpleat, tunc, casus, non tenebitur accipiens restituere acceptum, & hoc in utroque foro, quia tunc præsumitur de novo officere velle, ratamque præteritam promissionem habere, quam invalidam esse scivit, ut constat *ex L. Si per vim, Cod. de his, quæ vi, metúsve causâ fiunt.* ¶ Si verò promissum illud implevit, judicans ad id se teneri, prioremque promissionem validam fuisse, ac eo errore ductus solvit, tunc accipiens id, quod accepit, restituere in conscientia tenebitur, quia æquitas non postulat ut quis ex injuria, vi, aut iniquitate sua commodum sibi, vel alteri reportet, quæ moraliter loquendo adhuc perseverat, & durat. *Fagund. sup. num.* 7.

17 Idem (in eodem sensu, quo suprà) de eo dicitur, qui à morituro per importunas preces efficientes involuntarium mistum obtinet, ut hæres instituatur, vel ut ei relinquatur legatum. Nec etiam tunc, casus, eum restituere teneri dicitur.

18 Item valet promissio, si quis, dum sibi iniquè, ac injuriosè metus incutitur, Deo, vel Sanctis aliquid vovet, ut ab eo periculo liberetur, eo quòd metus ille non est directè incussus ad extorquendum votum. ¶ Similiter valeret promissio simplex, qua aliquis aliquid promitteret alteri, ut ab eo periculo eum liberaret, quia ille, cui id fuit promissum, metum promittendi non incussit, nec alter respectu illius, & propter illum. ¶ Pariter etiam promissio valet, qua quis aliquid promitteret alteri, nè eum accusaret de crimine, de quo illum juste apud Judicem accusare posset, consequenterque eam promittens adimplere tenetur. Legatur Molina tom. 2. de Just. Disp. 267. §. *Si autem*, Bonac. sup. num. 14. Less. tom. 1. de Just. lib. 2 de Voto, cap. 40 Dub. 1. 10. ac 11. legantur & ea, quæ dedimus Tract. 27. cap. 1. Sect. 2. in Sublect.

SUBLECTIO II.

Circa illam diffinitionis clausulam Deliberata.

19 CLausula illa *Deliberata* in definitione appositа exiat ad ostendendum ad promissionem, quæ teneat, adeo plenam deliberationem, & attentionem requiri, quæ de se sufficiens sit ad peccatum mortale, ad meritum, & ad votum validum, & est ratio: quia pondus, quod sponte suscipitur, censeri non debet impositum, nisi plenus consensus adsit, & ideo tam votum, quam promissio non obligant, nec etiam sub veniali, si plena deliberatio non adsit. ¶ Deinde quia promissio est quasi Lex quædam privata, quam promittens sibi imponit, & hæc ultra intentionem imponentis eam non obligat, promittens autem in hoc casu non censetur se obligare velle, nisi plena advertentiâ, plenaque deliberatione posita. Legantur *Less. cap.* 18. *Dub.* 1. *num.* 3. *Molina cit. Disp.* 267. *Bonac. sup. num.* 3. *Lugo Disp.* 23. *Sect.* 1. *ac Sanch. lib.* 1. *de Matrim. Disp.* 8. *& lib.* 4. *Sum. cap.* 1. *à num.* 2. Unde hinc

20 Resolves primò ad promissionis valorem satis esse advertentiam plenam, non obstante passionis impetu, si esset sufficiens ad mortale peccatum, & est ratio: quia ad ligandum, vel obligandum subditum Lege, vel præcepto, non requiritur in Superiore, nisi quòd cum libertate, & advertentia plena id præcipiat, quod aliunde præcipi potest: ergo etiam ad se ipsum obligandum sufficit eadem libertas, & advertentia plena, quia jam tunc ex pleno, ac perfecto suarum actionum dominio operatur homo. ¶ Unde inferunt multi sequuti à Lugone sup. num. 17. vers. *tertia sententia*, & num. 18. ac 19. quod rarò continget quòd promissio ex defectu plenæ deliberatio-

nis

nis non obliget, sicut raro continget quòd homicidium, vel furtum ex eo capite excusetur a peccato mortali, quando in se sunt volita. ¶ Inferunt insuper temporis brevitatem non arguere plenæ deliberationis defectum ex eo, quòd statim promittenti pœniteat, quia id contingere potest, licet sufficiens advertentia præcesserit; hæc cum multis *Lugo*, quæ sunt valde notanda.

21 Dictum est: *Non obstante passionis impetu*, quia sententia probabilis est, quæ dicit ad promissionis valorem non solum advertentiam plenam requiri, quæ ad mortale peccatum sufficeret, sed etiam quòd non fiat ex vehementi passione, iracundia, &c. quæ videatur hominem rapere violentiâ quadam ad id, quod operatur, & ideo dolet, passione cessante, idque fecisse nollet; cui sententiæ omnes illi favent, qui id ipsum de omnibus contractibus, iracundiæ calore factis, docuerunt, allati à *Sanch. lib. 1. de Matrim. Disp. 8. num. 4.* sicut & omnes illi, qui docent votum, ac juramentum calore iracundiæ facta non obligare, excipientes solùm donationem causæ piæ factam, cujus sententiæ AA. *apud eit. Sanches* videre poteris.

22 Secundò semiplenam advertentiam, & deliberationem non satis esse ad promissionis valorem, sive promissio gravis sit, aut levis. Resolutio hæc quo ad primam partem est communiter recepta, & probatur: quia ea, quæ sub pleno hominis dominio sunt, sine hominis pleno consensu amitti non possunt; sed quando solùm est semiplena libertas, non datur plenus, sed solùm semiplenus consensus, non quidem integri hominis, sed semipleni hominis, (ut ita dicamus) ac ideo dicitur semiplena advertentia, quia homo quasi semidormiens non totus vigilat, sed semivigilat, vel semidormit; unde non consentit totus homo, sed semihomo, proindeque talis ille actus non dicitur totus humanus, sed semihumanus. Non igitur ad abdicandum dominium, & obligationem inducendam circa res, quæ pleno hominis dominio fuberant, satis; quia de his debet totus homo disponere, sicut totus homo earum est dominus, quod cum semiplena advertentia, ac deliberatione accidere non valet.

23 Ex quo jam manet secunda resolutionis pars probata, & insuper, quia res, etiam levis, est sub plena potestate, ac dominio promittentis, sine igitur ejus integro, & pleno consensu ab ejus potestate auferri non valet. Et licèt ob parvitatem materiæ ad gravem culpam promissio non obliget, id tamen ex defectu consensus non oritur, sed ex materiæ defectu, quòd verò attinet ad consensum, obligat, quantum potest. Et constituatur exemplo culpæ requisitæ ad incurrendam excommunicationem minorem, ad quam licèt leve sufficiat peccatum, non tamen sufficit, si sit veniale peccatum ob advertentiæ plenæ defectum, sed requiritur quòd sit commissum peccatum, sive sit mortale, aut veniale cum advertentia plena, quia alioquin non reputatur actus perfecte humanus, ut probat Suar. tom. 5. de Censur. Disp. 24 Sect. 3. num. 3. Et ita cum aliis tenet Rebell. lib. 18. cap. 1. num. 4. §. *Additum est*, ac Lugo sup. num. 21. & 22. legatur Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 1. num. 7.

24 Tertiò promissiones dementium, ebriorum, infantium, vel eorum, qui promissiones faciunt ex tanta animi perturbatione, quæ mentem, & rationem obnubilant, ac obtenebrant, invalidas esse; de iis autem, qui habent lucida intervalla, videndum est an tempore, quo quis promisit, sui compos esset, & valebit promissio, si sit cum plena libertate sufficienti ad mortale. Si tamen dubium fuerit an deliberata fuerit promissio, licèt *Sanch. lib. 1. de Matrim. Disp. 8. num. 13. ac lib. 3. Disp. 15. num. 9.* asserat in promissionis favorem præsumendum esse, quia possessio pro ipsa stare videtur; contrarium tamen verius est, & omnino tenendum, tenetque *Dicastill. Commilition. ejus lib. 2. Tract. 4. Disp. 1. Dub. 2. num. 12. ac Dub. 3. num. 31.* clariùsque *de Matrim. Disp. 1. Dub. 17.* nam eo ipso, quòd est dubium an facta fuerit promissio cum promittendi intentione, dubitatur an sit promissio? Atque adeo de promissionis possessione non constat, quia quod non est, possideri non potest.

25 Dicta tamen doctrina intelligenda non est de iis, qui insani sunt in una materia, vel altera, & in reliquis sanam mentem habent, ii enim circa res illas, circa quas mentem sanam habent, bene promittere, & contractus celebrare valent, ut communis docet, ac de quo *Lugo sup. num. 25.* qui *num. 26.* loquendo de ebrio notat quòd, licèt iste per se ipsum promittere, & contrahere nequeat, (adhuc quando antecedenter ad ebrietatem voluntatem habuit, quòd promissio in ebrietate facta esset valida, ad huncque finem se inebriavit, ut in ebrietate verba illa proferret, quibus promitteret; circa quod legendus est *Vasques de Matrim. Disp. 5. cap. 3. ac Lugo de Sacram. in gen. Disp. 8. Sect. 5. & 6.*) potest tamen per Procuratorem, cui, cùm sobrius esset, mandatum dederat; quare non vitiabitur matrimonium per Procuratorem contractum, licèt eo tempore, quo contrahitur, ebrius sit is, cujus nomine illud Procurator contrahit, quia, ac si tunc dormiret, perinde se habet.

SUBLECTIO III.

Circa illam definitionis clausulam Datio fidei alteri.

26 PEr clausulam illam *Datio fidei alteri* denotatur, & datur intelligi quód ad hoc, ut quis fidem det alteri, cum illo verbis, vel signis debet necessariò loqui, mediaque loquutione promissionem suam manifestare. Deinde verbis in illis *Datio fidei* necessariò connotatur acceptatio ex parte alterius, seu promissarii, quia dare, & acceptare sunt correlativa, neque fides dicitur data antequam acceptetur, nam ante acceptationem inchoata est promissio quædam, quæ dicitur *pollicitatio*. Legatur Palaus Disp. 2. de Just. P. 1. Unde ex hac doctrina

27 Resolves primó quid dicendum sit de promissione purè interna homini facta. Dicitur ergo quód talis promissio homini facta in foro conscientiæ, ac Jure naturæ, & quocunque alio non obligat. Est Div. Thom. 22. Q. 88. Art. 1. ubi sic legitur: *Promissio, quæ ab homine fit homini, non potest fieri, nisi per verba, aut alia exteriora signa, Deo autem fieri potest per solam internam cogitationem*; idem quod docet & in 4. Dist. 38. Q. 1. ibi dicens non posse quemlibet alteri obligari voluntate sola, nisi ei soli, qui voluntatis est agnitor, qualis Deus solus. Et pro veritate hac sat nobis *Div. Thom.* Sed, si tu plures vel s, lege *Lugonem sup. Sect. 2. num. 29. Dicastill. sup. Dub. 7. á num. 62. Bonac. P. 2. & Fagund. cap. 3.*

28 Secundò resolves (cum *Dicastill. num. 76.*) promissionem internam per modum voti, in gratiam hominis factam, veluti si Deo promisisti pauperi cuidam eleemosynam dare, firmitatem habere, consequenterque talem promissionem adimplère teneris, quia verè votum Deo est factum, qui internas promissiones de meliori bono, qualis ista, accipit: secus autem, si promisisti fœminam pauperem, ac indotatam ducturum, tunc enim talis promissio non tenet, subindeque eam non teneris implere, (juxta A. cum aliis contra *Molinam Disp. 263. & Covar. de Pactis, 2. P. cap. 4. num. 11. ac 16.*) quia talis Promissio non est de meliori bono, & est impeditiva maioris, qualis est cælibatus. Legatur Auctor.

29 Resolves tertiò quòd exterior promissio in nullo foro, ac Jure, etiam naturali, & in conscientia obligat ante acceptationem, consequenterque ante acceptionem ad promittentis libitum revocari potest, & hoc, etiam si coram testibus, publicoque Instrumento sit facta, (ac idem de Donatione, quæ in hoc, quod est acceptationem requirere, convenit cum Promissione) id quod habetur *in L. 1. ff. de pollicitat. L. Absenti, ff. de Donat. L. Nec ambigi 6. Cod. eod. tit. L. Si multum interest 6. Cod. si quis alteri, vel sibi*; quibus & aliis consonat Lex Lusitana lib. 4. Ordinat. tit. 65. §. 1. quatenus habet donationes simplices, cùm nec acceptantur, tunc demum perfici, id quod idem de promissione à fortiori dicendum erit. Legantur *Anton. Gomes 2. Var. cap. 9. Molina de Primog. lib. 4. cap. 2. num. 62. Less. tom. 1. de Just. lib. 2. cap. 18. Dub. 6. num. 35. & 33. ac Salmant. Tract. 14. de Contract. cap. 4. num. 68.* & quo ad Donationes legatur iterum Lusitana Ordinat. ubi suprà tit. 62.

30 Prædictam tamen resolutionem limitant DD. aliqui primò, ut non procedat in donationibus, ac promissionibus infantibus factis, vel aliis rationis usu carentibus, id quod ad infantem non dum natum extendunt & etiam, tales enim donationes, aut promissiones, inquiunt, acceptatione non indigent; sed valent, actionemque pariunt, tuntque ante acceptionem ipsius infantis irrevocabiles, id namque conceditur ei ob ætatis favorem. *Decius Consil. 245. num. 3. ac Molina de Primog. lib. 4. cap. 2. num. 75.*

31 Secundò limitant nè procedat in promissionibus, & donationibus factis Civitati in reparatione ædificii, igne, ruinâ, alio vel modo destructi. Idem quod dicunt de promissionibus, ac donationibus Reipublicæ factis ob honorem ab illa acceptum, vel recipiendum, aut in opus à Republica inchoatum promovendum. Layman lib. 3. Sect. 5. Tract. 4. cap 1. num. 2. Less. sup. num. 36 & probant *ex L. Pactum, L. Propter incendium, L. Ob casum, ff. de pollicit.* Et

Idem tertiò omnino dicunt esse dicendum de promissione, ac donatione facta ad causas pias, putà Ecclesiæ, Hospitali, &c. de qua asserunt ante acceptationem revocari non posse, subindeque ante illam obligare promittentem, ac adversùs eum actionem parere. Alii *apud Fagund. num. 7.* ut quid probabilius contrarium tenent. ¶ Sed in hoc casu *Salmant. sup. num. 69.* distinguunt, & dicunt quód, si promissio in honorem Dei fuerit facta, uti si quis dicat: *Ecclesiæ centum dare Deo promitto*, tunc ut votum obligat, à Deoque acceptatur; si tamen fiat immediatè Ecclesiæ, vel causæ piæ ante acceptationem, tunc, casus, non obligat, licèt verum sit posse à particulari quolibet acceptari, pluresque citant pro isto dicendi modo.

32 Quartò resolves quód, si promissarius, vel donatarius per se, aut per alium donationi, vel promissioni præsens existat, & neque verbis, nec signis donationem, aut promissionem

accep-

acceptet, (quod requiritur ad ejus valorem) sed taceat, nihilque circa acceptationem respondeat, licèt probabile sit quod taciturnitas, & silentium promissarii non sufficit ad acceptationem, ac consequenter nec ad promissionis valorem, prout tenet Decius in Rubr. Cod. de pactis, Gregor. Lop. L. 26. Part. 5. tit. 1. verb. *promissas.*

Contrarium tamen probabilius judicamus, nanque in hoc casu tenet regula Juris in 6. *Qui tacet, consentire videtur*, quæ cùm locum non habeat, cùm agitur de præjudicio tacentis, juxta *L. Filiusfamilias, ff. de Procuratorib.* consequens est, ut cùm de tacentis beneficio, & commodo agitur, locum teneat. ¶ Nec contra hoc aliquid agit illa altera regula Juris in 6. *Qui tacet, non fatetur, neque negare videtur*: primò, quia, ut notat Glos. ibi verb. *non fatetur*, regula illa non dicit: *non consentit*, sed *non fatetur*, & sic non contradicit hæc regula alteri regulæ de *Qui tacet, consentire videtur.* ¶ Secundò, quia secunda regula solùm in donatione, vel promissione onerosa locum habet, & regula illa prima in promissione, aut donatione gratiosa. *Sanch. de Matrim. Disp. 6. num. 11. Palaus Disp. 2. P. 3. num. 3. Villalob. Tract. 20. Diffic. 3. num. 6. ac Lugo Disp. 23. Sect. 5. num.* 82. de quo & jam nos ubi de Contract. in genere.

33 Resolves quintò promissionem absenti factam ante acceptationem non obligare; *L. Si tibi absenti, ff. de Donat. & L. Nec ambigi, Cod. eod.* ac ideo, si promittens, vel donator sit absens, nuntium, vel epistolam promissario, aut donatario absenti mittere debet, quo, vel qua absenti promissario, aut donatario nuntietur facta promissio, sive donatio, ut sic assensum suum pro ejus valore præsentare valeat. Legatur Sanch. de Matrim. Disp. 6. num. 18. lib. 1. Molina Disp. 264. §. *Dubium est, si quis absenti*, & Fagundes sup. num. 5.

34 Aliquæ tamen conditiones requiruntur, ut promissio (& idem de donatione) absenti facta per nuntium, vel per literas valeat, judiceturque acceptata. Et est prima, ut promissio, quæ per nuntium defertur, coram nuntio accipiatur, nec sat est, si coram aliis dumtaxat fiat. Et hinc infert Lessius lib. 2. cap. 18. Dub. 7. num. 43. ac multi alii (contra Sylvestrum verb. *Matrimonium* 1. Q. 12.) non valere matrimonium, quoties consensus contrahentis alterius coram alio, & non coram nuntio, aut alia persona ad hoc deputata acceptatur, eo quòd consensus promittentis, ac promissarii non concurrunt. Et idem judicium ob eandem rationem est de promissione, quam absens facit. Legatur Auctor.

Secunda conditio est, ut promittens promissionem non revocaverit, facta nanque revocatione, promissio non valet, tota enim hæc pendet à promittentis voluntate, qui donavisse, aut promisisse censetur sub conditione, *nisi revocavero.* Lessius ubi sup. & plures alii. Sed utrùm valeat donatio, quando donatarius acceptavit postquam donator revocavit mandatum? Variant DD. legatur *Dicastill. sup. Dub.* 10. *num.* 158.

35 Sextò resolves (in meliori sententia) quod, si donatarius, aut promissarius ante acceptationem è vita discedat, donatio, & promissio non obligat, nec jus acceptandi ejus hæredibus competit, quia acceptandi potestas potestas est personalis, quæ ad hæredes non transit, sed donatarii morte extinguitur. *Fagund. sup. cap. 4. num. 12.* cum aliis, *Salmant. sup. num. 74.* contrarium probabiliter tenent *Villalob. Tract. 20. Diffic. 3. num. 8.* uterque *Molina Theolog. tom. 2. Tract. 2. Disp. 264. Justicia lib. 4. de Primog. cap. 2. num. 77. Sanch. lib. 1. Decal. Dub. 6. num. 6.* & alii. ¶ Si verò res è contrà contingat, nimirum quòd donator, vel promittens ante acceptationem donatarii, vel promissarii moriatur, etiam non concordant DD. ut videre est apud citatos, apud quos aliqua alia rem hanc concernentia videbis. Legantur & *Salmant. sup. P. 4. §. 1.*

36 Resolves septimo quòd, si Petrus promisisset, vel donasset, putà fundum, Joanni conditione ea, lege, vel pacto, ut post ipsius Joannis mortem fundus transeat ad Paulum, Joannesque ante Paulum moriatur, tale pactum, conditionem, vel legem præstitam in Pauli favorem Petrus ipse revocare valet antequam Paulus acceptet. *Lugo sup. Sect. 5. num.* 85. *ac Sanch.* (apud quem plures probabiliter contrarium tenent) *lib. 1. Consil. cap. 6. Dub. 1.*

37 Octavò quòd, si remittas Petro 100. putà, quæ ipse tibi debet, licèt probabile sit *apud Lugonem sup. Sect. 3. num. 53.* non esse necessariam acceptationem ex parte debitoris, ut remissio teneat, ipse tamen Lugo oppositum tenet ut quid probabilius; pro quo facit legenda doctrina *Suar. lib. 6. de Legib. cap. 33. num.* 22. ¶ Si autem scire velis an ad valorem, & irrevocabilitatem promissionis, vel donationis satis sit quòd acceptatio adsit ex parte promissarii, aut donatarii, quin sit necessum quòd talis acceptatio ad notitiam promittentis, vel donantis adveniat, vide *Lugonem de Contract. in gen. Sect. 3. á num. 28.* & affirmativè respondebis, apud quem de hoc alia habebis.

SUBLECTIO IV.

Circa definitionis clausulam, vel verba illa, De re licita, & possibili.

38 EX dictis *de Restitut. in gen.* clarè constat ante patratum opus malum, vel peccaminosum, promissionem de illo faciendo, vel exequendo omnino irritam esse, nonque obligare, tam ex parte illius, qui operis mali exequutionem promisit, quàm ex parte illius, qui pro tali operis exequutione pecuniam, aut quid aliud dare promisit; id quod expresè docet *Div. Thom.* 22. *Q.* 39. *Art.* 7. *& Q.* 62. *Art.* 3. *ad* 2. *ibi legendus, ac Less. de Just. lib.* 2. *cap.* 18. *Dub.* 3. & plures alii. Et merito, quia nemo ad peccatum se obligare valet, unde sceleris promissor nullatenus post promissionem illud implere tenetur, sicut nec pecuniæ, stipendii, pretii, vel præmii promissor ante patratum opus solvere tenetur, non enim promisit, nec se obligavit ad solutionem, nisi post operis exequutionem. ¶ Quòd verò promissio debeat esse de re possibili constat etiam ex alibi dictis, & ex regula illa Juris in 6. *Nemo potest ad impossibile obligari.*

39 Utrùm autem post opus malum patratum promissor promissum pretium de justitia solvere teneatur, possitque talis operis mali patrator illud accipere, tutaque conscientiâ, ac sine restitutionis onere sibi retinere, constat etiam ex dictis *de Restitut. Tract.* 26 *cap.* 2. *Lect.* 10. legenda per totam. Et ex dictis clarè patet quàm bene definitionis particula illa *de re licita, & possibili sit* posita. Unde ex hic, & alibi dictis

40 Resolves primò promissionem homini factam de re bona, impeditiva maioris boni, validam esse (quidquid in contrarium non obscurè Caietan. asserat 22. Q. 123. §. *Ad horum evidentiam.*) Ratio est: tum quia promissio alteri personæ de matrimonio cum illa contrahendo facta est valida, & tamen bonum matrimonii impedit maius bonum statûs continentiæ, & Professionis religiosæ; tum, quia Theologi inter promissionem Deo, & homini factam distinctionem hanc facere solent, scilicet quòd homini facta sit valida, etiam de minori bono impeditivo maioris, secus autem de promissione Deo facta, eo quòd Deo id, quod est minus bonum, gratum esse non potest, relicto maiori bono, bene tamen homini. Itaque promissio homini facta satis est quòd cadat in rem bonam, sive quæ de se licita sit, & bona, licèt interdum ob maius bonum postponi poterit; qua ratione qui fidem dedit, & matrimonium alteri promisit, Religionem ingredi potest. Legantur *Tambur. de triplici Jure lib.* 9. *de Contract. Tract.* 8. *cap.* 5. *num* 8. *ad* 10. *& lib.* 3. *in Decal. cap.* 3. §. 2. *num.* 1. *& 2. ac Diz castill. lib.* 2. *Tract.* 4. *Disp.* 1. *Dub.* 5. *n.* 49.

41 Secundò resolves quòd omnis illa promissio ex Jure naturæ est irrita, cujus impletio illicita est venialiter etiam. Ratio datur: quia nemo ad peccatum, vel peccandum obligari valet, consequenterque etiam si juramento firmetur, erit invalida, & non obligabit, quia juramentum non est vinculum iniquitatis, ac juxta regul. 58. Juris in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.* Molina tom. 1. de Just. Disp. 149. Less. lib. 2. cap. 18. Dub. 4. num. 22. & Sanch. de Matrim. lib. 1. Disp. 52. num. 1.

42 Tertiò Jure positivo tam Civili, quàm Canonico irritæ sunt, & invalidæ promissiones omnes, quæ peccandi occasionem aperiunt, vel præbent, veluti si alicui promittas quòd in posterum circa contractum tecum initum de furto, fraude, dolo, vel injuria non teneatur, & quales etiam illæ esse solent, quibus testatores Tutoribus, & Curatoribus filiorum suorum promittunt, & concedunt ut de dolo, ac damno, quod in administratione bonorum filiorum suorum commiserint, non teneantur. Et

Idem dicendum de Dòminis concedentibus Procuratoribus suis, ac Æconomis, ut in administrationem rerum suarum de fraude, dolo, & damno non teneantur, quia hæc omnia peccandi occasionem patenter, manifestèque præbent, pro quibus omnibus legantur Less. sup. num. 23. Azor 1. P. lib. 11. cap. 7. §. *Prima pars*, ac Fagund. cap. 6. num. 9. notans ibi num. 10. Idem dicendum esse propter eandem rationem, quando Dynastæ, & viri potentes multùm de suorum Mordomorum, seu Æconomorum, aut Procuratorum, quorum longam experientiam habent, fidelitate confidentes, eis schedulas concedunt, vel in testamentis suis relinquunt, (id quod non semel evenire solet) ut post ipsorum Dynastarum, aut prædictorum Æconomorum mortem nec ipsi, nec hæredes eorum bonorum, quæ administrarunt, ratiocinium reddere teneantur, hujusmodi nanque schedulæ, & pactum in ipsis contentum uno, & altero Jure non valent, ut patet ex dictis, ac *ex L. Si unus, §. Illud, & §. Pacta, ff. de pactis, ac cap. Legem* 1. *Dist.* 13. ¶ Item Civili Jure, Legibus allatis, irritæ, & invalidæ sunt promissiones, conventionesque omnes, quæ testandi, ac liberè disponendi de rebus suis libertatem auferunt, uti si alicui promittas quòd illum hæredem institues; quòd testamentum tuum non revocabis; quòd ei 100. dabis, si eum hæredem non facias, &c. Legatur *Fagund. num.* 10. *& 11.*

43 Quæ-

43 Quartò quòd, si promissio sit circa rem, partim possibilem, & partim impossibilem, (circa rem omnino, seu ex omni parte impossibilem, vel illicitam nullatenus promissio modo aliquo tenet) partim licitam, ac partim illicitam, putà Romam ire ad tuam visitandam amasiam, & ad credita tua exigenda, quæ Romæ legitimè habes, tunc, casus, si promissa res dividua fuerit, nonque indivisibiliter per modum unius cum alia fuerit promissa, tunc quidem quo ad partem licitam, ac possibilem obligabit promissio ex regula Juris: *Utile per inutile non vitiatur*. Sed

Si sit individua, quæ videlicet separari non valeat, vel quanvis in se separari queat, illam indivisibiliter, & per modum unius promisisti, non utique tunc obligaberis, quia tunc totum ut sic impossibile, vel malum est, cùm malum sit ex quocunque defectu, & bonum ex integra causa, id quod verum, ut dictum manet, & si tali promissioni juramentum addatur. Et hinc *Bonac. de Contract. Disp.* 3. *Q.* 12. *P.* 1. *num.* 16. infert quòd, si promittas aureos 100. promissioque hæc respectu tui impossibilis sit, vel prodiga, unde illicita quo ad omnia centum, sed possibilis, & licita quo ad partem, putà 50. si indivisibiliter promisisti, inquit, promissio non valet, etiam si illam juraveris; si verò divisibiliter, valebit quo ad partem licitam, & possibilem, quia tunc maximè valebit illud: *Utile per inutile non vitiatur*.

44 Resolves quintò (cum *Dicastill. sup. Dub.* 5. *num.* 39.) quòd, si quis rem aliquam determinatam in individuo, vel singulari promittat, quæ tempore promissionis, aut solutionis perierat, nulla est talis promissio: quia impossibile est implere promissum, neque promittens aliquid aliud illius loco subrogare tenetur, prout ex multis Juribus probat *Molina Disp.* 271. Aliquando tamen contingere potest ut res promissa ita perierit, vel promissionis in tempore, vel ante tempus impletionis, ut ipsius maneat aliquid, aut in specie ipsa promissa, vel in aliquo alio resultante ex ipsa, & tunc in eo, quod extat relictum, adimplenda est promissio; putà si quis Petro determinatum hoc vini dolium promisit, & pars illius defluxit, aut totum dolium fuit in acetum conversum, id, & non aliud dare tenetur.

45 Sextò non valet promissio, si uxor, vivente marito, promittat matrimonium ei, cum quo adulteravit, seu adulteratur: *Cap. Si quis uxorem de eo, qui duxit in Matrimonium*, tenet Azor 3. P. lib. 4. cap. 21. Q. 18. & alii communiter, & constat ex alibi dictis. ¶ Item non valet promissio de conferendo Beneficio, quod primùm vacaverit: *Cap. Detestand. de concess. Præb.* eo quòd in his duobus casibus machinandi mortem & marito præsenti, & alteri Beneficium possidenti occasio datur. Legatur *Bonac. sup. á num.* 10. qui ibi dicit quòd ille, qui ducturum se fœminam, quam defloravit sub promissione matrimonii, Deo promisit, promissionem talem adimplere tenetur, quia, cùm promissio hæc sit de re, quam promissor facere tenetur, est de meliori bono, magisque Deo placet, quàm ejus omissio. ¶ Et idem dicit de eo, qui Deo promisit se in uxorem aliquam fœminam ad evitandam fornicationem ducturum, vel ad evitanda alia carnis peccata, cùm se imbecillem, & insufficientem ad carnis tentationes superandas cognoscat, quia melius est nubere, quàm uri in tali casu. Non tamen validè vovit, nec promissionem implere tenetur, si Deo promittit in ejus honorem meretricem, vel pauperem ducere, modò non promittat sub hac conditione: Si nubam, meretricem, vel pauperem ducam, quia tunc validè vovit. Legatur Auctor.

46 Est tamen hîc advertendum promissiones, sicut & omnia pacta, quarum, vel quorum exequutio non est illicita, si juramentum accesserit, in conscientiæ foro servanda esse, nec refert quòd hæc pacta contra bonos mores dicantur, modò promissio jurata impleri valeat sine peccato. Et sic usurarum promissio est contra bonos mores, quia exigendi usuras occasionem præbet, & tamen si juramentum accedat, impleri debet. *Cap. Debitores de jurejurando.* In hujusmodi tamen pactis juramenti dispensatio ab Episcopo exigi potest, si in illis injuria intercesserit aliqua, & tunc promissum non servari. Vide *Less. cit. cap.* 18. *Dub.* 4. Sed de juramento addito contractui jam alibi vidimus.

LECTIO II.

An simplex gratuita promissio acceptata ex justitia in re gravi ad sui impletionem sub mortali obliget?

47 IN multis circa rem hanc DD. convenient; conveniunt primò omnem promissionem de re licita, & possibili gratis, ac liberaliter homini facta, etiam de re levi, promittentem saltem sub veniali obligare virtute fidelitatis, qua homo homini fidem suam adstringit, nanque sicut veracitatis virtute tenemur verba menti consona proferre, nè mentiamur, ita fidelitatis virtute facta dictis conformare, nè infideles habeamur, infidelis enim, perfiduſque esset homo, qui fidem datam non servaret: ex qualibet promissione ergo obligatur homo in conscientiæ foro ad verificandum id, quod promisit, id, quod ipsamet naturalis

ratio

ratio expostulat, cùm ejus oppositum tranquillitati societatis humanæ manifestè noceat, nisi enim fidem sibi invicem homines servarent, nullatenus convivere possent.

48 Secundò conveniunt promissionem sub conditione onerosa alteri factam, purificata conditione, obligare ex justitia promittentem, cùm in tali contractu mutua ex utraque parte intercedat obligatio. ¶ Tertio omnem promissionem de re licita juramento firmatam, etiam de re levi, novam superaddere malitiam ob reverentiam Dei, sub cujus authoritate est facta. An autem talis malitia etiam de re levi sit mortalis? Controversum est.

49 Conveniunt quartò promissionem civilem, vel inducentem civile, seu legale debitum (qualis illa est, quæ fit coram Notario, & testibus, vel in chirographo cum subscriptione ita, ut ad ejus impletionem promittens in externo foro valeat cogi) obligationem legalem, ac per consequens debitum ex justitia inducere ita, ut si non serventur promissa, crimina duo incurrantur, nimirum perfidiæ, & injustitiæ, id quod constat (juxta *Caietan. in Sum. verb. Perfidia*) ex suo genere esse mortale peccatum.

50 Quintò conveniunt quòd, si infidelitas, vel violatio promissionis sit perniciosa, est ex genere suo peccatum mortale, utpote charitati, & multoties etiam justitiæ opposita; veluti si aliquis promittat alicui primo mane inchoato bello succurrere, ac promissum non servet; si aliquod secretum, quod magni refert, servare promisit, & revelavit: si Medicus periclitanti infirmo subvenire promittat, qua de causa Medicum infirmus non vocavit alium, nec vocare etiam poterat, ob quod ægrotus est mortaliter læsus. Si centum alteri in futuris nundinis promisisti dare, (& hoc etiam sine animo te obligandi) promissumque non servasti, ob quod alter emergens damnum patitur aliquod, vel lucrum ei aliquod cessat. Et in universum quoties promissa res ita Proximo est necessaria, ut oppositum ejus graviter ei sit nocivum, ac infidelitas perniciosa, est ex genere suo mortale peccatum.

51 Conveniunt sextò quòd promissio acceptata in aliquibus casibus obligare definit; primo quando non verificatur conditio, sub qua res fuit promissa, ut si promisisti 100. daturum te Petro, si filium suum ad studium, vel Conimbricam mittat, tunc, conditione non sequuta, non tenet obligatio: nam promissio non aliter promissorem obligare valet, quàm promissor ipse obligari velit, & in casu promissor solùm obligari vult casu, quo Petrus filium suum ad studia mittat; si igitur illum non mittit, cessat, nonque tenet obligatio.

52 Quòd si conditio sit de re præsenti, aut præterita, ea non subsistente, promissio est irrita; si de futura, obligare non definit, nisi pro tempore, pro quo apposita conditio non verificatur, unde tale tempus revocari nequit. Deinde quandoque promissio non est de fine, sed de mediis ad finem consequendum, & valet, etiam fine non consequuto, uti si dones electori ad ejus animum inclinandum, ut te in officium, vel Beneficium eligat, valet donatio, vel promissio, etiam fine non consequuto.

53 Secundo promissio acceptata obligare definit quoties status rerum, personarum, negotiorum, cæterarumque circunstantiarum ita variatur, ut, si cogitasses rationabiliter, non promisisses, vel à promissione facienda te retraxisses, quam regulam ex Seneca tradit Div. Thom. 22. Q. 110. Art. 3. ad 5. eamque confirmat Caietan. 22. Q. 88. Art. 1. §. *Quod enim*, & Q. 113. Art. 2. ad 4. ac tenent DD. plurimi. Legantur Salmant. sup. dicto P. 4. §. 1. num. 78. Et

Ratio suadet primò: quia sicut in Legibus locum habet Epikeia ad excipiendos eos casus, de quibus non est dubium quòd Legislator excepisset, si ei, cùm legem condidit, occurrissent, ut alibi vidimus, sic etiam in promissione gratuita, & liberali, quæ est veluti quædam Lex particularis, quam quisque sibimetipsi imponit, non censentur comprehensi eventus, & casus illi, (imò censentur excluſi) quos promissor, vel donator non comprehendisset, si prævidisset, cùm Epikeia non minus in uno, quàm in casu altero militet. ¶ Secundo: quia ea tantùm sub obligatione donationis comprehenduntur, ad quæ donanda donatoris intentio expresè, vel interpretativè se extendit, promissio nanque, aut donatio totam obligandi vim habet à voluntate explicita, vel implicita, seu virtuali, & interpretativa donantis, aut promittentis; sed donatoris, vel promissoris intentio nullo ex dictis modis se extendit ad ea, quæ rationabiliter, variato rerum, ac personarum, &c. statu notabiliter, in sua promissione, aut donatione non comprehendisset: ergo, &c. Tertiò: quia hìc applicanda venit regula illa Juris in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus.*

54 Sed hìc notandum diligenter venit non esse scilicet idem in promissione tua includere nolle, quæ si tempore promissionis, vel donationis menti occurrissent, non promisisses; & non bene penetrare id, quod promittis, quo postea bene meditato, sive penetrato, nolles te promissionem fecisse, multi nanque Castitatem, & Religionem promittunt, non præcogitatis, penſatis, ac penetratis difficultatibus

bus multis, quæ in Religione, & Castitate servanda sunt, & reperiuntur, vel postea superveniunt, aut suboriuntur, quæ si promittentes benè cogitassent, ut ipsimet fatentur, non vovissent, ac tamen non ideò excusari a voto dicuntur, & multi matrimonia inire promittunt, ac jurant, quorum onera si plenè cognoverint, profectò non promisissent, & multò minus jurassent, ac tamen nullus est, qui dicat talem promissionem non obligare, quia vota, & promissiones non obligant ex iis, quæ quis, si prævidisset, non fecisset, sed ex promissionibus iis, quas quis fecit. Circa quod legatur *Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 19. num. 8. Cajetan. sup. Q. 88. Art. 3. Dub. 2. Fagund. cap. 11. à num. 3.* ac præcipuè *Dicastill. supra Dub. 8. à num. 117.* Unde

55 Ex dictis cessat promissio, nonque promissum adimplere teneris quoties res promissa, vel ejus exequutio impossibilis, vel illicita redditur, fit aut promissario inutilis, vel certè magis nociva promittenti, quàm promissario utilis. Unde promissum adimplere non teneris, si putà promisisti in festo Sancti Joannis te ejus Templum visitaturum, & eo die, vel antea in morbum incidisti, aut aliter impeditus fuisti; si promisisti te Religionem ingressurum, & pater tuus extremè tua operâ indiget, id quod verum, etiam si talis promissio sit juramento firmata. *Cap. Quemadmodum de jurejurando*, quia nemo ad impossibile, & illicitum obligari potest. Item non teneris, si opera tua alteri promisisti ad certum tempus ad certum peragendum negotium, & postea tunc temporis aliquis graviter ægrotet ita, ut tua præsentiâ indigeat, neque occupationi utrique tempore eo sis sufficiens. Et sic in similibus; mutatus est enim rerum status. Cajetan. 22. Q. 113. Art. 1. Molina Disp. 272. §. *Deinde*, legantur Salmant. sup. num. 78.

56 Deinde promissio non obligat, vel ejus obligatio suspenditur, quando duo viciſſim sibi aliquid promittunt, ac eorum unus non vult stare promissioni, & hoc non solùm, quando promissiones se mutuò respiciunt, id est, quando ultima promissio facta est propter priorem, intuituque illius, & veluti in recompensationem prioris, (id quod soluni concedit *Navar. in Sum. Latina, cap. 18. num. 7.*) Sed etiam quando non se mutuò respiciunt, nec una dependet ab altera, sitque quocunque modo reciproca, & respectiva, tunc enim poterit unus promittens à promissione recedere, recedente altero, ac illo eam non implente, illam non implere, quia suam promissionem non implet, indignum se reddit, cur ab altero promissio servetur. Nec tenetur promissionem servare qui promissionem fecit intuitu compensationis, promissionis ab altero sibi factæ, promissionem altero non implente suam. Molina sup. §. *Dubium est*, Less. lib. 2. cap. 18. Dub. 10. num. 75.

57 Rursus definit obligare promissio remissione promissarii. ¶ Item cessatione finis principalis. ¶ Item is, qui promissionis in tempore promissarii erat amicus, si ante traditionem superveniat inimicitia mortalis, ad promissionem non tenetur, quia in promissione ex interpretativa promittentis mente inimicitiæ tantæ carentia imbibitur. ¶ Item sponsi sponsalia non tenentur servare, si res notabiliter mutentur, de quo jam suo loco dictum. ¶ Item non teneris, si aliquid promisisti, & postea in tam gravem egestatem deveniſti, ut solvere non possis, quia jam adimpletio moraliter reddita est impossibilis, & notant Molina sup. §. *Similiter*, ac Less. sup. num. 74. Quòd, si postea ad meliorem fortunam deveneris, non teneris implere promissum, quia ad id non te obligasti.

58 Ulteriùs, si Petro equum tuum, vel aliud promisisti, & postea eundem equum Paulo promittis, juramento addito, licèt probabile sit prævalere posteriorem promissionem juramento confirmatam, quod aliqui tenent *apud Sanch. de Matrim. lib. 1. Disp. 50. num. 1.* ipse tamen *num. 2.* contrarium tenet, ac est id, quod est probabilius. Legatur Auctor, & etiam *Lugo sup. Sect. 7.* His ita de re ista præjactis, atque scitis, nunc

Ad punctum.

59 ADid ergo, quod titulus Lectionis istius importat, & dicit, dicitur in puncto hoc quatuor, ac omnes probabiles, in praxique tutas, sententias adesse, quarum prima dicit peccatum esse mortale promissionem acceptatam non adimplere, ad illamque adimplendam promissorem ex justitia obligatum esse, etiam si nullum aliud damnum inde promissario eveniat (in quo sensu Lectio ista procedit) præter hoc, quod est re promissa carere, & pro ista sententia duodecim *a Salmant.* citantur AA. *sup. num. 79.* citantur plures, & alii *à Lugone Sect. 6. num. 89.* ¶ Secunda sententia obligationem esse gravem, ac ex justitia negat. Et hanc tenent etiam plures *apud Salmant. sup. num. 81. & apud Lugon. sup.* ¶ Sententia tertia dicit pendere ex promittentis intentione quòd promissio acceptata in materia gravi graviter obliget, vel non ex justitia, aut ex fidelitate. Et hanc tenet *Molina tom. 2. Tract. 2. Disp. 262. ad fin. Villalob. tom. 2. Tract. 20. Diffic. 2. num. 5. ac 6. Rebel. 2. P. lib. 18. Q. 4. num. 5. Reginald. lib. 25. num. 96. Baun. tom. 3. lib. 5. Tract.*

Tract. 1. de Promiss. Q. 12. à Sancto Fausto Disp. 20. Q. 57. num. 4. Tambur. de triplici Jure, lib. 9. de Contract. Tract. 9. cap. 7. §. 5. num. 2. Lugo sup. num. 90. & alii.

Quarta denique sententia duo dicit; prim. contra primam dicit per se loquendo promissionem simplicem, ac gratuitam solùm obligare sub veniali, secund. dicit contra tertiam repugnare aliquem velle solùm se obligare ex promissione simplici, & quod simul ex debito justitiæ velit se obligare, & hanc tenent, ex multisque probant (id est, quod nos etiam fecimus alibi) *Salmant. sup. legendi a num. 82. ad 86.* cum multisque *à Spiritu Sancto sup. Sect. 3. num. 468.*

LECTIO III.

Quis pro absente promissiones, ac donationes acceptare valeat?

60 LEctio ista id, quod est certum, supponit, videlicet pro absente promissionem, & donationem acceptari posse, ac quærit quis id pro absente facere valeat? Sed ante resolutionem notandum venit primò nos in præsenti de contractibus lucrativis loqui, id est, de promissione, vel donatione liberali. In contractibus nanque onerosis, cùm ex utraque parte inducatur gravamen, certum est utriúsque nempe promittentis, & promissarii consensum adesse debere, saltem per legitimum Procuratorem, quia tunc jam in Procuratore ipse principalis consentit, uti expresè habetur in Jure *Instit. de inutilibus stipulat. §. Si quis alteri*, ac tenet Molina Disp. 264. §. 5. Sanch. ib. 1. de Matrim. Disp. 7. num. 12. docent & plures alii.

61 Secundò quód quando promissor, vel donator præsenti loco absentis donare, aut promittere voluerit, ad præsentem, non verò ad absentem verba dirigere debet, ut sic tam voluntas ipsius promittentis, vel donantis, quàm ipsius accipientis simul concurrere possit. Exempli causâ, Petrus cupit donare Paulo præsenti pro Francisco absente, seu in gratiam Francisci absentis, ita dicere debet: *Promitto tibi Paulo me daturum Francisco hoc, vel illud*, putà 100. aureos, laminam, vestem, equum, &c. quia sic dicitur voluntas promittentis, & acceptantis simul concurrere, dum Paulus verè pro Francisco acceptat. Ita *Covar. ex communiss. sententia in cap. Quanvis pactum 2. P. §. 4. num. 12.* ¶ Aliquando autem illud *tibi* exprimere essentiale non est, sed sufficit ut illa intentione fiat, uti si dictus promissor coram Paulo diceret: *Promitto me daturum Francisco* 100. & Paulus acceptat, esset vera, ac bona promissio, quia jam ambæ contrahentium voluntates concurrunt: *L. Quoties in stip. ff. de verbor. oblig.* Legatur Fagund. sup. cap. 7. num. 2. ibi docens quod, si verba dirigantur ad absentem, veluti si donans dicat: *Centum promitto Francisco absenti*, ille, qui præsens est, nomine absentis acceptare non potest, ideo talem promissionem revocari posse dum ab eo, qui absens est, acceptata fuerit. Et citat *Less. de Just. lib. 2. cap. 18. Dub. 7. num. 49.*

62 Tertiò quòd ille, qui nomine absentis acceptavit, dictam promissionem, vel donationem promissori condonare non valet, quia jam absens acquisivit jus ad acceptationem, ac nemo in præjudicium tertii licitè, aut justè aliquid facere potest, nec aliquem jure sibi quæsito privare. Promissor tamen non tenetur promissionem illam exequutioni mandare, donec absens de facto per seipsum acceptet, quia, si ipse non acceptat, nulla redditur stipulatio, etiam si in damnum accipientis esset, cujus ea est ratio: quia præsens acceptans promissionem illam non nomine suo, sed nomine absentis acceptavit, si igitur absens non acceptaverit illam, irrita manet. Legatur *Bonac. de Contract. Disp. 3. Q. 11. P. 3. à num. 1. Diz. castill. lib. 2. Tract. 4. Disp. 1. Dub. 9. Covar. 1. Var. cap. 14.* His ita notatis, ad id, pro quo titulus clamat,

63 Dicitur quòd omnis ille, cui ex Jure pro absente acceptare competit, & omnis ille, cui id negotii committitur, ac omnis ille, qui ex promissione, vel donatione absenti facta aliquod sibi commodum reportat, donationem, aut promissionem pro absente acceptare valet, si ad ipsum promissionis verba dirigantur. Ratio exhibetur: quia id ita pro communi bono statutum est à Legibus, vel quia non rarò dictæ acceptationes in bonum præsentis, & acceptantis pro absente redundant, atque adeó adest acceptatio præsentis. *Molina Disp. 264. Reginald. lib. 25. num. 77. Sanch.* videndus *lib. 1. de Matrim. Disp. 7. num. 12.* cum multis *Diçastill. sup.* legatur etiam *Mentica Tract. 2. de Tacitis convent. tit. 25. ac 27.* Unde cum dictis, & aliis

64 Resolves primò quód omnis ille, qui ab altero specialem, vel generalem facultatem acceptandi habet, pro ipso absente stipulare, & acceptare valet, & sic id facere possunt Procuratores Principum, Civitatum, Oppidodum. Molina sup. Disp. 264. §. *Procuratores.*

65 Secundò omnis ille, qui aliis subditur, vel sub aliorum potestate existit, acceptare potest pro iis, quibus subditus est, putà mancipia pro dominis suis; mancipia enim, sive præsentia acceptent pro se, quando ipsis fit promissio, aut pro dominis suis absentibus, semper

semper res, quas acceptant, ad eorum dominos pertinent non minus, ac si domini ipsi eas acciperent, id quod adeò verum esse dicitur, ut etiam acceptatio, quæ fit a mancipio, cujus solum usumfructum dominus habet, valida sit, & valida etiam ea, quæ fit à mancipio, quod bona fide possidetur, sive alienum sit, aut homo liber. Quæ omnia *Fagund. sup. num.* 8. multis ex Legibus. Vide etiam *Molinam ubi sup. ac Less. sup. cap.* 18. *num.* 47. Et eadem ratione filiusfamilias potest acceptare pro patre, Religiosus pro suo Prælato, & Conventu, quia omnes aliquam utilitatem inde reportare censentur, vel quia isti censentur in Jure una persona quo ad hunc effectum. *Less. ac Molina suprà.*

66 Tertiò omnis ille, qui curam alterius gerit, nomine ejus acceptare valet, uti Prælatus, aut Parochus nomine propriæ Ecclesiæ, Tutor nomine pupilli, Curator nomine minoris, pater, vel mater pro filio, & filia: (licèt oppositum quo ad matrem, attento Cæsareo Jure, & antiquo Castellæ, sit probabile *apud Sanch. num.* 4. *& 5.*) ii enim omnes commodum reportare censentur, promissionem acceptando pro eis, quorum curam gerunt. Item Princeps pro subditis, & vassallis, quia, cùm possint illis facultatem dare ad acceptandum pro aliis, & pro se, à fortiore, potioreque jure ipsi illam habent. *Less. sup. Dub.* 7. *num.* 47. *Sanch. lib.* 1. *de Matrim. Disp.* 7. *num.* 11. Item quæcunque aliæ personæ publicæ, hoc est, Magistratus, vel Judex pro subditis, Universitates pro singulis ex Universitate.

67 Quartò idem dicitur de Tabellionibus, & Notariis, id est, quòd possunt nomine partis absentis acceptare ab aliis, qui ad idem Judicium, causamque pertinent, id enim eis competere dicitur, si in Judicio fiat, *L.* 1. *ff. exigeret, Cod. de Magistr. converf. L. Non aliter, ff. de adopion.* ac tenet Molina dicta Disp. 264. ¶ Utrùm autem extra Judicium Notariis, & Tabellionibus pro absentibus in scripturis promissionem acceptantibus, necessarium sit ut accedat acceptatio, seu ratihabitio promissarii, vel donatarii, ut donationes, aut promissiones firmæ, ac irrevocabiles maneant, sicut manent aliæ, quæ acceptantur per alias personas, quæ de Jure acceptare possunt? Ut quid probabilius affirmant Covar. in Rubrica de Testam. P. 3. num. 13. & 1. Var. cap. 14. à num. 12. cum aliis Molina sup. §. *Quid de re hac sentiam*, ac de Lusitano Jure habetur expressè *lib.* 4. *novæ Ordinat. tit.* 63. circa quod vide *Cabed. Decis.* 186. legatur etiam *Fagundes sup. a num.* 15. usque ad finem cap. apud quos DD. res ista probatur, sufficienterque stabilitur, ac ideo legendi sunt omnes.

68 Quintò creditor pro debitore acceptare valet, socius alicujus contractûs pro socio in eodem contractu, uxor pro marito, maritus pro uxore, frater pro fratre, quando fratris acceptantis interest, aliàs non. ¶ Item, si pœna in aliquo contractu in gratiam alicujus tertii sit apposita, talis iste tertius promissionem absenti factam acceptare potest. Covar. in cap. *Quamvis pactum, L.* 2. §. 4. *num.* 5. & tenet Less. sup. Dub. 7. § *Tertiò*, constat etiam ex §. *Si quis alii, Inst. de inutilibus stipulat.* ¶ Item quilibet particularis, vel privatus potest pro causa pia, seu piis locis acceptare. Sanch. sup. Dub. 7. num. 10. & est magis communis sententia DD. licèt Molina sup. §. *Parochus* contrarium teneat. ¶ Item quilibet potest pro alio in causa dotis stipulari, seu promissionem pro eo acceptare, quod expressè habetur *in L. Caius, ff. solut. Matrim.* estque communis sententia DD. quos refert *Tiraquel. de Privileg. piæ causæ, Privil.* 114. *num.* 1. docetque *Sanch. sup. num.* 11.

69 Non tamen possunt pro aliis stipulari, vel promissionem, aut donationem acceptare sequentes. Primi famuli mercenarii pro dominis suis absentibus. ¶ Secundi subditi, seu vassalli pro Principe. ¶ Tertii Magistri pro discipulis, & è contrà. ¶ Quarti nec filius sui juris, qui jam à patria potestate fuit egressus, pro patre, aut matre, & è contrà, nisi ad id specialis, aut generalis facultas adsit, & non alia ratione, nisi quia sunt sui juris. Cit. §. *Si quis alii*, ac tenet Molina sup. §. *Alia verò*, & Less. Dub. 7. num. 47. ac est communis. ¶ Est tamen advertendum cum *Tamburr. de triplici Jure, lib.* 9. *Tract.* 9. *cap.* 7. *num.* 25. quod aliquando per accidens possunt omnes isti pro dictis stipulari, seu promissionem acceptare, quando videlicet, ut dictum est, sua interest stipulatio, & acceptatio. Et est sententia pro utraque parte probabilis, sequentes pro aliis promissionem acceptare posse, nempe patrem pro filio emancipato, sive qui jam est sui juris, matrem pro filiis, & Notarium promissiones, ac donationes ad ipsum directas, sed absenti factas. Vide *Tamburr. cit. à num.* 26. qui ibi plures citat pro una, & altera parte.

LECTIO IV.

Cui res promissa pereat, & quid, si pereat, & aliquid ex illa remaneat, ac quid de Promissione distinctivè, & copulativè facta? Agitur & etiam de Promissione rei incertæ.

70 Dicitur quòd, si res promissa est in individuo, certa, & determinata, in certumque diem solvenda, (putà promissi,

fisti, vel donasti hunc librum, hanc ovem, &c. dandam die Sancti Joannis Baptistæ) tunc, casus, si sine fraude, vel dolo, tua vel culpâ lata pereat, & promissio, vel donatio jam erat accepta, non tibi, sed donatario, vel promissario perit: quia, cùm sit promissio, & donatio rei certæ, determinatæ, & signatæ, ad illam, nonque ad aliam intentionem tuam limitasti: illa ergo pereunte, aliam solvere non teneris; si tamen tua culpâ lata pereat, tibi perit, sicque similem aliam teneris, aut illius valorem solvere. Quòd si ex re perempta remanserit aliquid, retinendo speciem, quam habebat, putà si res promissa navis, domus, &c. erat, & ex ea remanserunt tabulæ, ligna, vel lapides, &c. promissario, vel donatario debentur, quia eadem est ratio de toto, ac de partibus: sicut ergo, si totum non periret, sed remaneret, deberetur totum, ita dicendum de partibus. Molina tom. 2. de Just. Disp. 269. §. *Quo ad secundum*, ac tom. 1. Disp. 194. §. *Cum hactenus.*

71 Sed est notandum quod Molina §. illo *Quo ad secundum* notat quòd, si res promissa, vel donata fuerit hic numero equus, hic numero bos, &c. & ante traditionem pereat, promissario, aut donatario perit ita, ut carnes, partes, corium, &c. non ad donatarium, vel promissarium, sed ad ipsum donatorem, aut promissorem pertineant, etiam si jam sit acceptata, cujus fundamentum est purè, mereque Philosophicum, quia (ait) partes istæ, quæ remanserunt, non verè sunt partes illius animalis, quod fuit promissum, & acceptatum, nanque quando promissum fuit, animal erat, & modò est cadaver, ac cadaver à se ipso vivo distinguitur specie, cùm distinctam formam habeat, constituens distinctum specie compositum, & distinctas specie partes, quanvis oculis, tactu, ac sensibus externis id ipsum, quod erat antea, videatur. Quod videtur expressum *in L. Mortuo bove in principio, ff. de legat. 2.* docet Gloss. & ibi Barthol. & cum multis Anton. Gomes 1. Var. cap. 12. num. 16. ac 41.

72 Item docet Molina dicto §. *Quo ad secundum*, & Covar. in c. *Quanvis pactum*, 2. P. §. 5. à num. 4. quòd, si res promissa, certa, ac determinata, solvenda ad certum diem, ante solutionem, & traditionem periit, promissori perit, si fuit in mora, & culpâ illam tradendi, ac non fuit impeditus, ut illam suo tempore tradat, & proinde tenetur ipse promissor ad æstimationem valoris ipsi promissario.

73 Similiter quando promissa fuit pars aliqua indeterminata de toto aliquo certo, ac determinato, si illud totum, ex quo pars illa solvenda erat, periit, promissario perit, ad nihilque promissor teneretur, uti si Petrus ex tritico hujus navis modium unum tibi promittat, si totum navis triticum perit, ad nihil ille tibi tenetur: *L. In navi, ff. locati.*

74 Si res promissa erat mancipium certum, ac determinatum, putà mancipium *Paulus*, & antequam promissor esset in solvendi mora, cum interficiat ob crimen adversus dominum morte dignum commissum, veluti si illum occidat, quia cum uxore adulterantem reperit, vel cum filia concubantem, ad nihil omnino tenetur, nanque si tale mancipium interfectum alienum esset, ad illius valorem non teneretur, maneretque in recompensationem illius gravissimæ injuriæ ab eo illatæ, neque ergo ad valorem illius tenebitur, si sit suum, jamque promissum, & acceptatum, quia quando gratuitè illud promisit, moraliter censetur hic casus exceptus. Et hoc intellige de interemptione auctoritate propria facta, nam si auctoritate publica id fecerit, res est certa, ac indubitata. Legatur Molina Disp. 269. §. *Quando res.*

75 Si res promissa indeterminata in individuo erat, uti si ex magno, & numeroso grege animal unum indeterminatè promittas non designando quale, tunc, casus, si fortuito casu multæ res indeterminatæ ex tali grege pereant, promissori pereunt, sicque à promissione non liberabitur, nisi ad tantam pauperiatem deveniat, ut prudenter talis eventus censendus sit exceptus: L. Incendium, Cod. si certum petatur, & tenet Molina dicta Disp. 269. §. *Denique quando.*

76 Sed quid, cùm aliquid omnino indeterminatum homini promittitur, putà cùm aliquis alteri promisit animal, non explicando quale, aut frumentum, nulla explicata quantitate, vel qualitate illius ita, ut neque ex verbis promittentis, nec ex circunstantiis promissionis, quid, vel quantum promissum sit intelligi possit? Valebit nè dicta promissio? Variant DD. & probabiliter omnes; affirmativa pars tamen est probabilior: sed quantitas, & qualitas rei promissæ prudentis arbitrio determinanda erit, pensatis, perpensis, & consideratis, omnibus circunstantiis personarum, materiæ subjectæ, impellentisque causæ ad promittendum, ac vovendum, si de eo factum fuit votum. Legantur Azor Institut. Morali, tom. 1. lib. 11. cap. 20. Q. 2. Sanch. lib. 4. Sum. cap 22 num. 4. & Molina Disp. 268. §. *Ex quo infert.*

77 Sed si aliquis promitteret alteri (& idem de voto Deo facto) gratiosè, ac liberaliter mensuram tritici, aut vini, &c. non explicando quam mensuram, vel qualis tritici, vel vini; quæritur an per quamlibet minorem mensuram, minorisque bonitatis, tali promissioni, vel voto fiat satis? Non concordant

DD.

DD. legatur *Fagund. cap.* 12.

80 Quo ad alteram Lectionis partem dicitur quod, si promissio disjunctive fiat, disjunctioque sub personas cadat, uti si dicas: *Promitto tibi me, vel Antonium soluturos tibi id, quod tibi Petrus debet*, tunc, consentiente Antonio, uterque pro rata tenetur, unusquisque scilicet pro sua medietate debitum solvere, uti ex se constare videtur; Antonio tamen non consentiente, tunc tenetur is, qui sub ea forma promisit, integrum debitum in solidum solvere, & idem dicendum, si Antonius consensit, & non potest solvere; si verò promissor copulativè promisit ita dicendo: *Promitto tibi me, & Antonium soluturos tibi debitum Petri*, tunc, sive Antonius contentiat, aut non, is, qui promissionem fecit, solùm tenetur dimidium solvere, illa nanque copulatio illas duas conjunxit personas, quo ad solutionem, & utramque tantùm pro dimidia parte. Legatur Molina tom. 2. de Just. Disp. 270. §. *Quid, si qui se.*

81 Si autem disjunctivè promissio fiat, ac super res cadat, quæ plures sint, uti si dicas: *Promitto tibi Petrum, vel Paulum mancipia*, tunc, si promissarius acceptavit, & promissario ipsi expresse non fuit commissa electio, in potestate promittentis erit id, quod maluerit, solvere; si tamen post acceptationem, ante promissionem impletam, illorum pereat unum sine culpa etiam promissoris, promissor alterum remanentem servum solvere tenetur. Bene tamen poterit promissor, uno pereunte servo, (ac idem de qualibet alia re) offerre, & dare promissario valorem remanentis superstitis, si illo egeat, aut multùm afficiatur ad illum, quia non est credendus per promissionem gratuitam tantam sibi promissor voluisse obligationem imponere, ut in eo casu valorem reddere non possit. Sed, si res culpâ lata promissoris pereat, tunc potest promissarius non esse contentus pretio, vel valore illius, sed velle accipere rem superstitem: si autem postquam promissor eam rem eligit, ut eam solveret, ipsa absque ejus culpa periret, eam, quæ remanet, solvere non tenetur, neque illius pretium, aut valorem, sed promissario ipsi periret; quæ omnia tenet, & probat multis ex Legib. proximè adductus Molina §. *Quando promissio.*

Si res promissa una fuit in singulari, & ambigitur quænam ex pluribus sit, uti si te habente tres, vel plures equos ejusdem omnino coloris, putà tres equos albos, ita promissionem fecisti: *Promitto tibi meum equum candidum*, tunc, si ex circunstantiis concurrentibus constare non possit quem promissor intellexerit, electio, & optio est penes promissorem, ac ejus hæredes; si duo tamen sint equi promissi, vel sint duo, & unus tantùm promissus, unusque illorum pereat, promissor alterum non tenebitur solvere, sed tunc juramento promittentis standum erit, quemnam intellexerit, ac si ipse promittens se determinare non possit, vel jam sit defunctus, omninoque ignoretur an res promissa sit illa, quæ supereſt, tunc, casus, res illa, quæ manet superstes, si sit divisibilis, dividenda erit; & si non sit divisibilis, dividenda est ejus æstimatio inter hæredes promissoris, ipsumque promissarium, aut ejus hæredes. Sed, si promissor est certus quam promittere intenderit, si intendit illam, quæ perit, ad nihil in foro Poli tenetur, bene tamen, si intendit quæ sunt superstes; si verò dubius est, & quæ perit, sine culpa ipsius perit, ad dimidium tantùm tenetur, si autem ejus culpâ lata, ad totum tenetur. Molina sup. §. *Quando res*, Fagund. cap. 10. notans num. 8. quod quando promissor de una re promissionem intelligit, & promissarius de alia, talis tunc promissio non valet.

CAPUT II.

De Donatione.

CUm Donatio Promissioni multum sit affinis, & quandoque ejus effectus, idcirco, postquam nuper de Promissione egimus, sequitur ut etiam nunc de Donatione tractemus, pro ea sit ergo

LECTIO I.

Quid, ac quotuplex sit Donatio, & qualiter á Promissione simplici differat?

1 GRatuita, ac liberalis *Donatio*, de qua hic fermo, quæ dicta sic est à *dono*, quasi *doni datio*, ut ait *Jurisconsultus in L. Senatus* 35. §. 1. *ff. de mortis causa donat*, quatenus donum, debet esse liberale, & gratuitum datum, omne debitum ex justitia à se relegans, nihil aliud est, juxta Salmant. tom. 3 Tract. 14. cap. 4. P. 5. num. 87. quàm *rei licitæ, nullo Jure cogente, mera liberalitate facta collatio*, ac juxta Scotum in 4. Dist. 15. Q. 2. *est datio rei mere liberalis*, & juxta Div. Thom. 1. P. Q. 68. Art. 2. *donum est gratuita datio ex amore*, & adhuc breviùs juxta eundem Sanctum Doctorem ibid. Q. 38. Art. 2. legendus etiam 1. Sent. Dist. 18. Q. 1. Art. 2. *est irreddibilis datio*: dicitur autem *irreddibilis*, quia non fit intuitu retributionis, sed animo mere gratuito, ac liberali, licèt non repugnet illam etiam fieri posse ex virtute gratitudinis; ly autem *datio* dantis actionem dicit, naturâ sua sufficiens ad dominium transferendum in donatarium, quæ fit

vel traditione rei, aut promissione, donatio namque duplex est, quædam, quæ incipit à reali traditione rei donatæ, & quædam, quæ à promissione incipit; prima est *perfecta donatio*, dominium transfert, datque jus in re, secunda *imperfecta*, datque solum jus ad rem; unde si rem jam tibi promissam, ac non dum traditam, alteri gratuitò, vel aliquo alio titulo tradam, alter rei talis dominium acquirit, & tu solùm adversùs me personalem actionem habebis, ut tibi talis rei æstimationis compensationem faciam.

2 A Promissione simplici etiam acceptata Donatio differt, quia, licèt hæc in promissorem ad solvendum promissario suo tempore promissum obligationem inducat, non tamen dominium rei in promissarium transfert, hoc enim non nisi rei traditione regulariter transfertur. *L. Traditionibus de pactis ibi, traditionibus dominium rerum non nudis pactis transfertur.* Donatio autem traditione completa rei dominium perfectè in donatarium transfert. ¶ Ex quo discrimen oritur aliud, & est, ut in rem tantùm promissam, & acceptatam, & alteri traditam nullam habeat promissarius realem actionem illam sibi vendicandi, sed tantùm personalem in promissorem, ut nuper dicebamus; è contrà verò donatarius vi donationis sibi per traditionem factæ realem actionem habet in rem donatam, ut eam sibi jure vendicare valeat, ubicunque, & apud quemcunque reperiatur.

3 Donatio præter illud, quod de ea dictum est num. 1. alia est mere, ac *purè gratuita*, quæ scilicet, nulla præcedente obligatione tam justitiæ, quàm gratitudinis ex parte donantis, & prorsus sine ullis donatarii meritis à donatore exhibetur, totaque, quantaque est, fundatur in mera liberalitate donantis.

4 Alia est *remuneratiua*, & hæc ea est, quæ fit ex aliqua obligatione, non quidem justitiæ, sed gratitudinis ex parte dantis, ob donatarii merita, ad remunerandum scilicet beneficium à donatario acceptum, juxta mensuram beneficii accepti, & ut hæc remuneratoria donatio in externo etiam foro valeat, sat est ut donator dicat se ob merita donatarii donare, quin opus sit ejus merita probare, id quod cum Menoch. Mascard. Garcia, & aliis docet Diana Coordinat. tom. 6. Tract. 7. Resol. 8. ac locis ibid. ad marginem ibi §. *Non desinam*, & §. *In dubio autem*, notans primó quòd simplex, ac propria donatio est, si quando donatio fit, non dicatur quòd fit ob propria merita. ¶ Secundò quòd in dubio an donatio sit remuneratoria, nunquid verò mere gratuita, & liberalis, tenenda est tanquam remuneratoria, quia longè frequentius est homines non donare, nisi ob merita. Hæc autem remuneratoria donatio firmior est in externo foro, quàm gratuita, ac liberalis.

5 Alia est *pura*, & sine ulla conditione, ac limitatione loci, temporis, &c. alia *non pura*, sed cum limitatione, conditione vel aliqua loci, temporis, &c. Et hæc non pura subdividitur *in conditionalem*, ut: *Dono tibi bovem, si hoc, vel illud feceris*, ac *in diem*, ut: *Dono tibi bovem nunc non tradendum, sed post mortem meam*, vel *post tot annos*, & hæc donatio in *diem* potest esse *in diem certum*, uti in exemplo proximè posito, vel in *diem incertum*; ut: *Dono tibi equum, si nupseris, si Conimbricam adiveris.*

6 Alia est donatio *inter vivos*, illa videlicet, qua donator in vita sua dominium rei in donatarium transfert, quam certè donatores aliqui revocabiliter facere solent ita, ut illam, quando voluerint, revocare queant; alii verò irrevocabiliter ita, ut eam amplius revocare non valeant, talis nanque donatio eo animo, voluntateque fit, ut statim res donata acceptantis donatarii fiat, nunquam ad donatorem revertatur; & tunc inter vivos donatio fieri censetur, quando, ac quoties aliquid alteri absolutè donas sine ulla conditione, mentione, vel suspicione mortis tuæ, aut sine omni simili aliquo addito, donare nanque sine aliquo addito donare re vera *nunc* est, sive qui donat, tunc sanus sit, aut infirmus, sive moribundus, aut sit in testamento, sive in codicillo, sed pro hoc legatur *Tambur. lib. 9. Tract. 10. de Donat. cap. 2. §. 1. num. 7. & 9.*

7 Alia est donatio causâ mortis, & hæc ea est, qua donator dominium rei donatæ in donatarium transfert post ipsius donantis mortem, sive sub conditione ejus sequuturæ mortis, si, vel quando donans mortuus fuerit, ac nullo modo antea, ita ut ante mortem omnino revocari possit pro donantis libito, sicut omnis ultima voluntas ante mortem revocari valet. Legatur *Molina Disp. 287. num. 22.* qui ibi rectè signa, & conjecturas percurrit, quibus dignoscatur an donatio sit inter vivos, nunquid verò mortis causâ, quando expressa verba desunt, quæ hanc, vel illam donationem demonstrent, aut denotent.

8 Sed ante alia circa donationem hîc venit notandum primó quòd quando quis aliquid donat, vel dat, nonque declarat pro quo id fiat, intelligitur pro solvenda propria obligatione, & non liberaliter dare, sive donare. *L. Caterùm 3. L. In his 5. ff. soluto Matrim.* ac docet Molina de Just. Tract. 2. Disp. 565. Mascard. de Probat. Conclus. 1325. Menoch. lib. 3. de Præsumpt. Præsumpt. 143. ac Cardoz. verb. *Solutio*, num. 17.

9 Secundò ut in dubio præsumatur donatio, necessum est ut nulla subsit alia causa, nisi

sola

sola ipsa donatio, ita ut conjectura alia capi in contrarium non valeat. *L. Cum de indebito* 25. *in princip. ff. de probat.* latèque docet Menoch. de Arbitrariis, lib. 2. cap. 88. & de Præsumpt. lib. 3. Præsumpt. 71. num. 2.

10 Tertio quòd in rebus gravibus (secus in levibus) sola sanguinis conjunctio non inducit præsumptionem donandi, nisi adminiculis aliis de animo donandi constaret, uti in *L. Alimenta* 11. *Cod. de negot. gestis* habet Alexand. num. 8. August. Barbosa num. 6. Menoch. de Arbitr. Casu 88. num. 12. Garcia de Expens. ac Surd. tit. 6. Q. 8. num. 27. qui num. 22. idem intelligit, quando qui percipit, pauper fuerit, nec habeat unde persolvere possit.

11 Quartò quòd quando Leges donationes ab aliquo fieri prohibent, uti Religiosis Clemens VIII. donationes prohibuit, & Jus Civile inter conjuges donationes prohibet, de quibus infra, solùm prohiberi censentur donationes liberales, non item remuneratoriæ, uti ex communi contra alios docent *Sanch. de Matrim. lib. 6. Disp. 6. ac Lugo de Just. Disp.* 23. *Sect. 9. num.* 133. limitationes aliquas parum utiles ponens.

12 Quintò donationem remuneratoriam, (quæ antidoralis dicitur) estque ad remuneranda obsequia, & beneficia collata, non esse propriè donationem, prout tenet communis: (contra *Decium, ac Gloss.*) quia remuneratoria donatio fit ob causam, nimirum ob merita, officia, & obsequia præstita, ac non ob solam liberalitatem, per quod firmatur id, quod nuper num. 11. dicebamus. ¶ Neque similiter etiam solutionem promissionis liberalis, propriè loquendo, donationem liberalem esse, fit enim ob causam, præcedentis scilicet obligationis, & donatio, ut liberalis sit, fieri debet, nullo Jure naturali Civili, aut Prætorio cogente, sed tota fundatur, fundarique debet in sola liberalitate donantis, ut propriè, ac strictè liberalis donatio dicatur. Legatur *Azor* 3. *P. lib.* 11. *cap.* 1. *Q.* 11. ¶ Est tamen verè, & propriè liberalis donatio, quoties creditor liberaliter debitum debitori remittit. *L. Modestinus, ff. de donation.*

13 Sextò posse etiam esse donationem remuneratoriam, quando nihil das ei, à quo obsequium, beneficium, &c. accepisti, sed ejus intuitu aliis præstas, qui ad illum pertinent, uti si à Petro 1000. accepisti, ac eo defuncto des 100. filiis ejus, donatio hæc merito ut remuneratoria sustineri debet: quia, licèt ab his nihil acceperis, non tamen das ex solo liberalitatis motivo, sed ex gratitudine, fuisses enim absque dubio Petro ingratus, si filiis ejus, maximè indigentibus, & petentibus 100. putà, negasses, benefactor enim acquirit jus aliquod, non ex justitia, sed ex gratitudine, ut ipsi, & iis, qui ad eum pertinent, bonum retribuas. Unde Religiosi, licèt alioquin non possint purè donare, possunt tamen, & debent esse grati, non solùm benefactori, sed ejus etiam posteris, ne benefactori, vel fundatori ingrati esse videantur. *Lugo sup. num.* 141. sunt & etiam legendi *Bonac. ac Contract. Disp.* 3. *Q.* 13. *P.* 1. *num.* 6. *ac Dicastill. Tract.* 5. *de Donat. Dub.* 1 *num.* 10. docentes quòd ubi viget Constitutio Clementis VIII. strictè prohibentis Religiosorum largitiones, donationes ob merita facta à Religiosis de Superioris licentia valent, & non sunt restitutioni obnoxiæ, quia Constitutio loquitur de donatione simpliciter, ac propriè tali, qualis non est antidoralis, id quod jam suprà est tactum.

14 Sep imò donationem remuneratoriam (cùm propriè, & strictè liberalis non sit donatio) non indigere insinuatione, (de qua infra) ut bene *Molina sup. Disp.* 292. ad initium, solùm namque liberales donationes, ac propriè tales Regis insinuatione, & licentiâ indigent, ut valeæ sint, quando excedunt quantitatem à Jure permissam, ac ea quantitas est, quando donatio fit à viris trecentorum ducatorum, quando à fœminis 100. aureorum, ut patet ex Lusitano Jure in novis Ordinat. ad lib. 4. tit. 62. nec per supervenientiam liberorum revocatur. Legatur Covar. in cap. *Cùm in officiis* post num. 10. de Testam. & Jul. Clar. §. *Donatio*, Q. 3. num. 1. Et circa Donationes alias legatur dicta Lusitana Ordinatio in Repertorio sub verbo *Doaçaõ*.

15 Octavo, cùm remuneratoria donatio simplex non sit, & mere gratuita, ac liberalis, sed sit donatio facta ob causam, propter ingratitudinem revocari non valet. *Molina sup. ac de Primog. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 45.

16 Nonò, ut remuneratoria donatio talis dicatur, & sit, debent esse grandia, ac insignia ea obsequia, & merita, ob quæ fit, ut jam sup. insinuatum extat, non enim quæcunque merita sufficiunt, ut donatio remuneratoria dicatur. *Sanch. lib. 6. de Matrim. Disp. 6. num. 5. ibi num.* 6. advertens debere obsequia, ac merita non esse aliàs debita, quia, si aliàs debita essent, remuneratione digna non essent, quia in solvendo id, quod solvere tenetur, non potest existere liberalitatis meritum, quod pro ista liberalitate remuneretur. De remuneratoria Donatione iterum infra redibit sermo.

LECTIO II.

De Donatione conditionali, de in diem adjectione, & de Donatione ex falsa causa.

17 Missis multis, quæ hîc de re hac dicenda se se offerebant, breviter dicimus quod, si Donatio fiat *in diem*, vel *tempus futurum certum*, incertum tamen sit quando dies ille, vel tempus adveniat, (idem de Promissione) valet; putà Petrus Paulo donavit aureos 100. ei annos 10. post diem mortis suæ solvendos; acceptavit Paulus, valet dicta donatio, licèt nesciatur dies certus, quo ipse Petrus ab hac vita sit discessurus, vel moriatur; unde, si acciderit quod Paulus præmoriatur Petro, tum promissor Petrus, vel ejus hæredes hæredibus Pauli promissum reddere tenentur. In his enim donationibus, ac promissionibus acceptatis, statim, ac fit promissio, & donatio, oritur obligatio, licèt non statim solvenda sit res promissa, sive donata, sed solùm die futuro elapso; id quod tenet, ac probat *Molina tom. 2. Disp. 284. num. 2.* Et

18 Ex hoc patet discrimen inter promissionem, & donationem ex una parte, ac inter legatum *in diem* ex altera; si nanque legatarius testatori præmoriatur, nihil legatarii ipsi, vel hæredibus ejus debetur; secus autem in donationibus, & promissionibus acceptatis, in his enim statim obligatio oritur, & post acceptationem statim fiunt firmæ, ac irrevocabiles ita, ut solùm ex communi consensu revocari valeat, ex illis nanque resultat obligatio non solùm naturalis, sed etiam civilis, & obligatio per quascunque causas ponitur, per eadem dissolvitur. Legatur Molina tom. 2. Disp. 253. §. *Contrarium.* In legatis verò non statim obligatio oritur, sed tantùm intercedente morte testatoris, consequenterque toto tempore antecedente ad mortem usque ad ultimum vitæ testatoris halitum legata revocari valent, sicut & testamentum totum. Unde fit quòd, cùm obligatio dicta legati, ac testamenti suspendatur usque ad testatoris mortem, si eo tempore legatarius non extet, sed mortuus sit, nullum jus ab eo acquisitum fuit in legatum, quod ad hæredes suos transmitti valeat. Et è contrà, si res contingat è contrà. Legatur Molina tom. 2. Disp. 284. §. *Illud observa.*

19 Si conditio fuerit de præsenti, aut de præterito, reque vera conditio existit, vel extetit, donatio utique est vera; secus verò, si nec extetit, nec existit, uti si quis ita diceret: *Centum tibi dono, si domum, vel vineam habes*, aut *si ex meus cognatus*; *si Ulyssipone fuisti, si Templum intrasti*, & hujusmodi, & hoc, licèt talis conditio sit turpis, uti si dicatur: *Dono tibi hoc, si occidis*, quia impletio peccatum non est. ¶ Sed, si conditio turpis fuerit, vel sit de futuro, irritat dispositionem, quia sine peccato impleri non valet, uti si dicas: *Do, ut occidas*, ac ob id conditio hæc ut impossibilis habetur in Jure, & prout talis reputatur. *Less. lib. 2. cap. 18. Dub. 19. num. 117. Villalob. 2. P. Tract. 20. Diffic. 9. num. 7. ac 8.* & alii. Et idem dicitur, id est, quòd valet donatio, si conditio sit de futuro, sed omnino necessaria, vel certa, ut: *Promitto, do, vel vendo, si morituras est*, aut *si judicium futurum est.* Anton. Gomes cap. 12. de Legat. num. 63. dicens esse communem.

20 Si donatio, sive promissio (idem de dispositionibus, aut contractibus aliis) fiat in diem, tempusve incertum, quod incertum sit, quando futurum sit, vel si conditio de futuro fuerit incerta, donationes, vel alias quascunque dispositiones suspendit usque ad conditionis eventum, talemque donationem verè conditionalem efficit, uti si dicas: *Do tibi 100. si fias Sacerdos, si fueris Episcopus, si uxorem duxeris, si navis ex India venerit, si Romam iveris, &c.* Molina sup. §. *Quando aliquid promissum est.* Oritur etiam ex dicta promissione, vel donatione acceptata obligatio in donatore, & jus in donatario, sed pendens usque ad conditionem completam, nec revocari potest, nisi ob causas infra ponendas, neque onus aliquod noviter dictæ donationi apponi potest, prout tenet Sylvester verb. *Donatio* 1. Q. 15. ¶ At si, veniente tempore, in quo conditio adimpleri debet, non fuerit impleta, donatio irrita erit, quia dispositio, quæ ex hominum voluntate pendet, obligationem maiorem inducere nequit, quàm ipse disponens ponit, & intendit, proindeque, si quis non intendit se obligare, nisi adimpleta conditione, vel tempore eo transacto, illò transacto, obligatio perit. *Molina Disp. 285. ac Filiuc. cap. 5. num. 123.*

21 Si dones, putà 100. ob obsequia tibi præstita, sed donatio, aut promissio fiat in diem, tempus vel incertum, uti si in diem, quo matrimonium contraxeris, aut Sacerdos fias, &c. & donatarius ante conditionis eventum præmoriatur, tunc, casus, ad ejus hæredes transmittitur id, quod eo modo donatum, transmissum vel fuerit, statimque solvendum est, sive conditio impleatur, aut non, & idem dicitur in casu, quo matrimonium non celebretur, eo quòd Religionem ingreditur, fit Sacerdos, vel senex, aut ineptus ad matrimonium, vel certa spes est eum perpetuò in cælibatu esse victurum; sed pro hoc legatur Molina sup. §. *Ab hac tota regula.* Et

22 Ex dictis infertur quòd, si quis donet, vel in testamento suo 200. aureos relinquat, quando putà cum sobrina tua nupserit, vel ut nubat,

nubat, aut ut Religiosa fiat, statumque suscipiat, sola ea intentione dandos, nè illos ante consumat, ac sic innupta, & sine statu maneat ob dotis defectum, tunc, si illa supervivat leganti, dandi sunt ei hujusmodi 200. aurei à legantis hæredibus, quia dies hic non in hæredum legantis favorem, sed consobrinæ fuit appositus. *Molina tom.* 1. *Disp.* 205. ¶ Si autem res è contrà contingat, id est, quod consobrina præmoriatur testatori, expiravit promissum donatum illud, (& etiam legatum, si in testamento fuerat relictum) quin consobrinæ hæredibus debeatur. ¶ Et idem, si consobrina post donantis, vel legantis mortem per breve tempus aliquod vivat, non sufficiens ut statum sumere possit. ¶ Quòd si promissor, aut donator (ac idem de ejus hæredibus) callidè, & malitiosè consobrinæ impediat statum, nè impleat promissum, consobrinaque sine statu moriatur, tunc consobrinæ hæredibus (modò consanguinei sint, non autem ex altero latere) promissum, vel donatum præstare tenebitur, quia calliditas, fraus, & dolus auctori suo patrocinari non debet. *L. Quoties*, §. *Qui dolo*, *ff. de probat. cap. Sedes Apostolica de Rescriptis*, *& aliis.*

23 Donatio etiam, vel promissio sub aliquo fine fieri valet, sed absque animo obligandi ad talem finem, veluti si quis 100. alicui puellæ promittat, aut leget eo fine, ut nubat, nihil aliud explicando, si puella moriatur ante nuptias, ad ejus hæredes transit legatum, vel si non moriatur, & cælibatum colat, vel Religionem ingrediatur, etiam legatum dictæ puellæ erit, quia non censetur quis legato maius bonum impedire se velle. *Molina Disp.* 204. Unde valida erit donatio collatori facta ad alliciendum ejus animum, ut Beneficium conferat, vel Mercatori, ut ad mutuandum inclinetur, aut puellæ, ut ad consensum flectatur, quanvis finis non sequatur, vel obtineatur, quia talis donatio conditionata non dicitur, sed absoluta, cùm non animo obligandi, sed solùm alliciendi, & flectendi animum sit facta, ac ideo donum acceptare quis poterit, & si non intendat illud præstare, quod donator exoptat. *Less. lib.* 2. *cap.* 18. *Dub.* 16. *num.* 125. *legatur Trulhench. Decal. lib.* 7. *cap.* 17. *Dub.* 11.

24 Si donatio re ipsa, aut ex natura sua impossibilis fuerit, ut si montem transferas, si fluvium biberis, &c. vel impossibilis ex Jure, quia nimirum impleri sine peccato non valet, aut sine eo, quod sit impedimentum alicujus boni, ut: *Promitto, vel dono tibi hoc, si Sacrum non audieris, &c.* non suspendit donationem, sed illam irritam reddit, & omnem alium contractum, præter contractum matrimonii, ac dispositionem ultimæ voluntatis, in his enim conditio impossibilis habetur pro non apposita. *Comes Tract. de Legat. tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 67. & colligitur *ex L. Impossibilis*, *ff. de verb. obligat.* Et etiam in donatione causâ mortis conditio impossibilis habetur pro non adjecta juxta *Molinam Disp.* 285. legatur *Less. sup. Dub.* 15. *num.* 121. *ac Trulhench. sup. Dub.* 12. *num.* 4. & etiam *Dub.* 14. ubi inquirit utrùm donatio ob causam præteritam, vel præsentem sit valida, si causa non subsistit? Sed de hoc jam alibi vidimus.

25 Ad ultimam Lectionis partem accedendo, breviter dicitur quòd quando aliquis gratis ita aliquid donat, legat, promittit, aliquem vel hæredem instituit ob falsam causam, quam tamen putat esse veram, si animum actualem, aut habitualem non donandi, &c. habeat, causâ ea secluta, vel non subsistente, tunc, casus, promissio, donatio, legatio, institutio, si gratuita, & liberalis erat, nonque erat aliunde debita, vel ex justitia, aut ex gratitudine, vel ex charitate, quia nimirum in extremis, aut quasi extremis erat, in foro conscientiæ est omnino nulla, sive donans, promittens, legans, vel instituens expresserit, sive non, ut, non subsistente causâ, sit nulla. Si enim fuerit expressio, est indubitata conclusio, quia tunc causa finalis in conditionalem recidit, quæ conditio, si non subsistit, nullam quo ad utrumque forum dispositionem reddit. Sed super hoc legatur Fagund. sup. cap 4. & Molina tom. 1. de Just. Disp. 209. §. *Hoc loco observa.*

LECTIO III.

De Donatione facienda cum, vel sine insinuatione, quod est agere de donatione omnium bonorum.

26 INsinuatio nihil aliud est, quàm *authoritas, vel facultas Principis absoluti ad aliquid donandum*; sic eam describit Jul. Clarus lib. 4. Sent. §. *Donatio*, Q. 15. num. 1. solennitas autem insinuationis petit ut ille, qui donat per se, vel per interpositam personam, ante Judicem compareat, ibique coram illo suam voluntatem declaret, dicendo putà: *Volo tot Petro donare*, & hoc scriptis ante Tabellionem commendet, Judexque consensu suo illam approbet; non tamen opus est, ut denuntiatio fiat in publici Judicii loco, neque Judicis decretum exigitur, nec est necessaria causæ cognitio, neque solennitas alia præter assignatam, nimirum præsentia Judicis: quando ergo insinuatio requiritur, sine ea donatio non valet, saltem pro foro externo. ¶ Et est advertendum quòd nemo insinuationi renuntiare valet, cùm nemo

nemo renuntiare possit Legibus, quæ solemnitatem aliquam pro contractibus apponunt. *L. Nemo potest, ff. de legat.* 1. Bonac. Disp. 3. Q. 13. P. 6. Gomes 2. Var. cap. 4. num. 6. ac 7. Molina Disp. 27. num. 4 & cum aliis Salmant. Tract. 14. cap. 4. num 93. legatur Lusitana Ordinatio lib 4 tit. 62.

27 Dictum est: saltem pro foro externo, nam in conscientiæ foro Leges, quæ de insinuatione loquuntur, non obligant, sed solùm in externo foro concedunt donatori, ac ejus hæredibus actionem adversùs donatarium, ut de nullitate donationis agere possint, & quo ad excessum pro suo arbitrio donatum repetere queant, ac interim donatarii tuta conscientiâ illud retinere valeant. Si tamen donans, ejus vel hæredes repetant, qui accepit, reddere tenetur excessum. *Less. cap.* 18. *Dub.* 13. *num.* 9. *Rebel.* 2. *P. lib.* 18. *Q.* 8. *num.* 3. *Villalob. Tract.* 20. *Diffic.* 4. *num.* 11. *& Lugo de Just. tom.* 2. *Disp.* 23. *Sect.* 10. *num* 156.

28 Donationes autem, quæ insinuationem requirunt, tam Jure communi, quàm Lusitano, & Castellano tantùm illæ sunt, quæ sunt mere, ac purè gratuitæ, & liberales, profanæ, ac nullatenus donationes remuneratoriæ, ut sup. dicebamus, neque similiter insinuatione indigent, donationesque fiunt causâ mortis, nec factæ Ecclesiæ, aut ob causas pias, neque illæ, quæ generaliter fiunt ob aliquam, sive ex aliqua causa, licèt causa sit de futuro, neque quæ fiunt ad reparationem domorum, quæ ruinâ, vel incendio perierunt; neque si sit reciproca, neque si fiat instituendo Maioratum, aut facultate Regia, sive sine illa instituatur, neque si fiat à Principe, Superiorem non recognoscente, alicui vassallo privato, vel à Generali, magno vel Magistro Militiæ suis Militibus. Et tandem donatio sine insinuatione juramento firmatur de communi, & Castellano Jure, non autem de Lusitano. Circa hæc omnia legendus est omnino *Fagund. sup. cap.* 9. *á num.* 5. *ad* 12. *Salmant. sup. num.* 96. *á Spiritu Sancto Decal. Tract.* 10. *Disp.* 12. *Sect.* 5. & circa horum aliqua legatur etiam *Lugo sup. num.* 158. *ac* 159.

29 Olim de Jure communi non poterat donatio valida fieri ultra 300 solidos sine insinuatione Judici facta, juxta *L. Sancimus in princip. Cod. de donat.* & si summam illam excederet, non erat valida quo ad excessum; postea eodem communi Jure *L. penult. Cod. eod. tit.* ac etiam Castellano Jure extensa fuit summa usque ad 500. solidos, aliàs similiter pro excessu non valet. ¶ De valore solidorum latè agit *Molina* 2. *tom. Disp.* 278. *á num.* 2. *Lugo tom.* 2. *Disp.* 23. *Sect.* 10. *num.* 149. dicens 500. solidos valere 712. regales Hispanos, seu julios Romanos, ideoque quòd sint 713. scuta, quæ vocan ur de moneta, quorum singuli faciunt 10. julios Romanos, seu regales Hispanos, & insuper duos julios De Lusitano Jure in novis Ordinat. lib. 4. tit. 62. omnes donationes virorum sui juris rerum mobilium, ac immobilium, quæ excedunt summam 300. aureorum, vel eorum valorem, invalidæ omnino sunt quo ad excessum, si sine Regia insinuatione fiant, aut Senatorum, quos vocant *do Paço*; donationes verò mulierum, quæ sui sunt juris, *ou vivem de porsi*, sive viduæ, aut innuptæ sint, si excedant 150. aureos, similiter sunt quo ad excessum invalidæ.

30 Si donator ad illudendam dispositionem Legis clausulam in Instrumento donationis apponat, qua dicat se, si forte sua donatio summam de Jure concessam excedat, novam facere donationem ejusdem excessûs eidem donatario, invalida est talis duplicata donatio, & toties invalida, quoties statutam summam à Lege excesserit, talis enim cautela apposita esset tunc in fraudem Legis, ac certe, si hoc admitteretur, facilè illuderentur Leges apponendo contractibus malitiosas, dolosas, fraudulentasque clausulas. Gomes 2. Var. cap. 4. num. 7. Molina tom. 2. Disp. 278. § *Dubium est, siquis*, Gama Decis. 110. num 34. & Decis. 381. num. 5. ac Salmant. sup. num. 94. Et

31 Idem dicitur, atque dicendum, quando plures donantur res, pluresque donationes fiunt uno, eodemque tempore, & Instrumento uni donatario, ac idem, licèt sint plures donatarii, & plures res, si donationes fiunt uno, eodemque tempore, quia tunc omnes donationes illæ, tanquam una sola, considerantur ad extinguendam insinuationem. Bald. in dicta *L. Sancimus*, §. *Si quis autem*, *Cod. de donat.* Gama Decis. 381. & alii. ¶ Et è contrà, quando aliquis diversis temporibus uni, eidemque donatario in scriptis diversis res multas donat, quæ omnes simul sumptæ summam excedant, quæ absque insinuatione validè donari non poterat, singulæ tamen earum, quæ per singulas donationes donatæ sunt, illam non excedant, re vera validæ erunt, quia tales donationes non uniuntur in tempore, sed ratione diversi temporis diversæ existunt, ac ita definitum est in *L. Sancimus* sup. tenetque Molina Disp. 278. §. *Quando diversis*, & est communis. Legatur Lugo sup. num. 153. ac 154.

32 Requiritur dicta insinuatio quoties donator pensionem annuam, licèt non excedentem summam per insinuationem petitam, alteri donat; sed hoc si fiat cum onere, (secus, si è contrà) ut hæc obligatio, & hoc jus ad hæredes transeat ita, ut pensio solvenda sit hæredibus, si donatarius moriatur, ac si moriatur

tur donator, ſolvenda ſit ab ipſius hæredibus, *L. Sancimus* cit. docentque Molina Diſp. 278. num. 16. Rebel. Q. 6. num. 6. lib. 18. & alii, paretque de Jure Luſitano lib. 4. tit. 70. in novis Ordinat. Unde invalida eſt talis donatio penſionis annuæ quo ad exceſſum.

33 Item invalida eſt remiſſio debiti à creditore debitori facta abſque inſinuatione, ſi ſummam excedat, eo quòd remiſſio illa quædam eſt tacita donatio. Covar. 2 Var. cap. 4. num. 8. Jul. Clar. lib. 4. Sent §. *Donatio*, Q. 16. Gomes 2. cap. 4. num. 9. Molina ſup. §. *Utrum autem*, qui omnes id ipſum docent de condonatione, ceſſione, ſeu remiſſione certi juris, & de pacto mere gratuito, ac liberali de non petendo debito. ¶ Et idem, quando aliquid emitur ultra dimidium juſti pretii, ſi iſtud excedat valorem, qui abſque inſinuatione donari non valet. ¶ Et idem, quando aliquid emitur infra dimidium juſti. *Jul. Clar. ſup. num.* 1. *Molina ſup. columna* 2. *Lugo ſup. num.* 150. ¶ Idem de donatione facta in pœnam, putà ſi quis cùm teſtamentum condit, in eo dicat ſe ita teſtari, nolleque teſtamentum renovare, & ſi illud aliquando revocaverit, ex tunc eo caſu bona ſua hæredi ſuo in teſtamento ſcripto donat, quia id potiùs pœna eſt, quàm liberalitas. Jul. Clar. dicto lib. 4. §. *Teſtamentum*, Q. 95. Covar. in Rubr. de Teſtam. 2. P. num. 17. Cynus lib. 1. Cod. de Sacroſanctis Eccleſ.

SUBLECTIO I.

De Donatione omnium bonorum.

CUm quantitas, quæ à quolibet donanda venit, expreſsè in Jure ſit deſignata, ut nuper videbamus, videndum ſupereſt an, eo non obſtante, omnium bonorum, & qualium donationem quis quandoque facere poſſit, pro quo Sublectio iſta deſerviet.

34 Dicitur ergo quòd donatio omnium bonorum præſentium, ſimul & futurorum inter vivos, irrita omnino, ac invalida eſt, tota, & inſolidum, ita ut nec ſit valida, quo ad partem non prohibitam ſine inſinuatione donari. *L. Stipulatio hoc modo, ff. de verb. obligat. L. Lucius, ff. quæ in fraudem creditor. L. ult. Cod. de pactis*, multiſque aliis *à Molina Diſp.* 280. congeriis, Luſitanoque Jure habetur in novis Ordinat. lib 4 tit. 70. § 3. (imò juxta *Salmant. ſup. P.* 5. §. 2. *num.* 97. Jure Hiſpano, donatio omnium bonorum præſentium non valet) & prohibitionis ea datur ratio: quia per talem donationem donans inteſtabilis manet ex bonorum defectu, ſed nemo dictam teſtandi poteſtatem ſibi adimere poteſt, cùm ſit de Jure gentium, Jurique naturali proxima: ergo, &c. Ita communi calculo tenent DD. (demptis aliquibus *apud Dian. Coordinat. tom.* 6. *Tract.* 7. *Reſol.* 102. qui nullatenus ſunt audiendi) inter quos *Salmant. ubi ſuper, Diana cit. in loco*, multis adductis, quibus adde *Palaum de Juſt. Diſp.* 2. *P.* 24. §. 1. *num.* 1. *Mantica de Tacitis lib.* 13. *tit.* 26. per totum, *Gratian. Diſcept. forenſ cap.* 120. *à num.* 4. *Caſtillo Controverſ. lib.* 4. *cap.* 53. per totum, *Gutier. de Juram. P.* 1. *cap.* 11. *num.* 16. *ac Larrea Deciſ.* 66. *num.* 10. legatur *Ordinatio Luſitana lib.* 4. *tit.* 70. §. 3.

35 Sed notant *Salmant. ſup. num.* 99. ex AA. aliis primò non eſſe mortale donationem omnium bonorum contra Legem facere, ſi talis donatio in creditorum, filiorum, vel aliorum præjudicium non cedat. ¶ Secundò quòd qui dictas donationes omnium bonorum acceptat, vi, & fraude ſecluſa, donatum retinere poteſt donec revocetur, vel quouſque ab hæredibus repetatur. ¶ Tertiò quòd, ſi donator in morte talem donationem ratificet, donatum donatarius in perpetuum retinere poteſt, niſi in præjudicium filiorum, ac parentum evaderet. Sic apud ipſos, qui ſunt legendi.

36 Ex tradita reſolutione reſolves quandoque omnium bonorum donationem valere, & primò valet donatio omnium bonorum præſentium ex communi, & Luſitano Jure, quia, cùm donator bona aliqua poſtea acquirere poſſit, de futuris teſtari valebit; unde ita donando teſtandi poteſtatem abſolutè ſibi non adimit, & hoc etiam ſi expreſsè dicat: *Dono tibi omnia mea bona mobilia, ac immobilia in tali loco exiſtentia, & ubicunque fuerint.* (Sed hoc, niſi conſtet donatorem nomine omnium bonorum mobilium, ac immobilium intendiſſe comprehendi etiam futura bona, etiam & jura, & actiones, quia ſi hoc conſtet, donatoris menti potiùs, quàm verbis erit ſtandum, nonque proinde valebit donatio, cùm per eam auferatur teſtandi poteſtas) Communis, docentque Gama legendus Deciſ 206. Covar. lib. 3. Var. cap. 12. Molina ſup. Diſp. 280 §. *Quando quis*, ac Diana ſup. Reſol. 104. & 109.

37 Valet ſecundò donatio omnium bonorum præſentium, ſimul & futurorum, causâ mortis facta. Ratio eſt: nam ad donantis libitum toto ejus vitæ tempore revocari poteſt, ſicque per illam teſtandi poteſtatem ſibi non adimit, nec inteſtabilis ullo modo manet, cùm non confirmetur niſi ſola morte donantis, antequam mortem, ſicut & teſtamentum revocari valeat, cum omnibuſque bonis donatis manere, vel aliud diſponere. Communis, & Gloſſ. *ad L. finalem, Cod. de pactis*, verb. *accommodaverit*. Salmant. cit. num. 97. Jul Clar. ſup. Q. 19. num. 7. Molina Theolog. cit. Diſp. 280. §.

Dubium est etiam, & alter Molina de Primog. lib. 2. cap. 10. num. 14. Lugo Disp. 23. Sect. 10 num. 166. & multi alii.

38 Tertiò valet donatio bonorum omnium præsentium, ac futurorum, si eorum donator usumfructum sibi reservavit, vel aliquam bonorum partem: (dummodo pars detracta, vel fructus sibi reservati res non sint modicæ) quia, cùm simpliciter pars illa, vel fructus sint reservati, donans de illis jam inter vivos disponere optimè potest, & cum illis acquirere, ut per ultimam voluntatem disponere valeat, proindeque ita donans nullatenus intestabilis manet. Constat ex Ordinat. nostris lib. 4. tit. 70. §. 3 ac juxta Jus commune docent Bartholus *in L. Stipulatio hoc modo concepta, ff. de verbor. obligat.* Jul. Clar. suprà num. 8 Salmant. cit. in num. Molina Theolog. & Lugo sup. estque communis.

39 Quòd si contingat ut donator ejusmodi fructus sibi reservans, moriatur ab intestato, victosque aliquos habeat fructus, tales fructus victos, ac extantes ad ejus hæredes, & non ad donatarium (nisi ipse sit hæres) pertinent; id quod multò magis procedit, ubi donator sibi usumfructum reservavit cum expressa facultate disponendi de illis, tam inter vivos, quàm per ultimam voluntatem. *Molina Theolog. sup.* notans quòd donatio hæreditatis alicui facta invalida est, cùm hæreditatis nomine bona comprehendantur omnia, quæ mortis in tempore donator habet; & ideo perinde est donationem hæreditatis suæ alteri facere, ac ei omnia sua præsentia, atque futura bona donare, id quod fieri non valet.

40 Dictum est sup. *dummodo pars detracta, vel usus sibi reservati res non sint modica*, ad denotandum quòd, si fructus relictus ita sit modicus, ut ad sustentationem donatoris decentem per se non sit satis, vel si decente illius sustentatione detracta, tam modicum remaneat, ut pro nihilo id sit ducendum, tunc procul dubio talis donatio erit invalida, quia tunc bonorum ratione habita ei testandi facultatem non manere censetur, & idem dicitur de parte relicta. ¶ Quænam autem pars relicta sit ad testandum sufficiens? Julius Clarus vigesimam omnium bonorum partem determinat; id quod non probat Molina sup. de Primog. num. 25. sicut neque Gama Decis. 348. qui decem aureorum summam determinant, probatque alter Molina cit. Disp. 280. §. *Universim autem.* Sed hoc Judicis arbitrio determinandum venit, prout communis dicit, ac resolvit.

41 Valet quartò donatio omnium bonorum, præsentium & futurorum, si juramento firmetur (quidquid in contrarium Juristæ conclament.) Ratio datur: nam, licèt ipse donandi actus malus sit, (saltem venialiter ratione prodigalitatis, aut quia prohibitus Legibus humanis) illud tamen, quod juramento promittitur, non est ipsa donatio, nanque ista jam facta (saltem prius naturâ, juramento) supponitur, sed tolùm factam donationem non revocare, id, quod, ut de se patet, quid est diversum, nulloque Jure prohibitum, sed licitum; constat autem quòd quoties id, quod promittitur, absque peccato impleri valet, juramentum ad id obligat, & impleri debet: ergo, &c. cum aliis *Salmant. sup. num.* 98.) Addentes quòd) & si juramentum non præcedat, donatarius retinendo donatum, donec à donatore, vel ejus hæredibus revocetur donatio, tutus in conscientia permanet. Legatur Jul. Clar. Q. 18. Sylvester Q. 6. Sa verb. *Donatio* 1. ac Diana sup. Resol. 103. & 107.

42 Quintò valet omnium bonorum donatio inter fratres ad invicem facta, putà cùm inter duos, plures vel fratres contractus reciprocæ societatis initur, relinquendi scilicet, & dandi hæreditatem suam sibi ad invicem alteri alter; valet, inquimus, reciproca ista donatio causâ, ac favore agnitionis conservandæ. *Jul. Clar. Q.* 19. *num.* 7. *Decius Consil.* 578. *num.* 7. *& Cursius Junior Consil.* 81. *num.* 3.

43 Omnium præsentium, ac futurorum donatio sextò valet, si fiat ratione alterius oneroli contractûs, ut ratione dotis, & matrimonii contrahendi cum filio, filia, vel nepote, ratione transactionis, vel alterius similis contractûs, quia tunc non est pura, ac mera liberalis donatio, quam Lex prohibet, & irritat, ut de se patet. *Salmant. dicto num.* 98.

44 Septimò valet & etiam, si Principis authoritate firmetur, quia Principes sunt supra Jus, quod condunt, & quia hoc non est contra Jus naturale, nec contra bonos mores, Jure nanque naturali attento, ac in conscientiæ foro quilibet validè donare valet quantum vult, & habet, cùm quilibet de rebus suis, prout sibi libuerit, disponere queat, etiam licitè, servato charitatis ordine, ac jure tertii, secluso scilicet damno suo, suorum, vel aliorum, & etiam fine malo donandi; quapropter, humano Jure semoto, id non erit illicitum, nec contra aliquem erit. Covar. de Testam. 2. P. num. 3. ac Molina Theolog. tom. 1. de Just. Disp. 151. vers. *postremum dubium.*

45 Itidem octavò valet facta *ob causam*, uti ad nuptias, sicut dictum manet, à bello Duce Militibus facta, ad Militiam, ad redemptionem captivitatis. *L. penult. §. De donat.* ad ædis destructæ reparationem, eadem in Lege, ad beneficium, & obsequia remuneranda, cùm tunc non sit mera, pura, ac liberalis donatio. *L. Si pater* 34. *ff. de donat.* & ut dictum

ctum manet ; diversis temporibus , ac occasionibus facta.

SUBLECTIO II.

Præcedens materia prosequitur , agitur de Donatione piæ causæ factæ , & quænam sit causa pia?

46 PRæcedentem prosequendo materiam de Donatione omnium præsentium , ac futurorum bonorum , illam ad causas pias trahendo , priùs scire oportet quid sit causa pia , & quænam causa pia dicatur ? Et quo ad quid est , dicitur quód *causa pia est , ac datur , quando aliquid datur , vel conceditur intuitu Dei ad Divinum cultum , vel ad alia misericordiæ opera ob Animæ bonum.* Ita Moneta de Commutat. ult. volunt. cap. 4. num. 18. & de quo legendi sunt Paulus Rubeus Pract Resol. cap. 1. num. 12. ac Barbos. de univers. Jure, lib. 3. cap. 27. num. 5.

47 Quo ad secund. dicitur quód prima causa pia est aliquid relinquere Ecclesiis , Monasteriis , Hospitalibus , & aliis locis piis pietatis intuitu , aut propter Dei amorem , vel propter Animam donantis , ac id quod relinquitur pro celebratione Missarum , Anniversariorum , & pro alimentis Clericorum , ac Religiosorum , pro constructione , aut reædificatione , reparationeve alicujus Ecclesiæ , vel Monasterii , Hospitalis , alteriusve loci pii , & etiam relictum , vel donatum pro luminariis, organis , ornamentis , aut temporalibus aliis ad Divinum cultum. *Moneta sup. num. 25. Rubeus sup. num. 81. Novar. Controvers. 94. num. 20. Barbosa sup. á num. 11. Bossius de Testam. piis, tit. 12. §. 4. num. 215. ac 218. Valasco Consult. 105. num. 38. Garcia de Benef. 5. Part. cap. 1. num. 200.* & multi alii.

48 Causa secunda pia , vel pium est id, quod donatur , vel relinquitur Altaribus, Oratoriis publicis , Imaginibus , etiam depictis in Ecclesiarum Altaribus , aut in aliquo alio loco pio , juxta *Gloss. in L. Statua , ff. de usufructu.* Item id , quod donatur , vel relinquitur Collegiis Sacris , aut Religiosis , vel Studentium pauperum. *Moneta sup. num. 44. Barbosa sup. num. 12. Bossius sup. num. 217. & 268. Menoch. lib. 4. Præsumpt. 115. num. 19.*

49 Tertia causa pia , vel pium est donatum, vel relictum Sodalitatibus,aut Confraternitatibus secularium , quæ in operibus pijs se exercent , tanquam distributores, ac exequutores operum piorum , & hoc non solùm , quando dictæ Sodalitates , vel Confraternitates Episcopi authoritate sunt erectæ , & approbatæ , imulque earum ab eodem Episcopo approbatæ sunt , ac examinatæ , de quibus nulli dubium extat , sed etiam quando sine Episcopi authoritate fuerint erectæ , ejus aut authoritas exigeretur , ut licitæ permanerent , tunc etiam donatum , vel relictum Confraternitatibus talibus pium esse dicitur , dummodo ad cultum Dei pertineant , & eis donatum , ac relictum per Confratres , vel Confodales operibus sacris , sanctis , & piis applicetur , nonque ad profana divertatur. Ita *Moneta sup. num. 27. Barbosa sup. lib. 2. cap. 11. num. 78. Gutier. lib. 1. Can. Quæst. cap. 35. num. 4. Cyriacus Controv. 94. num. 3. Martha de Jurisd. 4. Part. Casu 113. num. 18. Bobadill. in Polit lib. 2. cap. 18. num. 228.* & alii.

50 Causa pia quarta , pium vel est relictum , aut donatum pro captivorum redemptione , (dummodo captivus sit pauper , nec habeat unde redimatur) sive captivus sit propter aliquod crimen , vel apud Christianos captivus detineatur. *L. Si quis pro redemptione , Cod. de donat. Authent. ut cum de appellat. §. Si unum,* docentque Moneta sup. num. 40. Rubeus sup. cap. 1. num. 8. Bossius dicto §. 4. num. 236. Gratian. Discept. forens. cap. 801. à num. 50. Lara de Anniversar. lib. 1. cap. 22. à num. 1. ac Tiraquel. in Præfa . num. 19. ¶

51 Et idem dicitur quint. de pauperum, ex carceratione , ut videre est *apud Farinac. in Praxi crim. Q. 27. num. 2. Rubeum in Pralud. á num. 274. Valasc. de miserab. person. Privileg. 11. Lara dicto cap. 22. num. 25. Boss. dicto §. 4. num. 237. & Barbos. dicto cap. 27. num. 14.*

52 Sext. idem dicitur de donato, vel relicto pro libertate mancipii , quando libertas ob Dei amorem inspicitur , non autem propter contemplationem alicujus temporalis causæ , veluti amicitiæ , aut ob mancipii meritum; & quando libertas servo bene morigerato conceditur , quique libertate obtenta vitiis non corrumpetur ; de quo legendi sunt *Tiraquell. in Præfat. num. 27. ac 29. Boss. dicto §. 4. num. 236. Menoch. Presumpt. 115. num. 21. Valasc. Consult. 67. num. 3. Rubeus Pract. cap. 20. num. 56. Sanch. Consil. tom. 1. lib. 1. cap. 1. Dub. 10. Trullench. Decal. tom. 2. lib. 5. cap. 2. Dub. 6. num. 9. & Machado in Sum. tom. 2. lib. 6. Part. 7. Tract. 13. Docum. 9. num. 8.*

53 Idem dicitur septim. de donato , vel legato pauperibus , dummodo id fiat , non amicitiæ titulo , aut alia humana consideratione, sed ob Dei amorem,aut pietatis intuitum. *L. Id, quod pauperibus 24. L. Si quis 49. Cod. de Episcop. & Clericis ,* Rubeus Pract cap 1. num. 8. Menoch. lib. 4 Præsumpt. 115. num. 6. Valasc. de Privileg. pauperum, 1. P. Q 52. num. 19 Sanch. de Matrim. lib 1. Disp 4. num. 9. ac Barbosa sup. cap. 27. num. 8. & 9. ¶ Id, quod verum est , & si pauper , cui donatum,

vel legatum relinquitur, sit consanguineus; pro quo legantur Afflictus Decis. 29. num. 10. Boerius Decis. 44. num. 2. Benedictus Ægid. *in L. 2. Cod. de Sacros. Eccles. 3. P. §. 1. num. 6.* Gutier. Consil. 26 num. 8. Bosi. dicto §. 4. num. 247. ac Mantica de Conject. lib. 6. tit. 3. à num. 19.

54 Octav. idem dicitur de donato, vel legato quocunque relicto pro salute Animæ, pro remissione peccatorum, & propter Dei amorem. *Authent. Ut cum de Appellat. cognoscit, §. Si unum de præditis*, docentque Tiraquel. in Præfat num. 13. Valasc. Consult. 145. num. 5. Rubeus Pract. cap. 1. num. 8. & alii. Et idem de eo, quod Confessario relinquitur.

55 Idem dicitur non de dote puellæ pauperi per ordinem ad matrimonium relicto, de quo Rubeus Pract. cap 1. num. 8. Moneta cap. 4. num. 43. Lara de Anniversar. lib. 1. cap. 21. num. 12. Bosi. §. 4. num. 233. Sarmiento *in L. Si quis Titio, §. Si hæres, ff. de legat. 2. n. 5.* ac Gutier lib. 1. Pract Q. 44. num. 8. id, quod intellige, etiam si dos datum, promissum vel fuerit a consanguineo, dummodo consanguineus fœminam talem alere non teneatur de quo Tuscus litera P. Conclus. 332. num. 20. de Dote a cap. 4. Riccius ad Tiraquel. in Præfat. verf. *quod legatum*, Barbosa *in L. 1. soluto matrim.* 4. P. num. 8 & alii. ¶ Idem omnino, ac in eodem sensu dicitur de eo, quod pro alimentis relinquitur; de quo Moneta dicto cap. 4. num. 42. Valasc. de Privileg. pauper. 1. Part. Q. 52. num. 16. Azeved. Consil. 22. & 23.

56 Decim. causa pia, vel pium dicitur, alimenta relinquere illi, qui modo dives est, quando relicta sunt illi, non pro nunc, quo dives, sed pro tempore, quo pauper extiterit. *Gratian. Discept. forens. cap. 565. Barbosa dicto cap. 27. num. 28.* & alii. ¶ Item & pium dicitur illud, quod pro alimentis relinquitur illi, qui & si dives æstimetur, ac pro tali habitus sit, non tamen necessaria ad statum habet, eo quód talis juxta *Menoch. Præsumpt. 115. num. 8. & de Arbitr. lib. 2. Casu 65. num. 8. Castillo de Aliment. lib. 8. cap. 5. num. 9.* tanquam pauper est reputatus. ¶ Idem de donato, vel relicto pauperi puellæ, vel juveni per ordinem ad statum religiosum assumendum, ac de relicto filio jam Monacho facto, vel alteri. Bald. *in L. Illud, Cod. de Sacros. Eccles. num. 2.* & *in Authent. Sed cum testator, Cod. ad L. Falsid.* Barbos. in dicto cap. 27. num. 16.

57 Causa pia undecim. piumque dicitur illud, quod relinquitur, aut relictum est meretrici, imó & concubinæ, quando tale quid relictum est, vel relinquitur illi eo fine, ut ad meliorem frugem perveniat, aut ut maritum inveniat, ad statum religiosum vel transeat. *Tiraquel. in Præfat. num. 34. Menoch. Præsumpt. 115. num. 26. Mantica de Conject. lib. 6. tit. 3. num. 25. Moneta cap. 4. num. 51. ac Bosi. §. 4. num. 267.* legatur *Diana Coord. tom. 6. Tract. 7. Resol. 143.*

58 Duodecim. causa pia, piumque est omne id, quod pauperi alicui donatur, vel relinquitur causâ studii, sive sit Grammaticæ, aut Philosophiæ, sive Theologiæ, aut Juris Canonici, sive Juris Civilis, aut Medicinæ, pro quo legatur *Tiraquel. in Præfat. num. 26. Abbas lib. 2. Consil. 63. num. 6. Ægidius in L. 1. Cod. de Sacros. Eccles. 3. P. §. 6. num. 10. ac Valasc. de Privileg. miserab. personar. Q. 12.* ¶ Et id verum habere etiam dicitur, & si scholasticus suam sustentationem habeat, dummodo ipse Sacram Theologiam, Canones vel sacros addiscat, aut ad Theologiam necessaria pra missa, uti Dialecticam, Logicam, & Philosophiam, de quo *Menoch. Præsumpt. 115. num. 20. Moneta cap. 4. num. 43. ac Barbos. cap. 27. num. 18.*

59 Cùm decim. tert. seminaria erecta pro instruendis, & educandis pueris, in Grammatica etiam, opus sit pium illud, quod dictis Seminariis ad talium puerorum educationem donatur, vel relinquitur, pium est, causaque pia dicitur; de quo *Moneta cit. num. 45.* legatur *Trident. Sess. 23. de Reformat. cap. 18.*

60 Decim. quart. causa pia, piumque esse dicitur illud, quod donatur, vel relinquitur pro construendo Monasterio, de quo jam sup. ac de quo *Menoch. Præsumpt. 115. num. 25. & Riccius Praxi. 4. P. Resol. 351.* ibi idem dicens de relicto pro reficiendis Ecclesiis, docetque *Barbosa cap. 27. num. 20.* ¶ Idem de donato, vel relicto pauperibus viduis, pupillis, orphanis, aliisque miserabilibus personis, de quo *Moneta cap. 4. num. 32.* ¶ Et idem de Montibus pietatis, de quibus jam alibi vidimus, ac de quibus *apud Trident. Sess. 22. de Reformat. cap. 8. & 9. & apud Laram de Anniversar. lib. 11. cap. 23. ac Molinam de Just. Tract. 2. Disp. 32.* legatur *Bossius tom. 2. tit. 12. toto §. 4.* Scito ergo quid sit causa pia, vel quid pium sit per ordinem ad punctum, nunc

Ad punctum principale.

61 Dicitur quód donatio omnium bonorum, tam præsentium, quàm futurorum, piæ causæ facta est omnino valida, nulloque modo irrita; constat enim id ex illo Div. Matth cap. 19. num 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo; & veni, sequere me,* idem quod habetur Sancti Marci cap. 10. num. 21. unde patet piissimum, perfectissimumque

opus

opus esse (consilii quidem, non autem præcepti, ut Pelagiani nonnulli autumabant) omnia propter Christum pauperibus, aut alicui alteri causæ piæ præstare, & applicare. Et equidem, si quis possit (prout re vera possit, ut patet in Religiosis) validè, ac licite se totum dedicare, & dare Ecclesiæ, multò fortiùs id omne, quod habet, ac sperat habere, ei consecrare, & dare valebit, cùm bona semper in personæ consequentiam veniant. Et pro hoc stat clarus textus *in L. Jubemus* 2. vers. *partitionum, Cod. de Sacros. Eccles.* Unde

Pro hac veritate, ultra quod est communis, stant cum eum Villalob Lessio, Tapia, Sylvestr. ac Prado Salmant. sup. num. 98. stat & cum AA. viginti Diana Coordinat. tom. 6 Tract. 7. Resol 105. §. *Dicendum est igitur*; quibus adde Manticam de Tacitis lib. 13. tit. 28. Gomes in L. 69. Tauri, num. 6. Covar. Rubric. de Testam. 2. P. num. 6. Gutier. de Juram. 1. P. cap. 11. num. 7. Fontanellam de Pactis nupt. 1. P. Claut. 4 Gloss. 21. num. 58. Cancerium 1. P. Var. cap. 6. num. 77. Larrea Decis. 66. num. 19 Castillo Controv lib. 4. cap. 53. n. 15. Layman in Sum. lib. 3. Tract. 4. cap. 12. Q. 4. vers. *Excipiendum*, Palaus de Just. Disp. 2. P. 25 §. 3. num. 10. ¶ Sed advertendum Ecclesiam, vel aliam causam piam, cui omnium bonorum facta est donatio, donatorem alere teneri, de quo Gomes, Gutier. & Diana sup. ac de quo & Leoncill. de Privileg. pauper. 2. P. Privileg. 92. verb. *Donatarius* à num. 1. & Olea de Cess. jur. tit. 3. Q. 9. num. 34. & alii.

62 Sed est dubium primum an laicali statuto aliquo donationes hæ omnium bonorum, Ecclesiis, Monasteriis, piisque causis aliis factæ, annullari valeant? Resolutio est negativa, dictumque statutum, si fiat, damnatur, ac irritatur. *Cap. Futuram Ecclesiam* 15. *cap. Videntes* 16. 12. *Q.* 1. ubi Urbanus ita concludit: *Ideo, si aliquis extiterit modernis, aut futuris temporibus, qui hæc tollere nitatur, jam dicta damnatione feriatur*; & docent Martha de Jurisdict. 4. P. Casu 62. Escobar Tract. 6. Theolog. Moral. Exam. 3. cap. 4. §. 3. Barbos. de univers. Jure, lib. 2. cap. 3. num. 174. Navar. in Manual. cap. 17. num. 130 Jul. Lavor de Indulg. 2. P. cap. 23. num. 16. Salmant. sup. num. 98. Diana cit. Resol. 105. §. *Dicendum*, vers. *quia Leges Civiles.*

63 Secundum dubium an statutum, vel Lex teneat, si fiat, in quo, vel qua decernatur ne donationes, aut venditiones rerum stabilium, vel immobilium fiant Ecclesiis? Affirmant alii, alii negant, dicuntque talia statuta, vel Leges contra Ecclesiasticam immunitatem esse. Legantur Federic. Senens. Consil. 35. Caldas Pereyra Quæst. for. lib. 1. Q. 28. num. 92. Petr. Gregor. lib. 3. Syntagm. cap 16. ac 17. Solorzan. de Jure Indiar. tom 2. lib. 3. cap. 21. num 22. Martha de Jurisd. 4. P. Casu 6. num 38. Valer. de Differ. utriusque Fori, Differ. 3. Barbosa de univers Jur. lib. 2. cap 3. num. 2. 6. & Sanch apud Dianam sup. Resol. 121. §. *Nota etiam*, ac est legendus Diana tom. 9. Tract. 3. à Resol. 9. & locis ad marginem.

64 Dubium tertium est an à Religiosis, vel ab aliis, quando Monasteria, aut Ecclesiæ ædificantur, pactum initi possit, ut nullatenus donationes, vel emptiones rerum immobilium illius Urbis, aut territorii unquam Monasteriis, vel Ecclesiis fiant, neque quòd talia bona illæ acquirant? Negativè respondet Lugo in Respons. Moral. lib 3. Dub. 8 & dicit id esse contra immunitatem Ecclesiasticam, neque subsistere posse pactum, quod Monasterium solvat quotannis ducenta puta, ob damnum gabellarum; legendus est Auctor, ac etiam Diana cit. tom. 9. Tract. 3. per totum.

65 Quartum dubium est an donationes omnium bonorum, vel dimidiæ, aut partis notabilis eorum Monasteriis, vel Ecclesiis factæ revocandæ sint, aut revocari possint, & debeant, si postea donatori nascatur proles? Et dictum est *Monasteriis, vel Ecclesiis factæ*, nam, si tales donationes fiant extraneo, qui non sit descendens, revocandas esse quo ad totum communiter resolvitur; pro quo legendus Molina de Just. tom. 2. Tract. 2. Disp. 282. num. 3. ac 5. Cancer. 1. P. Var. cap. 8. num. 122 vers. *extranei*, Covar. de Spons. 2. P cap. 6. §. 8. num. 17. Merlin. de Legitima lib. 2. tit 1. Q. 21. & Palaus de Just Disp. 2. P. 29. §. 1. Sed

66 Dubium est quintum de donationibus Monasteriis, aut Ecclesiis relictis, in quo duplex sententia extat, quarum prima dicit in totum revocandas esse, ac ita Menchaca de Success. lib. 3. §. 26 num 7 Clarus verb *Donatio*, Q. 23. num. 2. Fachineus lib. 3. Controv. cap. 86. Martha Decis. 61. num. 14. Rubeus Pract. Resol. cap. 21. num. 138. Bossi. tit. 12. de Testam. piis, §. 7 num. 321. ¶ Secunda sententia dicit revocandas esse tantùm quo ad legitimas, & non quo ad reliqua, ac ita Gomes tom. 2. Var. cap. 4. num. 11. Cancer dicto cap. 8. num. 125. Molina sup num. 10. Palaus sup. Layman in Sum. lib. 3. Tract. 4. cap. 12. num. 19 vers. *similiter*, Lugo de Just. Disp. 23. Sect. 11. §. 3. num. 194. vers. *dubitatur*, Leoncill. de Privileg. pauper. 2. P Privil. 50. verb. *Donatio* 3. num. 4. & alii. Legatur ac etiam Diana dicto Tract. 7. à Resol. 50 ad 55. ubi Resol. 50. etiam reperies an donatio revivi-

cat.

cat, si, vivente donatore, ejus filii decesserint.

LECTIO IV.

De Donatione causâ mortis, & quinam eam facere valeant?

QUid sit Donatio causâ mortis vidimus sup. num. 7. modò videndum qualiter ea fieri valeat, ac quinam mortis causâ donare possint?

67 Quo ad primum dicitur quòd donatio causâ mortis sub conditione, & absolutè fieri potest. Et tunc sub conditione fieri dicitur, & fit, quando, vel si instante morte dones, casu, quo sequatur mors, quo casu, morte non sequuta, evanescit donatio, nullaque redditur; *L. 1. L. Si mortis causâ, ff. de mortis causa donat. & trad.* Et hoc modo ab illis donationes fieri solent, qui aggrediuntur periculosas navigationes, bella, aut peregrinationes, qui omnes semper in suis donationibus dicunt: *Si moriar in hac navigatione, peregrinatione, bello, vel in hac infirmitate, talem, aut talem rem tibi, vel Petro dono*; & tunc, ut dicebamus, evaso periculo, morteque non sequuta, evanescit donatio.

68 Tunc autem fieri absolutè censetur, cùm donas in tempus, quo è vita decesseris, nullo mortis instante periculo, aut, licèt dones mortis instantis periculo ductus, sufficienter tamen exprimis, & declaras te absolutè causâ mortis absolutæ, sive proximæ, aut distantis donare, nonque declaras te donare sub conditione mortis præsentis infirmitatis, nec id ex tua voluntate sufficienter colligitur, & tunc non statim, evaso infirmitatis periculo, revocatur donatio, sed adhuc subsistit, durat, ac valet, dum illam in vita non revocas; ita *ex L. 2. & L. Senatus, §. Mortis causa, ff. de donat. causâ mortis*, & docet Molina tom. 2. de Just. Q. 287. Gomes tom. 2. Var. cap. 4. num. 19. Covar. Rubr. de Testam. num. 23. Et si periculo mortis urgente donatio fuit facta, non censetur causâ mortis absolutè fieri, (nisi id exprimatur) sed ob causam mortis præsentis, ac imminentis, & sub conditione quòd mors sequatur: dicta *L. Senatus*, docentque citati, & alii.

69 In multis convenit, ac in multis differt à testamento, & legato causâ mortis donatio. Convenit primò in eo, quòd, ipso facto, revocata censetur, si ante donatorem donatarius moriatur, perinde, ac legatum, legatario mortuo ante testatoris mortem, de quo Molina tom. 2. de Just. Disp. 287. §. *Tertiò observa*, Sylvester verb. Legatum, num. 12. Sa eod. verb. num. 8.

Secundò convenit in eo, quòd, sicut testamentum, & legatum non confirmantur, nisi morte testatoris, proindeque toto tempore vitæ revocari, ac mutari possunt, ita pariter donatio causâ mortis. ¶ Convenit tertio in eo, quòd parem testium numerum requirat, ac codicilla, nimirum quinque. ¶ Quartò convenit in eo, quòd tam in testamento, & legato, quàm in donatione causâ mortis habet locum substitutio. ¶ Convenit quintò quòd, sicut in testamentis, ac legatis, ultimisque voluntatibus conditio impossibilis habetur pro non apposita; ita pariter in donationibus causâ mortis, & in cæteris revocabilibus donationibus. ¶ Sextò in donatione causâ mortis non requiritur insinuatio, sicut nec in legato. ¶ Septimò in donatione causâ mortis Falcidia detrahitur.

70 Differt autem donatio causâ mortis à testamento, & legato primò in hoc, quòd legatum à testatoris hæredibus, vel à testamenti exequutoribus, & nunquam à testatore datur, donatio autem causâ mortis, aut res ita donata, quandoque à testatore, quandoque ab hærede traditur, quòd si legatum à testatore tradatur, & detur, jam tunc definit esse legatum, & ad donationem simplicem, quæ consistit inter vivos, transit.

Secundò differt in hoc, quòd filiusfamilias, consentiente patre, potest causâ mortis donare de bonis illis, quorum directum, ac utile dominium habet, & hoc tam ad pias, quàm ad profanas causas, cùm tamen, etiam de consensu patris, ad causas profanas testari non valeat; & quia testari nequit, nec similiter legare, neque codicillare valet, quæ omnia etiam de Lusitano Jure procedunt *lib. 4. tit. 8. num. 3.*

Differt tertiò in hoc, quòd, rescisso, & annullato testamento, valet donatio causâ mortis in eo facta, cùm tamen non valeat legatum in eo relictum, nisi fit ad pias causas. ¶ In hoc, quòd accusans testamentum ut nullum, vel falsum, perdit legatum, si testamentum nullum, vel falsum judicetur, non tamen perdit donationem causâ mortis in testamento eo sibi factam. ¶ Quartò quòd inter virum, & uxorem donatio causâ mortis non valet, sicut nec simplex donatio, quæ fit inter vivos. ¶ Sextò quod donatio causâ mortis consensum ejus, cui aliquid acquiritur, postulat. ¶ Itidem donatarii præsentiam, ut consensum præbeat, vel alium, qui nomine ejus donationem acceptet, legatum tamen ignoranti, & invito acquiritur. Hæc omnia à num. 69. probat ex multis Legibus *Azor Instit. Moral. 3. P. lib. 11. cap. 11. ac Molina videndus tom. 2. de Just. Disp. 287. & 288. Fagund. de Contract. lib. 7. cap. 5.*

SUB-

SUBLECTIO.

De iis, qui donationes causâ mortis facere possunt, vel non.

71 QUo ad secundum, quod in hujus Lectionis titulo tangitur, dicitur primò conjugatum virum, non filios, nec filias ex uxore habentem, habentem tamen patrem, aut matrem, vel utrumque, sive avum, aut aviam, vel alios ascendentes, nullatenus de suis bonis disponere posse, eaque, cui voluerit, relinquere, sive per donationem inter vivos, aut per donationem inter mortuos, vel mortis causâ, sive per legatum, aut per testamentum, nisi tantùm de tua tertia in Lusitania, & in Castella de tertia, vel quinta, quia id esset in ascendentium præjudicium disponere, quia re vera de Jure sunt hæredes, & invalida, ac inofficiosa est ea donatio, vel testamentaria dispositio, quæ fit in præjudicium tertii, & cum parentum præteritione. ¶ Si tamen ascendentes, aut descendentes non habeat, tantùmque habeat fratres, sorores, vel alios transversales hæredes, tunc & licitè, ac validè testari, legare, & donationes causâ mortis de suis bonis, cui maluerit, facere poterit, eo quòd fratres, &c. de Jure non sunt hæredes, ac solùm ab intestato succedere possunt. *Ludovic. Lopes 2. P. Instruct. cap. 46. de Renuntiat.* facta filius ob merita, *Veyga lib. 3. cap. 4.* cum quibus *Fagund. suprà num. 19.*

72 Secundò dicitur quòd, licèt juxta Jus commune uxores liberam administrationem habeant bonorum paraphernalium, quæ extra dotem secum detulerunt, simul & eorum, quæ industriâ sua, labore, acu, nendo, &c. acquirunt, subindeque de illis in vita, & causâ mortis, maritis invitis, & repugnantibus, liberè disponere queant, prout docet *Div. Thom. 22. Q. 32. Art. 8. ad 2.* & communis, tenent plures *apud Molinam*; attamen juxta Jus Castellanum *L. 54. ac 55. Tauri, & Lusitanum in novis Ordinat. lib. 4. tit. 48. ac in veterib. lib. 4. tit. 62.* Contrarium erit tenendum, id est, tales donationes sine expresso, vel tacito mariti consensu stare non posse, (quidquid in contrarium dicat *Navar. lib. 3. Consil. tit. 24. Consil. 3.*) & est ratio: quia duobus his Regnis administratio omnium bonorum (quæcunque ea sint) ad maritum liberè, ac sine ulla uxoris dependentia pertinet, (nisi in casu, quo dum contraxerunt, sibi aliqua bona ad suos usus, & liberam dispositionem sine viri dependentia reservaverit uxor) ut tenet, ac probat Molina Disp. 274. veri. *at verò*, & Cabedo 1. P. Decis. 106. num. 4. uxores ergo illæ nec etiam causâ mortis de rebus, vel bonis suis sine virorum suorum consensu disponere possunt. Legatum etiam *Molina de Primog. cap. 9. num. 4.* De donationibus inter conjuges infra termo erit.

73 Dicitur tertiò quòd filiusfamilias bonos donare potest donatione causâ mortis etiam invitis parentibus, de suis bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, cùm horum bonorum plenum dominium, ac administrationem habeat, testamentumque facere possit. (Imò juxta *Salmant. sup. num. 116.* etiam de tertia parte aliorum bonorum, Castellano, & communi Jure attento.) ¶ Item de bonis adventitiis, quorum sibi à patre concessus est usufructus, & administratio absolutè, ac independenter, donationes facere potest, & hoc non solùm ad pias, sed etiam ad profanas causas, cùm tamen de his etiam de consensu patris testari non valeat. Si autem donatio dictorum à filio sine consensu patris fuerit facta, infirma erit, & à patre revocari valet. ¶ Item absque consensu Judicis omnia adventitia bona quo ad proprietatem parenti suo causâ mortis donare valet, quia hæc parenti inter vivos donare potest, quæ donatio filii morte firmatur, fitque irrevocabilis. Legantur *Salmant.* ubi proximè *Fagund. sup. cap. 5. num. 24. Molina de Just. tom. 1. Disp. 138. Diana cit. tom. 6. Resol. 79. ad 81.* ¶ De bonis profectitiis, quorum dominium, & proprietas ad patrem spectat, donatio à filio facta omni Jure, ac secundùm omnes nulla, & irrita manet.

74 Utrùm autem filiusfamilias de bonis adventitiis illis, quorum ususfructus non quæritur patri, uti quando ei aliqua relicta sunt bona ea lege, ut nullum eorum usumfructum habeat pater, causâ mortis sine patris consensu donare valeat? Deinde nunquid, si filiusfamilias patris consensu testamentum faciat, codicillari adjecta clausulâ, scilicet: *Si non valeat jure testamenti, codicilli jure, aut cujuscunque alterius ultimæ voluntatis valeat*; tunc in vim donationis causâ mortis valere possit? Variant DD. *apud Dianam sup.* omnino legendum *Resol. 79. & 701.*

75 Quartò dicitur quòd minores 25. annorum donationes mortis causâ facere possunt, inscii, ac inconsultis Tutoribus, & Curatoribus, nam cui permittitur facultas testandi, conceditur etiam facultas donandi mortis causâ. *L. Marcell. 15. L. Tam is 25. ff. de mort. caus. donat.* sed pubes, vel minor 25. Curatore inconsulto, ac inscio testari potest: *L. Aurelio 20. §. 1. ff. de liber. legat. L. A qua ætate, 5. ff. qui testam. fac. poss.* & multis aliis: ergo, &c. Sic cum multis *Diana sup. Resol. 82.* legendus omnino etiam *ibid. Tract. 3. Resol. 159.* cum aliis *Salmant. sup. num. 119.* Id ipsum ibid. de uxore, dicentes *num. 118.* contrarium docent

alii

alii *apud Dianam*, de quo etiam legatur *Fagund. de Contract. lib. 4. cap. 5.* qui circa hoc aliqua alia habet. Legatur & insuper *Ordinat. Lusitaniæ. 73. in novis, ac tit. 3. in veteribus.*

76 Dicitur quintò (juxta probabiliorem, & veriorem sententiam) usurarios donationes causâ mortis nec in magna, nec in parva quantitate facere licitè, ac validè posse, nisi prius usuras solvant, aut certam, & securam cautionem præstent. Sic tenet, & probat *Fagund. sup. cap. 5. num. 36.* cum eo, & multis aliis *Diana sup. Tract. 7. Resol. 83.* ibi legendus; apud quem *Resol. 84.* dicitur, & probatur Judæos, & si publicè fœnerentur, nullamque de restituendis usuris cautionem præstantes, causâ mortis donationes facere posse; quem circa donationem causâ mortis faciendam à cæco videre etiam poteris *ibid. Resol. 85. ac 86.*

77 Sextò dicitur deportatum (cum nimirum, qui ad perpetuum exilium extat damnatus) & relegatum, (eum videlicet, qui ad temporale exilium damnatus est) Jure communi attento, non testari, nec legare, neque donare causâ mortis, posse, ac omnes donationes factas ante deportationem, sicut etiam testamenta, & legata per sententiam deportationis, perpetuique exilii eo ipso revocari, transireque ad Fiscum; ac idem de damnatis ad mortem, textus *in L. Si aliquis, ff. de donat. caus. mort.* tenetque Molina de Primog. lib. 4. cap. 11. num. 22. & Molina Theolog. tom. 2. de Just. Disp. 288. §. *Donatio causâ mortis facta cuicunque.*

78 Sed excipitur donatio causâ mortis facta inter virum, ac uxorem, si traditio præcessit ex peculiari privilegio in simili deportatione, & mortis damnatione, hæc autem non revocatur, modò traditio timore, vel suspicione pœnæ non fuerit facta; unde dicta bona sic donata ad uxorem pertinent in eo eventu, quo vir ad mortem damnetur, aut in perpetuum exilium deportetur, non autem ad Fiscum; licèt vir, dum naturaliter vivit, donationem eam revocare queat. Legatur Molina dicta Disp. 288. A costa cap. Si pater 1. verb. *legavit*, num. 6.

79 Rogabis primò an, si donatio causâ mortis facta sit à duobus sibi ad invicem, altero mortuo, possit vivens post alterius mortem eam revocare pro sua parte? Resolutio est affirmativa. Et idem dicendum, quando duo, puta maritus, ac uxor, de communi consensu hæredem unum constituunt, aut tertiam partem suorum bonorum (habentibus filiis, patre, aut matre) applicant ad aliquod opus pium, tunc enim etiam, mortuo eorum uno, potent vivens pro sua parte ab eo testamento recedere, & donatione, quia, cùm testamentum, sicut & donatio causâ mortis, non firmetur, nisi morte donantis, ac testatoris, intercedente, certè ex parte illius, qui superstes existit, revocari potest. *Covar. sup. P. 2. num. 7. & 8. Gama Decis. 258. Molina tom. 1. de Just. Disp. 152.* & alii. Sed

80 Excipitur, nisi fraudulenter, ac dolosè eorum alter procederet, quia videlicet induxit alium ad aliquid communi consensu statuendum, sed animo revocandi statim, ac socius alius ab hac vita discedat, tunc enim, casus, tenebitur iste prudentis arbitrio ad aliquid restituendum hæredibus sui consortis, quos probabiliter ei crederetur succedere, vel fortè ab intestato successuri ei erant. ¶ Et ipse *Molina* observat quòd quando unus, putà maritus, testamentum conderet, causâque mortis de communibus bonis Maioratum institueret, ad id, ab uxore facultate habita, tunc, marito demortuo, supervivens uxor testamentum illud, donationem, vel institutionem, quo ad bona, de quibus facultatem concessit, rescindere, aut revocare non potest, quia dispositio ea propriè non est utriúsque, sed solius mariti, quæ tota proinde ipsius confirmatur morte, quod patet *ex L. Nec fratris, Cod. de donat. caus. mort. & L. Sicut, §. Venditionis, ff. quib. mod. pignus, vel hypotheca contrahatur.*

81 Secundò rogabis an, si pater (ac idem de aliis) filio suo, cùm adhuc liberos non habet, tertiam bonorum suorum causâ mortis, vel in vita donet, sub ea tamen conditione, ut filius ipse donatarius post suam mortem alteri filio fratri ipsius illud restituat, & postea accidit quòd donatarius filius gravatus filios habeat, quos tempore mortis suæ vivos reliquit, subintelligatur tacita conditio, *si sine liberis discedas*? Resolutio est affirmativa communis. ¶ Sed, si filii primi donatarii ante mortem ipsius prius obierint, tunc, casus, locum substitutio habet, ac donatarius secundus in bonis succedet. ¶ Si tamen filii primi donatarii tempore mortis patris supervixerint, licèt post illam statim moriantur, substitutio secundi donatarii spirat, & deficit. ¶ Idem dicitur de donatione, sive inter vivos, aut causâ mortis, quando quis alicui descendenti aliquid aliquo cum gravamine donat, ut scilicet post mortem suam id alteri restituat extraneo; intelligitur enim, *si sine liberis discedas*, & non aliter. *Gomes tom. 1. Var. cap. 1. num. ult. Molina tom. 1. Q. 190.* ac ex multis Civilibus Legibus probat *Fagundes sup. à num. 40.*

82 Rogabis tertiò utrùm, si gravatus rem sibi donatam restituere alteri post suam mortem cum eo gravamine Religionem ingrediatur, in eaque profiteatur, Religio ipsa substitutum ipsum excludat, cui talis res restituenda

erat?

erat? Respondetur nullatenus Religionem eum excludere, si fuerit extraneus, & multò minus, si fuerit filius, vel nepos, vel alius à donatore descendens. Legatur Molina cit. Disp. 190. §. *Utrum autem*, Gutier. lib. 1. de Quæst. Canon. cap. 32. num. 31. apud quem plures. ¶ Si autem scire velis an, dum quis donavit donatione mortis causâ, sibi aliquid ad testandum reservavit, sed mortuus est intestatus, reservatum illud pertineat ad hæredes donatoris, nunquid verò ad legatarium? Vide *Dianam sup. dicto Tract. 7. Resol. 88.*

LECTIO V.

De Donationibus inter conjuges.

83 Licèt communiter dicatur quòd donationes inter vivos, inter virum, & uxorem factæ, nullæ sunt, ac invalidæ, nè mutuo se amore spolient, & unus pauperior reddatur alio, id quod probatur *ex ff. ac Cod. de donat. inter virum, & uxorem*, Legibus & aliis, tenentque Sanch. de Matrim. tom. 1. lib. 6. Disp. 1. à num. 2. aliique plures à Diana cit. Tract. 7. (& alibi) Resol 67. congesti, probabilissimum tamen est eas in conscientiæ foro valere, maximè dicto fine cessante, pro quo legendus Acosta in cap. *Si pater* 1. P. verb. *legavit* à num. 1. Molina tom. 2. de Just. Disp. 288. §. *Dubium est*, & Diana suprà.

84 Sed omnino dato, & habito quòd donatio inter conjuges, inter vivos, habita nulla sit, ac invalida, hoc non tollit quòd, si juramentum adsit, per illud firma, & valida reddatur; valida enim, ac firma relinquitur, proindeque post illud revocari non potest, quia, quanvis ob commune bonum prohibita sit, principaliter prohibita est ob bonum, & commodum ipsius donantis, cui cedere potest, subindeque juramento firmari; cum multis *Diana sup. Resol. 68. Salmant. sup. P. 5. §. 3. num. 101.*

85 Firmatur ac etiam morte donatoris, sicut legatum, & mortis causâ donatio, ut tamen morte firmetur, conditiones petuntur sequentes. Prima, ut in vita expressè, vel tacitè non sit revocata, & tunc revocari dicitur tacitè, si maritus rem uxori donatam distrahat, in pignus constituat, aut eam hypothecæ subjiciat. ¶ Secunda, quòd res donata in vita mariti uxori sit tradita traditione vera, vel etiam ficta, quæ tunc adest, vel adesse censetur, quando donans se pro tali re obligat, seque illius fidejussorem constituit. ¶ Tertia, quòd donans ante donatarium moriatur; unde, si è contrà contingat, non valet donatio. ¶ Si non constaret qui prior mortuus fuerit, valida donatio erit, in dubio nanque melior est possidentis conditio; si uterque simul moreretur, uti in naufragio, igne, &c. tunc præsumendum est prius decedisse uxorem, utpote debiliorem. Hæc omnia cum aliis docent *Salmant. cit. num. 101.* cum multis, & aliis *Diana sup. Resol. 69. ac 70.* Sed

86 Dum dicitur quòd donationes simplices inter conjuges factæ donatoris morte firmantur, intelligi debet non solùm de morte naturali, sed etiam de morte civili, quæ dicitur triplex; prima exulatio conjugis ita, ut sit vel in perpetuum, aut in longum tempus, putà decennii, pro quo Civitatem perdat. ¶ Secunda, si conjux pœnæ servus efficiatur, veluti, si ad metallum fuerit damnatus; non autem si hominis servus sit factus. ¶ Tertia, si in Religionem approbatam, & hæreditatis incapacem ingressus sit, ac professus. Pro quo legendus omnino est *Diana cit. Resol. 70. & Sanch. de Matrim. tom. 1. lib. 6. Disp. 217.* Et hinc

87 Sequitur quòd, si ante exilium, pœnam, vel Professionem talis donatio fuit facta, statim post civilem mortem confirmatur, reliquæ donatæ, earumque fructus non ad Fiscum, sed ad uxorem donatariam pertinent. Sanch. sup. num. 3. Molina sup. Disp. 289. §. *Si disputatione præcedenti*, addens ex Gregor. Lopes quòd, si post confiscationem bonorum mariti ipse maritus donationem eam ante confiscationem uxori factam revocet, talis res ad Fiscum non pertinet, quia confiscationis tempore Fiscus ad eam jus non habebat. Quæ omnia tam de donatione facta à marito uxori, quàm de donatione facta ab uxore marito, intelligi debent, quia pro utraque parte eadem est, ac militat ratio, quidquid in contrarium de donatione uxoris facta marito dubitet Molina allegatus, & Sanch. sup. num. 6. Et notat Molina §. *Quando*, estque ex Ordinat. nostris novis lib. 7. tit 62. quod quando non præcessit insinuatio, tunc donatio inter vivos ab uno conjuge alteri facta donantis morte confirmatur solùm quo ad summam, quam sine insinuatione donare poterat, id quod etiam habetur *in L. Donationes, quas parentes, Cod. de donat. inter virum, & uxorem*, tenetque Jul. Clar. lib. 4. Sentent. §. *Donatio*, Q. 17. num. 3.

88 Aliqui alii à Salmant. sup. num. 102. assignantur casus, in quibus simplices donationes inter conjuges, ac inter vivos, donatorisque morte non expectata, statim accipiunt valorem. Primus, si donatio sit remuneratoria, de qua jam suprà diximus donationem propriè non esse, sed obsequium, solutionemque debiti, & de qua legatur Diana sup. Resol. 62. ubi dicit *donationem mutuam, vel remuneratoriam*

riam inter conjuges licitam, & validam esse, id quod multis ex Legibus, & AA. probat.

Secundus, si Imperator donet Augustæ, ac è contrà, & idem de quolibet alio supremo Principe respectu propriæ uxoris. ¶ An autem, si maritus senex sit, ac ignobilis, uxori nobili, & ætate florenti donare possit, teneatque donatio, si donet? Negant uni, & affirmant alii apud Dianam sup. Resol. 63. qui ibi §. *Sed, his non obstantibus*, pro hac affirmativa sententia se ponit, ac judicat quòd *dicta donatio est remuneratoria, eo quòd uxor juvenis, & nobilis duxerit senem, ac ignobilem*, de quo etiam Trulhench. lib. 7. cap. 17. Dub. 9.

Tertius, si conjux conjugi donet ad instaurandas ædes igne, vel ruinâ destructas. ¶ Quartus, si donator ex donatione non reddatur pauper. ¶ Quintus, si donatarius ex donatione ditior non fiat, uti si maritus uxori donet ad fucos, ad unguenta, ad eleemosynas dandas, (vel lusitanè *para alfinetes*) aut si uxor sic donatum expendat, ut ex eo non reddatur ditior; pro quo legatur Diana sup. Resol. 67. §. *Supposito igitur*.

Sextus, si maritus prodigus sit, & aliàs bona consumpturus ea, quæ donet uxori, valet donatio, quia pauperior non redditur, cùm aliàs talia bona inutiliter detracturus esset. ¶ Septimus, si dicta donatio fiat causâ mortis, nonque ponatur clausula, quòd revocari non possit. ¶ Octavus, si uxor marito donet ad aliquam dignitatem, vel honorem consequendum, aut ad literas addiscendas, ad bellum eundum, vel ut Magister fiat. Possunt ac etiam conjuges sibi invicem remittere bona quæstuola in posterum habenda, cùm hoc dare, donare vel non sit, sed acquirere nolle; respectu verò eorum bonorum, quæ jam sunt lucrata, probabile est ea sibi ad invicem donare posse, & probabilius oppositum. Hæc ex multis probant Salmant. sup. num. 102. pro quibus etiam legatur Trulhench. sup. Dicastill. lib. 2. Tract. 5. Disp. 1. Dub. 5. per totum, ac Diana sup. Resol. 64. §. *Nota etiam quòd Caramuel*, & Resol. 65. ¶ Apud quem Resol. 64. reperies donationes inter conjuges in die Nativitatis Dòmini factas validas esse, cùm factæ sint ex pia gratulatione pro Christo Domino nato.

89 Si autem plura de donationibus inter conjuges velis, vide cit. præcipuè *Dianam sup. cit. Tract. 17. à Resol. 62. Sanch. ac Molinam ubi sup.* De iis, quæ conjuges in eleemosynis, & alijs insumere valent, vidimus *Tract. de Dominio.* De sponsalitia largitate, & Arrhis vidimus etiam *Tract. 12. cap. 1.* de quo etiam legi poterit *Diana suprà Resol. 59.*

LECTIO VI.

De Donationibus liberalibus, quæ à patribus filiis suis fieri possunt, & quænam bona filii ad collationem teneantur adducere.

90 SI pater donationem remuneratoriam filio faciat, & hæc pro meritorum qualitate sit facta, valet donatio facta filio etiam sub patria potestate jacenti ita, ut res donata ad collationem cum aliis fratribus non sit adducenda, quippe hæc non propriè donatio est, sed meritorum compensatio, non quidem ex justitia, sed ex gratitudine. ¶ In casu tamen, quo talis donatio meritorum valorem excedat, excessus trahendus est ad collationem, pro illo enim invalida est. Jul. Clar. lib. 4. Sent. §. *Donatio*, Q. 8. num. 2. & alii plures, cum quibus Diana legendus sup. Resol. 45.

91 Donatio tamen illa, quæ remuneratoria non est, sed est simplex, mereque gratuita, ac liberalis, meraque gratiâ, & liberalitate fit à patre filio suo familias sub patria potestate detento, regulariter loquendo, est invalida, & ad partitionem est deducenda. Salmant. sup. num. 104. Jul. Clar. sup. Molina omnino legendus tom. 1. de Just. Disp. 243. §. *Si tamen*, ac 249. & 250. legatur Diana sup. Resol. 38

92 Cæterùm, licèt dicta donatio invalida sit, consequenterque ab ipsomet patre revocari valeat, si tamen juramento sit à patre firmata, valida extat; sicut & etiam si pater ipsam in vita non revocet, juramento nanque, ac etiam morte donatoris confirmatur, & irrevocabilis extat, & hoc de communi Jure. *Jul. ac Molina ubi sup. Salmant. cit. num.* 104. *Diana* omnino legendus *sup. Resol.* 39. *&* 46. ¶ De Jure tamen Lusitano nullam vim à juramento talis donatio acciperet, sed esset nulla etiam post realem acceptationem, de quo *Molina Disp.* 149.

93 Si dicta donatio filiofamilias sub patria potestate jacenti facta non sit, sed fiat filio emancipato, valet, quia cessat tunc patria potestas, quæ solùm posset obstare. *Anton. Gomez tom. 2. Var. cap. 4. num. 25. Jul. sup.* Similiter valet donatio à matre filio emancipato facta, & etiam si fiat filio conjugato; post Matrimonium nanque pro emancipato habetur, ac pro à patria potestate egresso. *Gomes sup.* & alii. ¶ Utrùm autem donatio à filio patri, vel matri facta sit valida? Affirmat *cit. Gomes*, negat *Navar. in Sum. Latina, cap. 17. num.* 145. ac circa donat. à patre, vel matre filio factam legatur *Diana sup. Resol.* 34. *&* 36.

94 Ex dictis sequitur posse patrem filio suo sub sua potestate jacenti, si patri, vel matri suæ inserviat, non intervientibus aliis, pro remuneratione talis servitii tantum ei conferre,

sive

sive donare, quantum ejus merita valent, & quantum cuilibet alteri extraneo pro tali servitio daretur, quin talis donatarius filius donatum ad collationem adducere teneatur. ¶ Imò, ut jam vidimus alibi, si pater nihil pro tali servitio tali filio præstet, filiusque non velit gratis inservire patri, & matri, tunc ipse (ac ejus loco ejus hæredes) mercedem sui laboris, & obsequii præstiti exigere potest, vel de illa occultè compensare se potest, si semper in animo habuit non inservire gratis, difficultatemque timet in recuperando servitii, & obsequii mercedem, faciendo vel in illius recuperatione expensas. Legatur *Navar. sup. num.* 148. ac etiam *Diana cit. tom.* 6. *Tract.* 3. *Resol.* 174. qui cum *Laymun*, *Less. Navar. Lopes*, & *Angel.* ita, ac melius resolvet.

95 Valere donationem à patre (vel matre) filio, vel filiæ factam titulo, vel causâ dotis, quid commune est, sicut & donationem propter nuptias, docetque cum multis Diana sup. Resol. 47. §. *Dico primò*, ac Navar. sup. qui num. 145. ait non teneri filium, vel filiam talem dotem, aut donationem cum hæredibus aliis in collationem, vel divisionem bonorum adducere, id quod patet *ex L. Pomponius*, *ff. familiæ erciscundæ*, tenetque Cabedo 1. P. Decis. Arestо 72. testificans ita in Senatu supremo Ulyssiponensi judicatum fuisse. Vide Ordinat. Lusitan. lib. 4. tit. 45. §. *Et hæc promissio.*

96 Dicto tamen filio, vel filiâ cum aliis fratribus ad collationem, aut divisionem hæreditatis paternæ ingredi, ac venire volente, omnia bona à patre causâ dotis recepta cum fructibus omnibus à tempore mortis parentis usque ad tempus collationis ad collationem tenetur afferre; non tamen ad collationem venire per alios fratres obligari valet, nisi recepta bona legitimam dotati filii excesserint, simul & tertiam parentis donantis, nam tunc læsio fratribus aliis ex hoc proventa reficienda erit; id quod fiet de tertio paterno, reliquo tertii apud dotatum filium manente. *Ordinat. Lusitana num.* 11. *Molina Disp.* 238. *Gama Decis.* 118. *Valasc. de Partition. cap.* 13. *num.* 18. *ac* 148. qui *num.* 55. notat dictum fratrem cum fratribus aliis ingredi ad collationem volentem, ipse melioris conditionis non teneri ad illam adducere expensas, & sumptus pro convivio, & festivitate factos à patre, vel matre dotante, cùm tales expensæ, ac sumptus ad honorem patris, & matris, reliquorumque fratrum pertineant. Legatur *Molina Disp.* 254.

97 Si de vestibus, ac ornamentis pro nuptiarum, aut Religionis ingressûs tempore à parentibus datis sit termo, dicitur cum *Valasco de Partition. cap.* 13. *num.* 52. quòd, si constet dictas vestes, & ornamenta liberis esse data, ut duntaxat ornatiùs ad nuptias incedant, tunc clarè constat ea esse ad hunc tantùm finem accommodata, consequenterque semper mansisse in dominio paterno, ac proinde quod pariri debent, sicut reliqua bona, quæ sunt res hæreditatis paternæ. ¶ Sed, si constet simpliciter fuisse donata, & non accommodata pro illis diebus, tunc, communi Jure attento, collationi non extant obnoxia, quia sunt quædam simplices, ac liberales donationes, quæ de Jure communi collationi non conferuntur, quando quantitatem eam non excedunt, quam parentes absque insinuatione donare queunt. *L. penult. Cod. de collat.* & est communis.

98 Dictum est communi Jure attento, de Lusitano nanque Jure *lib.* 4. *tit.* 97. *num.* 7. semper sunt dicta bona ad collationem, vel divisionem trahenda, & id sive res agatur inter nobiles, aut inter ignobiles, sive res pretiosæ sint, vel non, quia generalissima sunt verba Legis: *Em casamento, ou qualquer outra maneyra*, generaliterque, ac sine distinctione, & exceptione procedunt.

99 Sed, si dubium fuerit an pater, ac mater donare voluerint, nunquid vero tantùm accommodare ad nuptiarum tempore incedendum ornatiùs; tunc, si pretiosa sint vestes, collationi conferendæ erunt pro eo statu, in quo fuerint; secus autem, si pretiosæ non fuerint, sed ordinariæ, & quotidiano usui necessariæ, juxta *Bald. in L. Filiæ, cujus*, *Cod.* 5. *Cod. familiæ erciscundæ*, ubi ait vestes quotidianas nurui à socero datas conferendas non esse, sicut nec necessaria alia ad quotidianum usum, cùm dictæ vestes sint alimentorum pars, & alimenta non conferuntur, hæc enim in victu, ac vestitu consistunt. *L. Legatis*, *ff. de aliment. legat.* hancque doctrinam sequitur *Gama Decis.* 94. *num.* 2. & 3. *ac Paul. de Castro Consil.* 242.

100 De vestibus autem, & ornamentis argenteis, vel aureis sponsæ à sponso missis ante ejus traductionem ad domum, ac de successione in talibus rebus tractant *Matthæus de Afflictis Decis* 315. *Gama Decis.* 123. *num.* 1. & 2. *Butrius Conser.* 39. *Ancharranus Consil.* 181. plures & alii, qui docent quòd, si prædictæ vestes, ac ornamenta aurea, & argentea expressè data non sint, sed sint simpliciter missa à sponso sponsæ, matrimonio postea brevi tempore sponsi morte soluto, vel quocunque alio modo, ad sponsi hæredes tantummodo pertinent, non verò ad sponsam, nec ad ejus hæredes, si illa sponso præmoriatur, data enim, vel donata non sunt, sed tradita, & commodata, ut nuptiarum tempore sponsa appareat ornatior. ¶ Secus dicendum de ordinariis vestibus, & usui quotidiano inservire potentibus, hæ enim videntur tanquam alimentorum partes

donatæ. ¶ An autem dictæ vestes sint pretiosæ, *ad* ornatiorem cultum, nunquid vero tantùm ad quotidianum usum deserviant, judicabit prudens, divitiarum, ac nobilitatis viri, & uxoris circunstantiis attentis, ac bene perspectis: semper tamen attendendus est usus, & mos Regni, ac Civitatis, ubi matrimonium initur, quia viri nisi juxta talem usum, & morem non censentur donare, prout patet *ex L. penult. ff. soluto matrim.* verbis in illis: *sanè prodigalia vestimenta, &c.* ¶ Sed, si sponsus post matrimonium contractum verbis expressis dicta bona uxori donavit, ac postea in morte donatum non revocavit, tunc dicta donatio, invalida antea, mariti morte confirmatur, sive sponsa jam, aut non dum in sponsi, vel mariti domum traducta esset. Legatur *de Afflictis.*

101 Utrùm autem ad collationem conferri debeat quantitas ducentorum, putà aureorum, quam pater, vel mater filio suo, dum viveret, in singulos annos dotavit ad sustentanda Matrimonii onera, semperque filio, & filiæ solvit? Affirmat *Fagund. sup. cap. 7. num.* 13. qui *ibi á num.* 16. resolvit quæst. illam: an scilicet bona illa, quæ ultra dotem dari Monasterio solet pro ingressu, ac Professione religiosa, uti valor vestium, & tota supellex Monialis, velut lectulus, linteamina, argentea vascula, cochlearia, fustinulæ, propinæ, & hujusmodi collationi conferendæ sint eo in casu, quo Monasterium hæreditatis capax cum hæredibus aliis ad collationem intrare velit? Et affirmativè respondet, si excipiantur propinæ datæ die ingressûs, ac Professionis in locum epularum, & convivii, ac etiam si excipiantur stipendia, & annui redditus, quæ, & qui conferendi non sunt, cùm pro dotis augmento Monasterio non dentur, sed Monialibus ipsis loco alimentorum annuatim, & alimenta ad collationem trahi non debent, ut dictum manet. Legatur *Valasc. sup. cap.* 13. *num.* 37.

102 Valent, nonque ad collationem sunt adducendæ tam Jure communi, quàm Lusitano donationes factæ à parentibus filiis sub eorum potestate constitutis pro bello, & Militia, ac pro continuanda Curia Regia: quia donationes hæ sunt quasi castrensia bona, quorum filii plenum, & absolutum dominium habent. ¶ Excipiuntur, nisi filius donationis in tempore sit uxoratus, nam tunc dicta bona ad collationem conferenda esse dicuntur, modò non dentur tali filio in bellum proficiscenti, ut in illo Eques armetur, & modò res non jam sint consumptæ; nam, si totæ, vel illarum partes aliquæ extent, tunc conferendæ erunt, sive filiis conjugatis, aut non conjugatis sint traditæ; vide *Ordinat. Lusitan. lib.* 4. *tit.* 97. *num.* 9. *ac Valasc. suprá num.* 169.

103 Item valet donatio, nec est conferenda illa, quam pater filio facit emancipationis ob præmium, quia jam facta est ob causam, sive ex causa præexistente, nempe ob consensum in emancipationem præstitum, quem filius non tenetur præstare; unde, si filius emancipationi consentit, jam pater justam remunerationis causam habet, & ideo dicta donatio simpliciter liberalis non est, sed remuneratoria. Julius Clarus lib 4. Sent. §. *Donatio*, Q. 8. num. 5. Alexander Consil. 21. l.b. 3. post num. 9. ac Socinus Consil. 127. lib. 3. num. 13.

104 Item valet donatio, nonque ad partitionem adducenda est, quæ à patre facta est filio sub patria potestate jacenti, pro studiis; unde scholasticus filius ad partitionem non tenetur adducere expensas factas in studiis, sive minoribus, id est, Grammaticæ, & cæterarum artium, vel maioribus, id est, Theologiæ, utriûsque Juris, Medicinæ, &c. & hoc de Lusitano Jure, prout videre est *in lib. 4. nova Ordinat. tit.* 97. *num.* 7. de quo etiam *Valasc. in Praxi, cap.* 13. *a num.* 151. De Jure tamen communi vera est resolutio in sententia omnium pro expensis factis in studiis minoribus; pro expensis tamen, quæ fiunt in studiis maioribus, sententia est pro utraque parte probabilis, illa tamen, quæ dicit tales expensas ad partitionem adducendas non esse, probabilior extat. Legatur *Fagund.* (multos adducens) *sup. num.* 26. *ac Less. lib.* 2. *cap.* 18. *Dub.* 12.

105 Et notat *Fagund. num.* 27. quòd, licèt probabile sit quòd, si filius apud patrem bona aliqua castrensia, aut quasi castrensia, sive adventitia habet, tunc in dubio censetur patrem filium suum de bonis illis in studiis maioribus voluisse alere; æquè tamen probabile est posse parentes in tali casu de suis propriis bonis filium talem (sicut & omnes) in Academiis alere, quin in administratione bonorum suorum alimenta ea computare teneantur, quia non est illicitum patribus in alimentis, in victu, & vestitu filium unum præferre aliis filiis, modò in hoc rationis modum non excedant, ac modò non protestetur pater, vel ex conjecturis aliis manifestè constet (uti si dictas expensas cum tali filio factas expensarum, &c. scribat in libro) dictas expensas in legitimam filii computandas esse, nam tunc filius ad collationem adducere tenebitur omne id, quod plus in studiis consumpsit, quàm consumpsisset, si in propria patris aleretur domo. Legantur *Valasc. n.* 151. *&* 256. *ac Garcia de Expensis, cap.* 4. *á num.* 4.

106 In conscientiæ foro (imò & in foro externo ad id obligari poterunt) tenentur patres volenti filio studium incipere Grammaticæ, artium liberalium, Rhetoricæ, ac humanas

nas literas addiscere, expensas facere omnes usque dum consummatus in illis filius evadat, quia Grammaticæ, Rhetoricæ, &c. studium quasi fundamentum generale est ad alias scientias omnes; & etiam quia jam in usu, & more ubique positum est, ut nobilium præcipuè filii Grammaticam, ac literas humaniores addiscant, & iterum etiam, quia patres tenentur suos filios alere, bonisque moribus eos instruere, ad idque omne obligari possunt, ut docent *Tolet. lib. 5. Sum. cap. 1. a num. 8. Navar. in Sum. Latina, cap. 14. num. 17.* multique alii. Et alimentorum nomine in Jure etiam studium venit, sine quo nobiles, & ingenui homines politicè vivere non possunt, puta studium Grammaticæ, & Rhetoricæ. Sylvester verb. *Alimentum* citans Barthol. *in L. Legatis, ff. de alimentis, & cibariis legatis.*

107 Ut tamen filius maiora continuet studia, putà Theologiam, &c. non tenetur pater, sicut nec ejus hæredes alimenta, vel alias expensas præstare, solùm enim in domo propria, ac non alibi tenetur ad id ei alimenta præbere, nec similiter, mortuo patre, alii fratres, dictique filii cohæredes prædictos sumptus, ac expensas in dictis studiis maioribus continuare tenentur, quia, si pater ad id non tenetur, cur alii fratres ad id tenebuntur? De quo textus est clarus *in L. De bonis, §. Non solum, ff. de Carbon. edict.* docetque Bald. *in L. Omnimodo, §. Imputari, Cod. de inoffic. testam. & Barthol. in L. 1. ff. §. Nec castrense, ff. de collat. bonor. penult. num. 12. ac in Tract. de duob. fratrib. Q. 3.*

108 Libri, seu expensæ factæ in emptione librorum, quos patres emunt, tanquam necessarii, ut filii scientiam acquirant, & ita studio per eos operam dando ad Doctoratûs, vel Licentiaturæ gradum conscendant, ad collationem non sunt adducendi, si patres, dum vivunt, dictos libros filiis emerunt, eisque de facto eos tradiderunt, ac modò non constet patrum animum fuisse in filiorum legitimam librorum emptorum computare expensas: nam, si id constet, tunc dictæ expensæ ad collationem adducendæ erunt, ealque patres post mortem in tertiam suam computare tenentur. *Menoch. de Arbitr. lib. 2. Centur. 2. Casu 131. & Barbosa in Remiss. ad Legem Regiam Lusitan. lib. 4. tit. 97. ad §. 7. num. 2. pag. 212.* docentes libros illos, quos patres eisdem filiis emerunt, & in vita sua non tradiderunt, ad collationem adducendos esse post parentum mortem, ac in eo statu, in quo tunc libri tales reperientur. ¶ Non tamen (juxta eosdem DD.) ad collationem libri illi sunt adducendi, quos pater donavit filio Doctori, Licentiatoque, qui jam studia sua absolverat; Judici Advocato simile vel exercenti publicum munus; aut ad eam scientiam, quam dilexerat exercendam, jam erat in proximo, nisi solùm in casu, quo ex hoc inæqualitas magna inter fratres consurgeret, quod quando continget, ex circumstantiis divitiarum, & bonorum patris, qualitate, ac nobilitate aliorum fratrum prudens Judex judicabit: *cit. Menochius*, plurelque alii. Legatur *Diana cit. Tract. 7. Resol. 40.*

SUBLECTIO.

Præcedens materia prosequitur.

109 MAteriam prosequendo præjactam valet etiam expensarum donatio à patre filiofamilias sub ejus potestate jacenti facta pro consequendo aliquo honore, vel dignitate non vendibili, nec ad hæredes transferibili ita, ut tales expensæ ad collationem non sint adducendæ, neque eas parentes in tertium suum teneantur assumere. Unde valet donatio de patrimonio, sive pro ordinando filio Ordinibus sacris, quin detur obligatio adducendi donatum ad collationem, & hoc ex Jure communi, (ac etiam ex Jure communi contrarium probabile extat, uti tenent multi *apud Dianam* statim citandum) & ita probatur: quia tale donum reputatur quasi castrense, cùm spiritualis militiæ titulo detur, & quia dignitas Sacerdotalis nec in se, nec æstimatione vendi valet, ut secundùm hanc ad collationem adducatur, & cùm patrimonium talis dignitatis sit accessorium, & accessorium principalis naturam sequatur, inde fit quòd tale patrimonium, vel donatio à parentibus facta ad collationem adduci valet. Et itidem, quia, sicut pater tenetur, & ad id officio Judicis obligari valet ad dotandos filios, ac filias per ordinem ad Matrimonium ducendum, ita pariter, & potiori ratione ad Ordines sacros suscipiendos, vel Religionis ingressum. Pro his omnibus legatur *Diana cit. Tract. 7. Resol. 41. ad 44.* ubi de hoc plura habet, legatur & etiam *Fagund. sup. à num. 34.*

110 Dictum est: *& hoc ex Jure communi*, nanque, Lusitano Jure attento, re vera tenetur filius patrimonio eo dotatus illud ad collationem adducere cum fratribus, vel cohæredibus aliis, si ipse melioris legitimæ illam intrare voluerit, ad id tamen obligari non valet, tametsi patrimonium tale legitimam filii, & tertiam patris, ac matris dotantis excedat. Ratio est: tum quia in dicto Lusitano Jure sup. generalis est regula, ut omnia à patre, & matre filio donata, sive mobilia, aut immobilia ad partitionem adducantur, nisi in casibus ibi exceptis, & hic casus non excipitur ibi, uti textum legenti patebit; tum quia juxta *Tri-*

dent.

dent. Sess. 21. de Reformat. cap. 1. obligatio non alienandi bona patrimonii est, quatenus ordinati Ecclesiasticum Beneficium adeptum non habent, vel aliunde ad se sustentandum decenter non obtinent, secus, si habeant. Et hinc

111 Fit, vel sequitur primo posse filium Ordines sacros habentem ipse consequendi hæreditatem maiorem, partitionem intrare patrimonium à patre, vel à matre collatum afferendo ad illam, ad id tamen obligari non posse, ut tactum est sup. & adnotavit *Valasc. sup. à num.* 77. ¶ Secundo fit nec licitè, neque validè dictos Clericos patrimonium suum vendere posse sine licentia Episcopi, antequam habeant Beneficium, aut unde aliunde decenter sustentari possint, juxta *Trident. sup. cap.* 11. ¶ Si verò vendant, postquam Beneficium habuerint, vel congruam, unde decenter, & secundùm suum statum sustentari commodè possint, id licitè, ac validè absque Episcopi licentia valebunt efficere, quia in hoc casu jam Trident. cessat intentio, & finis, nè scilicet Clerici cum dedecore sacrorum Ordinum mendicare cogantur. Legatur *Covallos comm. contra comm. Q.* 527. qui alios citat, & cum *Covallos* consentit *Toletus lib.* 1. *Sum. cap.* 48. *num.* 7.

112 Item ad partitionem illud non est adducendum, quod parentes filio dederunt pro decorando illo Habitu alicujus Militiæ, aliqua vel alia insigni militari dignitate; pro gradu Equitatûs, vel Doctoratûs, Commendæ, pro Beneficiis Ecclesiasticis obtinendis, & his similia honoris insigni causâ comparandi, ob jam sup. tactam rationem, scilicet, quia hæc vendi nequeunt, à filiis nec ad hæredes transmitti; quod intelligitur, nisi aliud à parentibus fuerit expressum. Anton. Gomes L. 10. Tauri, num. 31. vers. *ex quo subinfero*, Molina tom. 1. de Just. Disp. 241. §. *Hinc patet*, colligiturque ex textu in L. 1. §. *Sed an id, ff. de collat. bonor.* duo citati, ac etiam Gama Decis. 309. (quidquid in contrarium sentiat Valasc. num. 175.) docent expensas factas à patre in expediendis Bullis ad comparationem Beneficiorum pro filiis ad collationem adducendas non esse, nec in filiorum legitimam, qui Beneficia adepti sunt, computandas, neque in tertium parentum assumendas; ob sup etiam jam tactam rationem, id quod verum Jure communi, & verius Lusitano Jure, *lib.* 4. *tit.* 97. *num.* 7. *ac* 8. ubi expressè decernitur non esse ad collationem conferendas expensas factas à patre, vel matre cum filiis in bellum euntibus, aut inservientibus in Regis palatio, cùm dicta bona quasi castrensium sint, quæ ad collationem non adducuntur, naturam induant; unde, cùm Ecclesiastici filii Beneficia habentes in spirituale bellum eant, & militent, (cùm Divus Paulus Ep. 2. ad Timoth. cap. 2. num. 4. Ecclesiasticos omnes Dei milites vocet, ac dicat: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*) & hæc Beneficia insignia sint, & honores hujus spiritualis militiæ, planè videtur hujusmodi expensas ad collationem trahendas, vel ducendas non esse, nisi id parentes declarent, tam in temporali, quàm in spirituali militia.

113 Item filii ad collationem non tenentur adducere, neque in suum tertium computare parentes ea, quæ parentes ipsi consumpserunt cum filiis in peregrinationem aliquam piam, recreationem honestam, Hasti ludum, &c. pro dignitate, & qualitate personæ, quia hæc omnia ad competentia alimenta pertinere dicuntur, ac ita in Lusitano Jure ubi sup. sed hoc in casu, quo filii bona aliqua propria non habeant, nam tunc id, quod ita fuerit acceptum, & insumptum, ad collationem post parentum mortem afferre tenentur. Sylvester verb. *Peculium* 2. Q. 8. Navar. cap. 17. num. 160. & alii.

114 Item nec filii ad collationem tenentur adducere expensas à parentibus factas in redimendis ipsis filiisfamilias à captivitate, liberandis à vinculis, vel à delicto aliquo; aut pœnâ illius, nec expensas litis, ac pœnarum, in quas pro delictis incidérunt, & quas parentes suis redemerunt expensis, neque id, in quo parentes pacisentes cum partibus convenerunt, quia hæc omnia ex affectione, quadamque pietate naturali erga filios suos videntur parentes solvisse, ac efficere, non verò animo id iterum repetendi à filiis, vel quia, supposito quòd filii ad talem illum devenerunt statum, jam hæc omnia ad filiorumfamilias alimenta pertinent, proindeque nec parentes id in tertium suum tenentur accipere, quod procedit tam communi, quàm Lusitano Jure sup. num. 8. circa quod legendus est Molina tom. 1. de Just. Disp. 240. Valasc. sup. num. 176 Sylvester verb. *Peculium* 2. Q. 14. & Navar. sup. num. 165. ¶ Tenebuntur tamen filii supradicta omnia ad collationem deducere, si inter patrem, ac eos pactum intercedat expressum, ut ipsi id in legitimæ suæ portionem accipiant. In casu tamen, quo filii incorrigibiles fuerint, & assueti committendis delictis, eo non tenentur liberare parentes, nisi filii expensas in sua libertate factas in legitima sua accipere velint, juxta *Fagund. sup cap.* 8. *num.* 9.

115 Item patres, dum vivunt, nullatenus donare, vel remittere valent usumfructum bonorum adventitiorum filiofamilias, si patres ususfructus eos jam habeant collecti, eosque vel simul, aut per partes (expressè dando, nimirum libenter, ac publicè, vel tacitè, videlicet,

licet, sciendo filium tales fructus ex loco, ubi sunt, sibi accipere, tacendoque, & dissimulando) filio donent, ac donatio prudentis arbitrio pretio sit considerabilis; invalida enim erit prædicta donatio, & tales fructus ad collationem venire debent, vel saltem tenetur pater donans eos in tertium suum accipere, ac est ratio: quia tales fructus jam pervenerunt à patre, in cujus substantia jam erant incorporati, & ideo ut bona patris jam omnibus aliis filiis facta sunt communia, consequenterque ad collationem venire debent, cùm tunc sit vera, ac propria donatio, de quo Lusitana Ordinat. sup. tit. 97. in princip. & de quo videndus Valasc. sup. num. 139. fine, ac Castro *in L. Cùm oportet, num.* 30. *de bonis, quæ liberis.* ¶ Contrarium autem omnino dicendum in casu, quo pater ab initio ante aliquam acquisitionem, seu collectionem dictos tales fructus demittit, & relinquit filio, illique tunc eos donet, quia tunc non est propriè donatio, cùm pater nunquam comparaverit eorum dominium, nec quidquam de suo minuat, & quia remissio illa fructuum bonorum adventitiorum non est remissio rei propriæ, sed rei ipsiusmet filii, cùm in adventitiis bonis filius verum dominium habeat, ac pater usumfructum solum, & administrationem. *Valasc. num.* 141. *Navar. cit. cap.* 17. *num.* 145.

116 Utrùm autem possint patres, dum vivunt, remissionem talem ad libitum revocare? Probabiliter variant DD. Affirmant Valasc. ac Navar. ubi nuper Bocius Decis. 191. num. 5. Butrius, & Barthol. in dicta *L. Cùm oportet.* Negant Acursius in L. 2. Cod. de inoffic. testam. ac in §. *Igitur*, Instit. *Per quas personas.* Bald. in L. *Cum oportet* sup. §. *Non autem, Cod. de bonis, quæ liberis.*

Illud verum, quòd donatio tacita, vel expressa profectitiorum bonorum à patre filiofamilias facta ad collationem deduci debet, quia tunc non demittitur à patre jus quærendum, sed jus jam quæsitum. Et idem dicitur de emphyteusi, vel fructu illius *Gama Decis.* 118. *Valasc. sup. num.* 126. *ac* 148. ibi notans id procedere de donatione emphyteusis cum traditione, sed non in simplici donatione, vel renuntiatione causâ nuptiarum facta, ut post patris mortem filius, aut filia dotata emphyteusim acquirat. Videatur nova *Ordinat. Lusitan. lib.* 4. *tit.* 97. §. 22.

117 Item ad collationem adducenda non sunt ea, quæ à Rege, Regina, Dynastis, viribus nobilibus, vel à Camera Ulyssiponensi, & simili filiisfamilias donantur, sive donatio fiat ob merita patrum, aut ob merita filiorum ipsorum, reputantur enim talia bona, ita donata, tanquam bona castrensia, juxta *Ordinat. Lusitan. sup. num.* 10. & castrensia bona ad collationem non veniunt. Valasc. sup. num. 27. Molina tom. 1. de Just. Disp. 231. §. *Deinde*, Cabedo 1. P. Decis. 115. Rebell. 2. P. lib. 1. Q. 8 & alii.

118 Sed, si dicta bona pecuniâ paterna fuerint empta, & pater statim, ac emit officium, putà stipendium, jus, subsidium, &c. statim filiofamilias emit, sine dubio ad collationem, sive partitionem adduci debent, eo quòd defraudantur filii alii à sua legitima, seu portione pecuniæ, qua emptum fuit dictum officium, &c. quæ per alios filios certò dividenda erat, si tale officium emptum non fuisset. *Covar. lib.* 3. *Var. cap.* 19. *num.* 4. *Gama Decis.* 29. *num.* 3. *Gomes ad L.* 29. *Tauri*, *num.* 21. *Valasc. num.* 64. & alii, qui omnes id ipsum dicendum esse aiunt, si pater sibi ipsi ea bona emit, ac postea de nova licentia, & consensu Regis filio ea renuntiavit, id quod etiam tenet Bald. in *L. Omni modo*, §. *Imperatori, Cod. de inoff. testam. Barthol. in L.* 1. §. *Nec castrense, num.* 4. *ff. de collat. bonor.* pro quo etiam legatur Gama num. 4. Valasc. num. 42. ac Fagund. cap. 8. num. 6.

119 Ad collationem autem adducendum est omne lucrum, quod filius ex pecunia patris, vel matris acquisierit, sive acquisierit absque opera sua, & personæ ipsius labore, ut data pecuniâ apud campsorem, vel acquisierit ex labore, ac industriâ personæ. Ad hoc tamen, ut tale lucrum patri, vel matri quæratur, & ad collationem venire debeat, duo concurrere debent, (juxta Jus Lusitanum, secundùm quod est Resolutio sup. tit. 97 §. 16.) alterum, quòd filius parentum bonis alatur; & alterum, quòd ex re ipsius patris, aut matris lucrum quæratur. Et hinc

Fit quòd, si filius, licèt à patre, vel matre alatur, non ex eorum pecunia, sed aliunde acquisierit, tale lucrum patri, aut matri non quæritur, nec ad collationem est adducendum; quia, cùm in tali casu nihil filius habeat ex bonis paternis, vel contemplatione parentum, sed aliunde, voluit Ordinatio dicta legenda quòd totum ita acquisitum non patris, aut matris, sed solius ipsius filii esset.

In casu tamen, quo filius alatur à patre, clarèque non constet an lucrum quæsitum sit, aut non propter pecuniam patris, (ac eadem omnino resolutio erit, quando filius ex ipsa pecunia patris, vel matris acquisierit, & simul industriâ sua, atque labore, ab ipsis tamen non alitur) tunc tale lucrum inter patrem, ac filium dividendum esse asseritur ita, ut dimidia pars pertineat ad filium ad collationem non adducenda, & dimidia altera ad patrem, quæ ad collationem trahenda erit; quod expressè docet

cet Barthol. in L. 1. §. *Neque castrense, num. 5. ff. de collat. bonor. ac in Tract. de duob. fratrib. P. 1. num. 2.* tenetque Gomes ad L. 29. Tauri, num. 24. ¶ Sed si certè, & manifestè constiterit lucrum quæsitum *pro* maiori parte ex opera, ac industria filii processisse, vel è converso, tunc Judicis judicio erit standum, ut inter ipsos divisio fiat, uti docet *Baldus in Authent. Ex testamento, num. 6. Cod. de collat.* Sed

120 Duo hæc tanquam certa habe, primum, quod, si in prædictis casibus filius nomine proprio negotietur, hoc exprimendo in contractibus, vel alibi, aut è contrà suo tantùm nomine, & periculo, ac id protestetur, dictæ divisioni locus non erit, sed totum vel patris, aut filii erit. ¶ Secundum, quód, si tale lucrum ex pecunia patris per usuras acquisitum fuerit, vel illicitos aliquos alios modos, tunc non patri acquiritur, nec fratribus conferendum erit. Legatur *Valasc. á num.* 188. & est omnino legendus *toto cap.* 13. ubi circa materiam de rebus ad collationem adducendis curiositates plures trahit, ac resolvit; legantur & ea, quæ dedimus *sup. cap.* 1. *Lect.* 6.

121 Supremus Princeps (qualis est Rex) suorum subditorum, aut vasallorum merita, maximè si ea in bonum commune cedant, potest, & debet juxta sui statûs conditionem remunerare, non tamen profusè donare poterit in grave, ac notabile præjudicium Statûs, & Regni; id quod si eorum aliquis fecerit, ejus successores donationes hujusmodi revocare poterunt, & est ratio: quia Coronæ bona vinculata sunt suo modo & Regi ad Reipublicæ defensionem, bonamque, ac prudentem administrationem concessa, & ad sui muneris sustinenda onera, non verò ut in Reipublicæ detrimentum, damnum aut profundantur. *Molina tom. 1. Tract. 2. Disp. 25.* Et multò magis donationes ejusmodi coarctari, limitari vel debent, quando Rex debitis gravatus iis plenè satisfacere nequit. Ast non ita durè cum eo procedi debet, ut nihil omnino donare queat, sicut enim alia, quæ ad decentem statûs sui sustentationem necessaria sunt, expendere potest, non obstante alieno ære, quo gravatus extat, ita donare aliqua poterit, licèt cum debita, prudentique moderatione, quia etiam hoc ad congruam Regis sustentationem dicitur pertinere, cùm dignitas Regia sine liberalitatis exercitio decenter sustineri non valeat. Legatur *Diana sup. Resol.* 11. *ac* 12. *&* 15. *ac* 16.

122 Civitatis Rectores, sive illi, penes quos est tota administratio communium bonorum, dicta bona tantummodo expendere possunt in stipendia Officialium communium, quos Communitas alere tenetur; ad construendum, vel reparandum publicum carcerem, Communitatis domos, ad conducendum Medicum, Chirurgum, Magistrum liberalium artium; ferrarium, artifices alios toti Communitati proficuos, & necessarios; Advocatum etiam Communitatis, item ad lites prosequendas, pro defensione juris Communitati acquisiti, ad reparationem Ecclesiæ toti Communitati necessariæ. ¶ Item possunt & quandoque aliquid donare donatione aliqua moderata remuneratoria alicui de Communitate benemerito, ac etiam moderatas aliquas eleemosynas facere, sicut Tutor de pupilli bonis facere potest. ¶ Item Nuntio nuntianti aliquod commune bonum moderatum aliquid pro bono nuntio dare. ¶ Item ad ludos honestos, recreationesque publicas, & communes insumere aliquid, dummodo necessariis non auferatur. ¶ Non tamen possunt ea bona expendi in bonum aliquorum, etiam si sit Communitatis pars magna, si non sint in bonum totius Communitatis, quia id, quod ad omnes pertinet, in unius partis utilitatem derivari non debet. Legatur *Sanch. in Consil. lib. 1. cap. 6. Dub. 2. num. 3. Lugo tom. 2. de Just. Disp. 24. Sect. 8. §. 4. ac Diana sup Resol.* 14.

123 Plurima mittuntur hìc circa alios, qui donare, vel elargiri non possunt, nempe circa Episcopos, & Beneficiatos, Præbendatos, ac hujusmodi per ordinem ad donationes ex redditibus Beneficiorum; circa Regulares per ordinem ad donationes aliquas, quæ ab ipsis fieri, vel non fieri valent, & per ordinem etiam ad alios. Sed in Breviario non omnia, de quibus quælibet materia tractat, ad medium trahere possumus; pro his, ac pro aliis ad rem hanc pertinentibus legat lector ea, quæ in Tract. de Dominio dedimus, ubi non pauca circa rem istam reperiet, aut legat *Dianam cit. Tract.* 7. & etiam AA. suprà adductos, dum nos ad sequentem Lectionem descendimus.

LECTIO VII.

In quibus casibus, & quas ob causas Donatio jam facta revocari valeat?

124 Licèt Donatio completa, ac perfecta illa nimirum, per quam res donata per ejus traditionem in donatarii dominium transit, (de hac enim sermo, unde de Donatione acceptata, sed non dum completa, & perfecta, quæ ob eadem causas, & faciliùs, revocari potest, à fortiore constabit) naturâ sua sit irrevocabilis, uti tenet Jul. Clar. sup. Q. 1. verf. *& ex hac*, tenent & alii; plures tamen à Jure assignati sunt casus, in quibus revocari possit, & debeat quandoque. Et tres assignantur principales causæ, ob quas promissio, ac dona-

donatio etiam post acceptationem, & rei traditionem revocari potest; quarum prima est *ingratitudo donatarii*. ¶ Secunda *supervenientia filiorum*. ¶ Et tertia *inofficiosi donatio*: sed, licet Jus has tantùm exprimat causas, non tamen consimiles rejicit alias, uti tenet allegatus Jul. Clar. num. 2 Glos. in L. fin. verb *voluerit*, Cod. de revocat. donat. Ripa ibi Q. 14. post num. 144. Prima igitur causa, nimirum *ingratitudo donatarii*, in quinque casibus obtinet locum in *L. ult. Cod. de revocand. donat. & in §. Sciendum, Instit. de donat. & cap. ult. de donat. enumeratis.*

125 Primus ergo casus est, si donatarius graves, & atroces injurias in donatorem effundit, quod intelligitur de verbis injuriosis, & hoc, sive donatore præsente, vel absente, ac satis est, si in eo id temel faciat. Atrocitas autem, & gravitas prudentis arbitrio judicanda erit. *Cap. ult. de donat. & L. fin. Cod. de revocand. donat.* patetque ex Ordinat. nostris novis lib. 4. tit. 63. num. 1. tenet Molina de Just. tom. 2. Disp 281. §. *Prima est* cit. Jul. Clar. Gregor. Lopes in L. 10. tit. 4. Part. 5. verb. *de palabra*, & alii.

126 Injuriarum autem gravitas (licèt, ut dicebamus, prudentis relinquitur arbitrio) ex gravitate tamen personarum donatorum, & ex circunstantia loci desumi debet, veluti si dicantur in publico loco, in foro, in Judicio, & Auditorio, in Ecclesia coram multis, gravibusque personis; nec necessum est ut verbis tantùm talis injuria fiat, sed satis, si re sine verbis fiat, uti si donatarius cum donatoris filia committat stuprum, ac etiam si id fiat cum vidua, quæ ipsius donatoris fuit uxor, idque fiat intra annum luctûs, hæc enim gravis censetur injuria donatori facta, & ob eam poterit Judex donatarium talem donatione privare. Et idem erit dicendum, si donatarius donatorem fugaret, vel in carcerem cum magno dedecore mitteret, idemque, si ab eo, vel ejus mandato in donatoris foribus appendantur cornua, &c. Legantur *Barbos. in Remiss. ad dictum tit. 63. Ordinat. nostræ, §. 1. Molina, Gregor. Lopes ubi sup. ac Diana sup. Resol.* 134.

127 Secundus casus est, si in donatorem donatarius impias inferat manus, uti si eum percusserit ferro, ligno, lapide, tello, arundine, vel alio instrumento; *Molina sup. Azor* 3. *P. Instit. Moral. lib.* 11. *de Donat. cap.* 8. *Q.* 2. *Rebel. de Obligat.* 2. *P lib.* 18. *Q.* 9. *num.* 3. *Dicastill. lib.* 2. *Tract.* 5. *Disp.* 1. *Dub.* 7. *Lugo Disp.* 23. *Sect.* 11. *à Spiritu Sancto ubi sup. Disp.* 12. *Sect.* 8. *Salmant. Tract.* 14. *cap.* 4. *P.* 5. §. 4. aliique multi.

128 Casus tertius erit, si donatarius in donantis bonum damnum injustè notabile intulit, & *notabile* diximus, quia leve non sufficit, ac ut grave, & notabile sit, non requiritur (uti aliqui autumarunt) quòd damnum illatum ad medietatem bonorum pertingat, minus enim sufficit, quod Judicis arbitrio ponderandum erit, ac ita citati. Et id verum de Lusitano Jure sup. §. 3. (non verò de Jure communi, & Castellæ juxta *Lopes sup.*) ac si intentatum damnum non formatur effectum, de facto vel damnum non inferatur, satis est enim intentare illud inferre, prout in simili casu resolvunt *Salmant. Tract.* 11. *cap.* 1. *P.* 5. *num.* 71.

129 Quartus casus est, si donatarius donatori vitæ periculum sit machinatus sive immediatè per se, aut mediatè per alium, neque requiritur quod donatoris mors sit sequuta de facto, sed satis quod periculum intulerit: si enim ob temporalia bona Lusitano Jure id statuitur, à fortiore id ipsum dicendum ob vitæ periculum. Citati *Molina, Rebel. Azor, & Lugo.*

130 Casus quintus est, si donatarius conditiones, vel gravamina, ad quæ scripto, vel verbo se in donatione obligaverat, implere renuerit; citati, ac est expressum in Lusitano Jure sup. num. 5. constat & etiam *ex L. ult. Cod. de donat.* ¶ De eodem Lusitano Jure ibi num. 6. constat expressè quòd, si mulier aliqua, primo viro suo mortuo, secundo nubat, ac post secundas nuptias revocet donationem aliquam à se filio factam ex priori matrimonio, solùm in sequentibus tribus casibus illam revocare poterit. Primo, si ipse filius vitæ matris insidias tendat, vel paret. ¶ Secundo, si iracundè violentas manus in eam injecerit. ¶ Et tertio, si aliquid redundans in notabile bonorum matris damnum fuerit machinatus. Et in omnibus tribus his casibus necessum est quod effectus intentus à parte rei ponatur. Et tota hæc Lusitana dispositio patet ex Authent. *Quod mater de revocand. donat.* & Authent. de nuptiis, §. *Mater*, ac ex L. 10. Castellæ tit. 4. Part. 5.

131 Diximus sup. num. 124. *Sed, licèt Jus has tantùm exprimat causas, non tamen consimiles rejicit alias.* Sed hoc juxta unam probabilem opinionem asserentem ob alias graves similes, & æquales ingratitudinis causas præter sup. enumeratas, posse donationem revocari, quam tenet Anton. Gomes 2. Var. cap. 4. num. 14. Jul. Clar. sup. Q. 12. Molina lib. 1. de Primog. cap. 9. num. 32. Navar. cap. *Statuimus* 19. Q. 3. num. 48. secus juxta opinionem probabilem, probabiliorem vel aliam, quam tenet Molina tom. 2. de Just. Disp. 281. §. *Nobis verò*, & multi alii apud Dianam legendi sup. dicto Tract. 7. Resol. 130. ibi addens quòd ex ingratitudinis capite à solo donatore revocari

potest donatio, non verò ab ejus hæredibus, quando donator ingratitudinem scivit, ac tacuit, secus autem, si eam ignoravit, citatque plures, quibus adde Molinam Juristam de Primogen. lib 1. cap. 9. num. 36. & 37. Molinam Theolog. cit. tom. 2. Disp. 281. §. *Quòd si*, Anton. Gomes 2. Var. cap. 4. num. 14. Dicastill. sup. à num. 153. addentes quod quando donator ingratitudinem scivit, sed non habuit tempus donationem revocandi, ac multò magis, si morte præventus revocationem, ad quam se præparaverat, non potuit perficere, tunc hæredes revocare possunt, quia tunc nullo modo donator ingratitudinem condonasse censetur. Addit præterea *Lugo sup. num.* 170. *cum Molina* quòd quando donatarius obiit, donator adversùs donatarii hæredes procedere non potest, nec revocare donationem, quia, cùm hæc sit pœna delicti, consequens est ut, mortuo delinquente ingrato, non possit amplius adversùs ejus hæredes ad exequendam pœnam intentari actio; si autem donatarius ingratus fuit post donatoris mortem, tunc, casus, solùm in 1. & 2 casu, & non in alio poterit donatoris hæres donationem revocare. Legatur *Lugo num.* 171.

132 Sed circa hactenus dicta est advertendum primò quod quando dicimus donationem ob ingratitudinem donatarii revocari posse, sermo est de donationibus gratitudinis, ac liberalitatis, non verò de illis, quæ ob aliquam causam fiunt, putà dotis, remunerationis, &c. quia, ut dictum manet, donatio ob causam non est propriè donatio, sed est propria compensatio, remuneratio, aut permutatio, ac proinde ubi donandi intercesserit causa, donatio ob supervenientem ingratitudinem revocari non valet. Molina sup. Disp. 181. § *Illud etiam observa*, Jul. Clar. sup. Q. 21. num. 1. & 4. cum multis aliis Diana sup. Resol. 21. ac Salmant. sup. num. 107. in fine. Unde,

133 Quanvis filia dotata, & conjugata causam ingratitudinis aliquam ex contentis *in L. finali, Cod. de revocand. donat.* adversùs donantem patrem committat, non ideo pater, matrimonio constante, donationem revocare poterit, quia id esset in damnum mariti, dos enim non est titulus lucrativus ex parte mariti, sed onerosus. Et idem dicendum, matrimonio soluto, si habeat filios. Cevallos tom. 1. commun. contra comm. Disp. 73. & constat *ex L. Si dote, tit.* 6. *Cod. de Jure gent.* soluto verò matrimonio, dos ob ingratitudinem revocari valet, quando maritus filios non reliquit. *Pinel. in L.* 1. 3. *P. num.* 62. *Cod. de bonis maternis, Matienso in L.* 1. *tit.* 6. *Gloss.* 11. *num.* 3. *ibi cum Cevallos* docentes dotem titulum ex parte viri lucrativum non esse, sed onerosum propter onera sustentandi Matrimonium, esse verò lucrativum titulum ex parte filiæ dotatæ, & hæc est communis opinio. *Diana sup. Resol.* 133. §. *ult.* & alibi.

134 Secundò advertendum in iis omnibus, in quibus ob donatarii ingratitudinem donatio revocari potest, semper donatarii culpam requiri, atque adeò, si donatarius justè donatorem accuser, quando accusare debebat, si justè se defendendo periculum ejus vitæ afferat, vel justè percutiat, aut justè promissa non solvat, &c. eo titulo donatio revocari non valet, cùm revocatio sit pœna, quæ sine culpa non incurritur, ac sine culpa justè non punitur delinquens. Et idem dicitur, quando donatarius donationem ignorasset (quod contingere posset, quando Procurator ejus nomine eam acceptasset) tempore, quo injuriam donatori intulit, cùm sine beneficii accepti notitia ingratitudo esse non possit *Lugo sup. num.* 168 *Molina sup. num.* 12. *Dicastill. lib.* 2. *Tract.* 5. *Disp.* 1. *Dub.* 7. ac cum multis aliis *Jul. Clar. Q.* 21. *num.* 9.

135 Neque etiam donationem Ecclesiæ factam revocari posse ob ingratitudinem Prælati illius, vel Capituli, eo quòd donatio Ecclesiæ facta Deo facta esse censetur, qui nullo modo ingratus esse potest, cùm gratitudinis omnis originarius fons sit, & Author, ac liberalissimus gratiarum omnium Largitor; docet nuper cit. cum aliis multis *Diana sup. Resol.* 131. contrariam *Fagund.* sententiam reprobans ¶ Idem dicitur de collatione alicujus Beneficii Ecclesiastici alicui facta. ¶ Idem de præsentatione ad Beneficium, talis collatio, aut præsentatio ob ingratitudinem donatarii revocari non valet, juxta *Molinam sup.* §. *ult. Lugo sup. num.* 176. *Fagund. de Contract. lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 17. ¶ Idem de donatione à patre filio facta, pro suscipiendis Ordinibus sacris ab ipso patre ob ingratitudinem filii revocari non valet, id quod cum aliis docet Diana sup. Resol. 41. §. *Quæ quidem omnia.*

136 Advertendum tertiò quòd, si donatio fiat, appositâ clausulâ, conditione, vel pacto, quòd ex nulla causa, nec etiam ingratitudinis revocari possit, adhuc eo non obstante, revocari poterit; donator nanque in probabiliore sententia huic facultati donationem revocandi ob ingratitudinem subsequutam renuntiare non potest, cùm ea renuntiatio sit contra bonos mores, eo quòd donatariis ipsis delinquendi occasionem præbet, per hujusmodi nanque renuntiationem Legis finis impediendi ejusmodi ingratitudinem omnino tolleretur de medio. Et ita ex communi Jure *L. Si unus*, §. *Illud, & §. Pacta de pactis, Jureque Lusitano lib.* 4. *Ordinat. tit.* 63. docentque Molina sup. Disp. 281.

281. § *Dubium est*, Gomes sup. Mantica de Tacitis, & Ambig. convent. lib. 13. tit. 41. num. 2. cum multis aliis Diana sup. Resol. 132. §. *Sed hic obiter* ibi §. *Est bene verum*, addens quod, non obstante illa conditione, vel pacto, si ingratitudo commissa fuerit, à donante remitti potest, quia id misericordiæ est opus, solaque dissimulatione id fieri posse, quia per hanc etiam injuria aboletur. ¶ Utrùm autem donatio ex ingratitudine revocari valeat, non obstante juramento adhibito non revocandi, non est una sententia DD. ut videre est *apud Dianam ibid.* ¶ Apud quem *Resol.* 133. habes quòd, si donatarius indigenti donatori alimenta neget, tunc donatio revocari potest, quando res donata non parva, sed multa, & magna extat. Legantur Author, ac Salmant. cit num. 107. vers. *si donatorem.*

137 Quartò advertendum quòd, si donator donatario ingrato promissam rem non dum tradidit, potest ei illam non tradere; tum ex defectu intentionis requisitæ ad promissionem, & donationem, non enim se obligandi intentio fuisse censetur respectu ingrati, cùm ingratitudo superveniens notabilis extet mutatio rerum, nanque personarum negotiorum, cæterarumque circumstantiarum variato statu, variatur donatio, ac non obligat, uti ex multis docet, & probat *Diana sup. Resol.* 137. legendus. ¶ Tum quia cui repetitio conceditur, eidem conceditur exceptio, nè solvat, sed donator in ingratitudinis casu traditum donatum repetere potest: ergo & non traditum etiam non tradere. *Rebel. lib.* 18. *Q.* 12. *Leff. cap.* 18. *num.* 14. *Dicastill. sup. num.* 158. & alii.

138 Advertendum quinto donatarium ingratum non teneri in sententia valde probabili ad restitutionem rei donatæ, licet petatur, usque dum in Judicio claris, dilucidis, evidentibusque argumentis probata, & approbata fuerit ingratitudinis causa, subindeque per Judicis sententiam sit condemnatus, quia est Lex pœnalis, quæ ante Judicis sententiam non ligat, nec obligat: debet ergo adesse querela, ac ingratitudo clarè probata, in cujus pœnam revocatio imponitur. Molina sup. §. *Illud etiam observa*, Lugo sup. num. 172. cum aliis Fagund. sup. num. 10. Salmant. sup. num. 108. cum aliis Diana sup. Resol. 134. quod idem ibid. dicit de legato, comparatione facta respectu legatarii ingrati. Et ex resolutione hac.

139 Probabiliter dicitur donatorem, ac ejus hæredes ante sententiam latam occultè se compensare non posse, juxta regulas occultæ compensationis à nobis suo loco jam traditas, ut habent Dicastill. sup. num. 159. Diana cit. Resol. 134. §. *Quæ doctrina* ibi, §. *Sed hic merito* ex aliis docens, & probans donatarium ingratum non teneri restituere fructus ante revocationem ex re donata perceptos, vel ante litis contestationem, sed solùm eos, quos post litem contestatam percepit.

140 Adquæst. ob quam liberti ingratitudinem patronus libertatem donatam revocare queat? Respondet *Lugo sup. num.* 178. quòd, si libertus admonitus indigentem patronum, nec alcendentes, nec descendentes habentem, à quibus alatur, alere nolit, iterum ad servitutem patroni, tanquam ingratum redigi debet, abeoque vendi posse, ut ejus pretio patronus alatur, id quod probat ex *L. Alimenta, ff. de liberis agnosc.* ¶ A l quæst. an, si donatarius injustè querelam impediat, poterit donator sibi rem donatam ex donatarii bonis compensare? Affirmativè respondet *Trulbench. lib.* 7. *cap. Decò.* 11. eo quod per injuriam patitur damnum.

SUBLECTIO I.

De secunda causa, nempe ob filiorum supervenientiam, ob quam promissio, vel donatio revocari potest.

141 SEcunda causa, ob quam facta promissio, sive donatio revocari valet, est donatarii superveniens legitima proles; unde, si post donationem factam donatori legitimi filii supervenant, eo ipso cassatur, & revocatur donatio, atque ex toto nulla, ac irrita redditur, prout disponitur *in L. Si unquam, Cod. de revoc. donat.* Ratio est: quia talis donatio fuit ex natura sua conditionata, & donator sub hac conditione tacita donare censetur, scilicet: *Si filios non habuero, dono*, id quod verum habere dicitur, etiam si donatio cum juramento fuerit facta, quia hoc sequitur naturam actûs, supra quem cadit, & ruente fundamento, ruit etiam res fundata. Et id verum esse ait Lugo sup. num. 180. cum aliis Diana sup. Resol. 51. §. *Sed mihi magis placet*, si pater, dum juravit, de filiis non cogitavit, secus autem, si de futuris illis cogitationem habuit, nam tunc ipse pater eam revocare nequit, bene tamen filii, mortuo patre, & hoc, quatenus talis donatio inofficiosa censetur, & contra legitimas filiorum talis donatoris. Legantur Molina tom. 2. de Just. Disp. 282. Anton. Gom. 2. Var. cap. 4. num. 11. Dicastill. num. 160. Fagund. cap. 15. num. 2. Salmant. sup. num. 109. Tiraquel. ad L. *Si unquam*, verb. *libertis*, num. 84. ac Ripa ad eandem L. Q. 2. Unde

142 Resolves primò quòd, licèt multi probabiliter sibi persuadeant quòd, si pater liberè, liberaliterque donavit filiorum spem habens,

bens, de illisque cogitans, eo ipso revocatur prædicta donatio per filiorum supervenientiam, non solùm quo ad eam partem, quæ tertium donantis excedit, & filiorum legitimas mordet; sed etiam in totum, ac in solidum, & etiam multi alii ex diametro probabiliter existiment in tali casu donationem non revocari, neque quo ad partem, in qua filiorum legitima quæritur; *Fagundes tamen sup. num.* 4. ut quid probabilius judicat oppositum, ac dicit in eo casu non revocari donationem prædictam in totum, & in solidum, sed tantùm quo ad partem, in qua filiorum legitima tangitur, consequenterque filios posse post parentum donantium mortem hujusmodi donationem revocare, quatenus fuit illis in legitimis suis damnosa, ac mofficiosa, & pro hac parte quinque adducit AA. Legatur *Molina sup. Disp.* 282. legatur *Diana cit. Resol.* 51. per totam *ad* 53.

143 Secundò resolves quòd, licèt plures probabiliter asserant quod, si donator donavit de filiis cogitans, filique postea ei nascantur, qui omnes, vivente patre, moriuntur, tunc à donatore donatio revocari valet, quia ipsa filiorum nativitate extincta fuit omnino donatio, quæ semel extincta revivisceré non valet sine nova voluntate donantis, id quod tenet *Molina*, *Sylvester*, & alii. Et alii etiam probabiliter contrarium tenent, scilicet talem donationem in tali casu revivisceré, prout videre est *apud Rebell. lib.* 18. *Q.* 10. *num.* 2. *Leff. cap.* 18. *Dub.* 14. *num.* 110. *ac Diana sup. Resol.* 50. Sed *Lugo num.* 182. *à Diana* ubi nuper adductus ait id totum ex præsumpta donatoris voluntate pendere, unde si donatoris voluntas fuit ut non eo ipso, quòd filii nascantur, statim censeatur irrita donatio, sed solùm voluerit reservare sibi, vel filiis suis potestatem illam revocandi, sicut sequuta donatarii ingratitudine, donatio non eo ipso irrita redditur, sed à donatore irritanda, vel irritabilis extat, tali voluntati standum est, & juxta eam judicandum erit. Et hanc ait intentionem donantis communiter esse, id quod sufficit, ut futuris filiis donatio non noceat, cùm ipsi eam post mortem patris revocare possint. Legatur Author, simul & *Diana*.

144 Ex proximè dictis infert ipsemet *Lugo* primo quod, licèt donator sibi postea nasciturum filium ignorasset, ac ideo fortasse donationem non revocavit, quam re vera revocasset, si filii nativitatem cognovisset, non potest postea, nato filio, eoque mortuo, eam revocare, quia totum revocandi jus, quod sibi tacitè reservavit, fuit intuitu filii, cui per donationem nocere noluit; unde, cùm nocumentum hoc filii morte cessaverit, donatio postea nocere non poterit.

145 Secundò infert quid dicendum sit, si filius post donationem natus supervivat parenti, qui donationem non revocavit, & ait quòd, si pater, filii nativitate cognita, donationemque revocare potens, eam non revocavit, eo ipso eam confirmasse videtur, sicque neque filius eam revocare potest, nisi solum quatenus inofficiosa est ipsi, & contra legitimam, quæ ipsi est debita; si verò pater filii ignoraverit nativitatem, tunc filius contra totam donationem agere poterit, quia tunc confirmata non censetur à patre, sed sibi, ac filiis suis potestatem illam revocandi reservasse censetur.

146 Denique, si filius, etiam patri supervivens, donationem non revocavit, tunc, casus, transit jus revocandi ad omnes filiorum hæredes, sive ex testamento, vel ab intestato, quia pater jus illud filiis reservavit, nec constat ita limitasse, ut filii illud revocandi jus ad hæredes suos transferre non possent. ¶ Unum tamen ipse excipit casum, in quo etiam mortuis filiis posset pater (quod idem ait de ipsius hæredibus) ob eorum nativitatem revocare donationem antea factam, nempe, quando filiorum occasione tales sumptus fecisset pater, ut eorum contemplatione potuisset donationem non facere, si futuros eos prævidisset, puta si post donationem factam prolem habuit, ad quam nutriendam, educandam, dotandam, & hujusmodi expendit non parum.

147 Utrùm autem, si post donationem factam ab eo, qui prole carebat, illegitimus ei filius sit natus, causa ea sit sufficiens ad revocandam donationem jam factam, est sententia pro utraque parte probabilis apud Molinam sup. §. *Dubium præterea est*, qui legendus, ac etiam Lugo sup. à num. 189. Sanch. de Matrim. lib. 7. Disp. 105. à num. 8. Fagund. sup. num. 10. Dicastill. lib. 2. Tract. 5. Disp. 1. Dub. 7. num. 186. & Diana sup. Resol. 54. ibi loquens de prole, quæ à Principe, vel per subsequens matrimonium legitimatur.

148 Resolves tertiò donationem factam ob causam, id est, ex gratitudine, ac similibus filiorum supervenientibus revocandam non esse, quia, ut dictum manet, hæc non est vera donatio. *Molina Disp.* 282. *Jul. Clar. Q.* 23. *num.* 3. *Diana sup. Resol.* 17. *apud quem ibid. Resol.* 15. *&* 16. reperies; an donatio remuneratoria Principum transeat in vim contractûs ita, ut revocari non possit, ut nunquid, si immoderatæ sint donationes eorum, rescindi debeant, etiam si juramento privilegium, vel donatio firmetur; apud quem etiam *Resol.* 56. habebis an donatio causâ mortis per filiorum supervenientiam revocetur, vel non?

149 Quartò resolves quòd donatio facta Ecclesiæ, Monasterio, aut causæ piæ ob superveniens-

venientiam filiorum non revocatur in totum, sed solùm quo ad illam partem, quæ legitimæ filiorum præjudicat, quia prædicti omnes filii loco habentur, non minusque cautæ piæ, quàm filio, est semper favendum: *Authenth. Si qua mulier, Cod. de Sacrosc. Eccles.* docentque Molina sup. num. 10. Gama Decis. 240. cum multis Fagund. legendus num. 6. legatur etiam Lugo sup. num. 194. & 195. ac omnino Diana sup. Resol. 55. præcipuè a §. *His tamen non obstantibus*, & Resol. 135. §. *Nota etiam*, legantur etiam Salmant. num. 109.

150 Resolves quinto quod donatio à patre uni filio facta, cùm pater alios filios habet, vel si tunc tantùm unicum habeat, & postea filii nascantur ei alii, si excessiva fuerit, quo ad totum revocari non potest, sed solùm, quatenus cæterorum filiorum legitimas mordet. Molina tom. 2. Disp. 283. vers. *habent præterea*, Jul. Clarus Q. 24 Rebel. Q. 10 Lugo num. 199. legendus ac etiam num. 197. & 200.

SUBLECTIO II.

De tertia causa, ob quam Promissio, & Donatio acceptata revocari valet, vel non, quæruntur & aliqua alia.

151 TErtia causa, ob quam promissio, & donatio acceptata revocari valet, est, si sit inofficiosa, videlicet, quoties pater tantum donat, ut non retineat, quantum filiorum legitima postulat portio, ideo enim inofficiosa appellatur, quia contra pietatis officium militat, cujus (inter alia) munus est relinquere filiis legitimam portionem, de qua suo loco, Donatio inofficiosa duobus modis talis dici potest; primo quando pater in donatione aliqua in effectu, & in re filiorum legitimam lædit, non tamen intendit lædere. ¶ Secundo quando in effectu, & re lædit, ac lædere intendebat. Deinde talis inofficiosa donatio alicui extraneo, vel uni ex filiis fieri potest; quibus sic positis,

152 Resolvitur, & dicitur quòd, si donatio uni ex filiis fiat, tunc, sive sit officiosa re tantùm, & non consilio, aut re, simul & consilio, nunquam revocatur, nisi usque ad legitimam, vel usque ad eam partem, in qua aliorum filiorum legitimas lædit; si tamen extraneo fiat, tunc quidem, si est inofficiosa re tantùm, & non consilio, hoc est, non sit animo legitimas filiorum fraudandi, revocatur, quo usque legitimæ filiorum integræ maneant, quod verum esse dicitur, etiam si pater, qui eam fecit, juramento confirmasset eam. Jul. Clarus lib. 4. Sent. §. *Donatio*, Q. 24. num. 202. Fagund. cap. 16. n. 3. ac 4. communisque dicitur.

Si verò donatio fuit inofficiosa re, & consilio, & ad hunc finem fraudandi legitimam facta extraneo, alii docent totam revocari posse, alii id concedunt, quando nihil prorsus relictum fuit filiis, & alii revocari solùm quo ad filiorum legitimas. Sed in tanta opinionum varietate, ac incertitudine aptiùs (juxta Molinam sup. § *Si autem*) donatarii possidentis conditio judicanda videtur, ut scilicet non cogatur, nunquè teneatur restituere in conscientia, nisi usque ad legitimarum integritatem. Illud tamen ut verum fatetur *Molina, & Rebell. Q. 11. num.* 1. revocationem in totum, cùm sit pœna, ante Judicis sententiam latam non incurri. Legantur *Fagund. ac Lugo ubi supra.*

153 Est tamen hic valde notandum primò quod actio ad revocandam donationem non durat, nisi tantùm ad quinquennium. *L. unica, Cod. de inofficios. donat.* Ait tamen Emmanuel a Costa *in cap. Si pater* 3. P. verb. *privare non possit* post Authent. de immenta donat. competere actionem personalem, quæ durat 30. annis juxta *L. Sicut in rem, Cod. de præscript.* 30. *vel quadraginta annorum.* ¶ Secundò dictam donationem inofficiosam à filiis revocari non posse, nisi post mortem patris donantis, quia tunc, & non antea legitima ipsis debetur, ac tunc præjudicium, & incommodum talis donationis incipiunt pati.

154 Notandum tertiò dictam donationem fieri non posse à parentibus sine gravi peccato, cùm in filiorum damnum fiat; unde, si quis pater inofficiosè donaverit, donationem implere non tenetur, cùm sine peccato eam adimplere non possit, ac id, quod sine peccato fieri nequit, nullam obligationem inducit, nec inducere potest, etiam si de eo juramentum adsit, ut sæpe numero dictum manet.

155 Quartò notandum quòd datur etiam inofficiosa donatio filii respectu patris, & ideo sicut revocatur donatio inofficiosa respectu filii, ait etiam revocatur illa filii respectu patris, quod intelligitur quo ad legitimam tantùm, sicut dictum est de donatione patris respectu filii; & est ratio: quia non minus parentibus, quàm filiis competit inofficiosi testamenti querela; igitur ac etiam donationis inofficiosæ, uti tenet Filiuc. tom. 2. Tract. 34. cap. 6. num. 142. tom. 4. legatur Molina Disp. 283. §. *Quod denique*, & Lugo suprà num. 203.

156 Notandum quintò discrimen, quod aliqui assignant inter tres annumeratas causas revocandæ donationis; in prima namque requiritur Judicis auctoritas, cùm donatarius non teneatur ob ingratitudinem ante Judicis sententiam donatam rem restituere (si modum illum philosophandi sequatur, quòd ea sit pœna, quæ, ut modò dicebatur) ante Judicis sententiam

tentiam non est subeunda, id quod non pauci docent, inter quos *Rebell. Q. 12. num. 1. Molina Disp. 282. & Covar. in Epitome 2. P. cap. 6. §. 8. num. 17.* ¶ Verùm, si donatio sub conditione fuit facta: *Nisi superveniat ingratitudo*, ac ingratitudo supervenit, cessat omnino voluntas ab ea dependens, & obligatio ex illa exorta, neque est necessum ad pœnam, & ad Judicis sententiam recurrere, consequenterque eo ipso, ac ex natura rei, deficiente conditione, à qua pendebat, donatio ipsa rescinditur; unde minus consequenter loqui videntur illi, qui ex una parte donationem conditionatam appellant, & ex alia Judicis sententiam expostulant: in tertia causa apud Judicem querela requiritur, secunda vere ipso Jure irritat.

157 Sed adhuc circa donationem curiosè rogas primò an donatio inter vivos ab Episcopo facta intra viginti dies ante ejus mortem, imò etiam prope, vel circa mortem valida sit, saltem in conscientiæ foro ita, ut si excommunicatio publicetur contra illos, qui bona Episcopi defuncti non revelant, tutus sit donatarius in conscientia, si taceat, insurdescat, ac non revelet, remque donatam sibi retineat? Pars affirmativa *apud Dianam* suprà legendum *Resol. 74. & 75.* docetur.

158 Secundò rogas an donatio causâ mortis à Novitio post ingressum Religionis sit valida, non obstante Decreto Concil. Trident. Sess. 25. cap. 16. de Sepulturis? ¶ Tertiò an donatio, vel renuntiatio facta ante Religionis ingressum, animo ingrediendi illam facta, sit valida, nonque comprehendatur in Decreto Concil. Trident. Sess. 25. cap. 26. de Regularibus? Validum utrumque esse affirmativè respondebis, si *Dianam legeris sup. Resol. 176. ad 178.*

159 Rogas quartò an donatarius peccet, ad restitutionemque teneatur, quando donator cum damno creditorum ipsius donationem ei facit in casu, quo donatarius certò scit donationem ei fieri cum damno creditorum, & ab ipsis intra annum non repetitur talis donatio, vel res donata? Affirmat cum aliis *Layman apud Dianam sup. Resol. 138.* sed contrarium cum aliis tenet, ac probat *ibid. ipse Diana*, qui legendus & etiam eodemmet *tom. 6. Tract. 3. Resol. 209.* qui cum aliis *dicto Tract. 7. Resol. 146.* resolvit donatarium, sicut & legatarium, vota, ac debita alia à donatore defuncto non adimpleta, neque soluta, nullatenus adimplere teneri, etiam si sciat per donationem eum ad suas obligationes ex justitia etiam implendas impotentem reddi.

160 Quintò rogas an statutum, vel Lex invalidans donationem omnium bonorum factam à patre filio Clerico, teneat, & invalidet donationem? Negativè respondet *Diana Coordinat. tom. 9. Tract. 3. Resol. 20.* in casu, quo ablit in eo fraus, ac dolus, in utroqueque foro talem donationem, etiam causâ mortis factam, valere docet.

161 Rogas sextò an, si quis donationem accepit ab aliquo, ut Ordinibus sacris initiaretur, sub conditione, & cum promissione, cum juramento etiam firmata, quod statim post Ordinationes sacras susceptas iterum donatori donatum restituet, maneat bene ordinatus, nonque suspensus, teneaturque promissis stare, donatumque ipsi donatori iterum reddere? Ad hoc respondetur apud Dianam Coordinat. tom. 5. Tract. 3. Resol. 49. §. *Verum ego*, vers. *unde ex his patet*, & Resol. 50. talem donatarium bene ordinatum esse, nonque suspensum manere; non teneri stare promissis, neque aliquid restituere teneri. Legatur Auctor.

162 Septimò rogas an qui per donationem accipit naufragantium bona, ab alio accepta, vel furto ablata, sciens bona naufragantium esse, in censuram Bullæ Cœnæ incidat? Affirmat Suar. apud Dianam cit. tom. 5. Tract. 1. Resol. 44 negat verò cum Sousa, & Sayro (non Gregorii, Sed Clementis Bullâ attenta) ipse Diana legendus §. *Sed ego adhæreo opinioni negativæ*, quem etiam ibib. Tract. 7 de Simonia, ac de datis, & promissis à Resol. 47. ad 58. legere debes, si scire plura alia velis circa ea, quæ prohibita sunt à Gregor. XIII. erga diversas donationes.

163 Rogas octavò an licitum sit Judicis concubinæ aliquid donare, ut in negotio aliquo gravi apud ipsum ipsa intercedat? Negat *Sanch. apud Dianam tom. 7. Resol. 50.* Affirmant *Palaus, ac Sanch. Commiliton. apud eundem Dianam*, quem ipse *Diana* sequitur, & qui legendus etiam *Resol. 51. ac 78.* & de hoc nos etiam jam dedimus alibi. Et pro Promissione, & Donatione satis.

TRA-

TRACTATUS XXX.

DE TESTAMENTIS, CODICILLIS, Hæredibus, Subſtitutionibus, ac Maioratibus.

IN ſuperioribus de Contractibus, multiſque actibus, ac diſpoſitionibus inter vivos non pauca fecimus verba; modò circa quid Juris de diſpoſitionibus mortis causâ, teſtamentis videlicet, ultimiſque voluntatibus verba noſtra facienda veniunt. Eſt enim materia hæc ſummopere practica, ſummèque neceſſaria, utpote quotidie ad hominum manus deveniens, & ideo prætermitti nullatenus debet, ſed potiùs de ea tractare, ac ejus aliquid ad chartam vocare debemus, nè pius lector circa ea, quæ ad eam pertinent, omnino jejunus evadat. Cæterùm non noſtro in animo poſitum extat ea omnia, quæ ad ultimas attinet voluntates, ad unguem percurrere, & trahere; hoc enim eſſet in Breviario prolixiùs orare, nauſeamque, faſtidium, & tædium amicorum lectorum ſtomacho imbuere, ac dare; unde ad Juriſperitos, ſive utriûſque Juris DD. qui omnes, & ſingulos apices Juris reſpiciunt, ac ſcrutantur, negotium remittentes, ſolùmmodo difficultates eas, & principaliores (prout noſtræ imbecilles ſint vires) attingere, in cortice ſaltem eas tangendo, curabimus,) licèt adhuc pro externo foro ſoluta obiter relinquentur non pauca) ex quibus aliæ magis particulares faciliter colligi poterunt. Pro materia ergo hac ſit

CAPUT I.

De Teſtamentis, & Codicillis quaſi in communi, ac de eorum ſolennitatibus, quis poſſit, vel non teſtamentum facere, &c.

TEſtamentum, quod *mentis teſtatio* dicitur, juxta *Inſtit. de Teſtam. ordin.* in princip. (circa ejus nominis Etymon interpretationibus aliis variis miſſis, circa quod non parum aliqui inſudant AA. cùm ejus intelligentia nihil utilitatis lectoribus trahat) & ultima hominis voluntas, quod idem, in mortis tempus omnino refertur, in quo primùm, & mininè antea, totam ſuam vim, totumque robur ſuum recipit, Apoſtolo ad Hebræos c. 9. n 16. dicente: *Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin non dum valet, dum vivit qui teſtatus eſt.* Ad teſtamentum autem, ultimam vel voluntatem reducitur *donatio causâ mortis*, de qua jam ſup. aliquid datum eſt, ad illam & etiam pertinet Codicillus, &c. de quibus hic ſermo. De Teſtamento ergo, ſive ultima voluntate agendo ſit

LECTIO I.

Quid, ac quotuplex ſit Teſtamentum, & a quo Jure ſit introductum?

1 TEſtamentum communiter diffinitur, dicendo quòd *eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult cum directa hæredis inſtitutione.* Cæterùm, cùm rerum diffinitiones breves, & compendioſæ, quantum poſſibile ſit, eſſe debeant; ea, quæ ſequitur, aptior, & congruentior pro re hac noſtra eſſe videtur, dicendo quòd *Teſtamentum eſt ultima voluntas cum directa hæredis inſtitutione*, quæ quidem eſt juxta *L. 1. ff. qui teſtam. facere poſſ.* Explicatur

2 In dicta definitione ly *ultima voluntas* generis loco apponitur, in eo nanque Teſtamentum convenit cum reliquis voluntatibus ultimis, vel diſpoſitionibus, quæ causâ mortis fiunt,

fiunt, uti sunt Codicillus, legatum, donatio mortis causâ, &c. Et intellige quòd dicitur *ultima voluntas*, non quia post eam alia contraria voluntas adesse non possit, nonque novum Testamentum iterum condi queat, sed quia non confirmatur, nonque irrevocabilis redditur, nisi post mortem, & quando amplius voluntas alia ultima, dispositioque alia fieri, ac dari nequit, quandiu nanque testator vivit, Testamentum, quodcunque sit, & ex omni parte perfectum, variare, revocareque pro libito suo potest, nam *non dum valet, dum vivit qui testatus est, ac juxta L. Quòd si 4. ff. de aliment. legat.* communiter dicitur quòd testatoris voluntas usque ad supremum exitum vitæ *ambulatoria est voluntas.* ¶ Ly autem *cum directa hæredis institutione* loco differentiæ essentialis apponitur, per id nanque à reliquis ultimis voluntatibus, & dispositionibus differt, in quibus *directa* hæredis non fit institutio. ¶ Dictum est *differentiæ essentialis*, per quod dicitur quòd de essentia, ac substantia testamenti, quodcunque sit, & si privilegiatum, est hæredis institutio ita, ut non teneat, si hæredis institutio deficiat, id quod clarum est Jus, §. *In primis igitur 2. Instit. de fideicommissariis hæred.* §. *Ante 34. Instit. de legat. ac L. Jubemus 29.* §. *Quod si non fuerit, Cod. de Testam. & L. 10. ff. de jure Codicilli.*

3 Licèt Testamentum per ly *cum directa hæredis institutione* à cæteris ultimis voluntatibus differat, à Codicillis tamen specialiter differt: in Codicillo nanque per se, ac directè hæres institui nequit, sed tantùm fit, & ponitur ad aliquid in Testamento mutandum, addendum, vel detrahendum aliqua instituenda legata, &c. non tamen potest in eo directè, & per se hæres institui, aut revocari in Testamento jam institutus; per accidens verò ex privilegio in Codicillo hæres institui poterit, ut in eo Codicillo Militis, *L. Militis Codicillis 36. ff. de Milit. Testam.* ac etiam absque privilegio poterit in Codicillo indirectè institui hæres, ut per fideicommissum, & institutus indirectè revocari, declarando nimirum hæredem in testamento insti utum tale, vel tale delictum commisisse, ob quod hæreditate privari meretur, ac ita privatum hæreditate velle, & tunc, si delictum probetur, privatus hæreditate manebit. *L. Hæredes, Cod. de iis, quibus ut indignis, L. Castella 2. tit. 12. Part. 3.*

4 Ex dictis constat quod eo ipso, quòd in ultima voluntate directè instituitur hæres, sive id in principio, aut in ultimo fiat, illa Testamenti veram rationem habet, est enim hæredis institutio velut caput, fundamentum, & basis totius Testamenti, neque duo Testamenta ejusdem testatoris valida esse possunt, sed semper Testamentum ultimum, requisita ad valorem habens, cætera omnia infirmat, ac invalidat. *Instit. Quibus modis Testament. infirmetur*, §. *Posteriore, & §. Sed & si quis.* ¶ Sed excipitur Testamentum Militis, duo enim Testamenta Militis valida esse possunt, quando unum cum altero non pugnat, neque constat testatorem per posterius revocare voluisse primum. *L. Quærebatur, & L. Militis Codicillis, ff. de militari Testamento, de quo Molina tom. 1. de Just. Disp. 124.* & alii.

5 Quanvis, juxta Cæsareum, & commune Jus, Testamentum sine hæredis institutione nullum, ac irritum sit, juxta tamen Jus Castellæ *L. 1. tit. 4. lib. 1. Recopilat.* validum est absque hæredis institutione quo ad legata, &c. & tunc hæres ab intestato succedet, sicut cum hæres institutus hæreditatem acceptare recusat. *Sanch. in Consil.* cum aliis, *cap. 1. Dub. 2. num. 10.* cum multis, & aliis *Salmant. tom. 3. Tract. 14. cap. 5. num. 3.* ¶ Quo ad legata relicta in Testamento nullo, Lusitano Jure attento, legatur Ordinat. lib. 4. tit. 82. & Costa in cap. *Si pater*, verb. *censendum*, ac Gama Decis. 73. lib. 9. tit. 8.

6 Ad hoc, ut juxta Jus Lusitanum validum sit Testamentum, necessum omnino non est ut in eo hæres, vel hæredes instituantur *expressè*, sed satis quòd *tacitè* fit, vel sint instituti. Ita colligitur ex Ordinat. Regni lib. 4. tit. 82. initio in novis, & in veteribus, Cod. lib. 4. tit. 70. §. 1. ac penult. ubi decernitur validum esse Testamentum illius, qui sciens se filios vivos habere, de sua tertia bonorum parte pro sua voluntate disponit, nulla hæredis instituendi mentione facta, quia eo ipso, quòd de portione hæredibus obligata dispositionem non facit, nec curat, necessarios hæredes in tali Testamento, ultima vel dispositione, ac voluntate tacitè instituere, vel instituisse censetur, atque adeó validum, & firmum pro utroque foro tale Testamentum manet, quin ex defectu hæredis caducitatem habeat: *Posto* (dicitur ibi) *que no Testamento naõ sejaõ os filhos expressamente instituidos, ou desherdados, mandamos que o tal Testamento valha, e tenha effeyto, &c.*

7 Quo Jure Testamenti factio, ac hæreditaria successio sit introducta, non conveniunt DD. quidam enim volunt hoc à Civili Jure originem ducere, sed verius, & probabilius illud, quod alii asserunt, nimirum id gentium Jure inventum, imaginatum, introductumque fuisse. Quòd verò his, vel illis solennitatibus fieret, id à Civili, & Canonico Jure introductum, determinatumque fuisse, pro quo legendus est Barthol. *ad L. Interdum, num. 76. ff. de condit. indebit.* Molina tom. 1. de Just. Tract. 2. Disp. 124. fin. Nogueyros Lusitan. in Introduct. ad ult. vol. lib. 1. cap. 3.

8 Testa-

8 Testamentum multipliciter dividitur, aliud enim est publicum, quod illud est, quod publica authoritate nititur, tuncque fit, & datur, quando testator absque ulla Juris solennitate voluntatem suam ultimam ad acta reducit, precibus vel interiam Principi offert, ut fide, authoritateque publica fulciatur, solennitatumque Juris suppleantur defectus. *Privatum* est aliud, quod illud est, quod privatorum testimonio, & authoritate stabilitur.

9 Deinde Testamentum dividitur *in solenne*, & *non solenne*, sive *privilegiatum*. Primum illud est, quod solennitates omnes à Jure petitas in se habet, ac continet. ¶ Secundum autem illud est, quod speciali Juris privilegio valet, & si solennitatibus aliàs de Jure ad Testamenti valorem petitis careat, quale est Testamentum Militis in bellica expeditione factum, Testamentum parentum inter liberos, & ad pias causas factum, etiam ac factum tempore pestis. Item Testamentum rustici, sicut & etiam Testamentum publicum, seu quod ad acta traditum est, Principi sive oblatum.

10 Præterea Testamentum aliud est *profanum*, aliud *ad pias causas*; quid autem id importet, & dicat, de se ipsimet termini denotant. ¶ Rursus Testamentum solenne subdividitur in Testamentum *clausum*, ac in Testamentum *apertum*, & clausum aliàs dicitur Testamentum *in scriptis*, apertum autem aliàs *nuncupativum* nominatur. Primum ideo dicitur *clausum*, seu in scriptis, quia testator, debita Juris formâ servata, propria manu, vel alterius cujuslibet in scriptis condidit illud, quod sic factum, coopertum, vel clausum manere debet aliquo folio, atque sigillatum, id quod ita fit, quia testator latere vult omne id, quod in eo continetur, ita ut neque testes de eo notitiam habeant, in Testamento enim hoc necesse non est quòd testator Testamentum scriptum testibus legat, eis aut illius tenorem manifestet, sed satis, si eisdem, & Notario dicat talem scripturam, vel papyrum sic clausum, vel involutum Testamentum, vel voluntatem suam ultimam esse, vel dicendo: *In hac charta, sive papyro Testamentum meum continetur*, prout constat *ex L. Hac consultissima, Cod. de Testam.*

11 *Nuncupativum* Testamentum autem, sive apertum illud dicitur, quod à testatore ore tenus absque scriptura ulla coram testibus ad hoc convocatis, præsentibus, vel stantibus, nuncupat, & coram illis hæredis bonorum suorum nomen, cognomenque declarat, ac exprimit, & quidquid aliud post suam mortem fieri velit, exponit, nec in Testamento hoc, casu, quo scripto fiat, necesse est quòd testes subscribant, ac obsignent, sed satis ut testes simul collecti testatoris voluntatem audiant; neque error in nomine, vel cognomine, modò de persona in hæredem constituta constet, Testamento huic officit, sicut nec error scribentis, aut literæ, si ab ipso testatore facta non sit. *L. Si in nomine, L. Errore scribentis, L. Non idcirco, & L. Nostram provisionem, Cod. de Testam.* ¶ Et hîc ab aliquibus bene notatur quòd hodie talis coram testibus nuncupatio facta ad scripturam à publico Tabellione redigi solet, & hoc, non quia id ad substantiam actûs servandam requisitum sit necessarium, sed nè interim testes moriantur, aut eorum aliqui ad longas terras demigrent, vel inhabiles reddantur, sicque defuncti voluntatem coram Judice declarare non valeant, in quorum defectu satis, superabundeque supplet publicum Instrumentum Notarii. Pro quo legatur Layman lib 3. Tract. 5. cap. 1. num. 3. Salmant. sup. num. 4. vers. & *licèt communiter*, Jul. Clar. §. *Testamentum*, Q. 4 num. 2. ac Lex *Jure, ff. de fide Instrum.* ubi sic legitur: *Fiunt etiam de his scripturæ, ut quod actum est per eas facilius probari possit, & sine his autem valet quod actum est, si habet probationem.*

LECTIO II.

De solennitatibus, quibus Testamentum profanum fieri debet, Civili Jure attento, ac L. de Testamento solenni scripto, vel clauso.

SCito jam quid, & quotuplex sit Testamentum, solennitas, qua fieri potest, ac debet, sciri oportet; & loquendo in primis de Testamento solenni scripto, vel clauso,

12 Dicitur quòd solennitas Jure communi, & Civili requisita pro valore Testamenti scripti, sive clausi expressè habetur *in L. Hac consultissima* 21. *Cod. de Testam.* quæ in re hac à DD. passim adducitur, & quæ à lectoribus inspici debet. Ad valorem autem dicti Testamenti sequentia in dicta Lege petuntur.

13 Petitur itaque prim. quòd tale Testamentum propria ipsius testatoris manu, vel aliena ex ejus jussu scriptum sit, sive ad scripturam redactum, id quod in dicta Lege extat expressum, atque adeò vel debet ipse testator Testamentum conscribere, aut, si ipse id ob ignorantiam, vel debilitatem, impedimentum vel aliud facere nequeat, octavum testem adhibere debet, qui ejus loco subscribat. sed, si testator ipse manu propria Testamentum suum conscripserit, tunc necessum non est ut manu sua, vel octavi testis manu subscribat, prout habetur *in L. Cùm antiquitas* 28. §. *Cùm autem, Cod. de Testam.* ubi sic legitur: *Sancimus, si quis suâ manu totum Testamentum, vel Codicillum conscripserit, & hoc specialiter in scriptura reposuerit,*

quòd hoc sua manu confecerit, sufficit ei totius Testamenti scriptura, & non alia subscriptio requiratur, neque ab eo, neque pro eo ab alio, sed tempermelius, & securius erit quòd testator ipse, vel octavus alius testis testatoris loco Testamentum subscribat.

14 Secund. petitur quòd septem testium idoneorum, quique nulla Lege, vel Jure ad testificandum inhabiles extent, præsentia adsit. ¶ Item tert. quòd omnes, & singuli dicti testes moniti sint, rogati, aut invitati, ut in tali Testamento velint esse testes, non tamen necessariò requiritur quòd ii, qui ad testificandum rogantur, sint absentes, sed satis quod sint jam præsentes, & ad id rogentur, ac moneantur. Et satis ad hoc ut testes esse possint, quòd rogentur vel ab ipso testatore, sive ab aliquo alio testatoris jussu, aut mandato.

15 Petitur quart. quòd testes ita præsentes sint testatori, ut non solùm ipsum audiant, sed etiam videant, de quo legendus Jul. Clar. §. *Testamentum*, Q. 59. quare, si testes testatoris vocem audiant, & non ipsum videant, eo quòd, interposito velo, aut interjecta cortinâ recondito adsit, vel capite cooperto syndone; Testamentum tunc, casus, non valere dicitur, argumento desumpto *ex L. Si non speciali 7. Cod. de Testam.* ubi sic habetur: *Si testes non in conspectu testatoris testimoniorum officio juncti sunt, nullo Jure Testamentum valet*, id quod ad fraudes in re tanta vitandas exigitur.

16 Quint. petitur quòd testator coram præsentibus testibus, ut sup. Testamentum suum, vel ex propria manu ad alterius manum translatum, clara, intelligibilique voce dicat hoc (vel illud, quod tunc alteri tradit) Testamentum suum, suam & ultimam voluntatem esse: *Dum tamen testibus præsentibus testator sicum esse Testamentum dixerit* in dicta *L. Hac consultissima*: dicitur (ex quo etiam probatur quòd testes testatorem videre debent, & non satis eum audire) id quod etiam ad omnes fraudes vitandas exigitur. ¶ Petitur itidem text. id, quod sup. & in eodem sensu de subscriptione testatoris dicebamus.

17 Septim. petitur quòd quilibet testis in Testamento dicto nomen, cognomenque suum propria sua manu subscribat. Item octav. quòd omnes, & singuli anulo, vel sigillo proprio, sive signaculo Testamentum subsignent, quòd si eorum quis scribere nesciat, alius scribat ejus nomen pro illo, ac ipse signaculum proprium, vel ✠ apponat, *subscribentibus, & consignantibus* eadem *L. Hac consultissima*: dicitur, concordatque *L. Ad testium 22. ff. qui Testam. facere*, §. 4.

18 Petitur non. unitas contextûs, id est quòd (& si non petatur, nec sit necessarium quòd Testamentum tunc temporis fiat, communiter nanque jam antea est factum) omnia supradicta, vel totum negotium Testamenti solennis scripti uno, eodemque continuato, & non interrupto tempore, & actu fiat, absque alterius extranei negotii interpositione, aut delatione, quod omne illud coram testibus omnibus, simul congregatis in unum, audientibus, & videntibus concludatur negotium dictum, §. *Sed cum 3. Instit. de Testam. ordin. juxta L. Hæredes 21. §. fin. ff. qui Testam. facere.* Sed hoc, nisi forsan ob necessaria naturæ, idque leve foret, alicujus testis, aut ipsius testatoris ægroti, aliud fieri deberet, de quo textus clarus *in L. Cum antiquam 28. in princip. Cod. de Testam.*

19 Ultra prædicta ad hoc ut Testamentum sit validum, exigitur ut fiat juxta conditiones, ac Leges illius loci, in quo fit, vel ubi testator existit, juxta communem; insuper requiritur ut in eo hæres instituatur, ejusque nomen in eo apponatur; quod etiam commune, constatque ex dictis. Testamentum autem coram Imperatore, vel quocunque supremo alio Principe factum validum extat, nulla aliqua alia solennitate adhibita. *L. Omnium, Cod. de Testam.*

20 Dicebamus sup. num. 14. quòd testes ad Testamenti valorem exacti idonei esse debent, *quique nulla Lege, vel Jure ad testificandum inhabiles extent.* Quinam autem ii inhabiles, & inidonei sint, §. *Testes 6. Instit. de Testam. ordin.* ex parte habetur, ibi enim sic dicitur: *Neque mulier, nec impubes, neque servus, neque furiosus, neque mutus, neque surdus, neque is, cui bonis interdictum est, neque ii, quos Leges jubent improbos, intestabilesque esse, possunt in numerum testium adhiberi, dum fit Testamentum*; quibus adjunge quòd neque *cæcus*, eo quòd talis testatorem videre non valet, id quod juxta dicta necessarium requisitum dicitur esse. ¶ Insuper in testamentis testes esse non possunt omnes illi, in quibus suspicio aliqua adesse potest, sicque §. *Sed neque 10. Instit. de Testam. ord.* ita habetur: *Sed neque is, qui in potestate ejus est, neque pater ejus, qui eum habet in potestate, neque fratres, qui ejusdem patris potestate sunt.* Ex quibus omnibus

21 Jam patet quinam alii in Testamentis testes esse valent, omnino ad id idonei sint, & ad testificandum non excludantur, ii enim sunt omnes juxta Jura præfata, alii præter enumeratos, etiam si ex eadem domo sint, conjunctique sanguine omnes, uti sunt duo, vel plures fratres, pater, & filii, qui quidem in Testamento testatoris simili vinculo sibi non uniti, testes esse valent juxta *L. Ad testium 12. in princip. ff. qui Testam. facere, & §. 8. Pater, Instit.*

stit. de Testam. ord. esse & possunt cæteri consanguinei, & affines hæredis, etiam ac famuli, officiales, ministri, & domestici testatoris. Item pater in Testamento filii emancipati, & filius emancipatus in Testamento patris, non autem si filius non dum sit emancipatus, §. *In testibus* 9. *Instit. de Testam. ord.* ¶ Similiter quilibet Monachus, vel Religiosus, etiam sine sui Superioris licentia, & etiam si Monasterium relinquatur hæres, vel legatarius, testis esse potest; pro quo legi debet Jul. Clar. §. *Testamentum*, *Q.* 55. *num.* 7. pro quo facit ac etiam *cap. Insuper* 6. Glos. ibid. verb. *Ecclesiæ*, Can. 1. Causa 14. Q 2. *Cum nuntius* 12. *de testib.* facit & doctrina Farinacii de Testib. Q. 91. num. 134. Et

22 Est hic notandum primò quòd, si tempore effectionis Testamenti testium quis fuerit inhabilis, putà sit servus, communi tamen opinione creditur habilis, quin testator, & alii contestes de ejus inhabilitate aliquid noverint, id Testamenti valori non officit; sed validum remanet, uti §. *Sed cùm* 7. *Instit. de Testam. ac L.* 1. *Cod. de Testam.* expresse habetur, id quod verum, & si unus, vel alter de communitate de inhabilitate tali notitiam habeat, eo quòd Leges non unius, vel alterius, sed solùm communem multorum æstimationem, ac opinionem attendunt, juxta *L.* 30. §. 3. *de acquirend. hæred. & L. Si quis* 3. *in princip. ff. ad Senat. C. Macedon.* ¶ Secundo Testamentum verè subsistere, quando testes Testamenti facturæ in tempore habiles erant, ac postea, moriente testatore, eorum unus, vel plures actu existant inhabiles, putà infames, quia testium conditio, & habilitas, vel inhabilitas non mortis tempore, sed conditi Testamenti inspici debet, juxta *L. Ad testium* 22. §. 1. *ff. qui testam. facere.* E contrà verò Testamentum non valet, si tempore ejus factionis testis erat inhabilis, puta *impubes*, & si postea tempore mortis testatoris jam factus sit habilis, putà *pubes*, quia Testamentum initio vitiosum tractu temporis non convalescit.

SUBLECTIO I.

De solennitatibus Civili Jure ad nuncupativum Testamentum petitis; tanguntur & alia.

23 DE Testamento nuncupativo (vulgò *Testamento aperto*) loquendo, dicitur quòd (præter hæredis institutionem, sine qua, ut dictum manet, & communiter docetur ab omnibus, nullum Testamentum valet) septem requiruntur testes, (sicut in Testamento clauso sunt requisiti) qui quidem omnes testatoris voluntatem clarè, distinctèque audiant, & intelligant, sive scripto, aut voce ostentam, vel prolatam, coram quibus præsentibus simul omnibus testator ipse modo dicto voluntatem suam circa hæredem, ac legata, si quæ fieri cupit, palam pronuntiet, & manifestet scripto, vel voce; id quod omne expresè habetur in cit. *Lege Hac consultissima, & §. fin. Instit. de Testam. ord.*

24 Non tamen ad dictum Testamentum certa aliqua formula verborum requiritur, sed satis quòd testator sufficienter voluntatem suam ostendat, uti constat *ex L. Quoniam* 15. *Cod. de Testam.* ¶ Nec opus est ut testes subscribant, aut sigillo, vel signaculo suo Testamentum signent; satu, quo tale Testamentum sit in scriptis, & similiter neque quod ipse testator propria manu hæredis, vel hæredum nomina in tali Testamento subscribat, sed satis quod id per alium fiat; requiritur tamen quòd hæredis institutio articulata testatoris voce, aut quod ejus manu subscribatur, vel ad minus quòd interrogatus an velit, putà Petrum hæredem suum instituere, sive relinquere, ore, vel voce dicat: *Volo*; ac etiam satis, si id exprimat, sive significet certo, & indubitabili signo, licèt non nomine proprio nominet illum. ¶ Imò & satis quod id omne fiat per alium ab eo ad id deputatum, uti per Notarium, aut Confessarium, vel alium, cum quo forsan de ultima sua voluntate jam egerat, eumque rogavit ut, venientibus testibus, voluntatem eis suam ultimam indicet. ¶ Item satis quòd chartam, quam de sua ultima voluntate jam antea habebat scriptam, ipse legat, sive per alium legi faciat, eaque lecta, voce dicat, vel manifesto nutu, alio vel signo exprimat, & significet suam illam ultimam voluntatem esse, quæ in charta illa reperitur, vel reperietur scripta. ¶ Neque ad hoc Testamentum Tabellio requiritur, licèt, ut dictum est sup. consultius, & rectius sit adhibere illum, vel postea ad publicam formam Testamentum reducere Hæc omnia communia sunt, & trita. Legatur Gomes in L. 3. Tauri à num. 23. Molina tom. 1. de Just. Tract. 2. Disp. 125. Sylvester verb. *Testamentum* 1. ac Salmant. tom. 3. Tract. 14. cap. 5. P. 2. §. 1.

25 Rogabis primò an Testamentum nuncupativum valeat, in quo testator remittit se ad schedulam, scripturam vel aliquam, dicendo putà coram testibus septem: Bonorum meorum hæredem instituo quem in schedula, chartâ, aut scripturâ per me facta, ac per me apud meum Confessarium posita, vel in charta à me scripta, quam tali, aut tali arcâ, scrinio, vel loco reperietis, aut si chartam præ manibus tenens, dicat: Quod in charta hac continetur, voluntas mea est ultima, vel bono-

rum meorum hæredem instituo eum, qui hac continetur in charta, post mortemque meam videri potest? Affirmativè respondet Jul. Clar. § *Testamentum*, Q. 4. num. 3. & Q. 36. ¶ Imò in Testamento ad causam, vel causas pias satis est, juxta plures, quòd reperiatur charta, aut schedula à testatore scripta, vel subscripta, de sua ultima voluntate testans, & si in ea nullus testis reperiatur subscriptus, vel præsens, prout cum multis docet *Petra Comment. ad Constit. Apostolicas tom. 2. ad Constit. 10. Innocent. III. Sect. 3. num. 15. & à num. 17. fol. mihi* 318. *ac seq.* ubi legendus.

26 Secundò rogabis an valeat Testamentum nuncupativum ad interrogationem alterius factum? Respondetur quòd, si testator ad interrogationes clarè, ac distinctè respondeat, dicatque quòd Testamentum nuncupativum facere vult, & hæredem instituat, & alia disponat, cæteris supra requisitis positis; Testamentum nuncupativum firmum, ac validum adest, quin obstet quòd ad alterius interrogationem, aut suasionem sit factum, quia Testamentum ad alterius interrogationem, suasionem vel factum nullo Jure prohibitum extat, quin potiùs conceditur *in L. Pamphilio, ff. de legat. 3. & in L. Hac consultissima 8. Cod. qui Testam. facere*, si nullum ex cæteris requisitis desit. Sed circa id, quod hîc rogatur, legatur Jul. Clar. §. *Testamentum*, num. 4. ac 7. & Fachin. lib. 5. Controv. cap. 69. apud quos de eo aliquid aliud reperies.

27 Rogabis tertiò an Testamentum scriptum, sive clausum ex defectu alicujus solennitatis à Jure petitæ valeat saltem in vim Testamenti nuncupativi? Respondetur affirmativè in casu, quo omnes illas solennitates habeat, vel adsint, quæ ad Testamenti nuncupativi valorem sunt necessariæ, & hoc, etiam si Testamento tali salutaris clausula illa: *Si hoc Testamentum non valeat, ut est scriptum eo meliori modo, quo valere potest, valeat* in Testamentis apponi solita non sit appositа. Pro hoc facit *Novella 42. Leonis Imperatoris*, ac stant Menoch. de Præsumpt. lib. 4 Præsumpt. 2. num. 16. Peres de Testam. à num. 19. Clarus sup. Q. 4. num. 2. & alii.

28 Quartò rogabis an Testamentum minùs solenne, nempe factum, non servata formâ, seu solennitate à Civili Jure petita, quia nimirum deficit aliquid ex his, quæ ad ejus valorem Civile Jus necessariò petit, sit quo ad forum internum omnino inutile, vanum, ac nullum, omnique careat effectu, ac si factum non fuisset, ita ut dicatur quòd qui illud fecit, omnino intestatus decessit?

Est duplex sententia, & utraque satis probabilis, quarum prima dicit tale Testamentum ita esse nullum, ut non solùm quo ad hæreditatem in eo relictam, sed etiam quo ad fidei commissa, ac legata in eo dispositа vim nullam habeat, etiam quo ad obligationem naturalem, consequenterque hæredes, & legatarios in eo relictos nihil accipere posse ex vi talis Testamenti, nec, si jam aliquid acceperunt ex vi illius, illud tuta conscientiâ retinere posse, tenerique hæredibus ab intestato cuncta relinquere, vel restituere, quantumcunque de testatoris voluntate constet. Pro hac sententia stat Corneus Consil 137. num. 3. & 4. Covar. in cap. *Cùm esses*, num. 9. Menoch. de Præsumpt. lib. 1. Q. 80. num. 19. Martha de Success. 4. P. Q. 1. Art. 8. a num. 12. quos omnes, & alios adducit Bossius pro ista sententia tom. 3. tit. 14. num. 3. ac num. 51. pro qua faciunt ea, quæ dedimus Tract. 28. cap. 1. Lect. 3.

29 Secunda sententia (quæ communior, probabilior, & verior dicitur) contrarium tenet, ac dicit solennitates à Jure Civili præscriptas in Testamento *profano nullatenus pro* foro interno necessarias esse, in dictoque proinde foro profanum Testamentum valere, tametsi una, vel pluribus ejusmodi solennitatibus careat, dummodo aliunde de testatoris voluntate sufficienter constet, consequenterque hæredem in tali Testamento institutum conscientiâ tutissima hæreditatem in eo sibi relictam, sicut & legatarium legatum accipere, retinereque posse. Et è contrà hæredem ab intestato de testatoris voluntate certam notitiam habentem, tale Testamentum impugnare non posse sine mortali peccato, ad restitutionemque teneri, si impugnet, in foroque externo causam lucretur. Itidem hæredem, sicut & legatarios compensatione occulta uti posse (servatis in ea servandis) casu, quo hæres ab intestato hæreditatem, vel legata eis restituere nolit, nonque restituat de facto. Ita plurimi, classici, gravissimique DD. inter quos Fagnan. & Abbas in cap. *Cùm esses*, Clarus §. *Testamentum*, Q. 90. Iason in *L. Cùm quis* 10. *Cod. de jur. & facti ignor.* Sannig. Disp. 22. de Just. Q. 3. num. 9. Panormitan. in cap. ult. *de in integr. restit.* & cap. *Plerique de immunit. Eccles.* à num. 42. Ancharran. ad Reg. possessor. Q. 1. de reg. Jur. Fachineus Controv. jur. lib. 4. cap. 5. Merenda Contr. jur. tom. 1. lib. 3. c. 37. Mantica de Conjectur. ult. vol. lib. 2. tit. 14. à num. 9. & tit. 24. num. 5. Ripa in *L. Nemo potest, num. 96. ff. de legat. 1.* ibid. Gutier. à num. 457. Cævallos commun. contra comm. Q. 71. num. 11. Molina de Just. tom. 1. Disp. 81. Less. de Just. lib. 2. cap. 12. Dub. 3. Fagund. de Just. lib. 6. cap. 7. à num. 9 Sanch. in Consil. lib. 4. cap. 1. Dub. 14. Basil. Pontius de

Matrim.

Matrim. lib. 5. cap. 5. num. 13. Sanctarel. Variar. Reſol. 1. P. Q. 66. Villalob. in Sum. 2. P. Tract. 3. Diffic. 8. num 5. Trulhenc Decal. lib. 7. cap. 17. Dub. 3. num. 7. Reginald. lib. 25. num. 105. Filiuc. tom. 2. Tract 34. cap. 7. num. 150. Sayrus in Clavi lib. 3. cap. 7. num. 8. & 9 Diana Coordinat. tom. 6. Tract. 8. Reſol. 27. §. *Poſſet etiam*, verſ. *Imo Teſtamentum*, & locis ibi ad marginem, quorum omnium plures, & alii multi citantur, & adducuntur à Boſſio ubi ſup. num. 12. ac 64. & qui pro re hac, quæ in ſe graviſſima eſt, omnino legendus erit à num. 1. ad 165.

SUBLECTIO II.

De ſolemnitatibus ad Teſtamenti valorem juxta Jus Luſitanum.

30 SOlennitates à Jure Regni Caſtellæ petitas pro Teſtamentorum valore intactas relinquimus, eas remittendo ad ſuos Penates, quas, ſi placuerit, videre poterunt in *L. 1. & 2. tit. 4. lib. 5. Recopilat. ac in L. 3. Tauri*; poterunt & ſimul videre *Gomes L. 3. Tauri, Covar. cap. Cum omnes de Teſtam. Molinam tom. 2. Diſp. 127. Salmant. cit. cap. 5. P. 2. §. 1. à n. 6. & §. 2. num. 14.* His itaque relictis, &

31 Loquendo de ſolennitatibus à Luſitano Jure pro Teſtamenti valore petitis, dicitur Teſtamentum nuncupativum (vulgò *aberto*) uno ex tribus modis fieri poſſe, primò à Tabellione, à quo debet ſubſcribi, & ab aliis quinque teſtibus puberibus, ac liberis, & pro liberis reputatis; ac itidem teſtator ipſe illud etiam ſubſcribere debet, ſi ipſe ſciat, & ſcribere valeat; ſi autem teſtator ipſe ſcribere neſciat, aut ſi ſciat, non poſſit, tunc alius tertius, vel Tabellio loco teſtatoris ipſius ſubſcribere debet, ante ipſam ſubſcriptionem, vel juxta ipſam ad pedem Teſtamenti dicens, & exprimens ſe de mandato teſtatoris ejus loco ſubſcribere, eo quòd ipſe neſciat, aut non poſſit, tuncque nomen proprium loco nominis teſtatoris ponere debet, aliàs Teſtamentum nullum evadit: *De maneyra que com o Tabelliaõ, que fizer o Teſtamento, ſejaõ ſeis teſtemunhas :: E ſerá aſſinado pelas ditas teſtemunhas, e pelo teſtador, ſe ſoisber, e puder aſſinar; e naõ ſabendo, ou naõ podendo, aſſinará por elle huma das teſtemunhas, o qual logo dirá ao pè do final que aſſina por mandado do teſtador, por elle naõ ſaber, ou naõ poder aſſinar; e tal Teſtamento ſerá firme, e valioso.* Ita in Ordinat. novis tit. 80. initio. Legantur Negreyros in Introduct. ultim. volunt. cap. 2. lib. 3. num. 9. Valaſc. Conſult. 149. Gama Deciſ. 45. & 126. Gabr. Pereyra Deciſ. 81. ac Phœbus Deciſ. 188. à num. 30.

32 Secundo modo fit, vel fieri valet ſine Tabellione, propria teſtatoris manu ſcriptum, ſive alicujus alterius, dummodo per teſtatorem ſubſcribatur, aut per alterum, cujus manu fuerit ſcriptum, quinqueque alii teſtes qualitatis nuper explicatæ adhiberi debent, coram quibus ſimul Teſtamentum legatur ita, ut ab omnibus clare, & diſtinctè percipiatur id, quod in eo continetur, & cùm lectum fuerit, ab omnibus, ſeu ſingulis ſubſcribatur; neceſſe tamen eſt ut poſt teſtatoris mortem Judicis aut hortate talis Teſtamenti fiat publicatio; id omne, quod conſtat ex cit. tit. 80. num. 3. incipiente: *E ſe o Teſtamento for feyto, &c.* ubi omnino legendum.

33 Tertio modo fit, vel fieri poteſt (ac idem de quacunque alia ultima voluntate, vel diſpoſitione) abſque ullo Tabellione, & ſine ſcriptura, ſive publica, aut privata, ſolùmque ore tenus, vel voce, modo fiat tempore mortis, ſexque teſtes adſint, ſive maſculi, aut fœminæ. Et debet teſtator voce hæredis declarare nomen (quin ſufficiat nutu exprimere illud, juxta *L. Jubemus, Cod. de Teſtam.* ac juxta Fragozo lib. 5. P. 2. Diſp. 8. §. 2. num. 83.) In hoc etiam Teſtamento publicatio exigitur, & coram Judice teſtium dicta, vel teſtimonia ratificari, iis, quorum intereſt, citatis; unde, ſi teſtes de toto Teſtamenti tenore non deponant, Teſtamentum non valet; ac idem judicium eſt, ſi aliqua ex ſolennitatibus petitis, vel neceſſariis defuerit. Et ſi teſtator ab eadem infirmitate, periculo vel mortis evaſerit, tunc nullius roboris tale Teſtamentum erit, quod conſtat ex cit. tit 80. num. 4. incipiente: *E poderá o teſtador ao tempo da ſua morte, &c.* Legatur Gama Deciſ. 252. ac Fragozo ſup. num. 83. Et hæc quo ad Teſtamentum apertum.

34 Quo ad Teſtamentum in ſcriptis, ſive clauſum, dicitur quòd, ut firmitatem Teſtamentum hoc habeat, inſtitutionem hæredis, vel hæredum continere debet, debet & eſſe teſtatoris manu ſcriptum; ſi autem alterius manu fuerit confectum, manu ipſius teſtatoris neceſſariò debet eſſe ſubſcriptum, (ſecus, ſi ab ipſe teſtatore fuerit ſcriptum, cùm tunc ſatis ſit teſtatoris ſcriptio) ſi ipſe ſciat, & ſcribere, vel ſubſcribere poſſit, ſi autem ſcribere neſciat, aut ſi ſciat, non potuerit, tunc debet ab eadem perſona, quæ illud ſcripſit, aſſignari, dicendo illud aſſignaſſe loco, & ad petitionem ipſius teſtatoris, &c. ut ſup. dictum eſt num. 32. Et Teſtamentum ita confectum, & apud teſtatorem habitum, illud teſtator ipſe Tabellioni tradere debet coram quinque teſtibus, maſculis, liberis, & puberis; tuncque Tabellio, ſive Scriba in præſentia eorundemmet teſtium teſtatorem interroget: *Eſt nè hoc Teſta-*

mentum

mentum tuum, ultimaque tua voluntas, visque illam, vel illud firmum, & validum esse? Testatore que affirmativè respondente, tunc Tabellio illud approbare juridicè debet eodemmet die, tempore, & loco sine interruptione coram eisdemmet testibus, incipiendo approbationis Instrumentum à tergo folii, ubi Testamenti scriptura finitur, si fieri possit; sin minus ponat in eo suum publicum signum, id est, in parte aliqua foliorum Testamenti, & in Instrumento approbationis, in quo involutum, aut consutum erit Testamentum, fidem facere, dicendo quòd in Testamento intus contento suum publicum signum extat appositum, eo quòd non esset folium, in quo approbationis Instrumentum incipere posset. Et tandem per testes, & testatorem, vel per alium ad ejus petitionem, si ipse scribere nesciat, aut non possit, debet subscribi modo suprà dicto; quæ omnia sunt de forma, & substantia Testamenti clausi, ita ut aliter factum nullum, ac irritum maneat, id omne, quod constat ex cit. tit. 80. num. 1. incipiente: *E querendo o testador*, & num. 2. incipiente: *E por se evitarem as falsidades.* Legantur AA. sup adducti num. 32. & in dictis Ordinat. cit in tit. num. 2. fine additur: *E o Tabelliaõ, que doutra maneyra fizer o Instrumento da approvaçaõ, perderá o officio.*

35 Tota hæc Lusitana solennitas pro Testamentorum valore omnino differt ab ea, quæ de Jure communi requiritur. Primò quo ad numerum testium, quia in hoc Regno sufficiunt quinque. ¶ Secundò quo ad qualitatem, nanque necessum non est quòd sint rogati, quia ita judicatum fuit in supremo hujus Regni Senatu, prout attestatur Gama (ipso solo id refragante) Decis. 210. num. 2. ¶ Tertiò; quia, si testator nesciat, aut non possit subscribere, necessum non est octavum adhibere testem, qui illius loco subscribat, sed satis est unum ex quinque testibus loco illius subscribere. ¶ Quarto, quia satis est testes subscribere, quin eorum requiratur sigillum. ¶ Quintò, quia de Jure communi requiritur quòd ad Instrumentum approbationis concurrat Tabellio, secus autem de Jure hujus Regni. ¶ Sextò, quia quando Testamentum fuit scriptum aliena manu, necesse est ex communi Jure, non tamen hujus Regni Jure, ut à testatore, vel ab eo, qui tale Testamentum confecit, subscribatur interius, quando testator aut nescit, sive subscribere non valet.

36 Sed hîc est notandum quòd quando testator sua manu Testamentum clausum non scripsit, sed alteri scribendum commisit, tunc, casus, non valet legatum à testatore scribenti in eodem Testamento relictum (& idem, si hæres in eodem Testamento instituatur ab eodem testatore) quantum ad id, quod illius nimirum scribentis interest, (secus quo ad alia in eo contenta, quia utile per inutile non vitiatur) & est ratio: quia ibi aliquam fraudem latere, vel subesse præsumitur. Constat ex L. 3. Cod. de his, qui sibi adscribunt. L. 1. Cod. eod. & L. 1. §. *Ad Testamentum*, ff. ad L. Cornel. de falsis tenet Lugo Disp. 24. Sect. 1. num. 3. Molina tom. 1. de Just Disp 225. num. 5 Gama Decis. 69. 157. & 231. asserens ita in supremo Lusitaniæ Senatu decisum fuisse circa Testamentum quoddam manu mariti scriptum, in quo maritus, ac uxor mutuo se constituebant hæredes, & circa Testamentum aliud præcedenti consimile. ¶ Sed hoc temperandum est, ut procedat, quando solùm ex scriptura pendet fides, uti si res habeatur ex Testamento clausò, nam si talis scriptura Testamenti à Tabellione transcribatur, aut coram testibus requisitis, & testatore, ac Testamentum audientibus omnibus legatur, validum erit tale Testamentum, quia jam abest fraudis suspicio, prout in quadam causa Senatores Lusitani decreverunt, teste *Gamâ sup. Decis. 157.*

37 Cæterùm, quia præfatæ Leges sunt pœnales, nisi post Judicis sententiam non obligant. Et quoniam talis sententia niteretur in præsumptione fraudis, aut culpæ, si bona fide, & absque fraude ex testatoris voluntate, vel quia prohibitionem Legis ignoraverit, &c. semetipsum scriptor hæredem, aut legatarium nominaverit, poterit hæreditatem, vel legatum non reddere; & si reddiderit, occulta compensatione uti, quoniam ubi non reperitur subesse culpa, ibi non debet imponi, aut subesse pœna. *L. Aliud est fraus, ff. de verb. signif.* Molina sup. (& plures alii) asserens quòd, si is, ad quem legati, vel hæreditatis emolumentum alioquin pertinet, re vera sciat testatorem ita statuisse, ac præterea nullam culpam fuisse in eo, qui Testamentum conscripsit, nec petere potest ut alius condemnetur pœnâ amissionis talis hæreditatis, aut legati, neque id tuta conscientiâ retinere potest, estò condemnetur ille ¶ Hæc tamen doctrina in duobus his num. tradita nullatenus currit in Testamento nuncupativo, nec adhuc in clauso est extendenda ad eos, qui Testamentum dictant, vel ordinant, sed ad eos tantùm, qui propria manu Testamentum scribunt, prout est expressum in *L. Dictantibus, Cod. de Testam.* ¶ Neque potest esse testis hæres in Testamento relictus, ut dictum est sup. & est expressum in Ordinat. tit. 85. ibi: *Item naõ póde ser testemunha no Testamento o que nelle he nomeado por herdeyro, &c.* Legatur Lusitana Ordinatio.

LE-

LECTIO III.

De Codicillis, eorumque solemnitate.

38 COdicillus (id est, parvus codex eo quod natura sua pauciora, quam Testamentum compleatur, vel comprehendat, & maximè constituti ad supplenda aliqua in Testamento omissa, vel ad aliquid mutandum, sive ad legata nova, vel ad renovanda, sive ad moderanda ea, quæ in Testamento relicta erant) sic definiri, vel describi valet, dicendo *quòd est ultimæ voluntatis dispositio sine directa heredis institutione.* Instit. *Cod. de Codicillis in princip. L. Quod per manus* 10. *ff. de jure Codicillor. & L. Hæreditatem* 2. *Cod. de Codicill.* Unde

39 Quia de ratione Codicilli est quòd sine hæredis institutione fiat, in Codicillis hæres directè institui non potest. Quod si aliquis fecerit, abs dubio nihil facit, etiam si omnem solemnitatem pro Testamentis observet, hæreditas namque in Codicillis nec dari, neque adimi potest, uti expressè habetur *Instit. de Codicill. in fin. & L. Si idem, Cod. eod. tit. L. Hæreditas, Cod. de his, quibus ut indignis.* ¶ Si tamen Codicillus omnem solemnitatem pro Testamento requisitam observet, nonque constet disponentem Codicillum condere velle, tunc ut Testamentum valebit, id quod de se constare videtur. ¶ Ex privilegio tamen potest directè in Codicillis institui hæres, & institutus in Testamento revocari, quo privilegio Milites gaudent etiam, & per fideicommissum hæres indirectè institui poterit. Legantur circa hæc Salmant. Tract. 14. cap. 5. num. 23. ¶ Utrùm autem in Codicillis inter liberos possit pater hæreditatem directè filiis dare? Negant Bald. in *L. Hac consultissima, §. Si quis autem, Cod. de Testam. & in L. Filii, Cod. famil. erciscundæ, Q. penult.* Martha de Succes. P. 4 Q. 20. Art. 2. num. 12. Vasq. de Succes. creat. §. 25. num. 7. Affirmant Barthol. in dicto §. *Si quis autem fine, & in L. Militis Codicil. num.* 2. *ff. de militari Testam.* Paulus de Castro in dicta L. Filii in fin. ac Cevallos commun. contra comm. Q. 730. num. 1. & alii.

40 Dictum est etiam per fideicommissum hæres indirectè institui poterit, id quod tunc fiet, quando ipse disponens hæredem suum, aut in Testamento à se institutum, vel ab intestato sibi successurum, in Codicillo roget, illiusque fidei committat, ut hæreditatem alteri post mortem suam restituat, prout colligitur ex *Instit. de Codicill. §. penult.* quo casu hæres directè in Testamento institutus eam in conscientia commissario restituere tenebitur, & itidem in externo foro ad id obligabitur, tunc tamen quartam sibi hæreditatis partem, quæ in Jure *Trebelliana* dicitur, reservare poterit, ut dicitur in §. *Sed quia, Instit. de fideicommissar. hæredit. ac in L.* 2. §. *final. ff. de jure Codicillor.* multisque Legibus alijs

41 Ad validitatem Codicilli quinque de Jure communi testes requiruntur, (exceptis Codicillis cæci, & Militis, in istis namque eadem solemnitas, vel fidem testes requiruntur pro Codicillis, ac pro Testamentis eorum) sive Codicillus fiat scripto, aut nuncupativè, sive testes sint rogati, aut non, sive masculi sint, vel fœminæ; sed si in scriptis fiat, testium subscriptio requiritur, & nihil aliud solennitatis constat ex *L. ult. Cod. de Codicill. & §. ult. Instit. de fideicommissar. hæred.* de quo legendus est Martha sup. num. 3. Vasq. sup. §. 30. a num. 13. dicens Codicillos non exigere quod testes sint in præsentia codicillantis, sicut Testamentum exigit. *L. Si unum verb. coram testatore, L. Si non speciali verb. in conspectu testatoris, Cod. de Testam.* proindeque si testes probe intelligant quod agitur, licèt aliquid sit intermedium ita, quòd codicillantem non videant, Codicillos adhuc valere, sicut quilibet alius contractus valeret. Pro quo etiam legantur *Stephan. Gratian. tom.* 1 *cap.* 199. *num.* 24. & 25. *Farinac. de Testib. Q.* 187. *Surdus Consil.* 158. *num.* 14. *ac* 20. *lib.* 2 *& Socin. Consil.* 130. *num.* 9. *lib.* 1.

42 Solo nutu, vel signis Codicillos fieri, vel legata, & fideicommissa relinqui posse, Civili Jure inspecto, constat *ex L. Natæ, ff. de legat.* 3. *L. Et in epistola, Cod. de Testam. in L. Labeo, §. fin. ff. de supellect. legata, ac L. Cum proponebatur, ff. de legat.* 2. docentque Cephalus Consil. 546. num. 45. vol. 4. Gomes in L. 3. Tauri, num. 111. Martha de Succes. P. 4. Q. 7. Art. 1. & 7. id quod verum esse dicitur, etiam si testator loqui possit, quod colligitur ex Juribus datis, quia absolutè, simpliciter, ac indistinctè loquuntur, & de quo legendus est *Gomes sup. num.* 113.

43 De Jure Regni Castellæ eadem solennitas, quæ requiritur pro Testamento nuncupativo, eadem prorsus quo ad testes pro Codicillis requiritur; sed pro hoc illius Regni Penates videre poterunt *Legem* 3. *Tauri, quæ est* 2. *tit.* 4. *lib.* 5. *novæ Collect. & Anton. Gomes ad eandem Legem n.* 71. *ac* 69. *Molinam Disp.* 131. *Vasq. de Testam. cap.* 1. *num.* 39. *Dicastill. de Testam. lib.* 2. *Tract.* 19. *Disp.* 2. *Dub.* 1. *num.* 13. *Salmant. sup. P.* 3. §. 5. *num.* 24.

44 De Lusitano verè Jure nostro tot testes requiruntur in Codicillis, quot requiruntur de Jure communi, scilicet quinque, sive sint viri, aut fœminæ; ita lib. 4. Ordinat. tit. 86. per hæc verba decernitur.

Os Codicillos hora sejaõ abertos, ou feytos por publico Tabelliaõ, ou cerrados com Instrumentos de approvaçaõ nas costas, ou feytos, e assinados pelo testador, ou por outra alguma pessoa privada, huste intervirem neille quatro testemunhas, (quando se fizerem) homens, ou mulheres mayores de quatorze annos, livres, ou por taes reputados em tal maneyra, que com o Tabelliaõ, ou com o que o faz, ou qualquer outro, que o escrever, sejaõ sinco testemunhas, com tanto que as testemunhas nomeadas no Instrumento da approvaçaõ assinem todas.

Isto, que dito he, haverá lugar nos Codicillos feytos nas Cidades, Villas, e Lugares de grande povoaçaõ, mas nos outros Lugares de taõ pequena povoaçaõ, em que taõ facilmente se naõ póde achar o dito numero de testemunhas, quer o Codicillo seja aberto, quer cerrado, ou feyto por palavra ao tempo da morte, valera com tres testemunhas, homens, ou mulheres. ¶ *E toda a pessoa, que por nossas Ordenações, e Direyto póde fazer Testamento, póde fazer Codicillo, e a que naõ póde fazer Testamento, naõ póde fazer Codicillo.* Hic dicti Lusitani Juris, quo ad Codicillos, textus est expressus, atque clarissimus. Legatur *Valasc. tom. 2. Consult. 117.*

45 Codicillus ante, & post testamentum fieri valet, ac quocunque modo fiat, semper valet, modò de contraria testatoris voluntate non constet. Unde qui Codicillum confecit relinquens in eo legata, post mortem suam implenda à quocunque successore in suis bonis, validum Codicillum fecit, tametsi intestatus decedat: juxta §. 1. *Instit. de Codicillis, & L. Si quis cum Testamentum, ff. de jure Codicill.* & alia Jura. ¶ Quinimo potest unus, & idem bis codicillare, quando Codicillo alteri non repugnat Codicillus alter, ac tunc posteriori est adhærendum, §. *ult. Instit. de Codicill. &* §. *Posteriore, Instit. quibus mod. Testam. infirmet.* Secus quando duo Testamenta unius, ac ejusdem reperiuntur, quæ nequeunt esse valida simul, sed semper secundum tenet, & primum redditur nullum. *Instit. quibus mod. Testamentum infirmetur* dicto §. *Posteriore*, ac §. *Sed & si quis*, excepto Testamento Militis. Legatur *Molina de Testam. Disp. 124.*

46 Deinde interdum Codicillus Testamenti vim habet, nempe cùm testator, cui Testamentum condere in animo erat, solennitates ad illud necessarias non adhibuit, sed tantùm ad Codicillum clausulam codillarem adjunxit, ita dicendo: *Si hæc dispositio mea non valet ut Testamenti, volo ut valeat ut Codicilli*, vel virtute, ac tacitè ita: *Si mea hæc dispositio non valet, ut Testamentum, volo ut valeat eo meliori modo, quo valere possit.* Et hujus clausulæ duo sunt effectus. Primus, ut hæres ab intestato legata solvere debeat. *L. Si jure non subsistat, Cod. de Testam. manum.* ¶ Secundus, ut si testator hæredibus necessariis carens instituat in Testamento minus solenni extraneum, virtute ejus clausulæ institutio directa in fideicommissariam vertatur, ut proximi hæredes ab intestato tentiantur gravati hæreditatem extraneo reddere. *L. Ex ea scriptura*, §. *Ex his verbis, ff. qui Testam. facere possunt.* Legatur Fagund. de Translat. dominii per ult. vol. lib. 6. cap. 1. à num. 13. Valques sup. §. 12. num. 69. Corneus Consil. 62. num. 2. lib. 2. Barthol. in L. 1. ff. de jure Codicill. Bald. in L. fin. Cod. de Codicillis.

47 Sed circa codicillarem clausulam, de qua nuper, adverte primò illam subintelligi in Testamento ad causas pias. *Bald. in L. Si verè, Cod. de Testam. manum.* Menoch. lib. 4. de Præsumpt. 13. num. 18. num. 19. id extendens, quando libertas relicta est illi, quem diligebat testator; *Valasc. Consult. 61. num. 26.* ¶ Secundò adverte quòd quando clausula codicillaris non expresè adhibetur, adhibita præsumitur, quando testator eos vocat, quos summopere diligebat. *Bald.* & plures alii congesti *à Gabr. in lib. 4. Conclus. tit. de Testam. Claus. 5. num. 2. Gama Decis. 62. num. 27.* qui omnes in hoc casu codicillarem hanc clausulam intelligunt solùm operari in legatis, ut illa debeantur, non vero quo ad hæredis institut. & tenet *Menoch. lib. 4. Præsumpt. 31. num. 17.* qui *Præsumpt. 32. num. 19.* resolvit in Testamento non habente clausulam codicillarem illam ineste esse censendum, ex eo quòd apponi consuescat, atque præsumi suppletam, & hoc modo fideicommissum operari. ¶ Plura alia circa clausulam codicillarem ex AA. poteramus adducere, sed hæc Juris peritis relinquimus, cùm ad eos hæc extendere, ac ampliarè propriè, magisque pertineat; nihilominus legantur *Fagund. sup. Dicastill. sup. Dub. 2. Fragozo tom. 3 lib. 5. de Testam. Disp. 8. §. 4. Menoch. tom. 5. Consil. 498. Castrens. lib. 1. Cod. de posthum. hared. instit. & Consil. 200.* iterumque *Menoch. Præsumpt. 32.*

LECTIO IV.

Quibus modis Testamentum validè factum revocari valeat?

48 CErtum omnino, receptissimum, indubitatumque est (quod idem de Codicillis, & quavis alia dispositione ultimæ voluntatis) ante testatoris mortem quodlibet Testamentum nullam firmitatem habere, consequenterque pro testatoris arbitrio, non solùm mutari, addendo, minuendo, & corrigendo, sed etiam integrè revocari posse, neque

que aliter, quàm disponentis morte confirmari, & stabilitatem habere, juxta illud Ep. ad Hebræos cap 9 num. 17. *Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin non dum valet, dum vivit qui testatus est*; constatque etiam ex cap. *Cum Martha de celebrat. Missar. L. 4. ff. de admend. legat.* docentque unanimiter omnes; id quod verum, licèt testator juret se non revocaturum Testamentum à se factum; validè quidem in sententia omnium, validè, & licitè in sententia multorum; validè, sed illicitè, nisi juramenti relaxatio adsit in sententia aliorum. Circa quod legatur *Less. lib. 2. cap. 19. Dub. 8. num. 95. Filiuc. tom. 2. Tract. 34. cap. 7. num. 173. ac Salmant. Tract. 14. cap. 5. P. 9. n.* 137 Unde

49 Resolves primò quòd, si quis cum solennitate debita secundum Testamentum fecerit, validum erit, ac illud primum omnino remanet nullum, & irritum, quantunvis ad pias causas esset; & hoc verum, sive in secundo Testamento expresè revocetur primum, vel in generali, aut in particulari, sive non; quia in ipsa natura condendi Testamentum aliud prioris re vera imbibitur, includiturque revocatio, §. *Posteriori, Instit. quibus mod. Testam. infirmetur.* Communis. Legantur Salmant. sup. num. 130. ¶ Et idem Testamentum jam antea factum revocatur, rumpitur, ac infirmatur, si testator voce expressa coram pluribus testibus revocet illud, & etiam si novam aliam hæreditatis institutionem in nova scriptura confecerit. Legatur *Dicastill. lib. 2. Tract. 19. Disp. 1. Dub. 42. num. 272.*

50 Primum tamen Testamentum per secundum non rumpi dicitur, quando in primo clausula posterioris, & aliorum sequentium revocatoria ponitur; tunc enim posteriora Testamenta invalida esse dicitur, quódque primum in suo robore manet. *L. Si quis in princip. ff. de legat. 3. L. Hac consultissima, §. Si quis, Cod. de Testam.* & id verum dicitur esse, etiam si in Testamento secundo revocatoria clausula ordinaria ponatur dicendo: *Per istud Testamentum revoco, & annullo omne aliud, quod antea fecerim.* Cum multis Salmant. sup. legendi num. 132. ac 133. ibi addentes quod remedio hoc, industriâ, stratagemate, vel dexteritate uti solent uxores, quæ timentes malè à maritis tractari, si eos non relinquant hæredes, aut quos ipsi voluerint, Testamentum in scriptis, vel clausum faciunt, in quo ponunt clausulam revocatoriam cujuscunque alterius posterioris, & postea, juxta voluntatem mariti, nuncupativum Testamentum faciunt, quod nullius roboris extat, illo remanente priori: clausula autem revocatoria adducitur *apud cit. Salmant.* ibi legenda. Sed ut doctrina hujus num. plenè capiatur, omnino necessariò legendi sunt *Salmant. á cit. num. 132. ad 137.*

51 Secundò quòd prius Testamentum rumpitur, & revocatur, quando testator potè illud conditum, decennio elapso, illud coram tribus saltem testibus revocat *L. Sancimus, Cod. de Testam.* ibidemque explicat Glossa. ¶ Tertiò quando testator coram septem testibus asserit Testamentum prius se revocare, quia vult intestatus decedere; tunc nanque tacita hæredum ab intestato institutio facta censetur. *Covar. in Rubr. de Testam. P. 2. num. 80. Q. 6. Jul. Clar. Q. 92. Molina cum aliis Q. 153. n. 7. ibi n. 9.* notans revocationem Testamenti etiam solo verbo factam, & duobus testibus comprobatam, validam esse, quando testator significat se Testamentum revocare eo quòd hæres sit indignus, etiam si nullam testator ipse expresserit causam.

52 Quartò quando in priore Testamento institutus erat extraneus hæres, revocatur per posteriorem voluntatem minus solennem, in qua instituti sunt qui ab intestato venire possunt, si tamen quinque adhibeantur testes. *L. Hac consultissima, §. Si quis autem, Cod. de Testam. ubi Gloss. verb. sancimus.* Cæterùm, quando in priore Testamento causa pia instituta fuerit, tunc non revocatur nisi tantùm per solenne subsequens. *Tiraquel. Privil. 53. Panorm. P. 1. Consil. 11. Præsumpt. 2.* Et circa illud primum hujus num. legantur *Corneus Consil. 172. num. 7. vol. 2. & Consil. 279. vol. 4. Mantica de Conject. lib. 1 tit. 15. num. 18. Surd. Decis. 128. num. 3. ac Martha de Succeff. 4. P. Art. 1. num. 53.*

53 Quintò revocatur prius solenne Testamentum per subsequens minus solenne, quando ad valorem subsequentis solennitas requiritur minor, uti in Testamento ad pias causas, inter liberos, militari, coram Rege facto, &c. quia ad horum Testamentorum valorem solennitas minor requiritur. *Jul. Clarus Q. 98 Molina sup.* & alii plures. ¶ Et nota non censeri revocatum Testamentum inter liberos, nisi in solenni Testamento altero testator adjecerit se nolle prius Testamentum valere. Quod limitari debet, quando in posteriori etiam Testamento liberi hæredes sunt instituti, tunc enim sine illa adjectione revocabit illud, vel quando in posteriore instituta est causa pia; cum aliis *Dicastill. sup. num. 280.* & alii multi.

54 Sextò prius Testamentum legitimè factum revocatur, si illud testator consultò, & ex proposito rumpat, sigillum vel auferat, hæredem deleat, si totum cancellaverit illud; secus, si in sola ipsius parte, nam tunc sola illa cancellata pars revocata manebit. ¶ Item si ab eo auferat aliquid de necessariis solennitatibus

ad ejus valorem, ut si esset in scriptis, & chorduram, lineam, vel filum, quo, vel qua consutum, clausum velest, abscinderet; si hæc omnia animo, ac industriâ annullandi, & revocandi Testamentum facta fuerint; secus verò, si casu fortuito aliquid horum præter testatoris voluntatem contingat, idque probetur, vel ab aliquo alio tertio sine testatoris voluntate factum fuerit. Ita ex multis testibus probat *Molina Disp.* 153. *Dicastill. sup. num.* 270. *Salmant.* cum aliis *sup. num.* 131. qui omnes notant quòd, si Tabellio resalvet rupturam, vel cancellationem, illius expressam mentionem faciens, & dicens: *Non noceat*, tunc Testamentum non censetur revocatum, nec irritum; dicta tamen resalvatio ante Tabellionis signum fieri debet, uti adnotavit *Gomes ad L.* 3. *Tauri, num.* 91. ¶ Quòd si testator duo Testamenta fecerit ejusdem tenoris, illorumque rumpat unum, aliud valet. Et idem, si rumpat copiam signatam, apud Tabellionem integro Protocollo manente. *Salmant. sup.* cum aliis. Nisi aliunde de voluntate revocandi Testamentum constet.

55 Septimo, si in Testamento plures instituti sunt hæredes, & testator duntaxat unius, vel alterius, non autem omnium nomina deleat, & cancellet, Testamentum non rumpitur, sed in suo valore remanet, totaque tunc hæredibus non deletis accrescit hæreditas. Si verò unus tantùm hæres sit institutus, ac ejus nomen deletur, sint vel plures, & omnium nomina deleantur, Testamentum quo ad institutionem corruet, & ab intestato datur successio. Legatur Castrens. *in L.* 3. *ff. de his, quæ in Testam. delen.* Mantica de Conject. ult. vol. lib. 12. tit. 1. num. 31.

56 Octavò Testamentum rite factum revocari, & rumpi per confessionem alterius etiam rite facti, constat ex hactenus dictis, ac est omnium, & hoc verum habet, & si secundum Testamentum suum non sortiatur effectum, vel quia hæres in eo institutus hæreditatem non adiit, sed illam repudiavit, aut quoniam conditio de futuro, sub qua institutus fuerat hæres, omnino defecit; est communis, & certa, aperteque constat ex §. 2. *Instit. quibus mod. Testam. infirm.* Ut tamen prius Testamentum per posterius rumpatur, necessum omnino est ut posterius rite, vel legitimè cum solennitate omni à Jure petita sit factum; si namque ex alicujus solennitatis defectu posterius esset nullum, in suo robore prius remaneret dicto §. 2. *ac L.* 2. *ff. de injust. recepto*, ubi id limitatur ita: *Nisi forte posterius, vel militari jure sit factum, vel in eo scriptum est, qui ab intestato venire potest; tunc enim, & posteriore non perfecto, superius rumpitur*, dummodo coram quinque testibus fuerit factum, ut sup. est habitum.

57 Nono prius Testamentum revocatum censetur, si post illud conditum à non habente filios filius, vel filii ei nascantur ex legitima sua uxore, aut si jam filium ipse habebat, id quod ignorabat, tunc enim quo ad hæredis institutionem Testamentum revocatum censetur. Communis, ac omnium.

58 Utrùm autem quo ad legata censeatur etiam esse revocatum? Est sententia pro utraque parte probabilis *apud Sanch. de Matrim. lib.* 1. *Disp.* 33. *Dub.* 25. ipse tamen partem affirmativam tanquam sibi probabiliorem amplectitur, qui ibi omnino legendus. Legatur etiam *Lugo sup. Sect.* 3. *num.* 52.

59 Et idem dicitur, si post Testamentum conditum testatori aliquis alius suus hæres modo aliquo efficiatur, veluti, si filius naturalis illius post conditum Testamentum legitimetur, *Novel.* 89. *cap.* 12. vel si ab ascendente in filium quis adoptetur, §. 2. *Instit. de Adoption.* aut si quis à quocunque arrogetur, §. 1. *Instit. quid. mod. Testam. infirm.* seu limitatur in casu, quo adoptatus, antequam adoptaretur, in Testamento institutus fuit hæres, namque tunc Testamentum in suo robore manet, 24. §. *Si Titius, ff. de liber. posthum.*

SUBLECTIO.

Prosequitur materia præcedens.

60 ROgabis primò an, si duo (putà uxor, & vir) de communi consensu de suis bonis Testamentum condant sub una, eademque scriptura, se ad invicem hæredes instituendo, vel bona sua ad institutionem Maioratûs ordinando, (quod Testamentum firmatur per unius mortem, quantum est ex parte sua) alius superstes possit illud secundum, quod ex sua parte est, revocare? Supponit quæsitum id, quod certum, ac inconcussum est apud omnes, nempe duo, vel plures in eademmet membrana, vel charta Testamentum validum condere posse; & tunc non unum tantùm, sed diversa sunt Testamenta. Sed, licèt diversa sint, una tamen pro omnibus solennitas Juris requiritur, ac sufficit tantùm, quia illa una solennitas uno contextu adhibita ad omnes personas testantes refertur, de quo *Jason in L. Patris, & filii, ff. vulgari num.* 7. & alii. Testes tamen in tali Testamento adhibiti in subscriptionibus suis de quolibet Testamento mentionem facere debent, quippe re ipsa diversa. Et insuper maritus, ac uxor quilibet seorsim per se, vel simul ambo, manu sua quilibet Tabellioni Testamentum tradere debet, ipseque Tabellio eorum quemlibet inter-

rogare

rogare debet an ſuum illud ſit Teſtamentum, ac in Inſtrumento approbationis mentionem facere, ac dicere quòd in manibus ſuis ſibi illud Teſtamentum tradidit unus, & alter, quòdque eorum quilibet per ſe ſeorſim interrogatus an eſſet ſuum, reſpondit illud Teſtamentum ſuum, ultimamque voluntatem ſuam eſſe; quod ſi unus ſolus Teſtamentum Tabellioni tradat, non verò alius, licèt ſit præſens, ac licèt unus interrogatus an ſuum illud ſit Teſtamentum, & affirmativè reſpondeat, alius tamen non ita reſponderit, quoniam non ita fuit interrogatus, Teſtamentum nullum, ac irritum erit. Et idem, ſi in approbatione illius uxoris, non verò mariti, aut è contrà mentio fiat. Sed circa hîc dicta omnino legendus eſt Valaſc. tom. 1. Conſult. 7. poterunt ac etiam videri Fagund. de Tranſact. dominii per ult. vol. lib. 6. cap. 2. à num. 41. Lugo de Juſt. tom. 2. Diſp. 24. Sect. 2. num. 44. Salmant. ſup. num. 138. Molina Diſp. 152. Clarus §. *Teſtamentum*, num. 1. & Mynſinger. Centur. 1. Obſervat. 8. His ita habitis,

61 Ad quæſitum, vel rogatum reſpondetur affirmativè, ſcilicet ſuperſtitem licitè, ac valide Teſtamentum illud quo ad ſuam partem revocare poſſe, imo & eorum quemlibet in vita ſua, ſive ſciente altero, aut eo id ignorante. Eſt communiſſima, conſtat ex dictis, eſt nanque ambulatoria voluntas teſtantis uſque ad vitæ ſupremæ exitum, *L. 4. ff. de adim.* neque ante teſtatoris mortem effectum aliquem habet. Nec obſtat quòd in una charta Teſtamentum reciprocum ſit concluſum, quia id non tollit quòd re vera duo ſint Teſtamenta. Legantur *Salmant. ſup. num.* 139. *Molina ſup. Lugo ſup. & Mynſinger. ſuprá.*

62 Eſt tamen *ex Menochio de Præſumpt. lib. 4. Præſumpt. 165. num.* 20. notandum quod, ſi unus ex conjugibus, (vel aliis) qui reciprocum (vulgò *de maõ commua*) Teſtamentum conficiunt, Teſtamentum ſuum clandeſtinè, vel altera parte inſcia, revocet, quando unus ab altero Teſtamento in eo inſtituitur hæres, Teſtamentum etiam ex altera parte revocatum cenſetur, quoniam ſub ſpe, & conditione tacita factum præſumitur, quòd nullus ante mortem alterius Teſtamentum revocet. Sed excipitur, niſi uno Teſtamentum ſuum revocante, vivente altero, & id ſciente, Teſtamentum ſuum non revocet, prout poterat.

63 Secundò rogabis an, ſi in eadem charta ſimul à conjugibus reciprocum Teſtamentum fuerit factum, in quo maritus, ac uxor capellam de bonis ſuis ordinarent, & alter alterum ad invicem ſe hæredes, & adminiſtratores reliquerunt, ac maritus manu ſua Teſtamentum conſcripſit, atque ſignavit, & ſimiliter Clericus Confeſſarius uxoris nomine ſignavit, ac fuit Teſtamentum clauſum cum ſolenni Inſtrumento approbationis à tergo, marituſque ex vi Teſtamenti prætati palam bona poſſidet, eaque per viginti annorum ſpatium poſſedit, nunquid ſcilicet dictum Teſtamentum valeat, & an talis maritus ea præſcribere queat? Ita

Caſus iſte *à Valaſco tom. 2. Conſult.* 178. proponitur. Et quo ad prim. negativè reſpondet, id quod ibi ipſe probat, retundendo id, quod in contrarium objici poteſt. Quo ad ſecund. de præſcriptione reſpondet præſcribentem tutum non fore propter malam fidem, quæ naſcitur ex ſcientia malefacti proprii in ſibi ſcribendo, licèt videatur potuiſſe excuſari propter jus ambiguum, an hoc pacto Teſtamentum ſcribere potuerit, cùm error juris ignari cauſam juſtam præſcribendi condonare dicatur. Legatur Author.

64 Rogabis tertiò an, ſi vir (& idem de quolibet alio de re aliena diſponente ex beneplacito, ac licentia dómini) de licentia uxoris (& idem de uxore de licentia mariti quo ad mariti bona) ex uxoris bonis Teſtamentum fecerit, fundans Majoratum, vel alia diſponens, poſſit, mortua uxore, revocare Teſtamentum, aut Majoratum de re ipſius diſpoſitum? Negativè reſolvitur, ſi maritus nomine ſuo, licèt ex alterius bonis, Teſtamentum confecit; ſecus autem, ſi nomine dòmini bonorum illud confecit, prout videre eſt *apud Salmant. ſup. num.* 141. *Molinam de Primog. lib. 4. cap. 2. num.* 24. *& cap. 3. num.* 24. *ac Gabrielem Pereyra Deciſ.* 11. *num.* 4. ¶ Si ſcire velis qualiter revocentur legata, lege *ſup. Tract. 26. cap* 3. *Lectione* 4. *num. 75.*

65 Hîc erat agendum de Teſtamento facto, vel faciendo per interpoſitam perſonam, nimirum per commiſſarium: ſed circa hoc ſatis eſt ſcire quemlibet alteri committere poſſe, ut ejus loco Teſtamentum conficiat, aut quia infirmitas non ſinit ei Teſtamentum facere, vel alia quacunque de cauſa. Et commiſſarius eſſe poteſt quicunque à Jure ad id prohibitionem non habens, qualem non habet Religioſus, &c. legantur *Salmant. ſup. P.* 10.

CAPUT II.

De Teſtamentis privilegiatis.

DE Teſtamentis non privilegiatis illis, nimirum, quæ ſolennitates à Civili Jure petitas neceſſariò, ut teneant, habere debent, vidimus, licèt breviter, præcedenti in cap. modò videndum de illis, quæ tales ſolennitates neceſſariò nón exigunt; qua de cauſa privilegiata

vilegiata Testamenta dicuntur, & quia Testamentum ad pias causas magis congruè privilegiati nomen meretur, de eo primus sermo erit.

LECTIO I.

De Testamento ad pias causas.

1 Hic ante omnia videndum, scien dumque erat quænam sit, dicaturque causa pia? Sed de hoc sufficienter egimus *Tract. 28. cap. 2. Lect. 3. in Sublect. 2. à num. 46. ad 60.* ubi legendum. Quibus visis, ac suppositis, & etiam supposito quòd Testamentum pium non est, nec dicitur illud, in quo persona profana instituitur hæres, ibidemque etiam pia aliqua relinquuntur legata, (nisi juxta *Jul. Capon. tom. 3. Discept. 205. num. 72. ac tom. 4. Discept. 293. num. 66.* legata in tali Testamento relicta maiorem hæreditatis partem absorbeant) sed Testamentum pium illud esse, in quo causâ pia hæres instituitur, vel substituitur, de quo *Molina de Just. tom. 1. Tract. 2. Disp. 134. num. 2. Rubeus Pract. Resol. cap. 1. num. 8. Villalob. 2. P. Tract. 30. Diffic. 4. num. 32.* & alii; deveniendoque ad id, de quo modò,

2 Sciendum venit olim pro conficiendis Testamentis, etiam piis, eadem de communi Jure requirebatur solennitas, quæ in singulis, ac omnibus Testamentis necessaria erat, *L. Generaliter 13. Cod. de Sacros. Eccles.* Jus tamen Canonicum postea in cap. *Relatum 11. de Testam. & cap. Cùm esses* (pro cujus intelligentia legendi sunt ibi scribentes, inter quos *Bossius tom. 3. tit. 13.* per totum) dictum Civile Jus moderavit, sive correxit, decrevitque Testamentum ad pias causas valere, duobus tamen adhibitis testibus, omissis omnibus solennitatibus aliis, qui quidem testes nullatenus requiruntur pro interno foro ad Testamenti valorem, sed solùm, ut in externo foro probetur eam testatoris voluntatem esse. In Testamentis nanque duæ solennitates adsunt, altera intrinseca, & hæc est ipsa ipsius testatoris voluntas, quæ dispositiones omnes etiam pias tanquam illarum anima regit; *L. 1. §. 1. ff. de pactis, & L. Non omnis 19. ff. de reb. credit.* Et hæc in Testamentis piis maximè attendenda est, ac secundùm eam omnia interpretanda veniunt; altera autem omnino extrinseca, & à Legibus decreta; quæ Leges Civiles abs dubio per Canonicum Jus abrogari, moderarive valent, quando id conducit ad Animarum profectum. Quo ita cognito,

3 Dicitur quòd ad substantiam, ac valorem Testamenti ad causas pias ubique gentium nullatenus requiritur solennitas Juris Civilis positivi, vel particularis alicujus Regni, sed satis, superabundeque esse quod duo legitimi testes adsint. ¶ Et hoc, non ad Testamenti substantiam, ejusque valorem, ut dicebamus, sed solùm pro externo foro, id est, ut testatoris voluntas in dicto foro probari possit, per eosque constet qualis sit testatoris voluntas, si nanque sine testibus de testatoris voluntate aliunde constet, id satis in utroque foro pro Testamenti ad pias causas valore, dummodo ea adsint, quæ de naturali, & gentium Jure requiruntur, vel sunt necessaria, id est, libera testandi voluntas, capacitasque testatoris, sufficiens scilicet ratio, & intellectus. Est communissima, ac valde trita inter DD de re hac scribentes; inter quos cum multis eam tenet, & probat Anaclet. in Decretal. tom. 3. lib. 3. tit. 26. à num. 143. fol. mihi 418. legendus, Bossius sup. tom. 2. tit. 12. §. 1. à num. 1. Petra in Comment. ad Constit. Apostolicas tom. 2. Constit. 10. Innocent. III. incipiente: *Ad nostram*, Sect. 3 à num. 1. fol. mihi 316. Barbosa in dicto cap. *Relatum*, num. 2. & de univers. Jure, lib. 3. cap. 27 num. 68. Genuens. in Praxi Q. 660. num. 3. Mantica de Conject. lib. 6. tit. 3. num. 4. Trullench. Decal. lib. 7. cap. 18. Dub. 4. num. 1. Diana Coordinat. tom. 6. Tract. 8. à Resol. 2. a Spiritu Sancto Decal. Tract. 10. Disp. 16. num. 156. Salmant. sup. P. 2. §. 3. num. 17. ad 19. & alii innumeri, tum apud citatos, tum extra illos. Unde

SUBLECTIO I.

Quid inferatur ex dictis.

EX data resolutione (quæ est verissima) aliqua pro praxi, majorique rei intelligentia oportet inferre, sive deducere.

4 Inferes ergo primò in Testamentis ad pias causas testes duo duntaxat sufficere, sive ambo masculi, vel ambo fœminæ, sive unus sit masculus, & fœmina alter, quia solennitas hæc, & non alia ex gentium Jure naturali, ac Divino requiritur, cùm stet omne verbum in ore duorum, vel trium. Communis, & constat ex dictis. Legantur citati.

5 Secundò quòd, cùm nullus testis in Testamentis ad causas pias sit necessarius pro foro interno, sed solùm pro foro externo, fit inde quòd, si hæres, vel successurus ab intestato sciret (quia à testatore audivit, vel aliunde de eo certam notitiam habuit) testatorem hæreditatem, hoc, vel illud legatum causæ piæ verè reliquisse, licèt hoc in foro externo probari non possit, abs dubio totum illud causæ piæ reddere, restituereque tenetur coram Deo, ac

in

in Animæ foro. Communiſſima, & tenent citandi.

6 Tertiò idem, ſi hæres ab inteſtato ſine omni teſte teſtatoris voluntatem audivit. ¶ Idem, ſi reperiatur Teſtamentum, vel charta, aut ſchedula propria manu ejuſdem teſtatoris, vel diſponentis ſcripta, aut ſubſcripta, in qua aliqua ad pia diſponit. ¶ Idem, ſi teſtator, vel æger occultè bona aliqua alicui dedit, aut ut poſt mortem ſuam tales pecunias, vel res de tali, aut tali loco ſibi tanquam pauperi acciperet, vel ut in pia diſtribueret, talis enim diſpoſitio in foro Animæ valida foret, illudque retineri, aut expendi tutò poſſet, omnino licio, & invito hærede (id quod etiam verum, non ſolùm quando teſtator ad pia, ſed etiam quando ad non pia diſponit.) Legatur *Boſſius ſup.* §. 2. *num.* 106. *ac* 107. *Molina Diſp.* 134. cum aliis *Anacletus ſup. num.* 147. *ad* 149. *ibi num.* 150. addens ex multis quòd, licèt Teſtamentum ad interrogationem alterius ſolo nutu factum Civili Jure non valeat, valet tamen ad cauſas pias; quia nutu teſtari nec naturæ, nec gentium Jure extat prohibitum. Legatur *Petra num.* 40.

7 Quartò validum eſſe Teſtamentum teſtatoris illius, qui, cùm non haberet hæredes, quibus teneretur reſtituere, Animam ſuam bonorum ſuorum hæredem inſtituit, ita dicendo: *Bonorum meorum Animam meam hæredem relinquo*, tuncque multa pia in tali Teſtamento præcipit fieri, nonnullaque alia legata amicis, vel conſanguineis, aut famulis, &c. relinquet, conſtituitque quiſnam eſſet futurus Teſtamenti exequutor, atque ita Teſtamentum abſolvit, & hoc etiam in foro externo, ſi teſtes duo legitimi de eo deponant, clauſula namque illa, *bonorum meorum Animam meam hæredem relinquo* ſatis clarè, & apertè oſtendit cauſas pias hæredem inſtitui, ut quidquid de bonis ſic teſtantis inveneretur, totum id in piis operibus inſumeretur. Et ſolennitas à Jure Civili introducta pro Teſtamentis in Teſtamentis ad pias cauſas nullatenus eſt neceſſariò ſervanda, ut dictum manet, ſicque relicta pro cauſa pia ſemper debentur, naturali probatione verificata, uti cum multis tenet *Petra ſup. á num.* 5. legendus. Legatur etiam *Molina ſup. num.* 3. *ac Fagund. cap.* 3. *num.* 22.

8 Quinto valet Teſtamentum pro utroque foro, quando quis coram duobus idoneis teſtibus incertum hæredem inſtituit, vel hæreditatem, aut legata alterius arbitrio diſtribuenda reliquit, uti ſi quis manu propria ſcribat, ſive ſubſcribat, vel coram duobus teſtibus dicat: *Pro hærede meo Deum, & cauſas pias inſtituo*, vel præcisè cauſas pias, aut pauperes illos, quod Petrus putà exequutor meus elegerit, vel ita: Committo diſpoſitioni Petri omnia bona mea, quid enim ille elegerit, ratum habeo, ut ipſe de bonis meis faciat, & diſponat, ſicut ego facerem, ac multò melius ſi dicat: Pro hærede bonorum meorum Animas Purgatorii inſtituo. Ita cum multis *Anaclet.* legendus *ſup. num.* 151. *Fagund. ſup. num.* 24. cum aliis multis legendus *Boſſius ubi ſup. tit.* 8. *á num.* 82. *ad* 89. *fol. mihi* 919. *Petra ſup. num.* 42. & 43.

9 Sexto Teſtamentum abſque ulla ſolennitate civili ad pias cauſas factum valet etiam quo ad legata profana ibi inſerta, quia acceſſorium principalis naturam ſequitur. ¶ Utrùm autem è contrà Teſtamento ad cauſam profanam facto corruente ob defectum ſolennitatis civilis, corruat etiam quo ad legata pia ibidem inſerta, ſi habeat id, quod ad diſpoſitionem cauſæ piæ requiritur? Variant DD. ſed firmiter tenendum quo ad piam cauſam tenere, nonque corruere. Ita *Salmant. ſup. num.* 19. cum multis *Anaclet. ſup. legendus á num.* 161. *ad* 165. & etiam legendus eſt *Petra ſup. á num.* 62. *ac Boſſius ſup. num.* 106. *ad* 113.

10 Septimo quòd quando teſtator, aut codicillator in Teſtamento, vel Codicillo ſuo opera aliqua pia diſpoſuit, & habet adhuc alia diſponenda, interimque morte præventus nihil amplius diſponere potuit, valet Teſtamentum, Codicillus, ſive diſpoſitio quo ad pia: (quidquid alii in contrarium dicant) quia, ſtando in ſolo naturali, vel gentium Jure, Juris Civilis diſpoſitione ſpreta, ſive ſecluſa, valida ſunt illa, quæ ſunt, aut erant diſpoſita, quo ad cauſas pias, utpote jam diſpoſita, & perfecta, juxta diſponentis voluntatem, non obſtante quòd ipſe adhuc multa alia diſponenda habuerit; cùm igitur, ut diſpoſitio ad pias cauſas ſit valida, id ſolum ſufficiat, quod ſufficit, ſtando in ſolo naturali, aut gentium Jure, conſequens eſt ut valida ſit talis diſpoſitio; ita tenet, & probat *Anaclet.* omnino legendus *ſup. á num.* 166. *ad* 178. ¶ Et ſanè, ſi quando teſtator ſchedulam à ſe ſcriptam, aut ſubſcriptam reliquit, in qua pia continentur, in vim Teſtamenti quo ad pia ſuſtineatur, & valet, ut dictum manet, de quo legendus eſt *Petra*, multos adducens *ſup. á num.* 17. cur non valebit id, de quo modò nobis eſt ſermo? Legatur *Amoſtaſius de Cauſis piis* 1. *P. vel tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 6. *á num.* 13. & *Petra ſup. á num.* 47.

11 Octavò quòd, licèt ad Teſtamenti cujuslibet valorem, etiam cauſæ piæ, hæredis inſtitutio requiratur, non tamen pro cauſa pia, ſive pro Teſtamenti cauſæ piæ valore neceſſario requiritur quòd in eo ſit *explicita* hæredis inſtitutio, ſed ſatis quòd ſit *tacita*, vel *implicita*, juxta Anaclet. ſup. num. 179. ex quo bene reſolvit

resolvit ultimam voluntatem ad causas pias valere, qua testator dicit: Volo ut cuncta residua mea dentur pauperibus, vel tali Ecclesiæ, aut Monasterio, vel applicentur pro Missis, aut si prius factis legatis aliquibus, dicat: Reliqua dentur Ecclesiæ, vel pauperibus, aut applicentur pro Missis, vel hujusmodi. Legatur Auctor, ac etiam *Petra num.* 45. & 46.

12 Nonó quód, licèt ultima dispositio, quæ in alterius voluntate refertur, illique committitur, (quæ *captatoria* vocatur) regulariter loquendo non valeat, prout refert *Molina Disp.* 134. *ad fin.* valet tamen, si fiat ad pias causas. Sed circa hoc legatur *Petra sup. á num.* 50. *ad* 58. *& Bossius sup. num.* 12. §. 2. *á num.* 94. *ad* 103.

13 Decimó quòd, si Testator reliquisset ducenta pro certa quadam puella, consanguinea sua, quam in Testamento suo nominavit, maritanda, vel ut ipsa Monialis fiat, Religionemque ingrediatur, si ipsa moriatur, antequam nubat, Monialis vel fiat, tunc, casus, ut sciatur ad quem ducenta illa pertineant, (an nimirum ad hæredes ipsius puellæ, nunquid ad testatoris hæredes, an potiùs in opus, vel legatum aliud pium sit convertendum) omnino debet attendi ad testatoris voluntatem, quæ venari debet ex verbis ipsius, ex conjecturis, ex circunstantiis legantis, simul & legatariæ personæ, ex fine etiam, ad quem legavit, ac ex ratione, ob quam legavit. Est enim testatoris, vel legantis voluntas tota basis, fons, & radix, ex qua tota pendet obligatio, ac dispositio legati, proindeque semper hæc attendi, sequique debet juxta *L. Hæres palam*, §. *Idem etiam*, *ff. de Testam.* tenetque Mantica de Conject. ult. vol. lib. 6. tit. 13. & communis. Ex quo fit, & oritur

14 Quòd, si modo aliquo ex dictis constet testatorem reliquisse legatum, præcipuè tanquam opus pium, pro satisfactione peccatorum suorum, vel parentum suorum, aut pro Animæ suæ bono, elegisseque potiùs fœminam istam, quàm aliam, quæ erat ei nota, propinqua, vel consanguinea, aut ex famulis domûs suæ descendens, tunc si fœmina illa testatori præmoriatur, legatum non hæredibus puellæ, nec testatoris hæredibus, sed solùm in bonum Animæ ipsius testatoris cedit, quia tale legatum non extinguitur, consequenterque in consimile aliud converti debet, similique alteri puellæ præberi: nam ex quo tale legatum præcipuè pro Anima sua relictum fuit, censendum est hanc testatoris voluntatem esse, id quod desumitur ex Baldo *ad L. Legatum*, *ff. de usufructu legat.* ubi legendus, legendus & etiam Panormit. in cap. 3. de Testam. n. 6. ac Molina tom. 1. de Just. Disp. 249. num. 10. & Petra sup. num. 13. verbis ab illis: *imò disposita*, ac iterum num. 85. vers. *quia verè*, & Bossius num. 105.

15 Deinde, si testator aureos ducentos relinquat, ut pro malè à se ablatis pauperibus distribuantur, ac reperiatur solùm centum fuisse ab eo malè ablatos, tunc alios centum hæredibus ejus non cedunt, sed insumendi sunt in aliquo alio opere pio, quia præsumendus est testator in omnibus conscientiam suam habere gravatam, & hanc pro conscientia sua exonerandam mentem adfuisse. *Panormit. in cap. Tua nobis de Testam. num.* 9. id quod licitum sit, ait *Fagund. sup. num.* 4. tamen, si testator in suo Testamento dicat: Ducenta, quæ in libro mearum rationum reperiuntur me debere, restituantur illis, quibus me illa debere comparuerit, & ex rationum libro liquidó constet 100. tantummodo illum debere, tum moraliter censendum est testatorem deceptum fuisse, sive oblitum; unde illius hæredibus incrementum cedere debet, quia solùm in dubiis an testator incrementum debeat, insumendum erit in operibus piis: si verò dubium non sit, sed certum non plura debere, tunc incrementum hæredibus cedere. Sic ille.

16 Sed, si ex verbis testatoris constet testatoris voluntatem non fuisse legatum puellæ legatariæ cedere, nisi casu, quo ipsa impleat modum, & conditionem, sub qua ei legatum relinquitur, uti si testator in Testamento suo dicat: *Et aliter non obtinebit legatum*, tunc, casus, illud non obtinebit, nec illius hæredibus cedet, nisi modò, & conditione impleta, sic ad hæredes testatoris pertinebit; si verò ex testatoris verbis, aut conjecturis constet legatum ei fuisse relictum, ut ipsa habeat statum competentem ad genus, vel in remedium vitæ, tunc, cùm in bonum, & ob favorem puellæ ei relictum fuerit legatum, puellæ hæredibus cedit, licèt testator illud ei tanquam opus pium reliquerit. ¶ Et hoc, licèt expressè caverit, ut illud ei ante nuptias non tradatur, vel ante Monasterii ingressum, nè illud in aliis absumat rebus. Eo enim ipso, quód testator è vita discessit, puella illa comparavit dominium talis legati, aut jus plenum ad illud, & absolutum ab omni conditione, modo, & onere, tametsi ex testatoris jussu in alterius manu usque ad nuptiarum tempus, vel Religionis ingressum jusserit asservari, tanquam in depósito, quare transmittit illud puella ad ipsius hæredes. Ita expressè *Molina tom.* 1. *de Just. Disp.* 249. *num.* 10. Et confirmatur, confirmarive potest ex duobus aliis consimilibus casibus, quorum unus affertur ab *Anton. Gomes tom.* 1. *Var. cap.* 12. *num.* 73. *Bonac. de Contract. Disp.* 3. *Q.* 1. *P.* 4. *Propos.* 2. alter verò *á Fagund. de Contract.*

in

in gen. cap. 8. *num.* 16. ubi omnino legendi, nam reſolutum caſum valde corroborant Legatur etiam *Boſſius ſup. tit.* 12. §. 2. *num.* 105.

SUBLECTIO II.

Intentum idem proſequitur.

17 INferes, vel deduces undecimò ad pias cauſas ſufficere quod ultima teſtatoris voluntas, quæcunque illa ſit, teſtatoris manu ſit ſcripta, ſi ſufficienter conſtet ſcriptam literam teſtatoris verè eſſe, quia, ut ſup. ſæpe dictum manet, teſtes in cauſis piis non requiruntur ad ſubſtantiam, vel ſolennitatem ſubſtantialem, ſed ad probationem in externo foro duntaxat, & ita *Tiraquel. de Privileg. cauſa pia, Privileg.* 4. ¶ Imò ſatis quòd ſit à teſtatore ſubſcripta, nam qui ſubſcribit virtualiter ſcripturam facit: Authent. *Si modo, Cod. familiæ erciſcundæ*, docetque Phœbus Luſitan. 1. P. Dec. 56. num. 7. Et licèt juxta Valaſc. Conſult. 67. num. 16. neceſſariò requiratur quòd quando datur tantùm teſtatoris ſubſcriptio, teſtator mentionem faciat illius Teſtamenti, dicendo tale Teſtamentum eſſe ſuum, & quòd ut ſuum ſubſcribit illud, quódque dies, in quo factum eſt, vel fuit, apponatur, contrarium tamen verius eſſe ſentimus cum *Corneo*, *Alexandr. Gratiano*, *& Rota*, quos citat, ac ſequitur *Boſſius ſup. tit.* 12. § 1. *num.* 4. *ad* 42. qui pro dictis in hoc num. legendus & etiam *ibid. á num.* 33. *ad* 49. Item legendus *Petra ſup. á num.* 17. *& Amoſtaſius ſup num.* 49. *ac* 50.

18 Duodecimò inferes quòd, ſi ſcriptura Teſtamenti ad pias cauſas manu alterius fuerit ſcripta, nonque teſtatoris manu ſubſcripta, poſt teſtatoris mortem effectum ullum non habet, niſi per duos idoneos teſtes ſcriptioni de mandato teſtantis præſentes probetur, vel probetur per ipſum ſcribentem, & alterum teſtem ſcriptioni præſentem, & atteſtantem de teſtatoris mandato ſcripturam talem factam eſſe. Et hinc communiter reſolvitur quód, ſi Parochus poſt mortem Parochiani ſui ſchedulam legata ad pias cauſas continentem producat, quam aſſeveret eam à tali defuncto ſibi, vel alteri fuiſſe dictatam, talis ſchedula, vel ſcriptura non tenet, nec tenere valet, niſi teſtibus duobus, aſſerentibus ita factum eſſe, probetur; (unicus nanque teſtis, & ſi Parochus, non probat, juxta cap. *Relatum* 1. *& cap. Cum eſſes*) ſi autem Parochus de mandato ægrotantis ſchedulam, ſcripturam vel talem fecit, adſitque alius teſtis, eſtò etiam ſit Parochianus, qui idmetipſum teſtificetur, valebit, conſequenterque legata ibi relicta, & ſi facta ſint Parochiæ, vel propriæ Eccleſiæ. Communis, & cum multis docet, ac probat *Boſſius ſup.* §. 1. *n.* 50.

19 Dictum eſt nuper, *etiam ſit Parochianus*, nanque quemcunque Parochianum, etiam & Clericum, ac Beneficiatum, & Religioſum, pro legatis Eccleſiæ ſuæ, Monaſterio ſuo relictis, idoneos eſſe teſtes communiter reſolvitur, pro quo legendus eſt *Farinac. de Teſtib. Q.* 60. *á num.* 463. *Menoch. de Arbitrar. Caſu* 109. *num.* 4. *Sanch. 2. P. Sum. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 102. quos adducit, & ſequitur *Boſſius dicto* §. 10. *num.* 18. *ac* 25. legendus; & *Petra ſup. num.* 29. ibi dicens quòd ad teſtificandum pro cauſis piis admittuntur perſonæ omnes, *quæ á Jure Civili non ſolent admitti, dummodo non ſint infames, mentis inopes, vel aliás reprobata ratione delicti*, qui & etiam videri poteſt ibid ad Conſtit. Honorii III. incipientem: *Cùm delicti* à num. 25. fol. mihi 407. & ſeq. Amoſtatus ſup. cap. 6. num. 9.

20 Eſt tamen hìc adnotandum quód, ſi teſtator in Teſtamento, vel coram teſtibus dixerit ſe velle quædam ad pias cauſas erogare, juxta id, quod cum Confeſſario ſuo egerat, aut illi mandaverat exequi, tunc Confeſſarius omnino exaudiri debet, ejuſque declarationi, & teſtimonio erit ſtandum, ſi talia indicia afferat, ut veriſimile ſit talia defunctum ipſi mandaſſe. Covar. cap. *Cùm tibi*, num. 23. de Teſtam. Navar. lib. 3. Conſil. Conſil. 16. de Teſtam. edit. 2. Layman lib. 3 Tract. 5. cap. 2. num. 5. Boſſius ſup. §. 2. num. 104. fol. mihi 522. omnino legendus & etiam ibid. §. 1. num. 55. fol. 915. ¶ Qui ibid. num. 53. cum multis docet, & probat quód, ſi teſtator, qui clauſum, vel in ſcriptis Teſtamentum non fecerat, apertum, ſeu nuncupativum faciat coram Notario, & ſufficientibus teſtibus, dicatque ſe Teſtamentum facere, prout continetur in tali ſchedula, vel ſcriptura, quam tunc coram dictis teſtibus Notario tradit; vel ſecundùm eam, quam jam traditam habet apud talem, vel talem ſuum Confeſſarium, vel alium tertium, quódque ibi contentum vult pro ſua ultima voluntate exequi, tunc, caſus, talis ſchedula, aut ſcriptura, ut verum, & legitimum Teſtamentum, valet, non ſolùm ad pia, ſed etiam ad profana, pro quo non pauca deſerviunt ex his, quæ dicta ſunt *á Petra ſup. legendo án.* 17.

21 Inferes decimotertio valere Teſtamentum pro cauſis piis, in quo quis inſtitutionem hæredis, & legata ad pias cauſas, arbitrio, ac voluntati alterius relinquit, ſive committit, uti ſi ita dicat: *Inſtituo heredem bonorum meorum cauſam piam, vel Monaſterium, aut Eccleſiam, quam Petrus voluerit*, vel ita: *Centum pia cauſa, aut Eccleſia relinquo, quam Petrus ſignaverit*, vel ita: *Expauperibus omnibus, qui in univerſo ſunt Orbe, eos hæredes meos inſtituo, quos Petrus voluerit*;

rit; aut ita: *Instituo meos hæredes eos pauperes, quos Petrus elegerit.* (in quo casu eligendi sunt pauperes ex domicilio testatoris) vel ita: *Lego centum aureos puellæ orphanæ in dotem, quem Petrus, aut meus hæres elegerit*, & sic in similibus, quod si designatus ad eligendum negligens fuerit, nonque elegerit, tunc ad Ordinarium domicilii, cui exequutio Testamenti ad pias causas competit, pertinet electio. Et ita cum multis tenet, ac probat *Bossius sup.* §. 2. *legendus à num.* 95. *ad* 97. *& num.* 03.

22 Decimoquarto legata ad causas pias valere, effectum habitura, præstandaque esse, etiam si hæreditas adita non fuerit, vel quia testator nullum instituit hæredem, aut quoniam incertum instituit, vel quia instituit extraneum, qui non acceptavit, aut quoniam hæres ante testatoris mortem mortuus est, vel hæreditatem post ejus mortem non potuit adire, & in similibus. ¶ Item dicta legata tenent, quando ex causa præteritionis, aut exhæredationis filii Testamentum nullum evadit; & ita cum multis *Bossius sup.* §. 2. omnino legendus *a num.* 111. *ad* 125. ¶ Utrùm autem, revocato Testamento condito, revocentur etiam legata pia ibi relicta? Variant DD. apud eundem *Bossium ibid. num.* 106. *ac* 107.

23 Decimoquintò quòd, licèt legata ad pias causas quandoque caducent, non tamen pereunt Barthol. *in L. Pater Severinam, ff. de condit. & demonstr.* notaturque in cap. *Nos quidem de Testam.* vers. *Si ibi non potest*, ibi Covar. num. 12. & Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 7. num. 85 tenetque Barbosa ibid. num. 6. concludens legatum relictum ad alicujus Ecclesiæ constructionem caducum non fieri, licèt ædificii locus designatus non fuerit.

24 Præterea, si testator morti vicinus, legatum ad pias causas in suo Testamento relinquat, & postea convalescens rem legatam alienet, per talem alienationem non expirat tale legatum, licèt res alienata non redimatur; unde dicitur quòd, si testator præcipiat in tali domo Ecclesiam fieri, ac postea illam vendat, nec redimat illam, non propterea ejusmodi legatum expirat, atque adeo, tali venditione non obstante, in tali domo, si fieri potest, Ecclesia ædificari debet, & si non possit, in alia domo, vel loco. Barthol. *in L. Qui post Testam.* Cod. de legat. De legatis termo erit iterum infra.

LECTIO II.

De Testamento inter liberos.

25 TEstamentum inter liberos (quod privilegiatum est) illud esse dicitur, quod parentes, nempe pater, vel mater, aut ascendentes in linea recta faciunt, in eoque liberos, vel nepotes hæredes instituunt. In hoc itaque Testamento omnis civilis solennitas à Canonico Jure absorbetur, ac de medio tollitur, proeoque solennitas à naturali, gentiumque Jure petita, sola relinquitur, sive petitur, consequenterque ad illius firmitatem, stabilimentum, vim, & vigorem satis, superabundeque est voluntatis paternæ probatio, & nihil amplius requiritur, ita quòd substantialis, & essentialis solennitas Testamenti istius sola sit ultima paterna voluntas, probata, sive probatio hæc fiat per testes, sive per indicia, & conjecturas, sufficienter efficaces, atque urgentes; id totum, quod constat *ex L. ult. Cod familiæ erciscundæ, simul & ex Authent. si modo, & L. Hac consultissima*, §. *Ex imperfecto, Cod. de Testam.* DD.que est sententia firmissima, inter quos *Salmant. cum aliis sup. cap.* 5. *P.* 2. §. 4. *num.* 20. *Mantica de Conjectur. ult. volunt. lib.* 6. *tit.* 2. *Anaclet. tom.* 3. *lib.* 6. *tit.* 26. §. 7. *num.* 182. *& seq. Barthol Iason, Corneus, Tiraquel. Mascard. Gomes, Fachineus, Farinac.* uterque *Molina*, quos omnes multosque alios adducit, ac sequitur *Bossius tom.* 2. *tit.* 10. §. 1. Unde ex verissima hac conclusione

26 Resolvitur primò quòd, licèt in Testamento inter liberos satis sint (non quidem ad ejus valorem, sed solùm ad probationem illius) ex naturali, Divino, & gentium Jure testes duo, etiam non rogati, ac etiam si sint fœminæ, qui id, quod agitur, sive paternam voluntatem intelligant, aut sit Testamentum clausum, sive apertum, aut ex Civili Jure imperfectum; non tamen ad ejus valorem, ut jam tetigimus, dicti testes simpliciter sunt necessarii, sed satis quòd de paterna voluntate constet; quare si post patris, aut matris mortem scriptura, vel schedula in ejus capsa, aut scrinio fuerit reperta, propria ejus manu scripta, vel solùm subscripta ita ut literam ejus esse cõstet, valebit pro Testamento inter liberos, & juxta eam erit standum, si ultimam contineat voluntatem paternam, & si de ea nullus testis adsit. Communis, ac cum multis *Bossius sup. à num.* 8. *ad* 17. *& Anaclet. supra.*

27 Secundò quòd, sicut Testamentum inter liberos cum sola solennitate Juris naturalis, Divini, ac gentium valet, ita similiter Codicillus, & quælibet alia dispositio ultima, sive ultima parentum voluntas; si enim parentes dicto modo licitè, ac validè testari possunt, cur non tantùm codicillare, cùm à majoritate rationis argumentum optimè teneat juxta *L. Illud, ff. ad L. Aquiliam*, & *L. A Titio, ff. de verb. obligat.*? Quare, si pater testari nolit, sed solùm codicillare, imò & quocunque modo, etiam

etiam sola voce, ultimam suam voluntatem declaret, tenebit dispositio, ejusque ultima proinde voluntas a filiis observari, executioniquè dari debet, dummodo de ejus voluntate constet. *Anaclet. sup.* cum aliis *num.* 188. *ad* 189. *Bossius* cum aliis multis *sup. num.* 18. qui ibi cum multis *num.* 19. notat Testamentum imperfectum parentum inter liberos semper continere clausulam codicillarem, & clausulam *omni meliori*, & si in eo non exprimatur.

28 Tertiò valere Testamentum inter liberos solo nutu conditum, ut tenet, & cum multis probat *Bossius sup. legendus á num.* 23. *ad* 32. id ibi extendens ad Codicillos, legata, ac fideicommissa, & hoc, sive testator habeat, aut non loquelam amissam, quòdque si non valet ut Testamentum, valet tamen ut Codicillus.

29 Quartò valere Testamentum inter liberos, quantunvis parens inæqualiter eos hæredes instituat, uni eorum maiorem, & pinguiorem hæreditatis assignando partem, quàm alteri, dummodo nullius filii lædatur legitima, sed omnes filii integras suas legitimas habeant, cuiliberque institutionis titulo relinquatur competens sua legitima portio, cum multis *Anaclet. legendus sup. á num.* 190. cum multis & aliis *Bossius legendus sup. num.* 58. *ad* 66. id quod verum esse dicitur, & si filius legitima sua institutionis titulo non sit relicta, id quod verius, ut videre est apud ipsum sup. legendum *á num.* 71. *ad* 83. cujus contrarium docuit *Anaclet.* ut nuper vidimus.

30 Quintò valet Testamentum ad causas pias, in quo filiis solo titulo legati, non autem institutionis hæredis, relinquitur integra sua legitima, uti si pater in Testamento suo sic dicat: *Hæredem meorum bonorum instituo hanc, vel illam causam piam, filio autem, vel filiis meis, lego eorum cuilibet mille* (quæ signata quantitas, cujuslibet filii integram suam legitimam continet.) Ita *Anacletus legendus sup. num.* 196. *& seq.* qui ibi *num.* 202. resolvit quòd quando Testamentum parentis inter liberos ex defectu solennitatis civilis non valet in vim Testamenti, valet in vim Codicilli, quod id, quod extraneis ibi relinquitur, non quidem per modum hæreditatis, sed tolùm per modum legati, aut fideicommissi, etiam tenet; pro quibus legendus *á dicto num. ad* 27. pro hac etiam parte secunda legatur *Bossius sup. num.* 84.

31 Sextò nullum omnino esse Testamentum parentum inter liberos, in quo nullus institutus est hæres, docet *Anaclet. sup. num.* 199. & communis Doctorum torrens, institutio nanque hæredis ad valorem cujuslibet Testamenti, tanquam de ejus substantia, ac essentia necessariò exigitur, ut sup. vidimus. ¶ Sed aliqui casus *á Bossio sup. num.* 85. *ad* 93. apponuntur, in quibus & si filius in Testamento paterno hæres expressè non sit institutus, tacitè tamen institutus censetur. Primò quando pater assignavit portionem bonorum filio, vel filiis, æqualiter, vel inæqualiter, attingentem, vel non attingentem legitimam relictam portionem, gravavitque onere aliquo; putà restitutionis, &c. ¶ Secundo quando nullus alius hæres in Testamento est institutus, & filio certa est bonorum portio relicta. ¶ Tertiò quando filius simpliciter institutus est in usufructu, in proprietate etiam institutus censetur. ¶ Quartò quando filio, vel filiæ aliquid relinquitur pro sua legitima. ¶ Quintò quando pater filio, vel filiæ aliquid pro sua parte relinquit: hæc, & alia dictus Auctor legendus ibi.

32 Si autem scire velis quid de Testamento inter liberos ex Lusitano Jure, illud reperies in Ordinat. novis lib. 4. tit. 82. Reperies itaque primò patrem, vel matrem, scientes se filios, vel filias habere, de tertiis suis disponere posse, quomodo sibi magis placuerit, tametsi in Testamento filiorum, vel filiarum mentionem ullam non faciant, Testamentumque sic factum valebit; nam tunc filii tacitè hæredes sunt instituti.

33 Secundò quòd, si pater, vel mater, sciens se legitimum filium habere, in Testamento suo de bonis omnibus suis disposuerit, nulla de filio mentione facta, Testamentum tale est nullum, & irritum; & si de filio mentionem fecerit, eum exhæredando, ac privando legitimâ sua, exhæredationis causâ non data, etiam remanet nullum quo ad hæredis institutionem, non verò quo ad legata in eo relicta eodem modo, ac si Testamentum nullum non fuisset; si verò pater, vel mater exhæredationis præstiterit causam, & hæc ab hærede in tali Testamento instituto probata fuerit, (quam talis hæres necessariò probare tenetur) Testamentum tale quo ad omnia in eo contenta valebit; secus autem, si non probaverit illam, tunc enim erit nullum quo ad hæredis institutionem, solùmque validum quo ad legata in eo relicta; quæ solvi debent à filio, cùm hæres in omnibus bonis paternis tunc intret.

34 Tertiò, si pater, vel mater legitimum filium habens, id quod ignorabat, quippe credebat jam mortuum fuisse, cùm re vera esset vivus, & ea ignorantiâ ductus omnium bonorum suorum extraneum hæredem instituit, tunc, casus, tale Testamentum quo ad hæredis institutionem, quo ad legata, & quo ad omnia in eo contenta, est omnino nullum, ac irritum. ¶ Et id, quod dictum est de Testamento parentum erga filios, omnino dicitur erga nepotes, ac descendentes alios. Et è contrà

trà idem de Teſtamento filiorum, ac nepotum reſpectu parentum, & avorum ſuorum. ¶ Tandemque additur ibi:

Outro ſim, ſe o pay, ou mãy ao tempo do Teſtamento não tenha filho legitimo, e depois lhe ſobrevejo, ou o tinha, e não era diſſo ſabedor, e he vivo ao tempo da morte do pay, ou da mãy, aſſim o Teſtamento, como os legados nelle contendos ſaõ nenhuns, e de nenhum vigor.

LECTIO III.

De Teſtamentis Militum.

35 CIrca Militum Teſtamenta tripliciter poſſumus loqui. Primò de Teſtamentis illis, quæ ab ipſis ſunt facta, vel fiunt, dum in bellica expeditione, actuali prælio, pugnæ vel conflictu ſunt conſtituti ¶ Secundo de Teſtamentis illis factis, aut quæ fiunt ab ipſis, non in bellica expeditione, &c. ſed ſolùm dum ſunt in caſtris, ibique congregati, & ad præliandum parati, in tentoriis, ſcilicèt, (vulgò *no campo, ou alojamento.*) ¶ Tertiò quando nullo ex dictis temporibus Teſtamenta à Militibus fiunt, ſed fiunt, quando à caſtris abſunt, ſuntque locis in aliis, uti dum Milites in hybernis temporibus per vicos, & alia loca diſtributi ſunt, causâ non pugnandi, ſed ibi commorandi, interim, dum iterum vocantur ad caſtra; quibus ita ſcitis, & de primis Teſtamentis illis loquendo.

36 Dicitur primo pro Teſtamentis prædictorum Militum nullam civilem ſolennitatem requiri; ſed ſufficere quód de Militis Teſtamentum facientis voluntate conſtet, conſequenterque ejus Teſtamentum valere, quocunque modo innoteſcat ejus voluntas. Ita expreſsè *in L. 1. ff. de militari Teſtam.* ubi inter alia ſequentia verba ponuntur.

Quanvis ii (Milites) *neque legitimum numerum teſtium adhibuerint, neque aliam ſolennitatem obſervaverint, rectè nihilominus teſtantur, videlicet, cùm in expeditionibus occupati ſunt, quod merito noſtra conſtitutio introducit, quoque enim modo voluntas ejus ſuprema inveniatur, ſive ſcripta, ſive ſine ſcriptura, valet Teſtamentum ex voluntate ejus.* Idem quod habetur in L. Militis 15. Cod. eod. tit. ibi: *Sicut Juris rationibus licuit, ac ſemper licebit, ſi quid in vagina, aut clypeo, literis ſanguine ſuo rutilantibus adnotaverint, aut in pulvere inſcripſerint* (Milites) *gladio, ſub ipſo tempore, quo in prælio vitæ ſortem derelinquunt, hujuſmodi voluntatem eſſe ſtabilem oportet*, pro quo facit *& L. Lucius, ff. eod. tit.* Et data reſolutio adeó ſtabilita eſt, vera, firma, ac communis inter DD. ut ſuperfluum ſit eorum aliquem ad medium vocare.

37 Secundò dicitur quód, ſi Miles non ſit ex illis, de quibus nuper, ſed ex illis, qui ſunt extra caſtra, &c. talis Miles dicto privilegio non gaudet, conſequenter ut ejus Teſtamentum teneat, juxta Jus commune, & ſecundùm quod à quolibet alio non Milite fit, conſici debet, id quod conſtat *initio tituli Inſtit. de milit. Teſtam.* ubi ſic legitur: *Illis autem temporibus, per quæ citra expeditionum neceſſitatem in aliis locis, vel ſuis ædibus degunt, minime ad vendicandum tale privilegium adjuvantur, ſed teſtari quidem, & ſi filiifamiliarum ſint, propter militiam conceduntur, Jure tamen communi, eadem obſervatione, & eorum Teſtamentis adhibenda, quam in Teſtamentis paganorum proximè expoſuimus.* Conſtat & multis ex aliis Legibus, citque DD. communis.

38 Dicitur tertiò loquendo de Militibus illis, qui non in actuali pugna, ſive belli conflictu exiſtunt, ſed ſunt in caſtris, ſive in expeditione, idem eos privilegium habere, ac habent illi, qui actualiter militant, ſive ſcopleto, ſtricto vel gladio dimicant. Conſtat enim id ex dicta *L. Milites 15.* ibi: *in expeditione degentes, & Inſtit. de milit. Teſtam.* ibi: *cùm in expeditionibus occupati ſunt*, & iterum ibid. *Illis autem temporibus, per quæ citra expeditionem neceſſitatem in aliis locis, vel ſuis ædibus degunt, minimè ad vendicandum tale privilegium adjuvantur*, per quod liquet quòd dum ſunt in caſtris, aut in expeditione *ad vendicandum tale privilegium adjuvantur*, id quod eſt & etiam commune.

39 Et non ſolùm primi, & tertii generis Milites dicto privilegio gaudent, ſed aliis inſuper; primò quòd Teſtamentum Militis non ſubjacet *Legi falcidiæ L. 17. ad fin. ff. de Teſtam. Militis*; de quo ibi DD. inter quos Pichard. §. *Sed & ſi quis*, num. 4. Mynſingerius in tit. 8. in fin. *Inſtit. de milit. Teſtam.* Valques de Succeſ. progr. §. 15. num. 102. cum multiſque, & ex multis tenet, ac probat omnino legendus Coordinat. Diana tom. 6 Tract. 8. Reſol. 88. ¶ Secundo querelæ inofficioſi Teſtamenti non ſubjicit. *L. fin. Cod. de inoffic. Teſtam.* ¶ Tertiò in Teſtamento Militis poteſt deportatus pro hærede inſtitui. *L. Idem eſt 13. ff. de Teſtam. Milit.*

40 Quarrò Teſtamentum Militis in bellica expeditione factum per integrum annum validum ſubſiſtit poſtquam Miles dimiſſus jam eſt à caſtris, in alioque ſecuro loco degit, atque adeò hæres in tali Teſtamento inſtitutus hæreditatem ex vi talis Teſtamenti caperet, ſi Miles intra annum ſua moreretur in domo, id quod conſtat ex §. *Sed hactenus, Inſtit. de milit. Teſtam.* concordatque Lex, *Quod dicitur 28. ff. Cod.* ex multiſque aliis docet, & probat *Boſſius jup. tit. 11. §. 4. á num. 82.* ac de quo etiam legendus *Diana ubi ſup. Reſol. 86.*

41 Quin-

41 Quintò Militis Teſtamentum militari jure factum agnatione hæredis ſui non rumpitur. *L. Idem erit, ff. de milit. Teſtam.* ¶ Sextò Miles plura Teſtamenta facere poteſt, ſive ſimul, aut ſeorſim, & omnes valebunt, ſpecialiter ſi dixerit Miles, nè ſuperius per inferius rumperetur. *L. Quærebatur* 20. *ff. de milit. Teſtam.* ¶ Septimo Miles partim teſtatus, ac partim inteſtatus decedere valet. *L. Si Miles* 6. *L. Quærebatur* 20. *L. duob.* 38. & aliis, quæ omnia ex multis affert *Boſſius ſup.* §. 5. *á num.* 88. legendus, & ex parte *Diana ſup. Reſol.* 80. ¶ Octavo Miles militari jure, vel privilegio ſolo nutu teſtari poteſt. ¶ Imò id facere poteſt Miles mutus, ac ſimul ſurdus, & ſi talis ſit à nativitate, id quod docetur, & probatur *á Boſſio, ubi ſup. legendus tit.* 11. *á num.* 21. *ad* 27. de quo etiam legendus *Diana ſup. Reſol.* 74.

42 Nonó Miles militari privilegio uti poteſt, jureqne militari teſtari, etiam ſi in expeditione non ſit, ſed extra eam, vel ſit extra caſtra in caſu, quo in expeditione, vel loco hoſtili vulneratus ſit, & ad domum extra caſtra delatus curationis ſolius causâ de licentia ſui Ducis, animo iterum revertendi ad caſtra, ſanitate recuperata; ac idem, ſi ſit extra caſtra in loco caſtris vicino, valetudinis curandæ causâ, Ducis ad id facultate præſtita, diuque ibi non ſit adfuturus, animuſque revertendi adſit, id omne, quod habetur *apud Boſſium ſup. tit.* 11. §. 2. *num.* 31. *&* 32. ubi legendus, qui *ibid. num.* 34. ex aliis reſolvit, ac probat quód, ſi quis antequam Miles eſſet, Teſtamentum juxta Jus commune omnino invalidum fecit, ſi Miles factus eſt, & in expeditione degit, ibique ei aliquid addat, vel ex eo adimat, tunc, caſus, tale Teſtamentum vires accipit, ac juxta jus militare valet, prætereaque *num.* 35. *ad* 37. legendus addit quòd Militis, tam in Teſtamentis, quàm in Codicillis par eſt poteſtas, quódque Miles directè hæreditatem in Codicillis dare poteſt, inſtituere, & ſubſtituere, quorum nihil Paganus in Codicillis facere valet. Legatur *Diana ſup. Reſol.* 69.

43 Ex dictis ſequitur primo ad Teſtamentum Militis actualiter pugnantis in bello, vel in expeditione, aut in caſtris degentis, ſatis eſſe duos teſtes non neceſſariò quidem ad Teſtamenti valorem, ſed ſolùm, ut de Militis teſtantis voluntate conſtet; ſi enim de ejus voluntate liquidò ſine teſtibus, vel confeſſione partis, ſive alio legitimo modo conſtaret, abs dubio Teſtamentum teneret, uti ſup. dictum eſt de Teſtamento ad pias cauſas, cùm par ſit Teſtamentum Militis. Eſt communis, & cum aliis docet *Boſſius ſup.* §. 1. *num.* 3. cum multis *Diana ſup. Reſol.* 71. *ad* 73.

44 Secundò ſequitur quòd in Teſtamento Militis non neceſſariò requiritur quód teſtes ſint viri, ſed ſatis quòd ſint fœminæ, ac etiam forenſes, & alienigenæ qui, vel quæ de voluntate teſtantis deponere queant. ¶ Inſuper non requiritur quòd ad id ſint rogati, ſed ſatis quòd ibi fortuitò, vel caſu ſint præſentes. ¶ Item non requiritur quód teſtatorem videant, ſed ſatis quod ejus vocem audiant, certamque ejus notitiam habeant, quodque bene percipiant quod ipſe diſponit. ¶ Item non requiritur quod Teſtamentum Militis unico contextu ſit conditum, neque quód teſtes toti Teſtamento interſint, & omnia ibi facta intelligant, ſed ſatis quòd Militis voluntas probetur. Hæc omnia, & alia habentur ex multis *á Boſſio ubi ſup.* §. 1. *legendo á num.* 4. *ad* 20. *ac Diana ſup. Reſol.* 69.

45 Militum privilegio teſtandi, ſcilicet militari jure, gaudent Milites omnes noſtri temporis, ſi teſtentur dum militiam actu exercent, temporeque, & loco, ut ſup. id quod verum eſſe dicitur primo de Militibus etiam navalibus, ſive qui navalem militiam ſequuntur. ¶ Secundò de remigantibus in militaribus navibus, ſive triremibus pro Republica contra ejus hoſtes, & ſi in pœnam ſui delicti id habeant (vulgò *ſejaõ galeotes.*) Tertiò idem de Mercatoribus maritimis, qui in procinctu prælii, ac periculorum Militibus aliis pugnantibus inſerviunt, neceſſaria multa ſubminiſtrando (ſecus extra procinctum prælii.) ¶ Quartó idem, quod de cæteris Militibus dicitur, perhibetur etiam de Militibus illis, qui ſuis propriis ſumptibus ſemetipſos alunt (ſuntque vulgó dicti *aventureyros.*) ¶ Quintó idem de Equitibus Militenſibus, nempe Sancti Joannis, Divi Jacobi, Alcantaræ, Avis, Chriſti, Sancti Stephani, Divi Lazari, Sancti Mauritii, Virginis à Carmelo, & hujuſmodi, ſi armis vacent ad militiam, vel armis, & equis ſemper ſint parati, ac pro defenſione Reipublicæ, vel Civitatis, Principis vel, & domini ſui mortem oppetere; ſecus autem, ſi non ita ſe habeant. ¶ Sextò idem de Militibus ſtationariis, illis nimirum, qui ſtipendiati ſunt, & aluntur ad Provinciæ quietem, ac etiam de Militibus, limitaneis illis ſcilicet, qui in locis hoſtium finitimis (*praças de armas*) hoſtium incurſibus Principis juſſu extant intenti, dummodo omnes occupentur armis, continuòque ad bellum, &c. ſint parati.

46 Septimò idem dicitur de omnibus illis, (& ſi non ſint verè, ac formaliter Milites) qui comitantur exercitum ad illi inſerviendum in curatione, victu, veſtitu, &c. uti ſunt Cancellarius Ducis, Sarturegi exercitûs Militum, Medicus, Chirurgus, & Mercatores omnes, ſed hoc, ſi poſt ibi Teſtamentum condi-

sum ibidem decedant; secus, si ibi mors non eveniat. ¶ Octavó filiosfamilias existentes in castris, in expeditione vel occupatos, ad testandum de bonis suis castrensibus, & quasi castrensibus militari privilegio gaudere; ac idem de Milite, qui ex militari delicto capite extat damnatus, aut est deportatus, dummodo rupta non sit Sacramenti fides, id est, nihil fecerit contra aliquod Capitulum, quod juraverat, vel ire ad hostes, aut vendere arma. ¶ Nonó, licèt Miles captus ab hostibus, dum sub captivitate existit, neque ex Jure communi, nec militari testari valeat, valebit tamen militari jure Testamentum ibi factum, si postquam à captivitate exemptus ad militiam redierit, ibi illud confirmaverit. Hæc omnia ex multis afferuntur *á Bossio sup. tit.* 11. §. 3. *á num.* 40. *ad* 93. omnino legendo. Est & etiam legendus *Diana sup. Resol.* 70. *ac* 76. *ad* 78. 89. *&* 100. *ac Salmant. sup. P.* 3. §. 4. *num.* 22.

47 Si autem scire velis qualiter ex Lusitano Jure Milites Testamentum condere valeant? Vide Regni Ordinationes novas lib. 4. tit. 83. per totum, & id ibi clarè reperies; reperies itaque primò filiosfamilias Milites, quatuordecim annos habentes, de bonis suis castrensibus, vel quasi castrensibus licerè Testamentum condere posse. ¶ Secundó idem quo ad eadem bona de Milite, qui ob aliquod delictum ad mortem fuerit damnatus, sed hoc dummodo ejus Capitaneus, vel Judex sententiam ferens ad id licentiam concedat. ¶ Tertiò quód, si quis Militum alicujus proprietatis, vel alterius rei aliquem Testamento in suo hæredem instituat, de cæterisque suis rebus mentionem ullam non faciat, iste talis quo ad cætera bona omnino intestatus decedit, in eisque hæredes ab intestato succedunt, tuncque verè, & propriè verificatur quòd Miles talis moritur partim testatus, ac partim intestatus, hocque privilegio ipsum gaudere.

Quartò quód, si quis Militum in Testamento suo duplicem instituat hæredem, unum bonorum castrensium, aut quasi castrensium, & alium cæterorum bonorum, Testamentum quo ad duplicem hæredem tenebit, & si testans Miles debita habuerit aliqua, tunc ea, quæ à Milite in militia fuerint contracta, ab hærede bonorum castrensium solvi debent; cætera verò ab hærede reliquorum bonorum. ¶ E contrà verò, si tali Militi bona ab aliquibus debeantur aliqua, tunc ea, quæ ratione bonorum castrensium ipsi debentur, ab hærede talium bonorum recuperari debent, cætera verò ab hærede altero. ¶ Sed si castrensia bona, sicut & cætera, de se non sint satis ad Militis testantis solvenda debita omnia, & hæredum unus hæreditatem non intret, sive non acceptet; tunc hæres ille, qui acceptaverit, ad omnia debita à Milite contracta solvenda tenebitur, sin minus creditoribus omnia Militis relinquere bona, ut ex illis ipsi id, quod sibi debetur, recuperare possint.

Quintò quòd Milites, dum ad bellum tendunt, sunt vel in castris, testibus tantùm duobus, viris, aut fœminis vocatis, Testamentum condere possunt, quodque in belli, vel pugnæ conflictu Testamentum condere possunt verbo, aut scripto; etiam si factum sit in pulvere terræ, in gladio, in vagina, in clypeo, &c. cum duobus tamen testibus, estò ad id non sint vocati, sed casu ibi habiti, qui factum probent, quodque dictum Testamentum in castris, vel in conflictu belli factum militari jure duntaxat valebit, si Miles ibi moriatur, aut intra annum, si dimissus sit à castris, (*sendo a despedida honesta, e necessaria, e naõ por erros, ou culpas*) quod insuper dictum Testamentum valebit, si in eo à demortuo Militi conditio aliqua hæredi suo fuit appositа, usque dum conditio impleatur, ita tamen, quód, si impleta non fuerit, Testamentum non valeat.

Sextò dicto privilegio testandi militari jure gaudere omnes, & si non sint Milites, qui in exercitu fuerint reperti, dum in inimicorum terris existunt, & ibi in belli conflictu decesserint, secus autem, si tunc ibi non moriantur. ¶ Denique Testamenta ea à Militibus facta extra exercitum, vel expeditionem, ac belli conflictum, putà domibus suis, aut chalybe, omnino invalida esse, nisi juxta Jus commune fuerint facta, & juxta Testamenta facta à quolibet alio, qui Miles non extat; id quod extenditur ad Milites eos, qui sunt in arcibus, sive præsidiis, nisi in casu, quo ab inimicis extent obsessi, aut in belli conflictu, nam tunc eis Militum privilegium, ad testandum militari jure valebit. Hæc omnia cit. in loco Ordinat. reperies, ubi legendum, & in Repertorio ad Ordinat. alia de Testamento juxta Jus Lusitanum faciendo reperies.

LECTIO IV.

De Testamento tempore pestis, de Testamento rusticorum, aut rure, eremo vel facto, ac de Testamento coram Principe, aut Parocho, vel in mari condito.

48 CIrca Testamentum tempore pestis grassantis condendum varii varia dixerunt, ut videre est *apud Anacletum tom.* 3. *lib.* 3. *tit.* 26. §. 8. *à num.* 224. *ad* 232. *fol. mihi* 228. *& seq. apud Bossium tom.* 2. *tit.* 9. *á num.* 1. *á fol. mihi* 793. & apud plures ab ipsis adductos, quibus

quibus variis dicendi modis relictis, breviùs

49 Dicitur ad Testamenti valorem, etiam ad profana in utroque foro, facti in loco pestifero, & ab eo, qui est peste infectus, sive correptus, satis est quòd fiat, secundùm Jus naturale, Divinum, ac gentium, aut quod adsint, & si non rogati, duo, vel tres testes (etiò sint fœminæ) quandò commodè numerus testium maior haberi non potest; & hoc, sive Tabellio adsit, vel non adsit; sive pestis sit magna, aut sit parva; quòd si Tabellio adstiterit præsens, ipse testis pro uno ex petitis duobus deservire potest. ¶ Item Testamentum tenebit, si conditum sit à Parocho, adstante alio unico teste. ¶ Item valebit, si à peste correpto fiat absque scriptura ulla, & solùm coram duobus, vel pluribus testibus, qui de testatoris voluntate postea deponant. ¶ Valebit ac insuper, si pestis in tempore factum fuerit manu propria ejus, qui peste extat infectus, nullo præsente teste, dummodo postea testatoris manus, vel scriptura probetur. ¶ Dictumque Testamentum aliquo ex dictis modis conditum, si peste infectus à morte evaserit, postea valebit, si ab eo non revocetur. ¶ Et id omne, quod dictum est de Testamento, tenet etiam quo ad Codicillum, & donationem causâ mortis. Hæc omnia tenent plures, graviſſimique DD. quos adducit, & sequitur Boſſius ubi sup. omnino legendus à num. 1. ad 76. ac ex parte Anaclet. sup. num. 231. legatur & etiam Cornæus volum. 3. Consil. 160. & 162. ac 31. & cap. *Qui Testam. facere possunt*, & alibi; Gama Decis. 44. ac 81. Negreyros in Introduct. ad ult. voluntat. lib. 3. cap. 12. & cap. 23. num. 4. ac Diana Coordinat. tom. 6. Tract. 8. præcipuè à Resol. 61. ad 67. fol. mihi 428. ad 430.

50 Loquendo verò de illis, qui sani sunt, nonque peste correpti, dicitur primò omnes eos, qui tempore grassantis pestis, & mortalitatis in Civitate remanent causâ administrandi Rempublicam in absentia, ac fuga aliorum; sicut & Chirurgos, ac Medicos, & omnes eos, qui pestilentiæ tempore in infecta Civitate remanent ad morbum arcendum, infirmos curandum, illis subveniendum, &c. Militum privilegio gaudere, ac uti Milites (de quibus jam suprà) validè testari posse. ¶ Secundò idem dicitur de omnibus aliis, qui sani sunt, sunt tamen in loco, vel Civitate sævientis pestis eodem pestis in tempore. ¶ Tertiò quinque sufficere testes loquendo de sanis, qui sunt in loco sano, ubi tamen magna, & sæviens pestis grassatur, quæ omnia dicuntur apud legendum *Boſſium ubi sup. §. 4. à num. 58. ad 65.*

De Testamento rurali.

51 RUsticorum Testamenta, rure, vel eremo facta valent, cum quinque solummodo testibus condita, sive nuncupativa sint, aut in scriptis, casu, quo plures testes commodè haberi non possint, testesque debent esse vocati, qui quidem legere, & scribere sciant, omnesque in Testamento in scriptis subscribant, quod si non omnes scribere sciant, tunc scribere scientes, cæterorum loco, ipsis præsentibus, subscribere debent; id omne, quod constat ex *L. fin. Cod. de Testam.* docentque ibi scribentes; apud quos etiam habetur quod, si literati testes haberi non valeant, tunc apud septem, vel apud quinque, si septem dari nequeant, ore tenus Testamentum ibi confici valet, semper autem testes debent esse masculi, & puberes; Testamentum autem à rustico rure factum non vitiatur, si postea rusticus Civis sit factus; si tamen ipse in Civitate, aut populoso loco Testamentum fecerit, septem debet adhibere testes, ut teneat. ¶ Et est probabile quod, si Testamentum à rustico rure fiat, nonque adsint, nisi tantùm testes duo, tenere. ¶ Est & etiam probabile ægrotantem Civem, rure quandoque habitantem, rusticorum privilegio gaudere, dum rure ægrotans, Testamentum facit. Tu circa hæc omnia de Testamento rurali lege *Anaclet. sup. num.* 218. *ad* 223. *Boſſium sup. titul.* 9. *num.* 8. *ac* 30. *&* 38. *ac* 105. *&* 108. ac pro parte datæ doctrinæ faciunt ea, quæ traduntur *Lugo de Testam. Disp.* 24. *Sect.* 1. *Molina Disp.* 227. *ac Ægid. Lusitan. lib.* 1. *Cod. de Sacros. Eccles.* 2. *P.* §. 2.

De facto Testamento in mari.

52 CIrca Testamenta in mari facta, vel facienda jam vidimus sup. erga eos, qui bellandi titulo navigant. Nunc autem breviter de aliis loquendo, dicitur quòd, si quis navigans testetur in mari, extraneo, & alieno adhærente Regno, cujus Leges juxta Testamenta condenda ignorantur, & consuetudo nescitur, sufficit solennitas Juris gentium, subindeque satis ad id ibi duo testes esse, ut per eos Testamenti confectio, testatorisque ultima voluntas probari possit. Si verò mare Regno adhæreat, cujus Leges, consuetudinesque circa Testamenta condenda non ignorantur, aliqui sentiunt solennitatem Juris gentium non sufficere, sed standum esse Legibus, Statutisque talis Regni. *Bald. in cap. Licet de feriis, sequutus à Tello Fernandes in L. 3. Tauri*, 2. *P. num.* 5. Cisuentes verò in cod. L. num. 17. vult in eodem Testam. ita ibi confecto duos sufficere testes, si plures haberi non possint, & consentit

sentit *Anton. Gomes in ead. Lege num.* 22. dum opinatur in loco hostium, ac infidelium, ubi quis, tanquam Mercator, vel Legatus moratur, satis secundùm veriorem sententiam esse Testamentum condere, juxta solennitatem Juris naturalis, Divini, & gentium, scilicet coram duobus testibus, eo quòd tale Jus ubique gentium locum habet *per L. penult. ff. de Just. & Jure*, *tenetque Bald. in L. 2. Cod. quemadmodum testam. aper. & ibi Paul. Fulgoz. in L. Hoc Jure, ff. de Just. & Jure, col. ult.* ¶ In Testamento autem facto, vel faciendo intra terminos Lusitanæ nostræ navigationis solennitas nostrarum Legum necessariò exigitur, aliàs non valebit, eo quòd in qualibet Lusitana navi Notarius cum potestate conficiendi Testamenta constituitur. Si autem Notarius constitutus non fuerit, vel si sit constitutus, testium numerus facilè non reperiatur, tunc Testamentum factum instar in eremo, rure vel facti sustinebitur.

Testamentum coram Principe.

53 TEstamentum factum, vel faciendum coram Imperatore, Rege, vel Principe alio, Superiorem non recognoscente, solennitatem aliam nullam expostulat, nisi tantùm coram ipsis fieri; prout tactum est sup. cap. 1. num. 19 constatque *ex L. Omnium, Cod. de Testam.* dicitur autem testari coram Principe, quando testaturus Principi preces porrigit, in quibus declaret qualiter de rebus suis disponet, & si supremus Princeps hujusmodi precibus nihil rescribat, imò si quis precibus nullis oblatis, sed ore tenus coram Principe dicat se hæredem instituere *Paulum*, Testamentum valebit, modò de hoc per aliquos testes probatio fiat, & testes sufficient ubi non apparet preces fuisse oblatas juxta Barthol. in dicta *L. Omnium num. 2. Cod. de Testam.* estque communis opinio, teste *Socino Consil.* 138. *num.* 10. *lib.* 1. *relato à Covar. in Rubr. de Testam.* 1. *P. num.* 2. *Mynsinger. que Centur.* 6. *Observat.* 29. docet, quocunque modo constet Testamentum, aliam vel ultimam voluntatem coram Judice insinuatam fuisse, nullam testium pro eo solennitatem requiri, quia acta Judicii testium vim habent, vel supplent solennitatem, id quod apertè in dicta *L. Omnium* significatur. Tu circa ea, quæ sub hunc numerum cadunt, vide *Anacletum sup.* §. 9. *à num.* 233. *ad* 278. ubi non pauca alia curiosa reperies.

Testamentum coram Parocho.

54 PRo Testamento coram Parocho facto deciditur in cap. *Cum esses de Testam.* contra Jus Civile, & consuetudinem receptam, satis esse ad ejus valorem duos, vel tres testes simul cum Parocho, excommunicationis ibi addita pœnâ contra eum, vel eos, qui Testamentum tale ausi sunt enervare in terris Romano Pontifici subjectis in temporalibus simul, & spiritualibus, & hoc quo ad utrumque forum Ecclesiasticum, & seculare. ¶ Utrùm autem dicta dispositio cap. *Cum esses* procedat non solùm in Testamentis ad causas pias, sed etiam ad profanas causas, & an extendatur etiam ad omnia Testamenta alia in terris Imperii, & aliorum Regum, ac Principum condita, dissensio gravis est inter DD. tu circa hæc, & alia huc spectantia lege *Bossium tom.* 3. *tit.* 13. per totum.

CAPUT III.

De iis, qui possunt, vel non Testamentum facere; de Testamento Novitiorum, Religiosorum, Episcoporum, & Beneficiatorum.

LIcèt ea, de quibus cap. hujus tituli fatur, constare possent ex his, quæ suprà dedimus, ac ex multis aliis, quæ in hoc opere jam à nobis sunt exarata, de illis tamen conjunctim, & summatim hîc agere placuit; pro quo sit

LECTIO I.

De his, qui possunt, vel non Testamentum facere.

1 DIcitur quòd omnis ille, qui perfectum rationis usum habet, testari, seu Testamentum liberè condere potest, modò bona habeat, de quibus libere disponere queat, nonque Jus ab aliquo Jure impeditum habeat. Ii etenim omnes Testamentum liberè condere valent, id quod communissimum, & omnium. Imò quandoque talibus Testamentum condere necessarium erit, & ad hoc sub mortali tenebuntur quandoque, videlicet, quando Testamenti factura necessariò fuerit ad declaranda debita, quibus adstrictus est, & de quibus, eo quòd occulta, clarè non constat, aut ad pacificandas lites, dissensiones, discordias, ac jurgia, quæ inter hæredes interdum excitari solent, id quod Confessarii diligenter adnotare debent, ut sic morientem de obligatione sua advertant, & instruant.

2 Dictum est *modò bona habeat, &c.* pauperes nanque, qui nihil habent, certum est testari non posse, cùm nemo de alienis disponere queat. Cæterùm illi, qui bona non habent, illa tamen habere possunt, eaque sperant habere, bene

bene Testamentum condere poterunt, quia per Testamentum non tolùm disponitur de bonis habitis, vel in re, & de facto possessis, sed etiam de illis, quæ tempore mortis (*haviendos, e por haver*, ut dici solet) fuerint in potestate, vel dominio testatoris reperta, ac etiam de Jure, quod habetur ad ea. ¶ Dictum etiam *neque Jus ab aliquo Jure impeditum habeat*, multi nanque sunt, quos Jus non permittit Testamentum facere, uti ex dicendis liquescet, dictaque incapacitas ex triplici præcipuè capite provenit, vel provenire potest; primo ex ipsa natura, sive naturali Jure, ob naturalem scilicet defectum corporis, vel animi. ¶ Secundo à Lege Civili, aut Canonica: licèt enim aliqui à natura condendi Testamentum non sint incapaces, Jus tamen Civile, vel Canonicum eos, etiam sine eorum delicto, aut culpa reddit incapaces, ob defectum puta ætatis, vel ob conditionem personæ, aut ejus statûs. ¶ Tertiò iterum etiam ab humana Lege, aliqui ob eorum delictum, & culpam incapaces sunt facti, de quibus omnibus brevis hic sermo.

SUBLECTIO I.

De iis, qui ad condendum Testamentum ab ipsamet natura sunt incapaces.

3 Dicitur quód generaliter, ac in universum omnes illi, qui rationis usu carent, à naturali Jure prohibiti sunt Testamentum facere, hujusque actus omnino sunt incapaces dum mentis usum non habent; & ratio est in promptu, & clara: quia Testamentum condere humanus est actus; sed ut actus humanus sit, talisque verè, ac propriè dicatur, ex Jure ipsius naturæ exigitur nè rationis usu careat, argumento desumpto ex §. *Item furiosus, Instit. quibus non est permissum facere Testam.* Et equidem sine rationis usu operari non est modo humano, sed inaniter, vel brutaliter, aut ut ille, qui operatur, omnino in somno, aut in ebrietate sit immersus. Et hinc

4 A Jure naturæ testandi omnino sunt privati, ac incapaces infantes omnes, qui non dum septimum ætatis suæ annum attigerunt, sive non dum rationis usum habent. ¶ Idem ob eandem datam rationem de furiosis, amentibus, fatuis, mentecaptis, perpetuis in omni materia, ita ut ad mortale sufficientem rationis usum non habeant, talesque toto eo tempore, pro quo rationis usu carent, à facultate condendi Testamentum extant privati, est vera, communissima, & omnium.

5 Dictum est *perpetuis in omni materia*, & *talesque toto eo tempore*, *&c.* nam, si quis, antequam in furorem, vel amentiam, &c. incideret; & dum adhuc rationis usu pollebat, aut lucida intervalla habebat, in suaque sana mente erat, Testamentum confecit completè, & cum necessariis requisitis omnibus ad ejus valorem, sine dubio tale Testamentum validum erit, quin obstet quòd postea obvenat furor, aut insania, &c. secus autem, si Testamentum inceptum fuit, dum mens sana erat, non tamen tunc fuit ultimatè perfectum, vel consummatum, quia insania, furor, &c. advenit; id omne, quod est commune, de se constare videtur, liquetque *ex L. Qui Testam.* 20. §. 4. *ff. qui Testam. facere*, *& ex §. 1. Instit. quibus non est permissum*, ac ex aliis. Sed circa hæc, ut melius capiantur, legatur Menoch. lib. 5. Præsumpt. 44. num. 2. & 7. ac Præsumpt. 45. num. 18. 21. & 64. Mynsingerus *ad* §. 1. *Instit. quibus non est permiss. num.* 7. Molina de Just. tom. 1. Tract. 2 Disp. 136. Cabedo 1. P. Decis. 97. ac Salmant. sup. Tract. 14. cap. 5. P. 4.

6 Sed hic circa dicta diligenter advertendum venit quód tunc dicitur Testamentum furiosi lucida intervalla habentis (& idem omnino de ægroto delirante) perfectè conditum esse, præsumi vel factum tempore sanæ mentis, quando interessentes rectè prudenter eum vident operari, ac sicut quilibet alius homo, qui insanus, mentecaptus non extat, nonque habet lucida intervalla, de quo deponere possunt, & debent Notarius, ac testes, qui Testamenti facturæ interfunt, vel interfuerunt, (& etiam domestici juxta Farinac. in Praxi 2. P. Q. 55. num. 116. à Barbosa sequutum cap. *In literis* de Testib. num. 17.) ac testificari an in aliis materiis tunc temporis furiosus, aut ægrotus delirans sanam ostenderet mentem, quorum dictis erit standum, circa quod legatur Maranta in repetit. *L. Is portet*, num 130. vers. *præ dictis*, Caldas Pereyra Q. Forens. 24. num. 7. aut Menoch cit. Præsumpt. 45 à n. 22. ubi septem decim signa apponit, ex quibus rationis carentiam licet probare.

7 Quòd si adhuc dubium fuerit an furiosus, amens, insanus mentis sanæ esset, aut lucida intervalla haberet tempore eo, quo Testamentum condidit, tunc distinguendum, aut furia, amentia, insania, &c. est perpetua, longo vel tempore notoriè ei inhæret, vel non; si primum, tunc testator semper præsumitur talis, nisi aliud certò, liquidò, clarè, ac manifestè probetur, quia in hominibus ita affectis ferenitas, vel sanitas mentis accidens esse videtur, & accidentia non præsumuntur, nisi clarè probentur, talisque probatio ab hærede, aut hæredibus fieri debet, id quod si non probet, Testamentum quo ad profana nullum judicabitur (quo ad pia nanque Testamentum rectè cœptum, ac non perfectum valet, ut dictum manet.)

manet.) ¶ Si verò secundum, Testamentum tenebit, & asserenti testatorem tunc temporis condendi Testamentum sanæ mentis non esse, id competit probare. Legantur Mynsinger: ac Menoch. cit. in locis, legi & insuper poterunt Molina de Primog. lib. 2. cap. 9. num. 30. & alter Molina Tract. 2 tom. 1. Disp. 136. vers. *in dubio autem*, Sanch. de Matrim. lib. 1. Disp. 8. num. 17. Lugo Disp. 124. Sect. 4. num. 63. Valasc. Consult. 145. num. 13. ac 14. Salmant. sup. num. 33. & 34.

8 Et in Lusitano Jure de re hac lib. 4. tit. 81. clarum textum habemus; estò non quo ad supra dicta omnia, ibi enim sic legimus.

O varaõ menor de quatorze annos, ou a femea menor de doze naõ podem fazer Testamento, nem o furioso; porèm, se naõ tiver o furor continuo, mas por luas, ou dilucidos intervallos, valerá o Testamento, que faz, estando quieto, e fóra do furor, constando disso claramente; como tambem valerá o Testamento, que antes do furor tiver feyto: E isto, que dissemos do furioso, se entende tambem no que nasceu mentecapto, ou que veyo a carecer de juizo por doença, ou qualquer outra maneyra. ¶ *E se o que está em continuo furor sem intervallo, e remissaõ alguma, fizer seu Testamento taõ ordenado, como o faria hum homem de perfeyto juizo, naõ valerá por isso o tal Testamento.* ¶ *E se o que tem dilucidos intervallos fizer seu Testamento, e se duvidar se o fez estando em seu perfeyto juizo, deve-se considerar a qualidade da disposiçaõ, e Testamento; porque já o que nesse se dispoem, he taõ razoado, e feyto com taõ boa ordem, como se o fizera hum homem de saõ juizo, deve-se presumir, e crer que no tempo, que o fez, estava em seu perfeyto juizo. E sendo feyto em outro modo, se presumirá o contrario.* Hic textus, & hæc Legis formalia verba. Legatur Phœbus Lusitanus tom. 1. Decis. 78. ubi singularem casum affert.

9 Item ex naturali Jure mutus, simul & surdus à natura talis non testari, nec codicillare valet, neque donationes causâ mortis facere. ¶ Sed, si non à nativitate, sed solùm ab infirmitate sit simul mutus, ac surdus, testari, codicillareque poterit, si scribere sciat, secus autem, si scribere nesciat, nisi fortè ad id Principis licentia adsit. ¶ Si autem duntaxat surdus sit, sive à nativitate, vel à morbo, ea omnia facere potest, tametsi scribere nesciat. ¶ Si mutus sit, & non surdus, testari, codicillare, donareque causâ mortis poterit; si scribere sciat, sive mutus sit ex morbo, aut ex nativitate. *L. Discretis* 10. *Cod. qui Testam. facere*; cum aliis Salmant. sup. P. 4. num. 37. ibi adnotantes mutum ex morbo, etiam si scribere nesciat, codicillos condere posse, quia fideicommissa, ac legata nutibus facta valent. Legantur *Molina Disp.* 136. *Less. lib.* 2. *cap.* 19. *Dub.* 7. *num.* 83. *Gomes* 1. *Var. cap.* 6. *Layman lib.* 3. *Tract.* 5. *cap.* 3. *Dicastill. lib.* 2. *Tract.* 19. *Disp.* 1. *Dub.* 14. per totum, & etiam *Ordinat. Lusitana ubi sup. num.* 5. legatur etiam *Diana Coordinat. tom.* 6. *Tract.* 8. *Resol.* 16. *ac* 17.

SUBLECTIO II.

De illis, qui testari ex humano Jure non valent, estò ad id delictum, vel culpam ullam non habeant.

10 ILli autem, de quibus in proximo titulo, sunt sequentes.. Primò impubes, (id est, minor quatuordecim annorum, si est masculus, & minor duodecim, si est fœmina) iste enim, licèt ex Jure naturæ testandi sit capax, ex Jure tamen Civili, & Canonico incapax est factus, constat enim id ex cit. Lusitana Lege, ubi sic: *O varaõ menor de quatorze annos, ou a femea menor de doze naõ pòdem fazer Testamento*; constat præterea *ex L. Si frater* 4. *Cod. qui Testam. facere*, ex *L. A qua ætate* 5. *ff. Cod. ex* §. *Præterea, Instit. quibus non est permissum*, ex *L. fin. Cod. de Milit. Testam.* & ex aliis. ¶ Quod ita est verum, ut neque auctoritate Tutoris impubes Testamentum validum facere potest; non enim voluntas ultima ab alterius voluntate dependet; nec si impubes ante pubertatem Testamentum fecerit, tale Testamentum, adveniente pubertate postea, convalescit, estò jam factus pubes moriatur, prout constat *ex L. Si filiusfamilias* 19. *ff. qui Testam. facere*, & *ex cit.* §. *Præterea*; & quia quod à principio est nullum, tractu temporis non convalescit *Reg.* 18. *de Reg. Juris in* 6. *ac L.* 29. *ff. de Reg. Jur.* Legantur *Salmant. sup. num.* 35. ibi ex aliis adnotantes, & bene sufficere ultimum diem ad tempus pubertatis esse inchoatum, ut impubes validè Testamentum tali die condere possit. Secundò Principem in tali Jure dispensare posse. Pro quo legantur Molina cit. Disp 136. §. *Præterea impubes*, Dicastill. sup. Dub. 12. num. 151. Paul. de Castr. in L. Rescripta, Cod. de precib. Imperat. offerend. Cod. 2. ac Barthol. in L. Si quæramus, ff. de Testam. col. 1 num. 6. legatur Diana sup. Tract. 8. Resol. 7. ubi ex Bonac. habet impuberes ad pias causas validè testari posse.

11 Tertiò filifamilias sub patria potestate jacentes prohibiti sunt à Jure, etiam de consensu paterno, ad hoc, ut Testamentum validè condere possint, id quod expressissimè constat Instit. *Quibus non est permissum*, & *L. Qui in potest. 6. ff. qui Testam. facere*, & aliis, estque Theologorum, ac Juristarum communis; per quos omnes excipiuntur bona castrensia, vel quasi castrensia, ex quibus quilibet filiusfamilias pubes per Testamentum, aut aliter, prout

sibi

sibi magis placuerit, etiam ad id paterno consensu non habito, disponere licitè, & validè valet, quia bonis in illis loco patrisfamilias habetur, ut constat ex à nobis dictis Tract. 16. cap. 2. & alibi, ac est expressum in Lusitano ... re ubi sup. num. 3. ubi legendum.

12 Licèt filiusfamilias de adventitiis bonis nequeat testari sine licentia patris, bene tamen tali licentiâ suppositâ, tunc enim etiam ad profana testari valet. ¶ Quòd si filiusfamilias jam sit factus Clericus, tunc de omnibus bonis, quæ sibi post Clericatum advenerunt per Testamentum, vel aliter, absque paterno consensu disponere valet, cùm bona sint, & habeantur quasi castrensia. *Authent. Presbyteros, Cod. de Episcop. & Cleric. L. Sacros.* 32. *Cod.* ac ita observat Covar. ad cap. *Non dicatis* 87. Pinel. ad L. 1. Cod. *de bonis maternis* 1. P. num. 43. Sylvester verb. *Clericus* 4. Q. 14. num. 10. & Molina tom. 1. de Just. Disp. 138. §. *Licèt Clericus*, dummodo, si filios habeat legitimos, legitimas suas portiones illis relinquat, vel ascendentibus, si tales filios non habeat, & ita exprimitur in dicta *Authent. Covar.* autem cit. cum aliis ait hoc intelligi etiam de Clericis solùm primam tonsuram habentibus, ac sequitur *Sanch. lib 7. Decal. cap.* 13. *num.* 35. ¶ Item testari potest de bonis sui Patrimonii, ad cujus titulum fuit ordinatus, licèt à patre acceperit illud. ¶ Et tandem disponere valet de tertia parte suorum bonorum, computando etiam bona, in quibus ususfructus competit patri, in reliquis autem duabus partibus parentes necessariò succedunt. Legatur *Molina cit. Disp.* 138. §. *penult.* qui initio dictæ Disp. notat hæc de Testamento filiifamilias ex Jure communi constituta de Jure etiam Lusitano observanda esse.

13 Quartò mancipia, sive servi propriè dicti nullatenus ex Juris dispositione testari possint ita, ut si post Testamentum factum libertas donetur, Testamentum antea servitutis in tempore factum sit omnino nullum. *L. Filiusfamilias 2. ff. de Testam. ac L.* 19. *ff. qui Testam. facere*, estque in Lusitano Jure expressum lib. 4. tit. 81. ibi: *Nem o escravo*, num. 4. communisque docet. *Molina* autem *tom. 1. Disp.* 137. *num.* 2. notat quod, si servus jam verè sit liber, quia dominus ejus per schedulam, vel aliter ei libertatem concessit, licèt hanc gratiam à domino factam ipse ignoret, vel de ea dubitet, valet Testamentum ejus ad pias causas factum; id quod etiam docet Panormit. ad fin. Rubr. de Testam. cum Barthol observatque Gloss. *in Can. illud 5. Caus.* 13. *Q.* 2. verf. *contradicat* multorum locorum consuetudine esse receptum, ut servus filiis suis peculium suum relinquere possit; & insuper ab aliquibus additur eos aliquarum rerum dominium sibi comparare, consequenterque de talibus bonis pro libito suo disponere posse; pro quo legantur *Layman tom.* 1. *de Just. Tract.* 2. *Disp.* 38. *Fagund. de Translat. dominii per ult. volunt. lib. 6. cap.* 9. *à num.* 13. *Mynsinger Centur.* 2. *Observat.* 23. *ac Molina tom.* 1. *de Just. Tract.* 2. *Disp.* 38. de quo & nos jam alibi aliquid dedimus.

14 Quintò aliqui etiam dicunt, & ex Jure probant, quod omnes illi, qui sunt apud hostes captivi, vel obsides ex bello justo, Testamentum validum ibi facere nequeunt; (licèt antea factum validum sit, si ibi moriantur) sed hoc in tempestate hac locum habere non potest, nam tales hodie inter Christianos non remanent servi, ut olim; & si captiverium fit apud Turcas, vel Mauros, multò minus tenet, cùm Sarracenorum bellum contra Christianos iniquissimum sit, ac tyrannicum. Legatur Covar. in Relect. cap. *Peccatum*, 2. P. §. 11. num. 6.

SUBLECTIO II.

De illis, qui ob defectum morum, vel ob culpam, & delictum faciendi Testamentum sunt incapaces.

PRæter hucusque enumeratos plures alii sunt, qui ob culpam, aut delictum ab ipsis commissum prohibiti humano Jure sunt Testamentum facere, quos hic dinumerare debemus. Itaque

15 Primò publicus, manifestusque usurarius Testamentum nullatenus condere valet, nisi priùs solvat usuras, vel illas restituat, cautionem vel idoneam de illas solvendo præstet. Constat *ex cap. fin. de Usuris in 6.* docent cum multis Salmant. sup. num. 39. & communiter omnes, id quod verum juxta Covar. cum aliis lib. 3. var. Resol. cap. 3. ad fin. ac Immola in cap. 2. de Testam. num. 25. de Testamento etiam quod usurarius condidit antequam usuras exerceret. ¶ Utrùm autem Testamentum factum ante usuræ usum, vel tempore eo, quo usuris subjacet testator, convalescat, si post factum jam Testamentum restitutionem testator facit, idoneam vel cautionem præstat? Non concordant DD. sed affirmativa sententia probabilior evadit. Legatur Covar. sup. num. 5. Joannes Andreas in cap. fin de Usur. & ibid. Glossa verf. *Aliter facta*, ac Jul. Clar. §. *Testamentum*, Q. 19. & 21. ¶ Usurarius autem manifestus dicitur ille, qui palam, ac publicè usuras exercet ita, ut propter ipsam facti evidentiam excusari non possit, & etiam ille, qui se usurarium esse in Judicio fa-

tetur, fuit vel à Judice de usuris damnatus; sed de hoc legatur *Covar. ubi sup. ac Menoch. de Arbitr. ibid. lib. 2. Casu 235.*

16 Secundo Hæretici, credentes, receptatores, defensores, & eorum fautores, ac etiam Apostatæ testari non possunt, consequenterque nec codicillari, neque donationem causâ mortis facere; quod procedit, etiam si Hæreticus ad pias causas testari voluerit; constat ex Lusitano Jure ubi sup. num. 4. ibi: *Item o Heresje, ou Apostata naõ pode fazer Testamento*, juncto Jure tit. 86. ibi: *E o que naõ pode fazer Testamento, naõ pode fazer Codicillo.* Constat etiam *ex L. Manichæos 4. Arrian. 5. Cod. de hæreticis, Authent. Credentes, Cod. eod.* concordatque cap. *Excommunicamus* 13. §. *Credentes de hæreticis.* Et est quid commune inter DD. *Salmant. sup. num.* 38. *Sanch. lib. 2. Decal.* cum multis aliis *cap. 24. à num. 1. ac Farinac. de Hæresi Q. 9. num.* 89. Sed

17 Utrùm id procedat, non sequuta sententiâ declaratoria criminis? Variant DD. sed probabilior, & sequenda sententia negat, ac ita cum communiori Tiraquel. *in L. Si unquam* in verb. *revertatur*, num. 182. & 183. in 1. edit. Cod. de revocand. donat. tenetque Molina tom. 1. de Just. Disp. 95. vers. *secundum est*; ibi docens posse hæreticum ante condemnationem bona sua donare, aut in aliquem per ultimam voluntatem transferre, quin etiam post sententiam potent hæreticus de bonis non proscriptis testari, licèt bona ipso Jure sint publicata, non dum tamen per sententiam, quia Jus Canonicum interdicens hæreticis testari intelligitur de bonis, quæ publicantur. Castill. in L. 4. Tauri verb. *fueren confiscados*, & ibi Avendaño Gloss. 7. num. 11. consonat Valq 12. Q. 96. Art. 2. Disp. 171. cap. 1. num. 11. ibi docens posse illum, cujus bona sunt ipso Jure publicata, bona ex Testamento filiis suis relinquere, illosque capere posse ex Testamento, & ab intestato, quod intelligitur ante sententiam declaratoriam criminis, secus post illam.

18 Præterea utrùm hæreticus, sive apostata, cujuscunque successionis, aut successio obveniat illi Jure communi, sive militari, aut fideicommissi, vel per viam contractûs inter vivos, sit incapax? Multi respondent negativè, asserentes non teneri hæreticum ante sententiam restituere, sed solùm post illam. Legatur *Fragoz. tom. 3. lib. 5. de Testam. Disp. 8. à n. 12. qui ibi num. 26.* asserit hæreticum reconciliatum gaudere privilegio faciendi Testamentum, & acquirendi quidquid per successionem in posterum obvenerit illi, quanvis successio, aut ei relictum deferatur virtute primogenituræ, vel Majoratûs, & hoc in conscientiæ foro, à die, quo resipiscens ad Fidem conversus est; unde relicta ab eo tempore non sunt restituenda, nec publicanda, quia ad Fiscum non pertinent, eo quòd ex eo puncto non est hæreticus, nec ut talis reputari debet. Molina de Just. Tract. 2. Disp. 154. col. 2. vers. *de Jure Civili.* Legatur Diana sup tom. 6. Tract. 7. Resol. 30. præcipuè §. *Dixi ante sententiam latam.*

19 Tertio damnatus ob libellum famosum (vulgo *Pasquim*) contra alium confectum, & publicatum infamis est, ac testari non valet; *L. Is, cui* 18. §. 1. *ff. qui Testam. facere*, ubi sic legitur: *Si quis ob carmen famosum damnetur Senatus consulto expressum est ut intestabilis sit*, habeturque insuper *L. 21. ff. de Testib. & L. Cornelia*, §. *ult. ff. de injur.* ¶ Utrùm autem idem dicendum sit de quocunque alio infami ob quodcunque aliud diversum delictum? Pro utraque parte variant AA. sed verior est pars negativa. Legatur Angelus verb. *Testamentum*, num. 1. Molina de Just. tom. 1. Tract. 2. Disp. 137. Et circa libellos famosos, ac chartas infamatorias legatur Ordinatio Lusitana lib. 5. tit. 83.

20 Quartò damnatus ad mortem naturalem testari non valet, tam ex Lusitano Jure lib. 4. tit. 81. num. 6. ibi: *Item qualquer pessoa, que por sentença for condenada á morte natural, naõ pode fazer Testamento, e se o fizer, naõ valerá cousa alguma*, quam ex communi Jure, uti constat *ex L. Ejus, qui* 8. §. 1. *ff. qui Testam. facere*, & L. Si quis 6. §. 6. ff. de injusto rupt. ubi sic legitur: *Sed & si quis fecerit capite damnatus, vel ad bestias, vel ad gladium, vel aliam pœnam, quæ vitam adimit, Testamentum ejus irritum fuit*, Decisionisque datur ratio: nam pœnæ servus efficitur, eademque datur in Lusitano Jure ubi sup. *porque a condenaçaõ o faz servo da pena, em que he condenado ::: E por conseguinte he privado, &c.* ¶ Et id extenditur etiam ad Testamentum factum ante condemnationem ad talem mortem, tale nanque Testamentum per sequentem condemnationem nullum, & irritum redditur per sup. dictam L. Ejus, ubi sic: *Nec istud Testamentum valet, quod antea fecit, nec istud, quod postea fecerit*; ac etiam per Jus Lusitanum, ubi nuper ibi: *E posto que em qualquer tempo antes da dita condenaçaõ o tenha feyto, tanto que for condenado, logo o tal Testamento perde toda a sua virtude, e he por Direyto de nenhum vigor, assim como se nunca fosse feyto.* Et hæc communia sunt. Legatur Arcin. in L. Si quis post accusat. col. 2. in princip. num. 3. post med. Ægid. in L. 1. Cod. de Sacrol. Eccles. P. 1. §. 5. num. 3 *priorem verò sententiam.* Et

21 Licèt aliqui, inter quos *Molina sup. Disp. 9.* datam doctrinam extendant ad in mortem civilem damnatos, nempe ad metallum,

ad

ad beſtias, ad perpetuum carcerem, ad triremes, ad deportationem, (in quorum numerum intrant omnes illi, qui per decem annos ad Angolam, aut Promontorium viride *Cabo Verde* ſunt relegati) contrarium tamen hac tempeſtate tenendum, & dicendum ſolùm ad mortem naturalem damnatos privari Teſtamenti faciendi facultate, non verò reliquos, movemur; quia allata Jura ſolùm loquuntur de delinquentibus illis, qui ob patrata delicta pœnam merentur, ac eis applicatur: *quæ vitam adimit*, ut ſup. vidimus, & ſola applicata capitis pœna pœnæ eſt, *quæ vitam adimit*. Tum quia Jurium deficit ratio, quæ erat, ac eſt: *Nam pœnæ ſervus efficitur*, & qui naturali morte non plectitur liber manet, nonque pœnæ ſervus, non enim eis pœna libertatem adimit, ac ſi juxta Jus Luſitanum loquamur, res hæc clara videtur, cùm ſolùm de morte naturali loquatur: *qualquer peſſoa, que por ſentença for condenada a morte natural*. Et pœnæ non extendi, ſed potiùs, quantum poſſibile ſit, omnino reſtringi debent, pro hacque doctrina facit textus in Authent. *Sed hodie, Cod. de donat. inter vir. & uxor.* ac *L. Quidam ſunt* in fin. *ff. de pœnis peregrin.* lit. 5. num. 10. Et pro relegat. facit *Authent. Relegatus, ff. de interdictis, & relegat. & Auth. Relegatus, ff. eod.* legatur Farinac. Q. 102. num. 140. ac 158. Jul. Clar. §. *Teſtamentum*, Q. 19. & 21.

22 Quinimo non deſunt AA. qui dicunt etiam poſt latam ſententiam, & condemnationem damnatos hodierno Jure validè teſtari, & alias diſpoſitiones mortis cauſâ facere poſſe; de quorum numero ſunt Salicetus *in Authent. Sed hodie, num.* 2. de donat. inter vir. & uxor. pro quo legendus Jul. Clarus cit. Q. 21. ac Immola *in cap. Quia ingredientibus hoc tit. num.* 30. *in fin.* ſed juxta Layman lib. 3. Tract 5. cap. 3. num. 2. in hoc locorum conſuetudo eſt attendenda.

23 Cæterùm, ſi Jus Luſitanum inſpicimus cit. num. 6. ad naturalem mortem damnati non ex omnibus bonis jure teſtandi abſolutè privantur, poſſunt enim ex dicto jure de tertio bonorum ſuorum in pias cauſas diſponere, ibi enim ita expreſsè dicitur.

Queremos que quaeſquer peſſoas, que por Juſtiça houverem de padecer, poſſaõ fazer ſeus Teſtamentos para nelles ſómente tomarem ſuas terças, e diſporem dellas, diſtribuindo-as em tirar cativos, casar orfans, fazer eſmolas aos Hoſpitaes, mandar dizer Miſſas, e para concerto, e refazimento dos Moſteyros, e Igrejas, e em outras algumas couſas, e deſpezas naõ poderáõ diſtribuir as ditas terças. Porém iſto naõ haverá lugar nos que forem condenados por crime de hereſia, traiçaõ, ou ſodomia. Hæc ibi, ex quibus manifeſtè liquet tales ad naturalem mortem damnatos ob crimina aliqua (præter hæreſis, proditionis, & ſodomiæ crimen) de tertio bonorum ſuorum in quibuſcunque rebus piis diſponere poſſe, verba nanque illa: *em outras algumas couſas*, non de rebus piis, ſed ſolùm de profanis ſunt accipienda. Legatur Molina cit. Diſp. 19. verſ. *quod ad jus*, Ægid. lib 1 P. 1. § 5. num. 7. Barboſ in Remiſ. ad Ordinat. Regiam lib. 4. tit. 81. §. ult. num. 6. qui addunt hos damnatos ad mortem diſponere poſſe de tertio illo bonorum pro Anima, non ſolùm per actum ultimæ voluntatis, ſed etiam per actum inter vivos donationis titulo.

24 Illud & etiam habetur ut certum, quòd, ſi quis Teſtamentum condit ante condemnationem, & ante eam deceſſit, Teſtamentum valet, licèt incarceratus jam eſſet ad mortem, juxta *L. Si quis* 9. *ff. qui Teſtam. facere*, ubi ſic habetur: *Si quis poſt accuſationem in cuſtodia fuerit defunctus indemnatus, Teſtamentum ejus valebit*, ac in Luſitano Jure etiam extat expreſſum, dicitur enim ibi cit. n. 6. *Item qualquer peſſoa, que por ſentença for condenada a morte natural, naõ póde fazer Teſtamento*: poterit ergo omnis ille, qui ante condemnationem ab hac vita deceſſerit, licèt ad mortem in carcerem fuerit detentus; nam, ut à facultate condendi Teſtamentum ſit, verèque dicatur privatus, dictum Jus petit ſententiam latam, *por ſentença for condenado* ſi igitur ita non fuerit, teſtari optimè poterit, valebit aut Teſtamentum illud, quod antea fuit factum, ſententiâ non lata. ¶ Certum & etiam quòd, ſi quis à ſententia capitali ex crimine damnatus appellaverit, ac tempore Appellationis pendentis Teſtamentum fecerit, tale ejus Teſtamentum valebit *ex L. Qui à latronibus* 13. § 2. *ff. eod.* id omne, quod à Confeſſariis, & aliis, qui incarceratos, ac damnatos ad mortem viſitant, & inſtruunt, diligenter adnotari debet.

25 Quintò inteſtabilis eſt omnis ille, qui Cardinalem aliquem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ hoſtiliter inſequitur, vel eum percutit, aut capit, & hoc, non quia ille eſt excommunicatus (excommunicatus nanque, non quia excommunicatus eſt inteſtabilis, prout conſtat ex Gloſſa *in §. fin. Inſtit. quibus non eſt permiſſum facere Teſtam.* ac ex Bald. in Rubr. de Teſtam. num. 3. & Barthol. *in L. Si quæramus* de Teſtam.) ſed quia id in pœnam delicti contra eum ſpecialiter eſt ſtatutum. *Cap. Felices 5. de pœnis in 6.* legatur Ægid. Luſitanus L. 1. de Sacroſ. Eccleſ. P. 1. §. 4. num. 1. verſ. *poterit ſanè*, Dicaſtill. lib. 2. Tract. 19. Diſp. 1. Dub. 2. num. 160.

26 Sextò inteſtabilis etiam dicitur ille, & hæredibus etiam ejus auferuntur bona, qui læſæ Maieſtatis crimen commiſit *ex L. Quiſquis 5.*

Cod. ad L. Jul. Maiestatis juncta *L. 6. Cod. eod.* ¶ Septimo ille, qui incestuosas nuptias contraxit, eo quòd hujus bona statim addicuntur Fisco, consequenterque de illis disponere nequit, juxta *Novell. 12. cap. 1.* ¶ Octavò prodigi, quibus bonorum suorum administratio est interdicta, §. *Item 2. Instit. quibus non est permissum* juncta *L. Is, cui 18. ff. qui Testam. facere.*

27 Rogabis hìc an qui ex solo Jure Civili (de quibus sup.) ad testandum sunt, & reddantur inhabiles, de bonis illis, quorum adhuc dominium habent, ad pias causas licitè, ac validè Testamentum condere possint? (Et dicitur qui ex solo Jure Civili, &c. nam, si à natura inhabiles fuerint, ut infantes, amentes, furiosi, ac hujusmodi, tales nec ad pias causas testari posse, quid est indubium.) Resolutio est affirmativa, quæ jam constat ex dictis in superioribus, tenentque Riccius in Praxi aurea, P. 4. Resol. 8. per totam, Barthol. *in L. 2. Cod. de Sacros. Eccles.* multique alii, probantque argum. *L. 1. Cod. de Sacros. Eccles.* ubi Imperator universaliter, ac illimitatè *unicuique*, qui Testamentum facere nequit, (eo quod ad id Civile Jure prohibitus.) licentiam ad pias causas testandi concedit, (nec fas est dicere quod ly *unusquisque* intelligitur de eo, qui Jure est habilis, nam, si ita foret, nullum privilegium Imperator concederet, ut de se liquet, probant & ratione: quia Testamentum ad pias causas nullatenus Juris Civilis dispositioni subjicitur, sed solùm secundùm Canones, ac Jura naturæ, aut gentium de eo judicandum venit argum. *cap. Relatum de Testam.* & constat ex dictis. Et ideo, licèt Testamentum coram testibus non rogatis, coram fœminis, & à prodigo factum Civile Jure sit nullum, valet tamen, si fiat, sit vel factum ad causas pias, eo quòd habeat id, quod ex naturæ, ac gentium Jure ad actûs valorem exigitur.

28 Meditato dictum est *de bonis illis, quorum adhuc dominium habent*, ad inuendum quod de bonis illis, de quibus sine præjudicio tertii testari nequit, nullatenus prædicti inhabiles Testamentum etiam ad pias causas condere valent. Ratio est: quia neque Ecclesia, nec Sacri Canones privilegium ullum causis piis cum aliorum præjudicio intendunt concedere argum. *ex cap. fin. de sepult. in 6.* desumpto, ubi ideo filiusfamilias de adventitiis bonis, quorum pater usumfructum habet, ad causam etiam piam testari *non* valet, quia in patris præjudicium cederet. Et hinc Testamentum etiam ad pias causas hæretici, ac omnis ille, qui ob delictum rerum suarum dominium jam amiserunt, Fisco jam sunt applicata non valet, & de similibus idem. Circa Testamentum ad pias causas omnino legendus est *Bossius tom. 2. tit. 12. toto* §. 3. *fol. mihi* 929. *ad* 948.

LECTIO II.

De Testamentis Episcoporum, & Clericorum Beneficiatorum.

29 NOmine Clerici (quantum ad præsens intentum attinet) omnem illum intelligimus, qui bonis Ecclesiasticis gaudet. Et Ecclesiasticorum, sive Clericorum bona in triplici, vel quadruplici genere considerari valent: videlicet: primo *patrimonialia.* ¶ Secundo *quasi patrimonialia*, vel *industrialia.* ¶ Tertio *parsimonialia.* ¶ Et quarto demum: *purè, ac mere Ecclesiastica*; quorum *patrimonialia* ea sunt, & dicuntur, quæ sive ante, aut post Clericatum susceptum ex hæreditate, vel donatione, aut arte, industriâ, vel causâ profana Clericis obveniunt, sicut obveniunt alteri cuilibet laico. ¶ *Quasi patrimonialia* illa sunt, & dicuntur, quæ à Clerico acquisita sunt ob ministerium aliquod Ecclesiasticum, (Beneficio secluso) veluti stipendia pro celebratione votivarum Missarum, pro cantu, pro Officiis defunctorum, pro administratione Sacramentorum, pro munere Capellani, pro concionibus, ac ea, quæ ex industria spirituali absque Beneficii intuitu acquiruntur. ¶ *Parsimonialia* autem illa sunt, & dicuntur, quæ Clerici ex redditibus mere Ecclesiasticis ad suam congruam sustentationem sibi competentibus subtrahunt, ac congregant, parciùs, & honestè vivendo. ¶ Et denique *bona purè, mereque Ecclesiastica* illa sunt, ac dicuntur, quæ ratione, & intuitu Ecclesiæ, sive Beneficii alicujus Ecclesiastici, uti Episcopatûs, Canonicatûs, Parochiæ, aut alterius Beneficii Ecclesiastici acquiruntur, uti talium Beneficiorum ordinarii redditus, decimæ, fructus agrorum, aliarumque rerum ad Beneficium spectantium. Quibus scitis, videre restat de quibus ex talibus bonis Clericus Beneficiarius liberè, licitè, & validè Testamentum condere queat? Et loquendo de cæteris bonis præter pure spiritualia, sive eorum proventus,

30 Dicitur fas esse Clericis, Beneficiariis, etiam & Episcopis testari de bonis suis patrimonialibus, acquisitis tam ante, quàm post Clericatum; & hoc non solùm ad pios usus, sed etiam ad profanos non minus, ac si laici essent, possequeos licitè, ac validè dicta bona aliter distrahere, uti consanguineos per legatum, hæreditatem, donationem, &c. ditare, ad altiorem statum promovere, Maioratus fundare, &c. Est communissima, constatque ex *cap. Quia nos 9. de Testam. cap. Relatum 12.*

& ex aliis, docentque Jul. Clar. §. *Testamentum*, Q. 27 Navar. de Reddit. Eccles. Q. 1. num. 59. ac 82. quos, & alios citat, ac sequitur Anaclet. tom. 3. lib. 3. tit. 26. §. 11. num. 326. fol. mihi 451. Barbosa de Jur. univers. lib. 3. cap. 17. num. 50. Sanch. in Consil. lib. 2. cap. 2. Dub. 50. num. 3. quos, & alios citat, ac sequitur Amostatus de Cautis pus, tom. 2. lib. 8. cap. 9. num. 1. tenent & multi alii, & resolutionis datæ ea est ratio: quia supradicti omnes quo ad dicta bona absolutum, ac plenum dominium habent, & à nullo Jure impeditum, respectuque talium bonorum reputantur mere seculares, sed ii de talibus bonis, prout sibi magis placuerit, disponere valent: ergo pariter, &c.

31 Idem omnino propter eandem rationem dicitur, dicendumque semper erit de bonis secundi generis, nimirum: quasi patrimonialibus; hæc nanque bona cum bonis quasi castrensibus computantur: Authent. *Presbyteros* 1. *Cod. de Episcop. & Cleric.* Et licèt Authent. hæc Principis sit secularis, qui nihil in Ecclesia potest juxta cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ* de Constit. communi er tamen fuit approbata: cùm igitur de bonis castrensibus, & quasi castrensibus, ex communi, & Lusitano Jure, ut ex dictis constat, latèque probat *Molina tom.* 1. *de Just. Disp.* 138. filiifamilias ad libitum, tam piè, quam profanè testari valeant, planè sequitur quòd quilibet Clericus, licèt sit filiusfamilias, & Clericatus eum à patria potestate non eximat, ut de facto non eximit, de prædictis bonis tam piè, quàm profanè testari possit, quæ cum castrensibus, & quasi castrensibus computantur. Eò vel maximè, quia prædicta bona sic à Clericis acquisita patrimonialibus eorum bonis æquiparantur, ut probat *Navar. in Apologet. de Redditib. Eccles. Q.* 1. *Tract.* 22. *num.* 3 de quibus absdubio quilibet Clericus ad libitum testari valet. Legantur ea, quæ dedimus *Tract.* 16. *cap.* 2. *L.* 3. *á num.* 96. *ad* 99. *ac Salmant. Tract.* 12. *cap.* 2. *num.* 138. *Sanch. in Consil. lib.* 2. *tom.* 1. *cap.* 2. *Dub.* 35. *&* 45. *Fagund. lib.* 6. *cap.* 10. *Palaus de Just. & Jure Disp. un. P.* 7. §. 3. *num.* 3. *Less. de Just. lib.* 2. *cap.* 4. *Dub.* 6. ac pro omnibus legendus est *Div. Thom. Quodlibet.* 6. *Art.* 12. *in corpore.*

32 Idem similiter dicitur de bonis tertii generis, scilicet *patrimonialibus*; quia etiam dictorum bonorum absolutum, & perfectum dominium acquirunt, cùm ad suam congruam, decentemque sustentationem pertineant, quorum Clerici Beneficiarii, Canonici, Episcopi, &c. verè verum dominium acquirunt: poterunt ergo de illis testari, aut aliter licitè ea distribuere, prout sibi magis placuerit; pro quo facit doctrina Div. Thom. ubi sup. qui etiam legi poterit 22. Q. 185. Art. 7. legantur ac etiam Covar. de Testam. cap 17. num. 9. Navar. de Reddit. Eccles. Q. 1. num. 26. 43 & 64. Barbos. in cap. *Cum in offic.* de Testam. num. 3. Molina Disp 145. Laymann lib. 4. Tract. 3. cap. 3. num. 2. Less. sup num. 24. § Quòd si in cit. cap. *Quia nec* decernitur Clericos de bonis, quæ intuitu Beneficii perceperunt, *qualia patrimonialia bona* esse videntur, nullum de Jure Testamentum facere posse, intelligi debet de bonis Ecclesiasticis illis, quæ congruæ sustentationi superfluunt, minimè verò *de patrimonialibus bonis*, cùm ista ex Jure ipsis sint debita, consequemerque si ex illis ventri parcentes parcè vivendo aliqua subtrahunt, ex suo subtrahunt, & de illis illud, quod velint, facere poterunt.

33 Ex dictis sequitur primò quòd, si quis Episcopus, vel alius Ecclesiasticum Beneficium habens de aliquibus ex dictis bonis in sui sustentatione insumpserit aliquid, aut in piis aliquibus operibus ex bonis Ecclesiasticis, seu redditibus compensare se potest, totidemque ex illis in eo, quod voluerit, expendere; quoniam jus habet detrahendi ex fructibus Beneficii quidquid congruum est, vel fuerit ad sui decentem sustentationem, & secundùm quod ejus congruit statui, ac etiam expendendi in operibus pijs: poterit ergo omne id, quod ex suis bonis (qualia sunt dicta) in his consumpsit, ex dictis Ecclesiasticis fructibus assumere, sibique recompensare, de illisque pro libitu disponere, aut piè, & etiam profanè Testamentum facere; proinde enim est, ac si id fiat ex propriis bonis patrimonialibus, vel ex industria sua acquisitis, sed hoc intelligi debet, dummodo, cùm id fecerint, recompensandi animum habeant. Legantur *Valasc. de Partition. cap.* 35. *á num* 1. *Salmant. sup. Sanch. sup. Dub.* 38. *num.* 15. *Less. sup. num.* 28. *Bonac. Disp.* 4. *de oblig. insumendi fructus Beneficii, P.* 2. *num.* 5. & cum multis *Amostasus sup. cap.* 9. *num.* 12.

34 Secundò sequitur idmetipsum omnino dicendum esse, si parcè vivendo minus insumant, quàm possunt, putà aliquid subtrahendo ex ventre, ac decenti famulatûs splendore, comedendo parciùs, nonque tot famulos in familia habendo, prout ex jure potest; quia bona sic retervata, sive subtracta, veluti fructus propriæ industriæ se habent. *Fagnan. in cap.* 1. *de Pecul. num.* 23. *Navar. de Reddit. Q.* 1. *Monit.* 30. *num.* 2. *Molina Theolog. Tract.* 2. *Disp.* 147. *num.* 3. *Jurista de Primogen. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 50. quos, & plures alios adducit *Amostasus sup. num.* 10.

35 Sequitur tertiò idem dicendum de distribu-

stributionibus quotidianis, quæ ob assistentiam in choro Canonici alii, & Ecclesiastici lucrantur (quidquid aliqui in contrarium immeritò clament.) Ratio est: quia, licèt distributiones tales ex fructibus Præbendæ, vel Beneficii deducantur, deductæ tamen sunt ab Ecclesia, ut piè expendantur in finem fovendi studium, & assistentiam chori, tanquam merces, ac stipendium illius assistentiæ, curæ, & laboris; quare sicut portio reddituum, quæ ex aliqua Præbenda extrahitur, ut sit merces Cantoris, Magistri Grammaticæ, &c. in ejus liberam dispositionem transit, quoniam in stipendium ejus laboris datur, sic etiam in præsenti; ita cum aliis Salmant. *sup.* num. 140. ubi legendi. Legatur & etiam Cardinal. Tuscus litera D. Conclus. 512 num. 1. Covar. de Testam. in cap. *Cum in officiis* 7. de Testam. num. 14. Moneta de Distribut. 3. P. Q. 1. num. 18. Avendañ. Resp. 19. num. 6. Bonac. de oblig. Benefic. Disp. 4. P. 2. num. 18. Sylveira Opusc 2. Relol. 32. Q. 5. à num. 34. Barbosa de univers. Jure, lib. 3. cap. 17. num. 31. De Lugo de Just. Disp. 4. Sect. 3. à num. 24. Burtatus Cons. 226. Marescotus Variar. lib. 2. cap. 2. num. 11. & Capponi Discept. 125. num. 5.

36 Deinde dicitur de bonis immobilibus Ecclesiæ, ut prædiis, aut mobilibus ad Ecclesiæ usus jam applicatis, non licitè, nec validè Clericos testari posse. Constat ex cap *Relatum* 2. de Testam. legatur Molina tom. 2. Disp. 147. num. 2. & ratio suadet: quia circa has bonorum species Clerici, sive Prior, vel Abbas, sive Beneficiarius nullum dominium habent, sed simplicem tantùm administrationem, seu procurationem; quod idem dicendum de bonis Hospitalium, ac similium, quæ interdum Clerici administrant, & idem de illis, quæ ipsi Ecclesiæ nomine acquisiverunt, aut nomine proprio, sed postea in Ecclesiam per donationem, vel alium titulum transtulerunt. Legatur *Trident. de Reformat. Sess.* 25. *cap.* 1. *Covar. lib.* 3. *Var. cap.* 7. *num.* 5. *Navar. in Apolog. de Reddit. Eccles. Q.* 1. *Monito* 22. *num.* 2. *ac de spoliis Clericor.* §. 6. *num.* 4. Et si de Episcoporum, ac Clericorum spoliis, & luctuosa aliquid scire velis, vide *Amostasum ubi sup. cap.* 14. *à fol.* 368.

SUBLECTIO I.

Quid circa bona purè, ac mere Ecclesiastica?

37 LOquendo de bonis, quæ ex Ecclesiasticis redditibus Episcopis, Canonicis, Parochis, & aliis Præbendatis, dempta sua decenti congruâ pro sua sustentatione, superfluunt, dicitur quòd, attento communi Jure, prædictorum aliquis non licitè, nec valide jure ullo, tam ad profanas, quàm ad pias causas per Testamentum disponere potest, id quod clarissimè constat ex cap. *Quia nos sup. cit. cap. Ad hæc* 8. *de Testam. cap. Cum in officiis* 7. *cap. Relatum* 12. *cap. Unusquisque* 3. *de Pecul. Clericor. cap.* 1. *de succes. ab intest.* multisque aliis, ex multisque Concil. habetur, estque communis sententia, & vera, cum multisque tenet, ac probat *Amostasus sup. cit. cap.* 9. *legendus à num.* 13. *fol. mihi* 334. *Anaclet. tom.* 3. *lib.* 3. *tit.* 26. §. 11. *num.* 329. *fol. mihi* 441. de eoque nos fusè egimus in Schola nostra, breviùsque tetigimus in hoc *Breviar. Tract.* 9. *cap.* 5. *Lect.* 4. *Sublect.* 4. per totam, & *Tract.* 16. *cap.* 2. *Lect.* 3. *Sublect.* 5. *num.* 104. *ac* 105. *& Tract.* 25. *cap.* 2. *Lect* 4. *num.* 43.

38 Cæterùm, licet ex communi Jure id habeatur, resque sit nobis certa, adhuc asseritur consuetudinem introduci posse, ex vi cujus Episcopos, & Clericos de bonis Ecclesiasticis superfluis ad pias causas licitè, ac validè Testamentum condere posse, de factoque hodie posse, ubi de facto talis consuetudo legitimè jam sit introducta, atque præscripta; id quod cum *Molina, Layman, Navar.* & aliis tenet, & probat *Anaclet. sup. legendus num.* 131. *ac* 132. Et sanè, si in vita id facere valent, cur non per Testamentariam dispositionem, vel quare non causâ mortis?

39 Sed acris, gravissimaque inter DD. hinc inde inter se pugnantes est concertatio; an nimirum ex talibus redditibus Ecclesiasticis, qui sibi ex decenti, competentique congrua superfunt, Testamentum ad profana facere queant, pro libituque suo distribuere ea, saltem ex vi consuetudinis? Cæterùm, ut alibi fusiùs vidimus, (& ut ex à nobis dictis locis nuper adductis colligi potest) constat neque licitè, nec validè posse Episcopum, aut aliquem alium Præbendatum de superfluis ex Beneficiorum redditibus Testamentum ad causas profanas condere; neque contra hoc introductam esse quæ teneat, nec ullo modo introduci posse, consuetudinem legitimam aliquam, sed omnem consuetudinem jam introductam, & introducendam omnino irrationabilem esse, veram, propriamque corruptelam Divini Juris, ex quo dicti Præbendati tenentur ea omnia, quæ ex sua decenti, competentique sustentatione superfluunt, pauperibus, aliisque causis piis conferre, ac distribuere, quòdque, si eorum aliquis (id quod Deus avertat) contrarium fecerit, consanguineos putà suos ditando, contra commutativam Justitiam, & cum restitutionis onere mortaliter peccat, teneriquè insuper profanos hæredes sub mortali

tali restituere ea omnia, quæ receperunt. Resolutionem istam (præterquam quod constat ex à nobis datis cit. in locis) tenet cum multis, ac ex multis probat, fundamenta contraria calcans, contundens, & radicitus vellens; *Anaclet. cit.* §. 11. ibi omnino legendus *à num.* 335. *ad* 356. legantur & insuper AA. illi, quos dedimus *tert. hujus Breviar. P. Tract.* 15. *cap.* 2. *Lect.* 3. *num.* 105.

40 Sed ut illis, quæ alibi dedimus, aliquid addamus, & ut hic de re tanta aliquid ponamus, sciaturque quam verum est Episcopos, cæterosque Præbendatos nullum circa res, quæ ex fructibus Beneficiorum suorum decenti congruâ pro sua sustentatione supposita, dominium eos habere.

Audiatur illud, quod in Concil. Trident. Sess. 25. de Reformat. cap. 1. affertur: *Omnino interdicit, nè de redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, nè res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant.* Cum quo

Concordat Can. *Est probanda* 16. Dist. 86. ubi sic legitur: *Non tamen ut ditiores eò fieri velint, quod tu posses inopibus conferre. Neque enim propterea te Domino dedicasti, ut tuos divites facias. Putant se parum posse? Pretium tuum quærunt; vitæ tuæ fructum adimere contendunt, & accusant, quòd eos divites non facias; cùm te illi velint æternæ vitæ fraudare mercede.*

Concordant cap. *Si privatum* 28. Caus. 12. Q. 1 ubi sic habemus: *Si privatum possidemus, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem, nobis usurpatione damnabili vendicamus.* ¶ Can. Episcopus 23. cit. Caus. 12. Q. 1. ubi legendum. ¶ Item Can. Quia 59. Caus. 12. Q. 1. ibi: *Quia juxta Sanctorum Patrum traditionem novimus res Ecclesiæ vota esse Fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.* ¶ Item Dist. 42. in Rubr. ibi: *Aliena rapere convincitur qui ultra necessaria* (de Clericis sermo) *sibi retinere probatur.* ¶ Item Can. 1. Caus. 12. Q. 1. ibi: *Qui Christi pecunias, & Ecclesiæ aufert, fraudat, & rapit.* ¶ Item cap. fin. Cod. de Testam. ibi: *Si quis sanè Clericorum agellos, vel vincula in terra Ecclesiæ sibi feciſſe probabitur, sustinendæ vitæ causa usque ad diem obitûs sui possideat, nec testamento, aut successorio jure cuiquam hæredum, proheredemve relinquat.* ¶ Item Can. Apostolicos 13. Caus. 12. Q. 2. ibi: *Redditus Ecclesiasticos ad Ministrorum propriam utilitatem,* (sustentationem scilicet honestam,) *& ob escam pauperum, & peregrinorum sustentationem esse.* Pro quo facit illud Sancti Urbani in Breviario Romano 25. Maii habitum ibi: *Ipsæ res Fidelium, quæ Domino offeruntur,* (suntque hæ Beneficiorum redditus) *non debent in alios usus, quàm in Ecclesiasticos, & Christianorum fratrum, vel indigentium converti,* cujus ea datur ad intentum nostrum ratio: *quia vota sunt Fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum.* Et ex patrimonio non tuo, sed aliorum nemo testari, aut aliter disponere potest, neque in contrarium consuetudo aliqua prævalere potest contra voluntatem domini.

41 Audiatur insuper Divus Bernardus, qui ad Henricum Archiepiscopum Senonensem scribens, & suadens, nè Ecclesiastici redditus inſumantur in vanitatibus, &c. pauperum nomine sequentia inter alia profert: *Nestrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis.* Et Serm. 23. in Cant. ita exclamat: *Timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, & stipendiis, quæ sufficere debent, minimè contenti superflua, quibus egeni sustentari valent, impiè, & sacrilegè retinent, & in usus suæ superbiæ victum pauperum consumere non verentur, duplici profectò* (contempta, rumpaque verba paulatim) *iniquitate peccant, quòd aliena diripiunt, & in suis vanitatibus abutuntur.*

Et idem Sanctissimus Doctor *Serm.* 77. *in Cantic.* de Episcopis, non vere Pastoribus, sed mercenariis, lupis, & vulpibus, Domini devastantibus vineam, ita conquerebatur, & ita dicebat: *Intuere Episcopos, quomodo incedunt nitidi, & ornati, circumamicti varietatibus. Unde verò hanc illis exuberare existimas, vestium splendorem, mensarum luxuriem, congeriem vasorum aureorum, & argenteorum, nili de bonis sponsæ? Inde est quòd illa pauper, & inops, & nuda relinquitur facie miseranda, inculta, hispedis, exanguis. Propter hoc non est hoc tempore* (quid tempore ipse diceret, si viveret, nostro) *ornare sponsam, sed spoliare; non est custodire, sed perdere; non est defendere, sed exponere; non est instituere, sed prostituere; non est pascere gregem, sed macllare, & devorare, dicente illis Domino: Qui devorant plebem meam, ut cibum panis, & quia comederunt Jacob, & locum ejus desolaverunt; peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam solicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero præpositorum, qui non plus invigilet, subditorum vacuandis marsupiis, quam vitiis extirpandis? Sanctorum sortiti sunt ministerii locum, sed non zelum; successores omnes cupiunt esse, imitatores pauci. O utinam tam vigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currum ad cathedram, &c.* Hæc ibi (& alibi proficua, lapida, & pulcherrima plurima) quæ quidem à Doctore tanto, non ad aera fuerunt prolata, neque ut Præbendati post tergum projicerent ea. Ex quibus manifestè patet quòd res ex redditibus Beneficiorum alienæ sunt, & non Episcoporum, Parochorum,

rum, & Beneficiatorum, aliàs, in casu, uno tantùm, non autem duplici peccato peccarent, neque quod *aliena diripiunt* bene, sed potiùs malè diceretur, id quod dicere absit.

Audiatur Div. Augustin. Epist. 50. ad Bonifac. Comit. ibi: *Si privatim possidemus quæ nobis sufficiunt, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus.* Et iterum Serm. 219. de tempore ibi: *Quidquid, excepto victu, & vestitu rationabili, superfuerit, non luxuriæ reservetur, sed in thesauro cœlesti per eleemosynam reponatur, quod si non facimus, res alienas invasimus*: si ergo *res alienas* non nostras, neque super illas dominium ullum habemus. Legatur idem Sanctissimus Doctor Serm. 3. ad Tract. in Jerem.

Audiatur tandem Præceptor Angelicus (missis plurimorum aliorum Sanctorum testimoniis variis brevitatis causâ) Quodlibet. 6. Art. 12. in corp. ibi: *Bonorum vero Ecclesiasticorum Clerici non sunt verè domini, sed dispensatores secundùm illud Ep. 1. ad Cor. cap. 9. num. 17. Dispensatio mihi credita est, pertinet autem ad dispensatorem, ut fideliter distribuat ea, quæ ejus dispensationi committuntur, secundum illud Ep. 1. ad Cor. cap. 4. num. 2. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. In his ergo potest dupliciter peccatum contingere, uno modo ex conditione ipsius rei, dum scilicet usurpat sibi quasi rem propriam, & in usus suos convertit quod esset aliis erogandum, &c.* Hæc ibi.

42 His omnibus oculis sanis, nonque lypis, non carni, & sanguini, sed solo Deo fixis per Reverendissimos Præbendatos nostros viris, attentè, sedulóque meditatis, pecuniæque fame de cordis medio sublata, videant, & considerent illico an Beneficiorum reddituum, qui ex competenti, decentique sua sustentatione superfluunt, veri sint dómini, an ex illis ad profana Testamentum condere possint, &c. dum nos sequentium Doctorum in verba eorum injicimus oculos.

43 Vasques enim Opusc. de Eleemos. cap. 4. num. 12. probare volens obligationem Clericorum Beneficia, vel Præbendas habentium, erogandi Ecclesiastica bona superflua in causis piis, non ex humano, sed ex Divino, naturalique Jure descendere, tanquam à fonte; & origine primo, consequenterque consuetudinem aliquam, quæ licita, & valida sit, pura nonque sit corruptela, inter alia sic profert: *Nullum legi, qui assereret Jure tantùm humano ad id teneri, cui per consuetudinem derogari possit, sed omnes asserunt ad hoc Clericos teneri Jure Divino, & naturali.* Et

Ad idem intentum sapientissimus Petrus à Soto in Tract. de vita Sacerdotum, initio, ibi: *Constat ex decursu totius Ecclesiæ ab Apostolis, & ipso Jure Divino, omnia bona* (superflua) *pauperum esse, nec ulla ratione, aut potestate humana posse in alios usus transferri, quam Ecclesiastico. rum, & pauperum, & contrarium credimus errorem gravissimum, saltem contra bonos mores, & justitiam, quid ni etiam contra Scripturam.* ¶ Archidiaconus celebris Canonista in cap. Statutum, §. *Assessorum de Rescript. in 6.* ausus est dicere *contrariam opinionem esse Juris hæresim.* ¶ Paulus autem Commitol. de re hac loquens dixit *contrariam opinionem esse novam, ac periculosam, post mille & quingentos annos in Christi Ecclesia invectam*, & alii consimilia alia dixerunt, à quibus censuris nos abstinemus.

Dictam tamen obligationem de naturali, Divinoque Jure esse, pulchra, & longissima DD. congeries habet, inter quos nuper adductos Layman lib. 4. Tract. 2. cap. 3. Molina Disp 147. num. 31. Tamner. tom. 3. Disp 4. de Just. Sanch. in Consil. lib 2. cap. 2. Dub. 38. omnes Sancti Patres sup. enumerati, & iterum Div. August. Serm. 37. ad Fratres, Sanct. Bernard. Epistol. 2. & in Declamat. sup. Matth. cap. 19. ad illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, Div. Hieron. ad Hac, cap. 3. Consil. Mariconens. 2. Can. 2. Meldens. Can. 65. cap. Episcopus 23. 12. Q. 1. L. Jubemus 10. Cod. de Sacros. Eccles. sunt & multi alii.

SUBLECTIO II.

Prosequitur materia præcedens dubiola aliqua trahendo ad chartam.

44 EX dictis constat nullum Præbendatum Clericum testari posse ad profanas causas de Beneficiorum fructibus, qui ex sua decenti, & competenti sustentatione superiunt, sed sub mortali teneri omne id, quod superest, pauperibus distribuere, ac operibus aliis piis conferre; pro quo ultra dicta veniunt legendi Sarmiento de Reddit. 2. P. cap. 1. num. 1. Molina de Just. Tract 2. Disp. 144. Rubeus Pract. in Prælud. num. 536. Sapientiss. N. Sylveyra Opusc. 2. Resol. 22. Q. 2. num. 10 Less. de Just. lib 2. cap. Dub 6. à num. 41. Layman in Sum. lib. 4. Tract. 2. cap. 3. Palaus tom. 1. Tract. 6. Disp. 2. P. 5. num. 6. Abbas in cap. *Cum esses* de Testam. num. 39. Navar. de Reddit. Q. 1. Monit. 14. num. 4. de Lugo de Just. Disp. 4. Sect. 1. num. 1. Escobar de Ratioc. cap. 34. num. 12. Avendañ. Reponf. 19. à num. 1. Felin. in cap. *Pastoral.* de Rescript. num. 6. Thom Hurtad. de Congrua, lib. 1. Resol. 1. per totam.

45 Rogabis primò quinam sint, & dicantur usus profani, in quibus Præbendati Beneficiorum

ficiorum redditus congruam supra excedentes expendere nequeunt, ac quinam sint usus pii, in quibus expendi possunt, & debent? Ad primum respondet *Amostasus* cum aliis *cit. lib. 8. cap. 1. num. 26.* dicens quod profani usus sunt excessus in cibis, supellectili, aut ornamentis domûs, ac personæ extra modestiam, & honestatem Ecclesiasticam, ac si fuerit Monachus extra monasticam, tum liberalitates excessivas erga Principes, Magnates, aut personas divites; quidquid expenditur in luxibus, venationibus, canibus, equis, curribus, & nimia familia, ac ejus splendore cum multo famulatu, & pretiosis vestibus ::: quidquid expenditur in ditandis consanguineis, vel extraneis; ac tandem quidquid prium non fuerit, profanum esse censendum respectu bonorum Ecclesiasticorum. Hæc ipse *ex Sanch. Lugo Rom. Hurtad. & sapientissimo, ac Illustrissimo D.D. Petr. á Tapia, ex religiosissima, semperque doctissima Prædicatorum Familia.* Pro quo etiam legatur *Concil. Trident. Sess. 25. de Reformat. cap. 1. & Div. Bernard. scribens ad Henricum Archiepiscopum Senonensem, ac Serm. 23. in Cant.* ¶ Quo ad secundum autem vide eundem *Amostasum lib. 1. cap. 1. & 2.* ubi reperies quid sit causa pia, ac usus pius. Vide & etiam *sup. Tract. 28. cap. 2. Lectione 3. Sublect. 2. ac in hoc Tract. cap. 2. Lectione 1.*

46 Secundó rogabis quid intelligatur pro decenti, competentique congrua, sive quid eam subintret? Dicitur quòd intelligitur, includitur, & subintrat omne id, quo Clericus indiget ad sui, suæque simul familiæ naturalem sustentationem honestam, decentem, ac non pompaticam, sed solùm secundùm decentiam statûs, habita ratione personæ, habitoque respectu ad tempus, quo Beneficii in possessionem Præbendatus fuit ingressus; pro quo legatur *Rota 1. P. divers. Decis. 420. num. 4. Mantica Decis. 22. num. 1. Rebuffus de Congrua, num. 92. Barbos. in cap. de Monachis 12. de Præbend. num. 6. ac Valasc. de Privil. pauper. 1. P. Q. 12. á num. 24.* id omne, quod dictum est, sustentatione præcisè naturali attenta. Si tamen hæc, conjunctimque simul attendatur personæ status, conditio, nobilitas, literatura, &c. dicta congrua suam latitudinem recipit. Sicque

47 Dicitur quòd in hoc universalis una, firma, fixa regula statui & dari non potest, cùm non reddituum quantitas, nec Clericorum omnium status, conditio, ac dignitas, nec indigentia statûs cujusque sint semper, & in omnibus æquales, secundùm proportionem personæ ad redditus; unde id relinquendum erit ad arbitrium boni, ac prudentis viri, consuetudinique Clericorum, non quidem laxatorum, (vulgò *de manga, ou conscientia larga*) sed conscientiæ piæ, & timoratæ, ac quorum vita, & consuetudines apud omnes, vel ferè omnes bene oleant, sint vel bene probatæ.

48 Illud tamen statui generaliter valet, nimirum nobilitatem, literaturam, ac ejusmodi dotes egregias considerari debere ad Clerico congruam ampliorem pro sui, suæque familiæ sustentatione arbitrandum ita, ut omne id, quod ad hos prudenter necessarium judicabitur, ex Beneficii fructibus extrahere licitè, & validè possit, cæteris necessariò ad eleemosynas, & ad alia pia manentibus. Ratio est: quia ipsa etiam Jura concedunt nobilioribus viris, ac literatis potiùs, quàm viris vulgaribus plus, & ut plura Beneficia habeant per ordinem ad sui, suæque familiæ honestam, ac decentem sustentationem. ¶ Et hinc Episcopus plùs potest (Concilii tamen Trident. semper loco sup. cit. determinatione servata) in familiam suam, ostentationem, ac splendorem insumere ex Beneficii, vel Episcopatûs redditibus, quàm ex redditibus Beneficii sui potest Decanus, & hic plus, quàm Canonicus particularis, ac idem de aliis Ecclesiastica cum fructibus Beneficia habentibus ita, quód qui digniore Beneficio confungitur, amplius in sui statûs sustentatione insumere valet. Item quò Clericus nobilior, & doctior fuerit, eó ex redditibus plura assignanda sunt illi pro honesta, ac decenti sustentatione; quia personæ hæ ratione suæ nobilitatis, & doctrinæ, sive literaturæ plus aliis Ecclesiæ prosunt, ceditque in splendorem, ac authoritatem Ecclesiæ Sanctæ, nobiles, & doctos Ministros habere. Circa hæc legantur Coninch. Disp. 27. de Charit. Dub. 11. num. 177. ac 194. Palaus tom. 1. Tract. 6. de Charit. Disp. 2. P. 5. num. 8. & 10. Less. lib. 2. cap. 4. Dub. 6. num. 40. Lugo Disp. 4 Sect. 4. num. 53. Navar. in Apolog. de Reddit. Eccles. Q. 1. Monit. 78. num. 3. Salmant. sup. num. 148. Sylveyra Opusc. 2. Resol. 32. Q. 2. num. 19. Illustriss. semper piissimus, ac doctissimus Tapia lib. 3. Q. 5. Art. 8. §. 6. Rota apud Seraphin. 1. P. Decis. 173. num. 1. Gloss. in cap. *Conquerente* 6 de Cleric. non resident. verb. sufficientia, & Thom. Hurtad de Congrua, tom. 1. lib. 2. Resol. 1. à Sect. 6.

49 In ipsam ac etiam congruam, & decentiam statûs intrat, clauditur, ac imbibitur quód Clericus habeat unde, (semper tamen decenter, & honestè, nunquam autem pompaticè) Beneficii qualitate attenta, hospites excipiat quando id charitas, ac humanitas postulat, moderata quandoque convivia amicis, & consanguineis exhibeat, & aliqua ad eos munuscula mittat, ut beneficia, sive obse-

quia sibi præstita moderatè remuneret. ¶ Item quòd aliquas donationes moderatas liberales faciat, tum ad conciliandos animos, tum ad benevolentiam suam ostendendam, similiaque facere, quæ honestam, ac laudabilem politicam sapiant. ¶ Item quod parentibus, & consanguineis aliquid donare valeat ita, ut honestè, ac decenter vivere possint, ut scilicet dedecus non sit Præbendato Beneficiario, vel Episcopo eos habere propinquos, vel consanguineos. Pro quibus legantur *Covar. in cap. Cùm in officiis de Testam. num. 2. Fagund. lib. 6. cap. 2. num. 15. Becan. de Just. cap. 3. num. 7. Palaus tom. 1. Tract. 6. Disp. 2. P. 5. num. 9. Lugo ubi sup. Molina de Just. Tract. 2. Disp. 145. Sanch. in Consil. lib. 2. cap. 2. Dub. 42. Bonac. de oblig. Sacerd. Disp. 14. P. 2. Propos. 3. num. 7. Hurtad. sup. Resol. 5. num. 10. Navar. sup. Monit. 77. num. 4. Tolet. in Sum. lib. 7. cap. 37. n. 1. Valasc. de Privil. pauper. 1. P. Q. 4. num. 35. & Garcia in Sum. Tract. 1. Diffic. 4. Dub. 2. num. 9.*

50 Item & etiam illegitimos filios naturales, ac etiam spurios, siquos Præbendatus habuerit, non solùm infantes, sed etiam adultos, & pro toto tempore, quo indiguerint, ex Beneficii redditibus (maximè si naturalis, vel spurius pater aliunde dives non sit, nec Patrimonium habeat) alere potest, ac debet, nanque, delicto supposito, ex Jure naturæ talibus filiis à patre alimenta sunt debita, & ideo, qualitate filiorum attenta, ac juxta Beneficii qualitatem, magis, vel minus illis tribuere potest, maioremque dotem poterit Sacerdos dives, & nobilis filiæ spuriæ assignare, quàm pauper, conditionisque infimæ; non tamen poterit tantam dotem pro filia spuria, quàm pro legitima ex legitimo matrimonio habita assignare, neque etiam ullus ex patribus dictis poterit tantum ex Beneficii fructibus donare, quantum ex patrimonialibus bonis filia dotanda esset. *Filinc. Tract. 43. cap. 4. num. 36. ac 37. Bonac. Tract. 4. Disp. 4. P. 2. num. 16. & 17. loco cit.* multique alii *apud cit. Fagund. num. 18.* ¶ Tu autem, si multa alia scire velis, quæ patres de Beneficiorum fructibus facere possint, vel de bonis aliis circa filios naturales, ac spurios, tam inter vivos, quàm causâ mortis, vel per voluntatem ultimam, vide Amostatum tom. 2. lib. 8. cap. 11. & 12 & aliquid de hoc reperies juxta Jus Lusitanum in Ordinar. Pro quo vide in Repertor. verb. *Spurius*, ac verb. *Filho*, num. 2. & num. 6. 7. ac 8. & ibi alus in numeris; legantur ac ea, quæ dedimus Tract. 18. Lect 3. & 4.

51 Rogabis tertiò. Supposito eo, quod est verum, scilicet omne id, quod ex competenti, decenti, honestaque congrua Præbendatis ex Beneficiorum fructibus superfluit, inter pauperes, & alia opera pia distribui necessario debere, quis nam in hoc ordo servandus erit? Adhoc responsionem ex multis aliis AA. ab eo adductis *apud Amostatum cit. lib. 8. cap. 1. à num. 27. ad 32.* habes, quem si legeris, reperies aliquos dixisse quòd quando distributio inter pauperes fieri debet, facienda est inter pauperes ejusdem Episcopatûs, si ab Episcopo fiat, ac inter pauperes ejusdem Parochiæ, si fiat à Parocho; alios verò dixisse inter quoscunque pauperes indiscriminatim fieri debere, vel posse, sint, vel non ejusdem Episcopatûs, sive ejusdem, vel non Parochiæ, sintque exteri, & advenæ.

52 Ipse verò Amostatus ex aliis resolvit quòd, si pauperes Diœcesani, vel Parochiani in extrema, vel gravi necessitate sint constituti, præferendi sunt quibuslibet aliis; si autem positi non sint in necessitate tali, tunc tam inter ipsos, quàm inter extraneos distributionem fieri optimè posse; quòd si propria Ecclesia reparatione, vel ornamentis indigeat, sive ad Hospitale Parochianorum aliquid sit necessarium, tunc pauperibus exteris ex Beneficii redditibus nihil est dandum. ¶ Item quòd, si in territorio Episcopatûs, aut Parochiæ consanguinei, vel amici pauperes adsint, cæteris isti sunt præferendi, ita tamen taliter, quòd non ditentur, sed tantùm ut eorum necessitatibus subveniatur. Addit ibid. & alia, ac ideo legendus; quem etiam legere debes *ibid. cap. 4. à num. 47. ad 58.* si scire cupis an Præbendatus, quando nulla bona patrimonialia habet, ex quibus debita ab eo contracta solvere possit, valeat ea ex Beneficii, vel Præbendæ redditibus solvere?

LECTIO IV.

De Testamentis Religiosorum solenniter professorum, ac de Testamentis Novitiorum.

53 CUm prius sit esse Novitium, quàm professum, à Novitiis prius incipienda Lectio venit. Dicitur ergo primò quòd ille, qui Religionem approbatam aliquam ingredi intendit, in eaque solenniter profiteri, potest absque licentia Episcopi, aut alterius Testamentum (sicut quilibet alius, qui tale intentum non habet) validè, & licitè condere de rebus illis, quarum dominium liberum, & absolutum, nonque Jure ab aliquo impeditum, habet. Est communis, ac vera, expressèque constat ex Novella 5. cap. 5 ibi: *Illud quòque decernimus, qui Monasterium introire voluerit, antequam Monasterium ingrediatur, licentiam habere suis uti quomodo voluerit.* Si igitur

quomodo

quomodo voluerit suis uti potest, vel ad id licentiam habet, utique Testamentum licitè, & validè condere potest; constat & ex Juribus aliis. Et hinc

54 Clarè devincitur validum Testamentum esse (ac idem de donatione causâ mortis, vel causâ Professionis) in seculo factum ab illis, qui de Religionis ingressu cogitant, causâque talis ingressûs tale Testamentum, donationem vel condunt, id est, *sub conditione si Professionem faciam.* Ratio est: nam, cùm tale Testamentum, & donationes usque ad Professionis tempus sint revocabiles, facientique nulla inducatur coactio, non apparet ratio, cur non sint validæ. Et ita cum multis *Fagund. de Contract. lib. 1. cap 19. num. 12.* ibi adnotans id procedere etiam in donatione causâ mortis, quæ incipit à traditione, quia quanvis dominium rei per traditionem eam in donatarium transeat, tot tamen modis revocabile transit, quot modis revocari potest ipsa donatio in vita donantis; tenet etiam Molina tom. 2. de Just. Disp. 287. & alii (contrarium tamen tenet Sylvester verb. *Donatio* 4. num. 3. ac Gloss. in *L. Legatum* de legat. 2.) Legatur Barbosa locis infra adducendis, & Diana ubi infra Resol. 77. fol. mihi 351. ac ibid. Resol. 78.

55 Alienatio verò illa, sicut & donatio, aut renuntiatio irrevocabiliter facta ab eo, qui adhuc in seculo est, nonque dum est Religionem ingressus, illamque tamen facit contemplatione prædicti ingressûs, valida est, juxta *Veyga lib. 2. Casu* 464. sed juxta alios, ac bene, omnino invalida, quia non minus tunc Novitii cogerentur Professionem emittere, quàm si in Novitiatu irrevocabiliter disponerent; id quod à Concil. Trident. Sess. 25. de Reformat. cap. 26. vetatur, certèque eo pacto prohibitio Concil. illuderetur, ut consideranti patebit. ¶ Sed, si illa renuntiatio, donatio, alienatio in seculo irrevocabiliter facta fiat sine contemplatione, & sine intuitu, & animo ingressûs præfati, valida erit, nonque comprehensa in Trident. Decreto, aliàs eo ipso, quòd quis Religionem aliquam ingrederetur, multi contractus facti ab illis, qui Religionem ingrediuntur, rescinderentur, quod dicere vanum, ac ridiculum extat. Legantur Molina sup §. *Ambiget rursus*, Sanch. lib. 7. Decal. cap. 5. num. 2. Valasc. de Partit. cap. 16. num. 22. & 23. & præcipuè Fagund. cit. in cap. ac Barbosa, & Diana cit.

56 Secundo dicitur (de illis loquendo, qui jam de facto Novitii sunt facti) Novitios cujuscunque Religionis Testamentum licitè, ac validè condere posse absque licentia Episcopi, & cujuslibet alterius Superioris, quia adhuc sui juris sunt, velle, ac nolle habent, suorumque bonorum verè sunt dòmini, cum liberaque potestate deferendi habitum, & mutandi propositum, revocandique Testamentum factum, ut de se patet. Resolutio hæc constat expressè ex Authent. *Nunc autem*, Cod. de Episcop. & Cleric. Authent. de Monach. § *Illud quidem*, & Can. *Si qua mulier* 19 Q. 3 docentque Covar. de Testam. cap. 2. num 5. Jul. Clar. §. *Testamentum*, Q. 27. num. 2. Molina Disp. 139. num. 8 cum quibus, ac Pirhing. Anacletus tom. 3. lib. 3. tit. 26. §. 11. n. 361. fol. mihi 445. pro quo facit & etiam doctrina Coordinat. multos pro se adducentis Dianæ tom. 6. Tract. 27 Resol. 23. fol. mihi 30.

57 Neque contra datam resolutionem aliquid obstare videtur Concil. Trident (vel aliquod aliud) Decretum Sess. 25 de Regul. cap. 16. ubi ita decernitur: *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ pie valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses, proximos ante Professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi sequuta Professione, aliter vero facta, etiam si cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, ac nullius effectus.* ¶ Non inquam id aliquid obstat, nam nomine dictæ renuntiationis, aut obligationis solùm comprehenduntur contractus lucrativi, onerosi, & hujusmodi, minimè verò Testamentum, Codicilli, donationes causâ mortis, neque donationes remuneratoriæ, &c. prout cum aliis tenet, & docet Anacletus ubi proximè num. 362. Diana dicta Resol. 23. ferèque cum innumeris Barbosa in Collect. ad Concil. Trident. cit. in loco, ubi omnino legendus, maximè à num. 2. ad 14. ac iterum ad id cap. ejusdem Concil. in declarat. Cardinal. tomo edito Antuerpiæ apud Joannem Meursium anno Domini 1644. ubi inter alia ita legimus: *Congregatio Concilii censuit Decretum cap. 16. in principio non vendicare sibi locum in Testamentis, atque aliis ultimis voluntatibus.* Legatur utrobique Barbosa, legatur etiam Diana Coord. tom. 7. Tract. 1. Resol. 167. §. *Non tamen*, legantur & Salmant. tom. 3. Tract. 14. cap 5. P. 4. num 40.

58 Quærit hîc primò Anacletus sup. num 364. an Testamenta ante ingressum, vel post ingressum, sed ante Professionem tempore Novitiatûs facta, post Professionem subsistant, vel potiùs per eam, utpote mortem civilem inducentem rumpantur, ac invalidentur ita, ut deinde, vel ipsum Monasterium bonorum capax, aut hæredes ab intestato succedant, casu, quo testator Religionem temporalium incapacem profitentur? Ita quærit ipse, & ita resolvit dicendo: *Respondetur Testamentum minimè invalidari, sed omnino etiam sequutâ*

Profeſſione ſubſiſtere, hac tamen cum differentia, quod, ſi teſtator Religionem omnis dominii etiam in communi incapacem (qualis eſt Seraphicus Ordo noſter) profiteatur, hæreditas illico tranſeat ad hæredes inſtitutos; ſi verò Religionem bonorum temporalium capacem ingrediatur, Monaſterium interim frui poſſit bonis teſtatoris uſque ad ejus mortem, qua ſequuta, hæreditas ad hæredem inſtitutum tranſeat. Hæc ipſe ibi, proſeque citat Sanch. de Matrim. lib. 6 Diſp. 17. num. 9. Molinam Diſp. 140 num. 4. Covar de Teſtam. cap. 2. à num. 7. Abbatem Zoeſium, Layman, & Jul. Clar. dicitque *id commune eſſe aliorum.* Legantur Salmant. tom. 4. Tract 15. cap. 3. P. 7. num. 10. per totum.

59 Secundò quærit an, ſi Novitio exiſtente in periculo, vel articulo mortis, ac ipſo Profeſſionem volente, probationis anno non dum expleto, ſolennis Profeſſio detur, eaque ab eo facta, ab hac vita inteſtatus decedat, in bonis ejus Monaſterium ſuccedat? Supponit quæſitum id, quod eſt verum, ſæpeque numero mandatum eſt praxi, nimirum Novitio in dicto periculo, vel articulo mortis ante annum probationis expletum, quolibet tempore intra dictum annum, Profeſſionem ſolennem licitè, & validè conferri poſſe, uti cum multis docet Diana citandus, apud quem variant DD. an, ſi, Profeſſione emiſſa, talis Novitius ab ea infirmitate evaſerit, Novitiatûs annum continuare teneatur, iterumque novam Profeſſionem emittere, vel jam factam renovare? Quo ita ſcitò, ad quæſitum

60 Reſpondet ex multis omnino legendus *Coordinatus Diana tom. 7. Tract. 1. Reſol. 160. ad 162.* ac dicit quòd, ſi tunc, caſus, Profeſſione emiſſa inteſtatus moriatur Novitius, in omnibus ejus bonis ſuccedit Monaſterium, & probat: quia, licèt conceſſionis finis ad ſic tunc profitendum Novitii ſit conſolatio, ipſiuſque fructus ſpiritualis, Profeſſione tamen virtute illius conceſſionis, vel privilegii ſemel emiſſa, verè profeſſus in poſterum redditur, ita ut, ſi ſit ad priſtinam ſanitatem reſtitutus, nova alia non indigeat Profeſſione, ſed omnibus cæterorum profeſſorum privilegiis fruetur; conſtat autem quòd Monaſterium ſuccedit (ſi ſucceſſionis eſt capax) in omnibus bonis cujuſcunque perſonæ in tali Religione ſolenniter profeſſæ: ergo, &c. pro ſeque citat *Sanch. in Sum. tom. 2. lib. 5. cap. 4. num. 16. Megala, Zanard. Peyrin. Joan. Suar. & Fauſtum*; notatque quòd ut Profeſſio ei concedatur, debet decimum ſextum ætatis annum completum habere. Legantur *Salmant. tom. 4. Tract. 15. cap. 3. P. 2. num. 31. ac 32.*

61 Quærit tertiò an Novitius (vel quilibet alius Clericus) Teſtamentum condere valeat, ſolennitatibus non Juris Civilis, ſed Juris Eccleſiaſtici tantùm ſervatis, juxta cap. *Cum eſſes de Teſtam.* de quo jam ſuprà? Affirmative reſpondent Archarran. Suar. Tapia, Molina, Azor, & Sanches, teſte Diana Coordinat. tom. 7. Tract. 1. Reſol. 167. id quod apud eundem Dianam §. 1. & ipſe id etiam probabile ſentit, quatenus ibid. §. *His tamen* ſequentia dicit: *His tamen non obſtantibus, nota quòd hæres alicujus Novitii, vel Clerici ex Teſtamento confecto ab ipſis ſine forma Juris Civilis, poteſt in conſcientia hæreditatem adire, & poſſidere, ſtante probabilitate opinionis aſſerentis, ut ſup. viſum eſt, Novitios, & Clericos poſſe teſtari abſque ſolemnitate requiſita à Jure Civili, licèt ego, ut dixi, contrariam teneam*; ac ſi ibid. legeris Dianam aliquid reperies circa Teſtamenta facta, vel facienda à Societatis Novitiis, an nimirum, ſi poſtquam annum Novitiatûs tria ſubſtantialia vota emiſerunt, ſine ſui Superioris licentia Teſtamentum condant, tale Teſtamentum teneat? Et circa prim. legantur *Salmant. ſup. cap. 7. num. 96.*

62 Quartò quærit, an Novitius etiam Patrum Minorum, & Capucinorum poſſit in ſuo Teſtamento reſervare electionem puellarum, quibus ſuus hæres certam pecuniarum ſummam quotannis ſolvere debet? ¶ Quintò nunquid licitum ſit Religioſo Teſtamentum ſuum ante Profeſſionem factum declarare? ¶ Sextò an, ſi Novitius extra Conventum apud ſuos conſanguineos, vel apud alios moriatur, & in Monaſterio ſuorum Religioſorum ſepeliatur, Parocho, ſub cujus Parochia mortuus eſt, quarta funeralis debeatur?

63 Ad hæc omnia reſpondet cum aliis cit. Diana ad quart. quidem tom. 6. Tract. 9. Reſol. 15. ac tom 7. Tract. 1. Reſol. 168. affirmativè; quòdque dicta electio, vel nominatio puellarum fieri debet, Superioris licentiâ habita. Ad quint. etiam affirmativè reſpondet dicto tom. 7. Tract. 1. Reſol. 169. quia in tali caſu Religioſus nihil diſponit, ſed id, quod in præteritum à ſe jam fuit actum, ſolùm oſtendit. Ad ſext. negativè reſpondet eod. tom. 7. ac Tract. 1 Reſol. 238. §. *Notandum eſt etiam hìc*, quoniam Novitius talis Parochianus non dicitur, cùm in tali Parochia domicilium non habeat, ſed in ſuo Conventu, in quo Novitius extat. Et circa prim. legantur *Salmant. ſup. P. 7. num. 99.* legatur etiam *in 5. Part. hujus Breviar. Tract. 32. cap. 2. Lect. 9.*

SUB-

SUBLECTIO.

Circa Testamenta Religiosorum solenniter jam professorum.

64 Licèt ad id, de quo in Sublect. hac agitur, ex dictis Tr. de Dominio, & Paupertate religiosa, de quibus suis propriis in locis jam à nobis est actum, constet, constare vel possit, de eo tamen placet hîc aliquid dare.

65 Dicitur ergo (de omnibus Religiosis solenniter professis in universum loquendo à supremo usque ad infimum) omnes, & singulos Religiosos solenniter professos esse omnino incapaces testandi, codicillandi, ac donandi causâ mortis, etiam ad pias causas, consequenterque de nullis temporalibus bonis ullo modo licitè, & validè per Testamentum, aut Codicillum, vel donationem causâ mortis disponere posse, (nisi fortè ad id Pontificis Summi facultas, dispensatio vel adsit) constat enim id *ex Authent. Ingressi, Authent. Si qua mulier, Cod. de Sacrosc. Eccles. Authent. de Monachis* §. *De illis, cap. Quia ingredientibus* 1. 19. *Q.* 3. Et ratio est clara: quia juxta cap. *Non dicatis* 12. Q. 1 & cit. Authent. *Ingressi* Religiosi post Professionem mortui censentur, nec proprium habent, neque velle, nec nolle, sed sine *velle*. Item sine re propria nemo de re aliqua disponere potest, ac multò minus postquam jam est mortuus, ut de se constat: ergo, &c. Est vera, communis, & omnium. Legantur Barbosa in Collectam ad cap. 2. de Testam. ac in Authent. *Ingressi*, Cod. de Sacrosc. Eccles. Covar. cap. 2. de Testam. num. 6. Jul. Clar. §. *Testam.* Q. 28. & Gonzal. in cap. de Testam. num. 14. ac 17.

66 Sed excipitur casus, in quo pater filios habens, Professionem emisit, antequam inter filios suos de bonis suis disponeret, & inter eos hæreditatem divideret, in hoc enim casu dicitur quòd pater facultatem distribuendi bona inter filios habet, quæ distributio quoddam Testamentum esse videtur, ut Barthol. adnotat, cùm sit ultima voluntas, per mortemque civilem confirmetur, & hic casus, sive exceptio habetur *in Authenth. Si qua mater, Cod. de Sacrosc. Eccles. ac in Authent. de Sanctissim. Episcopis Collat. 9. tit. 15. cap* 38. *& in Authent. Nunc autem, Cod. de Episcop. & Cleric.* fuitque à Gregor. Papa in quadam Epistol. hæc Lex approbata, & usu, ac consuetudine recepta juxta *Suar. tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 16. *Lugo de Just. tom.* 1. *Disp.* 3. *Sect.* 6. *num.* 120. *Fagund. de Translat. dominii, lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 7. *ac Dicastill. lib.* 2. *Tract.* 19. *Disp.* 1. *Dub.* 13. *n.* 179. ¶ Et in dicto casu tenetur pater legitimam portionem necessario filiis tribuere, quin eam in aliquo minuere possit, & cætera bona, quæ restant, etiam inter ipsos filios dividere poterit, modò Monasterium inter filios etiam enumeret. Imò poterit unum ex illis, quem ipse maluerit, meliorare in tertia parte, cæteris que filiis in ea præferre ita, ut partem etiam proportionatam sibi pro Monasterio retineat: Et est ratio: quia id nullo prohibetur in Jure, ac in prædicta Authent. *Si qua mulier* conceditur patri, ut post legitimas portiones, quas tenetur reddere filiis, possit inter eos reliquam dividere partem, uti constat verbis ex illis: *Liceat ei post ea inter eos dividere, legitimâ non diminuta, & quod eis non dederit, Monasterio competat.*

67 Consultò dictum est sup. *Nisi fortè ad id Pontificis Summi facultas, dispensatio vel adsit*; nam quemlibet Religiosum solenniter professum ex facultate Summi Pontificis testamentariam dispositionem, maximè ad causas pias, facere posse docent *Covar. in cap.* 2. *de Testam. num.* 10. *Barbosa ibid num.* 9. *ac de univers. Jur. lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 213. *Almosnasus* cum dictis, & aliis omnino legendus *lib.* 8. *cap.* 13. *à num.* 29. *ad* 44. ubi reperies quomodo, vel qualiter facultas hæc à Pontifice ad Religiosos descendat, aut descendere valeat; de quo etiam legantur *Salmant. Tract* 12. *cap.* 2. *num.* 186. *Molina de Just. Disp.* 141. *Less. lib.* 2. *cap.* 41. *Dub.* 8. *Suar. tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 16. *à num.* 9. *ac Lugo de Just. tom.* 1. *Disp.* 3. *Sect.* 6. *num.* 118.

68 Utrùm autem Religiosus factus Episcopus testamentariam dispositionem facere valeat de bonis sua industriâ acquisitis, vel ex hæreditate paterna, aut relicta ab altero? Variant DD. sed negativa sententia nobis verùm habet. Sed circa difficultatem hanc legantur *Sanch. lib.* 6. *Decal. cap.* 6. *num.* 10. *Araujo de Statu Eccles. Tract.* 3. *Q.* 28. *num.* 18. *Gratian. Discept. for. cap.* 363. *num.* 25. *Capponi tom.* 1. *Discept.* 41. *à num.* 3. *& Salmant. Tract.* 12. *cap.* 2. *de Dominio præcipuè à num.* 145.

69 Sed dubitabis primò an Religiosus professus saltem ex licentia sui Superioris ad pias causas testari, codicillarive possit? Negativè resolvitur. Ratio est: nam juxta communem, ac veram sententiam, nec ipse Prælatus ullo modo testari valet: nequit ergo subditis suis talem licentiam præbere, cùm juxta regul. 79 de regul. Jur. in 6. *nemo potest plus juris transferre in alterum, quàm sibi competere dignoscatur*, & cùm juxta *L. Traditio, ff. de acquirend. rer. dom.* nemo possit dare quod non habet. Legantur Barbosa de univers. Jur. lib. 1. cap. 42. à num. 208. Navar. Comment. 2. de Regularibus, Corollar. 10. n. 22. & in Manual. cap. 27. n. 270. ac Sanc. lib. 7. Decal. cap. 8. n. 12.

70 So-

70 Secundò dubitabis an Religiosus ex licentia sui Superioris aliquid modicum causâ mortis donare valeat? Negat Navar. Consil. 2. de Privil. num. 3. Lugo de Just. Disp. 3. Sect. 6 num. 109. affirmat Barbosa *in Authent. Ingressi, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* num. 34. & in cap. 2. de Testam. num. 8. Layman in Sum. lib. 3. Tract. 5. cap. 3. num. 4. & Sanch. cit. cap. 8. num. 11. Sed ad hoc ex dicendis num. sequenti constabit.

71 Dubitabis tertiò an, si Religiosus tempore mortis ore tenus, vel in scriptis voluntatem suam Prælato suo declaret, non quidem per modum Testamenti, sed solùm eum rogando, vel deprecando, ut his, aut illis res suas, vel has, aut illas, quibus utebatur, post suam mortem impertiatur, vel præstet, (in quo, ut supponitur, nullum ex parte rogantis adest peccatum) Prælatusque ita id se facturum promittat, ad adimplendum promissum aliquo modo mancat obligatus? Ad hoc jam responsum dedimus alibi, & negativè resolvimus, idipsumque modo. Legantur *Salmant. sup. num.* 189. *ac Lugo dicta Sect.* 6. *à n.* 113.

72 Quarto dubitabis an Religiosus, sive, ut rectius loquamur, Novitius, dum ante Professionem Testamentum condit, aliquam suorum bonorum partem reservare valeat ad disponendum de ea post Professionem testamentariè, aut per donationem causâ mortis, vel inter vivos? Resolutio est negativa, pro qua legatur *Barbosa de univers. Jur. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 207. *Suar. de Relig. tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 5. *Assert.* 2. *num.* 24. *Villalob. in Sum.* 2. *P. Tract.* 35. *Diffic.* 29. *Lugo sup. num.* 115. *& Sanch. sup. num.* 18.

73 Sed, licèt in dicto casu nihil reservare valeat ad testamentariè disponendum post Professionem, poterit tamen legata aliqua facere operibus piis, postea post Professionem emissam tempore suo opportuno, à se declarandis; tunc enim talis dispositio valebit, non enim est caput, unde invalidetur, consequenterque res illas post Professionem emissam in illis operibus piis distribuere poterit, quæ in mente habebat tempore, quo Testamentum condidit; quia hoc nullatenus est post Professionem Testamentum facere, sed exequutioni mandare illud, quod dispositum fuit in Testamento jam antea suo debito tempore facto. Et hoc idem valet, vel est, ac si à seculari aliquo Religioso alicui commissa testamentariè, vel aliter esset facultas eligendi pauperes, vel alia opera pia, quibus eleemosynæ, vel legata pia distribuenda erant. Et hinc

74 Sequitur, sive deducitur primò posse Religiosum, cui ab altero commissa est facultas eligendi pauperes, quibus eleemosyna distribuenda erit, eligere quos sibi placuerit. Item & semetipsum, sibique semetipsi partem proportionatam applicare, eaque uti, debita Superioris licentiâ habita. Secundo in Testamento, quod ipse debito suo tempore fecit, sibi reservare electionem pauperum, vel illorum declarationem, quibus hæres suus debeat eleemosynas dare, in aliisve operibus piis distributionem facere, ac postea seipsum etiam eligere, cùm jam tunc verè sit pauper, eamque recipere potest, atque ea uti, vel eam consumere, dicta debita Superioris licentiâ supposita. Legatur *Lugo sup. num.* 121. *&* 122. *ac Sanch. lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 88.

75 Dubitabis quintò an Religiosus de alienis rebus ex consensu domini, ipsiusque dòmini nomine Testamentum condere possit, licèt ad Religiosi arbitrium relinquatur, vel committatur Testamenti dispositio tota? Affirmativè resolvitur, quia tunc nihil testamentarie, re bene attenta, ex Religiosi voluntate disponitur, sed solùm ex voluntate illius, qui Religioso talem præstitit commissionem, sicut ille, qui Procuratorem appostuit, ut nomine ipsius Matrimonium cum Maria iniret, conditionibus, sibi placitis, positis, non est qui propriè Matrimonium celebrat, sed solus ille, qui commissionem præstitit, dedit vel procurationem, & sicut ille, qui in Testamento suo legata pia aliqua post mortem suam arbitrio cujusdam Religiosi, ejus vel electione distribuenda reliquit, ipse est (non autem Religiosus) qui per manus Religiosi testamentariam suam dispositionem adimplet, & qui alterius manibus legata distribuit. Legatur *Sanch. dicto cap.* 8. *num.* 8. *Lugo Sect.* 6. *num.* 111. & omnino *Diana cit. tom.* 8. *Tract.* 9. *Resol.* 17. *ac* 27.

76 Sextò dubitabis an Commendatarii Ordinum Militarium Testamenta condere valeant? Affirmativè resolvitur loquendo de illis, qui extra Monasterium degunt, sive conjugati sint, aut non; de illis ergo asseritur, licitè, & validè eos testari posse, non solùm de patrimonialibus bonis, sed etiam de commendarum redditibus, consuetudine, formâ, ac modo suæ Religionis servatis. Si tamen dicti Commendatarii Clerici sint, & intra claustra viventes, asseritur eos testari non posse, sicut non potest Religiosus professus. Si verò extra Monasterium degant ex legitima causa inservientes, putà alicui Beneficio, &c. dicitur eos testari licitè, & validè posse, ad id legitima licentiâ petita, & habita, modò per singulos annos inventarium faciant, Superioriquè suo illud præsentent, ac insuper tertio quoque anno à suo Superiore testandi licentiam exigant, de quo legantur Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8.

cap.

cap. 16. à num. 20. Sanch. lib. 7. Sum. cap. 8. à num. 29. Palaus Tract. 16. Disp. 3. P. 12. num. 6. Fragozo tom. 3. lib. 5. Disp. 8. §. 1. à num. 28. Barbosa de univers. Jur. lib. 1. Disp. 42. à num. 120. Rodrig. tom. 3. QQ. Regular. cap. 29. à num. 7. Diana cit. tom. 6 Tract. 8. Resol. 93. & tom. 7. Tract. 3. Resol. 55. §. *Sed contrarium*, vers. *licèt in morte*, *&c.* qui ibi legendus etiam Resol. 56. & 57. ¶ Plura alia hîc agenda erant circa bona, quæ Religiosi ad usum habent, & quæ hoc, vel illo modo acquirunt, sed de his jam quantum satis sup. ubi de Restitut. Religios. & alibi à nobis relinquitur actum.

CAPUT IV.

De Hæredibus, Substitutionibus, Fideicommissis, ac Testamentariis, sive Testamentorum Exequutoribus.

CUm ex Jure communi hæredis institutio ad Testamenti valorem necessariò exigatur ita taliter, quòd quoties aliquis ex Jure incapax in Testamento institutus est hæres, cui nec cohæres, nec substitutus est datus, Testamentum tale irritum redditur: *L. Si in metallum* 3. *ff. de his, qui non script. habentur*, *L.* 1. *Cod. de hered. instit. & juxta Jus Lusitan.* lib. 4. tit. 84. & alibi. Itidem cùm in Testamentis Substitutiones fiant, ac Fideicommissa, ac testamentarii statuantur, hîcque de Testamentis sit sermo, de rebus his omnibus oportet hîc aliquid dicere. Pro quibus sit

LECTIO I.

Quid sit Hereditas, & quotuplex Hæres?

1 *HÆreditas est devolutio juridica temporalium bonorum in personam, vel personas aliquas ratione stirpis, aut sanguinis, vel legitimæ institutionis.* Ita communiter Juristæ, & Theologi, vel juxta L. Hæreditas 62. ff. de reg. Jur. *hereditas nihil aliud est, quàm successio in universum jus, quod defunctus habuit*, id quod intellige, quando defunctus uni tantùm totum jus, quod habebat, reliquit, nanque, ut ex dicendis patebit, ac etiam ex sup. dictis jam constat, plures unius possunt esse hæredes.

2 Hæreditas, & hæres (cujus nomen derivatur ab hero, eo quòd antiquitus, vel à veteribus *domini* appellabantur hæredes) multiplex est: prim. *ab intestato*; secund. *ex Testamento*; & hic ex Testamento, alius est *universalis*, alius *particularis*, alius *necessarius*, alius *non necessarius*, alius *suus*, ac tandem *non suus* alius.

3 Hæres autem *ab intestato* ille est, & dicitur talis, qui civili, gentiumque Jure in alterius bonis succedit, qui intestatus discessit, ratione stirpis, vel sanguinis, aut si Testamentum confecit, postea fuit ruptum, vel non est legitimè factum, prout constat ex princip. Institut. de hæredit. concordatque *L.* 1. *ff. de suis, & legit.* ¶ Hæres ex Testamento ille est, qui ex speciali dispositione testatoris in Testamento suo hæres fuit nominatus, vi cujus nominationis in bonis, juribusque defuncti succedit. ¶ *Hæres universalis* dicitur ille, qui institutus est ad succedendum in omnibus bonis, ac juribus defuncti, & ad subeunda omnia onera, ac debita realia ipsius. ¶ *Particularis* verò ille, qui non in omnibus bonis defuncti succedit, sed in aliqua hæreditatis parte. ¶ *Non necessarius* hæres ille est, quem defunctus non necessariò, sed omnino liberè hæredem instituit, & isti sunt omnes, tam extranei, quàm sanguine, vel stirpe conjuncti, non tamen sunt ascendentes, nec descendentes per lineam rectam, sunt ac etiam fratres, & uxores defuncti, qui quidem præteriri possunt, quin ipsi ob præteritionem defuncti Testamentum infringere valeant, nisi in casu, quo defunctus aliquem infamem instituisset hæredem, quo casu querela inofficiosi Testamenti ipsis competeret, nisi etiam ipsi essent infames, aut de ingratitudine erga defunctum evidenter notati. ¶ Hæres necessarius dicitur ille, quem defunctus in portione legitimæ necessariò instituere cogitur, nisi eum exhæredandi justam causam habeat. ¶ *Hæres suus* dicitur ille, qui à testatore proximè descendit, & tempore mortis in ejus potestate existit, etiam posthumus, ac naturalis per matrimonium legitimatus. ¶ *Non suus* autem dicitur quilibet alius hæres, sive ab intestato, aut ex Testamento, à defuncto non descendens, & in ejus potestate non constitutus. Hæc omnia communia sunt. Sed antequam descendamus ad alia, de quibus in titulo,

4 Prius venit notandum quòd, licèt testatores filios habentes, filiis suis non nisi certam hæreditatis portionem, sive legitimam, secundùm Civile Jus, teneantur relinquere, ac ex reliquis bonis liberè disponere possint, ex quibus licitè, & justa causâ stante, ex filiis unum, vel alterum, qui sibi obsequiosus fuit, in officioque benemeritus, meliorare possit, aut etiam si sit magis probus, magis indigens, magis pugillus, &c. nulla tamen justa causâ stante, id facere queunt, nisi aut contra charitatem peccando, vel etiam contra distributivam Justitiam, talem inæqualitatem servando, quando filii omnes sunt omnibus in natura æquales, tunc enim non potest non esse muliebris, & inordinatus affectus, consequenterque peccaminosus.

5 Notan-

5 Notandum secundò quòd, postquam testator in suo Testamento circa omnia debita sua disposuit, valde semper expediens est ut aliquid ad piam causam leget, cùm id Animæ suæ sit valde expediens. ¶ Expedit ac etiam, charitatisque à seipsa incipientis ordo exposcat, atque suadet, ut, deficientibus, vel jam provisis descendentibus, & ascendentibus legitimâ sua propriam suam Animam testator instituat hæredem, quodque bona sua ad pias applicet causas, præcipuèque inter pauperes distribuat ea, aut distribuere mandet, neque ab his piis omitti debent fratres, & sorores egentes, cùm id charitatis, ac pietatis naturale Jus exigat, Animam enim suam hæredem relinquere, bona & sua inter pauperes, legata ac pia propriis Ecclesiis, & Monasteriis facere, testatoris (& cujuslibet alterius) Animæ summopere proficit juxta illud Prophetiæ Danielis cap. 4. num. 24. *Et peccata tua eleemosynis redime*; ac illud aliud Lib. Proverb. cap. 13. num. 8. *Redemptio animæ viri, divitiæ suæ.* Et

6 Rursus summopere expedit ut divites bona sua superflua vitæ suæ tempore potiùs in pauperes, piasque causas erogent, quàm post mortem ea distribuenda Testamento relinquere; & hoc vel quia hæredes, ac testamentarii tardiùs testatoris voluntatem adimplent, aut quoniam non semper integrè, & fideliter relicta pia exequuntur; ex piis ventrem adimplendo sæpissimè; vel quia eleemosynæ in vita, aut à vivente factæ maioris apud Deum meriti, ac satisfactionis esse videntur, quàm si in mortis tempus differantur, quando scilicet id homo dat, quod diutius retinere, secumque deferre non potest. Et

7 Ut testator (sicut quilibet alius) intelligat quid sua interest eleemosynas facere, audiat Divum Augustinum in Serm. de Divite: *Eleemosyna mundat peccata, & ipsa interpellat pro nobis ad Dominum*; *quia quidquid pauperibus dederimus, ipsum integrè possidemus.* Audiat Sanct. Chrysostom. super illud Matth. cap. 6. *Nolite thesaurizare*: *Quæ stultitia est illis relinquere, unde exiturus es, & illic non præmittere, quo iturus es*; *illic ergo substantiam tuam colloca, ubi Patriam habes.* Et iterum ibid. *Qui collocat thesauros in terra, non habet quid speret in Cælo, ut quid respiciat in Cælum, ubi nihil habet repositum? Quidquid pro tua Anima feceris, hoc tuum est, quod autem relinquis, perdidisti.* De re hac mittuntur præclara plurima alia.

LECTIO II.

Quæ persona hæredes, vel legatarii instituti valeant, vel non?

8 Circa id, quod in hujus Lectionis titulo tangitur, duas generales regulas communiter DD. assignant, quarum prima est, quòd omnes illi, qui non sunt expressè aliquo Jure, aut Lege prohibiti hæreditatem, vel legatum adire, bene hæredes, aut legatarii instituì possunt, sive particularis sit homo, vel causa pia, sive communitas, puta Civitas, oppidum, Villa, Castrum, Collegium, Monasterium, &c. tria nanque requiruntur, ut quis possit hæres, vel legatarius instituì; scilicet potestas disponentis, forma à Jure præscripta, & capacitas hæredis, aut legatarii. Regula hæc est vera, certa, & communis, constatque *ex L. 1. Cod. de Sacros. Eccles. L. Omnibus, ff. ad Trebellian.* desumiturque insuper argum. *L. Non juris* 31. *ff. de hæred. instit. ac princip. Instit. Cod.*

Secunda generalis regula est, quòd omnes illi, qui ex sua culpa facti sunt intestabiles *activè*, id est, testari non possunt, sunt & etiam intestabiles *passivè*, id est, nihil ex Testamento, & Codicillo recipere queunt; quia Testamentum condere, ac ex Testamento aliquid recipere sunt quasi correlativa, & ideo, cui ob suum crimen prohibetur unum, prohibetur & aliud, uti ex multis probant *Salmant. Tract.* 14. *cap.* 5. *num.* 42. Sed regula hæc parum, aut nihil ab illa prima differt, ut conlideranti patebit, ex una, & altera tamen promiscuè.

9 Resolves quòd hæredes instituì non valent, nec legatarii. Primò Civitates hostium dicta *L. Omnibus.* ¶ Secundò Judæorum *L. 1. Cod. de Judæis.* ¶ Tertiò Collegium, quod publica auctoritate non est erectum. *L. Collegia, §. In summa, ff. de illicitis Collegiis, L. Collegium, Cod. de hæred. instituend.* Sed excipiuntur Collegia, seu Confraternitates, quæ pietatis causâ sunt institutæ, etiam sine auctoritate Superioris. *L. 1. Cod.*

10 Quartò hæretici, credentes, receptores, defensores, & fautores hæreticorum. *L. Manichæos 4. ac L. fin. juxta Authent. credentes, Cod. de hæreticis*, si tamen intra annum tales credentes, &c. non pœnituerit *ex Authent. Federici Imperatoris, Cod. de hæreticis, & ex cap. Excommunicamus 1. §. Credentes.* Unde hæres Catholicus tales hæredes excludere potest, & si impediatur, compensatione occulta uti potest, quia jus non habent; probabile tamen est eos hæreditatem, vel legata non teneri restituere ante sententiam, vel antequam hæres Catholicus se opponat; cùm jus cum rigore tanto

non

non sit receptum; ubi refert *Leff. lib. 2. cap. 19. Dub. 5. num. 52.* ac etiam quoniam, cùm quis in pœnam delicti hæreditate prohibetur, Judicis sententia requiritur, & approbat Sanch. in Sum. lib. 2. cap. 14. num. 31. probabilèque dicit Bonac. Disp. 3. de Contract. Q. ult. P 3. num. 1. vers. *Non est.* ¶ Id, quod dictum est de hæreticis, dicitur etiam de apostatis à Christiana Fide *ex L. Hi, qui 3. Cod. de apostatis.* ¶ In locis tamen, ubi hæretici permittuntur, uti in Germaniæ partibus, videtur usu receptum, ut ibi tales hæreditatis sint capaces, & instituantur hæredes, & ab intestato succedant. Circa hæreticorum filios erga hæreditatem paternam vide Ordinat. Lusitan. lib. 5. tit. 1. & Cabed. Decis. 187.

11 Quintò hæres, vel legatarius esse non potest ille, qui est deportatus, sive ad metalla damnatus in perpetuum, legatarius tamen esse poterit, si ad alimenta ei aliquid relictum fuerit, quia id nemini prohibetur. *L. 3. ff. de his, quæ pro non scriptis habentur, L. 1. Cod. de hæred. instituend.* ¶ Item sextò damnati ad ultimum supplicium hæredes, aut legatarii instituti nequeunt, sicut testari non possunt. *L. Qui ultimò 29. ff. de pœnis,* & servi pœnæ, *L 3. ff. de his, quæ pro non scriptis habentur.* Legatur Ordinat. Lusitana lib. 4. tit. 81. §. 5. ¶ Etiam septimò liberi rebellium, & perduellium. *L. Quisquis 5. §. 1. Cod. ad L. Jul. Maiest.*

12 Item octavò qui percutiunt, ac persequuntur Cardinalem, aut eum capiunt. *Cap. Felicis de pœnis in 6.* ¶ Nonò si hæres, vel legatarius testatorem occidit, eo ipso à bonis defuncti excluduntur. *L. 7. §. penult. ff. de bonis damnat. & L. 15. §. fin. ff. ac L. 7. §. fin. ff. de bonis damnat.* Sed cum distinctione nimirum, quòd legatum eo ipso censetur revocatum, nec pertinet ad Fiscum, sed absque sententia ulla ad defuncti hæredem devolvitur, & idem est, si post legatum factum ingratitudinem notabilem, vel gravem inimicitiam legatarius erga testatorem habeat: unde legatarius tenebitur in conscientia legatum non acceptare, vel illud relinquere. Sed si ingratitudo post testatoris mortem evenerit, non perditur ipso facto legatum, sed auferri potest, ut ind gno, & post sententiam Fisco applicabitur, si post inimicitiam testator tacitè, vel expresè reconciliatus est cum legatario, valebit legatum.

13 Hæreditas autem in casu occisionis testatoris pertinet ad Fiscum, cui propter hæredis delictum applicatur dicta *L. ult. de bonis damnat.* Unde infertur hæredem non esse incapacem hæreditatis, sed eam retinere posse, donec per sententiam condemnetur, quia cùm ipse in delicti pœnam hæreditate privetur, nullatenus ante sententiam debetur hæreditas, atque adeó usque ad definitivam sententiam illam retinere valebit. Quod idem dicendum omnibus illis in casibus, in quibus ob criminis pœnam hæres, vel legatarius defuncti bonis privatur, quin ad hæredes ab intestato devolvatur hæreditas; nam, cùm pœna, & non inhabilitas sit, hæres, vel legatarius ante Judicis sententiam restituere non tenetur. Cum multis *Lugo Disp. 24. Sect. 5. num. 75.* cum eo, & aliis *Salmant. sup. P. 5. num. 44.*

14 Notat *Lugo* quod vir, qui uxorem in adulterio deprehensam propria auctoritate occidit, non lucratur dotem, nec illa bona, quæ ob uxoris adulterium Leges marito adjudicant, quia qui jus sibi propria auctoritate dicit, legale non acquirit lucrum. Et addit sententiam hanc, & doctrinam habere locum, etiam quando pater filium occidit, vel filius patrem. ¶ Sed utrùm interfector possit saltem indirectè ex bonis occisi lucrum habere, uti si vir occidit uxorem, cui communis filius succedit, & filio postea pater, vel certè in bonis patris usumfructum habet, quandiu ea filius habet; dicit tunc, casus, bona ad Fiscum venire DD. pluries resolvere.

15 Decimò hæres, ac legatarius ab hæreditate, & legato excluduntur, quando eorum alter testatori prohibuit Testamentum facere, vel jam factum revocare, tunc enim ei hæreditas, ac legatum auferetur, Fiscoque datur. Communis, & constat ex Lusitana Lege lib. 4. tit. 84. ubi dicitur quòd in tali casu *a herança se applicará á nossa Coroa, como deyxada a pessoas indignas.* Legatur Molina Disp. 212. & Clarus lib. 5. Sent. §. fin. Q. 79. num. 9.

16 Undecimò quando legatarius ad testatoris uxorem accessit. *L. 1. & L. Si inimicitiæ.* Legatur Molina cit. Disp. 212. ¶ Idem dicitur de hærede, licet de hoc id non sit ita certum, ac de legatario. Legatur Lugo num. 79. Salmant. sup. num. 45. vers. *tertius casus.*

17 Duodecimò item quando hæres accusavit testatorem, vel Testamentum, in quo instituitur, & prosequutus est usque ad ultimam sententiam prolatam contra ejus intentionem, tunc hæreditas ad ipsum pertinens datur Fisco, hærede tali ut indigno rejecto. *L. Alia causa, Cod. de his, quibus ut indignis;* si tamen ante ultimam sententiam ab Appellatione desistat, hæreditatem non amittit, sicut nec etiam, quando non proprio nomine, sed ut tutor, vel curator alterius pupilli, aut minoris, Procurator, vel ut Advocatus Fiscales accusavit.

18 Decimotertiò nihil ex Testamento hæres ille accipit, si manifestè comprobatus est aliquid egisse, ex quo per negligentiam, & culpam suam persona illa, à qua institutus est hæres, moreretur, tunc enim ab eo ut indig-

no auferetur hæreditas, & applicatur Fisco, vel extraneo, qui hæredi protestatione facta, curam illius testatoris habuit (quod idem, si testator captivus esset, ac de redemptione illius non curavit hæres, ideoque mortuus fuit in captivitate, tunc hæreditas ad redimendos captivos applicatur.) *L. In deg. 3. ff. de his, quibus ut indignis*; & Lusitana L. lib. 4. tit. 88. §. 14. ubi sic legimus.

E morrendo elles ab intestato, ou com Testamento feyto antes que perdessem o siso, naõ haveraõ sua herança os herdeyros, que foraõ remissos, e negligentes em procurar sua saude, porque he de presumir que se tornáraõ a seu perfeyto entendimento, naõ lhes deyxariaõ sua herança pela ingratidaõ, que contra elles tinhaõ commettido.

19 Decimoquartò, si quis in inventario judicialiter facto subnegaverit aliquid, omne subnegatum perdit, ac insuper in duplo subnegatarum rerum valorem solvere debet, id quod ex Lusitana Lege habetur lib. 1. tit. 88. ubi sic habetur.

E o pay, ou mãy, ou qualquer outra pessoa, que por mandado de Justiça fizer inventario, e nesse sonegar, e encobrir alguma cousa, assim movel, como de raiz, que fosse do defunto, ao tempo de seu falecimento, perderá para os menores tudo aquillo, que sonegar, e naõ haverá parte alguma, (se a tiver) que assi sonegar, e naõ puzer no inventario, posto que has ditas cousas, que assim sonegar, naõ tenha parte alguma. E alem disso haverá a pena de perjuro. Aliqua alia ad rem, de qua Lectione hac, pertinentia constare possunt ex dictis hîc (& alibi) cap. 3. Lect. 1.

LECTIO III.

De filiis legitimis, ac de parentum obligatione erga illos remissivè.

20 DE obligatione parentum erga omnes filios suos, quantum sat est, dedimus Tract. 18. cap. 1. præcipuè Lectione 4. ubi legendum, ibi enim reperietur an, & quomodo parentes teneantur, & quo Jure alere filios, quicunque sint illi, sive legitimi sint, aut naturales, sive spurii, ac ex damnato coitu nati; reperientur & alia scitu digna. Nunc autem de filiis spuriis, & naturalibus, quæ ad hæreditatem parentum pauca aliqua dabimus, & Lectione sequenti erit de necessariis hæredibus sermocinatio.

De filiis spuriis quo ad hæreditatem paternam.

21 LOquendo de filiis spuriis quo ad parentum hæreditatem, (filius spurius ille est, & dicitur talis, qui conceptus, natusque est ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, aut nativitatis impedimentum dirimens matrimonium erat, ut communis tenet, legi poterunt *Speculator in tit. de Succes. ab intest. to, col. 4. Nata in L. Hac consultissima*, §. *Ex imperfecto, Q. 14. de Testam.* Mantica Decis. 83.) dicitur quod filii spurii nullatenus succedunt patri neque ex Testamento, nec ab intestato, & hoc ex Divino, Canonico, & Civili Jure; ex Divino quidem constat ex Lib. Genes. cap. 21. num. 10. ac ex Lib. Deuteron. cap. 20. ibi: *Ejice ancillam hanc, & filium ejus, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac*, quod expendit Div. August. super Lib. Levit. cap. 77. ac Div. Paulus Ep. ad Galat. cap. 4. ¶ De Canonico Jure sunt textus in cap. *Dicit aliquis* 34. Q. 4. in cap. *Per venerabilem* §. *fin.* in c. *Tanta, qui filii sint legitimi.* ¶ Ex Civili Jure colligitur *ex* §. *penult. Authent. Quibus modis natural. efficiantur sui, Authent. ex complexu, Cod. de incest. Authent. Nupt. & ex L. Lusitana* lib. 4. tit. 82. ac tit. 36. §. 4. à versu: *E o filho espurio naõ poderá.*

22 Et dicta doctrina procedit, tam extante, quàm non extante legitima prole, ut tenet *Menoch. de Præsumpt. lib. 4. Præsumpt.* 69. Ex quo fit quòd neque eis debeatur legitima, nec succedere possunt ex quacunque dispositione, sive testati, aut intestati, sive donationis cujusvis: (nisi alimenta tantùm respiciat) non enim à patre capere possunt, uti latè *Peregrin. de jure Fisci, lib. 3. tit. 18. num. 37.* ¶ Neque valet statutum permittens patri posse relinquere spuriis; quia est nutritivum peccati, & quidquid ipsi reperiuntur possidere ex bonis paternis, præsumuntur fraudulenter possidere illud, juxta *Barthol. in L. Qui Testam. ff. de probat. Peregrin. Cons. 22. num. 12. lib. 3.*

23 Sed notandum *ex Sanch. in Consil. 2. P. lib. 4. cap. 3. Dub. 6.* quòd, si constat filium natum esse illegitimum, non tamen constat, sit naturalis, vel spurius, si talis est Reus, ac hæreditatem possidet, & alter eum spoliare ab hæreditate intendat Actor, eum spurium esse probare tenetur, quoniam in dubio melior semper est possidentis conditio; unde, donec contrarium clarè probetur, semper naturalis præsumitur, præfato stante dubio. ¶ Limita, nisi Jus possessioni resistat, sive sit Actor, vel Reus, & sic qui nobilitatem prætendit legitimationis, aut naturalitatis, qualitatem probare tenetur, quia tunc Jus possessioni resistit, cùm solùm nobilitatem habentibus titulum concessum à Principe Jus præstet. *L. Lusitana sup.* ¶ Quòd si filius sit Actor, & alius possidens, in cujus damnum intendit se esse naturalem, non præsumitur id, nisi probetur; si verò non est alius possidens, in cujus damnum id intendat, præsumitur esse illius qualitatis, quam

quam asserit, nisi de opposito infamatus esset. *Sanch.* ¶ Et idem cum eisdem limitationibus, quando dubitatur an aliquis sit legitimus. ¶ Sed quando nulla lis inter aliquos vertitur, & quidam Ordines, vel Prælaturam prætendit, reputandus est legitimus quoties de contrario diffamatus non fuerit. Legatur *Castr. Palaus Tract. 1. de Conscient. dubia, Disp. 3. P. 5. num. 3. & 4.* ubi signa refert, quibus legitimus dignoscitur filius.

24 Deinde nota probabile esse posse patrem filio suo spurio bona sua relinquere ad remunerandum obsequia, ac merita filii, sicut quòd Clericus donare potest concubinæ ob merita, & obsequia Clerico præstita, sicut & etiam quód Miles concubinæ merita remunerare valet, de quibus jam alibi vidimus; magis tamen probabile esse non posse, nisi tantùm in casu, quo merita adeò nota sint, ut excedant omne debitum, & servitium filiorum in patrem. Ratio est: quia omne, quod filii conferunt patri, magis ex officio, ac pietate parentibus debita procedit, quàm ex liberalitate, dicente *Philosopho lib. 9. Ethicor. cap. 1.* parem gratiam nec Deo, nec parentibus posse conferri: hæc ergo merita, & obsequia in patrem remunerationem non mereri videntur, cùm non excedant pietatem parentibus debitam.

25 An verò filius susceptus ex solutis, inter quos est impedimentum dirimens, sed omnino occultum, succedat parentibus? Affirmant probabiliter multi. Legatur Molina tom. 1. Tract. 2. Disp. 167. §. *Illud præterea*, Lesi. lib. 2. de Just. cap. 19. de Testam. Dub. 6. num. 57. Est & etiam contrarium probabile, Jure Lusitano attento lib. 4. tit. 93. ubi legendum. Consonat doctrina *Lessii sup. num. 46. ac Molinæ sup.* legatur *Spino Gloss. 15. principal. de filiis legitimis, num. 119.* ¶ Sed, si Matrimonium mala fide fuit initum, eo quód impedimentum dirimens notum parentibus erat, nullo modo filius parentibus succedet; *Sanch. de Matrim. lib. 10. Disp. 20. num. 11.* subdens hunc communibus expensis alendum non esse, secus quando Matrimonium bona fide fuit initum.

26 Posse autem patrem spurio filio suo pro alimentis relinquere fundum, legatumque à spuriis exigi posse, non quidem ut legatum, sed ut alimenta, defendunt, & probant aliqui, ac specialiter *Menoch. Consil. 6. num. 7.* ¶ An verò possit pater spurio filio fundum pro alimentis expresè relinquere ita, ut post spurii mortem ad filios spurii trapseat? Negant probabiliter multi, asserentes quòd quidquid à patre ad filium spurium venit, eo defuncto, ad patris hæredes est rediturum.

27 Sed contrarium dicendum, scilicet quód dos spuriæ filiæ data, si non excedat alimenta debita, nullatenus ad patrem donantem, aut ejus hæredes legitimos redire debet, nisi tantùm quo ad excessum, spuriamque filiam ad filios suos fundum transmittere posse. Et est ratio: quia non solùm pro dote alimentorum loco fundus fuit datus, sed etiam ex causa publica, ac ita inuit Molina Disp. 16. §. *In dotem*, id quod ubique gentium verum esse absolutè dicitur, quando aliquid relinquitur filio pro alimentis in æstimatione proprietatis, quod non excedit summam sufficientem ad alimenta, tunc fundus relictus ad spurii hæredes transmittitur. Covar. de Sponsal. 2. P. cap. 8. §. 6. num. 15. Peregrin. de jure Fisci, lib. 3. num. 77. Lupus cap. *Per vestras*, §. 24. num. 8. Notab. 3. Et

28 Etiam valde probabile est posse patrem spuriæ alimentorum loco genero, ac filiæ in dotem tradere fundum eo pacto, vel lege, ut ad spuriæ transmittatur hæredes, seu nepotes, sive nepotes patris spuriæ, de quo Mantica de Conjectur. ult. volunt. lib. 8. tit. 5. num. 15. quia ex *vi cap. Cùm haberet de eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium*; pater non solùm tenetur alere spurios filios, sed etiam filios spuriorum, prout significat verbum illud *liberis* appositum ibi, quorum appellatione veniunt nepotes & etiam, præsertim dum de favore liberorum agitur, ubi DD. ff. de verbor. significat.

29 Posse etiam matrem destitutam prole legitima relinquere filio spurio quidquid voluerit relinquere, filiumque ipsum spurium sibi retinere posse quidquid mater, maximè si non sit illustris, sibi reliquerit; affirmant probabiliter aliqui, inter quos Sà verb. *Hæreditas*, n. 7. Henriq. lib. 1. de Matrim. cap. 21. num. 1. Oppositum tamen verius videtur, saltem in hoc Lusitaniæ Regno, id est, non posse matrem quidquam præter alimenta filio suo spurio relinquere, cùm ipsa ex Ordinat. Regia lib. 4. tit. 93. filio suo spurio succedere nequeat per textum ibi: *A que o pay, ou mãy naõ póde succeder por assim ser nascido de coito damnado, ou punivel, &c.* cùm igitur jus succedendi mutuum sit, & reciprocum, sicut mater spurio filio suo non succedit, nec succedere potest, sic etiam nec spurius matri, cùm sit incapax. *Covar. de Sponsal. 2. P. cap. 8. §. 5. num. 3. Molina Disp. 167 Conclus. 3.* & alii. ¶ Non posse autem dictam matrem filio suo spurio ex damnato, & punibili coitu succedere constat expresè ex cit. Lusitana Lege legenda, notantque Peregrin. de jure Fisci, lib. 3. tit 8. num. 37. Flores in Addit. ad Gam. Decis. 126 Molina de Just. Disp 167. vers. *licet*, ac Spino in Specul. Testam. Gloss. 16. num. 18.

30 Itidem non posse patrem filio suo spu-

rio directè, vel indirectè, neque per interpositam personam, nec aliquo alio modo aliquid relinquere, tenent DD. communiter scribentes *in L. fin. Cod. de his, quibus ut indignis*, inter quos Bartol. & idem *in L. Cum hæres, ff. de rebus dub.* Covar. 2. P. in Epitom. cap. 8. §. 5. n. 3. ex quo fit quòd, si hæres ea Lege instituatur sub fide præstita de hæreditate restituenda spurio, nullatenus ei restituere illam tenetur, sive fidem promittat, aut non promittat, quia spurius omnino incapax est hæreditatis illius, ut habetur expressè *in Authent. Quibus modis naturales efficiuntur sui*, §. *fin.* unde poterit institutus in foro conscientiæ hæreditatem sibi retinere illam, tanquam verus hæres a testatore institutus, quoniam fides data est in Legis fraudem, & ideo non obligat *L. Juris gentium*, §. *Prætor ait, Cod. de pactis*, Covar. sup. num. 9. vers. *quarto subinfertur*, Less. lib. 2. cap. 19. Dub. 6. num. 60. talis enim conditio in ultimis voluntatibus posita habetur pro non posita, ut constat *ex L. 1. ac seq. ff. de condit. instit.* & §. *Impossibiles, Instit. de hæred. instit.* proinde in conscientiæ foro non tenetur ea bona restituere Fisco antequam per sententiam privetur, nam licèt privetur in pœnam præstitæ fidei hæreditate, *L. Hæres, qui tacitam, ff. de his, quib. ut indign.* pœna tamen hæc non procedit in conscientiæ foro ante sententiam, vel condemnationem. *Gloss. in cap. Fraternitas* 12. *Q.* 2. *Soto lib. 1. de Just. Q. 6.* sequitur *Covar. sup. num.* 10. Sed circa in hoc num. dicta legantur *Salmant. sup. de Testam. cap. 5. à num. 67. ad 76. P. 5. §. 4.* ubi alia de Spuriis habentur. Sed

31 Rogabis an, deficiente legitima prole, spurius filius hæres licitè, & validè instituì possit, si ea Lege sub his verbis instituatur: *Instituo meum spurium, si Rex illum legitimaverit?* Affirmativè resolvitur, valet enim talis institutio, nec hæredes ab intestato succedere valent antequam Rex legitimationem à tali filio petitam deneget. Est communis, teste *Covar. 2. P. Epitom. cap. 8. §. 5. num. 12.* ac tenet *Molina de Primogen. lib. 2. cap. 7. num. 40.* atque in praxi servatur. Et est ratio: quia, licèt spurius sit incapax, instituitur tamen in tempus, quo hæreditatem capere possit. *L. In tempus, ff. de hæred. instit.* Et spurius, ea conditione pendente, ea bona petere potest, ut ea tanquam Curator gubernet: textus *in L. Si quis instituatur hæres, ff. de hæred. instit.* ac ibi Bald. & Angel. sequitur Joan. Lupus de Donat. inter vir. & uxor. §. 29. num. 4. Et hæc institutio valet, licèt spurius legitimetur, aut dispensetur post mortem patris, quia legitimatio ad tempus institutionis tunc retrotrahitur vel ad succedendum patri ab intestato, aut ut pater ex Testamento id, quod voluerit, relinquere possit. Legatur *Dueñas Regula* 116. *Limit.* 1. *ac Pichard. Instit. de hæredit.* quæ ab intestato deferunt, §. 7. *num.* 20.

32 Deinde rogabis an, si spurius dispensatus sit ad quamcunque dignitatem habendam, vel obtinendam, ad Beneficia paterna censeatur etiam dispensatus? Resolutio est negativa, & ita Innocent. in cap. Dilectus 3. de Præbend. Felin. in cap. *Veniens*, & alii, estque ratio: quoniam, cùm dispensatio sit odiosa, cap. 1. §. *de filiis Presbyter. in 6. extendenda non est* ad casum diversum ex Concil. Trident. in quo Sess. 25. cap. 15. de Reformat. decernitur quod, *ut paterna incontinentia memoriâ longissimè arceatur, non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo matrimonio nati sunt, in Ecclesiis, ubi eorum patres Beneficium aliquod habent, aut habuerunt, quodcunque etiam dissimile Beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec Pensiones super fructus Beneficiorum, aut parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere, id quod nè Beneficia, veluti hæreditario jure possideantur, quod detestatur in cap. 1. de filiis Presbyterorum.*

33 Utrùm autem, licèt filius spurius in patris Beneficio succedere nequeat, ejus pater in Beneficio filii succedere valeat? Negat *Hostiensis in cap. Ex transmissa de filiis Presbyt.* affirmant verò citandi, eo quòd Constitutio Clementis VII. (quæ est 36. in ordine Constitut. suarum, edita anno 1530. cujus meminit Navar. in cap. *Si quando*, Except. 21. in princip. de Rescriptis) & Decretum Trident. sup. non agunt, nisi de filio, & patris nullam mentionem faciunt, sicque, cùm in odiosis simus, odiosa, ac pœnalia extendi non debent. Et ita *Gigas de Pensionib. Q.* 86. *num.* 10. *Rebuff. de Dispensat. super defectu natalium, num.* 29. & de quo legendi sunt *Lessius lib. 2. de Just. cap.* 34. *Dub.* 8 *num.* 91. *Azor 2. P. lib. 6. cap. 4. Q.* 18. & legendum etiam est totum illud Tridentini caput, illudque ad unguem servandum.

34 An, & quomodo fratres spuriis fratribus ab intestato descendentibus succedant, habes in Ordinat. Lusitana, lib. 4. tit. 93. ubi legendum. Circa spurios filios hîc alia plura mittuntur tum ob brevitatem, tum ut confusionem vitemus, id omne, quod apud alios AA. videri poterit, & si placuerit, legatur *Sanch. in Consil. 2. P. lib. 4. cap. 3. à Dub. 1. ad 47. Dicastill. lib. 2. Tract. 19. Disp. 1. Dub. 19.* per totum.

SUB-

SUBLECTIO.

Qualiter filii naturales succedant parentibus, & quando à parentibus hæredes instituí valeant?

35 PAter, si legitimi filii non extent, & ascendentibus careat, Jure communi *Authenth. Licet, Cod. de naturalibus liberis,* optimè potest filios naturales (quos Lusitani vocamus *Bastardos*, iunique illi, qui geniti, natique sunt à parentibus, qui inter se validè contrahere matrimonium poterant, eo quòd conceptionis filiorum in tempore nullum dirimens matrimonium impedimentum habebant, licèt haberent impedimentum impediens; de quo *apud Salmant. sup. cap. 5. num 47. & Sanches lib. 9. de Matrim. Disp. 38. num. 9.* & apud alios) instituere hæredes, vel eis tam in morte per Testamentum omnia sua relinquere bona, ac etiam inter vivos omnia eis bona sua donare. Communis.

36 Quòd si hæredes non instituantur à patre, patri ab intestato succedunt, non extante legitima prole, in duabus unciis, idest, in sexta parte bonorum. Eadem *Authent. Licet.* ¶ Extante verò legitima sobole, non succedunt ab intestato cum illa, sed potest eis duodecima pars bonorum relinqui, de quo *Lessius de Just. lib. 2. cap. 19. Dub. 6. num. 71.* & alii. ¶ Et si filii naturales non extent, supersit tamen eorum mater, ei potest pater semiunciam relinquere. ¶ Si pater descendenti careat, habeat verò ascendentem legitimum, relicta huic portione, in qua necessarius sit hæres, id quod tunc dispositioni suæ reliat, totum in naturales filios conferre valet. ¶ Item, si pater intestatus discedat, ac descendens legitimus ex viva conjuge exret, qui sit hæres, tunc filii naturales à successione excluduntur, & solùm alimenta ex hæreditate paterna hæredes necessarii eis præstare necessario debent, quæ dispositio quo ad naturales nepotes etiam procedit, sive sint nati, etiam legitimè ex filio naturali, aut illegitimè ex filio legitimo. Et hæc de communi Jure.

37 De Lusitano verò Jure lib. 4. tit. 92. filii naturales, sive nothi plebeiorum cum filiis legitimis ad patris hæreditatem simul admittuntur, quod procedit tam ex Testamento, quàm ab intestato, modò tempore conceptionis, vel nativitatis nobilis non esset pater, licèt nobilitatem obtinuisset postea. ¶ Quòd si in aliquo horum tempore pater nobilis esset, nulla sobole legitima extante, nullo vel ex ascendentibus existente, tunc potest pater naturali filio, aut filiis suis omnia sua relinquere bona. Legatur *cit. tit. 92. Gama Decis. 311. Cabedo 1. P. Decis. 105. ac Molina de Primog. lib. 3. cap. 3.*

38 Naturales tamen non succedunt patri nobili ab intestato, sed deficiente legitima prole, & ascendente nullo extante, collaterales consanguinei succedunt, uti ibid. expresè habetur. Insuper ex eodem Lusitano Jure tit. dicto habetur quod naturalis filius à patre plebeio, vulgo *piaõ*, ac ex propria ancilla conceptus, & habitus, si antequam pater moriatur, ab eo libertatem obtineat, tunc in bonis paternis, sicut legitimi filii, succedit; secus, si post patris mortem de hæredum manu libertatem consequatur. ¶ Item si ex patre plebeio, & ex aliena ancilla naturalis filius fuerit susceptus, etiam patri succedere potest, si per ipsius mortem à servitute liber evadat, id quod etiam ibidem expressum: *E isto mesmo haverá lugar no filho, que o homem solteyro piaõ houver de alguma escrava sua, ou alhea, se por morte de seu pay ficar forro.* Hæc, & alia in dicto tit. 92. omnino legendo habes. Legatur ac etiam Molina tom. 1. de Just. Disp. 166. §. *Ut ad filium*, & Gama Decis. 86. ac Decis. 312. ibi subdens hujusmodi naturales ex ancillis natos paternis avis succedere etiam.

39 Quo ad matres loquendo, dicitur naturales filios matri æquè cum legitima sobole succedere posse, neque ab ascendentibus maternis excludi posse, sicut legitimi filii ab avis maternis excludi nequeunt: nam, sicut legitimi extantes avos excludunt, sic etiam naturales eosdem secundùm communem excludere possunt, etiam si illustris sit mater; *L. Si qua illustris, juncta Gloss. ibi, Cod. ad Senatus Consult. Orfician.* docetque Covar. in Epitem. 2. P. cap. 8. §. 4. num. 15. cum multis Gomes ad L. 9. Tauri, num. 9 filii naturales ex matre naturali aviæ maternæ succedunt, sicut eademmet naturalis mater succedit; si tamen mater legitima fuerit, nepotes naturales utrique materno avo succedunt, sicut cæteri legitimi filii ex eadem matre, matrem enim repræsentant, ejusque personæ vices gerunt, ideoque beneficio, & loco matris succedunt perinde, ac si legitimi filii essent. Legatur *Molina Disp. 166. Conclus. 7.*

40 Si naturalis filius à pedite (*piaõ*) patre prætereatur in Testamento, Cabedo 1. P. Decis. 100. num. 13. asserit dictum Testamentum rumpi posse, sive nullum censeri, imò & quòd idem poterit præteritus nepos, quia patris loco succedit; *textus in L. Si suspecta*, vers. *de inofficios.* ac ibi Bald. & Angel. ff. de inoff. Testam. estque in Lusitana Ordinat. ubi sup. expressum ibi: *E se o pay for piaõ, succederáõ, e virãõ á sua herança igualmente com os legitimos filhos, se o pay os tiver; e naõ havendo filhos legitimos,*

nos, herdarão os naturaes todos os bens, e herança de ſeu pay, ſalvo a terça, &c. id quod iterum ibi. Unde ſicut legitimi præteriti patris Teſtamentum impugnant, ſic etiam naturales, ſi prætereantur, vel ſine juſta, legitimaque cauſa exhæredentur, de neceſſitate illud contradicere, impugnareque valent. Legatur Molina tom. 1. Diſp. 175. col. 3. Valaſc. Conſult. 94. n. 1. Caldas Pereyra in L. Si Curatorem, verb. *ſine Curatore*, verſ. 7. num. 96. Cod. de reſt. in integr.

41 Hîc notandum quód, licèt probabile ſit naturales filios in omnibus cum legitimis eſſe æquales, tam quo ad hæreditatem, quàm quo ad privilegia, uti adnotavit Caldas Pereyra in dicta L. *Si Curatorem*, num. 94. ſequiturque Barboſa in Remiſ. ad dictam Regiam Ordinat. tit. 92. in princip. probabilius tamen eſt dictam Luſitanam Legem naturales filios cum legitimis quo ad ſucceſſionem patris ſolùm æquales efficere, non tamen quo ad omnia, quantum eſt ex vi Legis; & ratio eſt: quia dicta Lex à communi Jure exorbitat, uti docet Gama Deciſ. 3. num. 5. ac Deciſ. 114. num. 1. & Caldas ſup. verb. *ſine Curatore*, num. 94. ac ideo extra ſucceſſionis caſum non eſt extendenda, juxta *Gloſſ. in Authent. Quas actiones, Cod. de Sacroſ. Eccleſ.*

42 Si mater inſtituatur hæres, & illi ſubſtitutus detur caſu, quo ſine liberis deceſſerit, ac poſtea naturalem filium habeat, probabile eſt naturalem hunc filium ſuccedere matri, ſubſtitutumque excludere, de quo *Caſtillus in L. 9. Tauri.* Sed probabilius eſt oppoſitum, de quo legendus eſt *Mantica de Conject. ult. vol. lib. 11. tit. 9 num. 16. Spino in ſuo Speculo principal. de filiis legitimatis, num. 120. Molina de Primog. lib. 3. cap. 3. num. 42. & Gabriel Pereyra de Caſtro Deciſ. 14. á num. 4.*

Sed excipitur prim. ſi teſtator Eques, ſive nobilis in Teſtamento ſuo filiorum naturalium meminerit, nam tunc ſubſtitutum à naturalibus excludi voluiſſe cenſetur. Barthol. in L. Ex facto, §. *Si quis rogatus*, num. 2. & ibi Ripa poſt alios num. 7. § Secund. quando teſtator eſt etiam filius naturalis, quia, licèt ſit nobilis, judicabitur cogitaſſe de ſibi ſimilibus, ſimilia nanque ſibi invicem maximè congruunt, diſſimilia minimè. *Rolandus Conſil. 77. num. 23. Tiraquel. de Legib. connub. 5. P. Gloſſ. 1.* § Tert. quando ex aliqua Lege naturales ſuccedunt tanquam legitimi, uti apud nos Luſitanos decernitur lib. 4. Ordinat. tit. 92. circa filios peděſtrium, vulgó *pióes.*

43 Nullus illegitimus ſuccedere poteſt in Regnis, prout obſervant DD. *in cap. Grandi de negligent. Prælator.* neque in feudis ex cap. 1. §. *Si quis de feudis*, uti adnotarunt multi relati, & ſequuti *á Molina lib. 1. de Primogen. cap. 4. num. 48.* nec in bonis Coronæ, ſaltem in Luſitania juxta Ordinat. lib. 2. tit. 35. ubi legendum, neque in Maioratibus inſtitutis ex bonis patrimonialibus. Molina ubi proximè num. 49. ac lib. 3. cap. 3. num. ult. Nec in Emphyteuſi Eccleſiaſtica, juxta Barthol. *in L. Ex facto*, §. *Si quis rogatus 1. num. 9. ff. ad Trebell.* eſtque communis opinio juxta Jul. Clar. verb. *Emphyteuſis*, Q. 30. & Gama Deciſ. 2.

44 Utrùm autem filius naturalis primogenitus ſuccedat in Maioratu, in quo filii ſimpliciter in ſucceſſione illîus vocantur, & nihil exprimitur de legitimis, aut illegitimis, excluſis agnatis, vel cognatis, in defectu filiorum vocatis, ac ſubſtitutis? Eſt ſententia pro utraque parte probabilis, circa quam legatur *Molina de Primogen. lib. 3. cap. 3. á num. 41. & Fagund. de Contract. lib. 6. cap. 15. num. 25. ac 26.*

45 Nunquid etiam filius naturalis hominis, licèt plebei, in Eccleſiaſtica Emphyteuſi ſuccedat, nullum in illa nominante patre, ſed decedente ab inteſtato, ac ſi legitimus eſſet? Etiam ſententia eſt pro utraque parte probabilis apud eundem *Fagund. num. 21.* parſque affirmativa expreſſa eſt in Luſitano Jure lib. 4. tit. 36. ubi legendum, legendus & *Gama Deciſ. 2. ac Valaſc. tom. 2. Conſult. 147. ad fin. qui Conſult. 134. num. 18. & 21.* ait clauſulam nominandi liberè quem voluerit extendi etiam ad indignos. Videatur *Phœbus 1. P. Deciſ. 96. num. 3.* Quando autem à principio conceditur Emphyteuſis Eccleſiaſtica naturali filio, tunc naturalis ſuccedere poteſt. Ripa ſup. num. 67. poſt Bald. in cap. *Quæ in Eccleſiarum*, num. 43. de Conſtitut. concedique à principio Emphyteuſim Eccleſiaſticam baſtardis, ac ſpuriis filiis poſſe tenet *Valaſc. ſup. Conſil. 134.* quia hoc non reperitur in Jure prohibitum. Vide *Ripam num. 66. Gama Deciſ. 2. num. 8. & Caldas Q. 16. de Nominat. num. 69.*

46 Si filius naturalis fuerit filius Clerici in minoribus, qui Clericus hominis plebei filius ſit, patri ſuccedere poteſt, quoniam Clericatus nobilem eum non facit, qui plebeius eſt natus, juxta Ordinat. Luſitanam, lib. 4. tit. 92. ibi: *E poſto que o piaõ tenha Ordens menores, naõ ſerá por iſſo havido por Cavalheyro, quanto a eſte caſo,* per quod oſtenditur filium Clerici in minoribus, ex ſoluta natum à patre plebeio, eſſe plebeium, ac proinde, Clericatu non obſtante, ſuccedit in bonis patris, etiam ſi pater Beneficiatus ſit, ſive Canonicus, & Præbendatus, quia Clericatus in minoribus, neque Beneficium in illis habitum ab homine plebeio ignobilitatis conditionem non tollit, neque illum ad equeſtrem dignitatem transfert, vel evehit, dictum

nanque

nanque Jus absolutè, ac universaliter dicit: *E posto que o pião tenha Ordens menores, &c.* & aliunde Beneficium de solo nobilitatem non præstat.

47 Hic duo alia agenda erant, primum de filiis adoptivis; secundum de nobilitate, sive quænam officia, vel artes secum nobilitatem afferant, aut non: sed utrumque omittitur brevitatis causâ. Tu circa primum inter alios videre poteris Fragozo tom. 3. Disp. 2. lib. 1. §. 7. per totum, Molinam tom. 1. de Just. verb. *Adoptivus*, ac Moron. Respons. 65. à num. 13. & circa secundum iterum Cardozo in Praxi Judicum, verb. *Officium*. Ripa lib. 2. Respons. cap. 26. Alciat. de Præsumpt. Regul. 1. Præsumpt. 48. Guido Decis. 292 Valasc. Allegat. 13. à num. 225. Tiraquel. de Nobilit. Cepol. etiam de Nobilit. Barbos. in Annot. ad Leges Regias, lib. 4. Ordinat. tit. 92. Cabedo 2. P. Aresto 7. & 36. Gama Decis. 212. ac ibi Flores illius Additionator Caldas Pereyra de Nominat. Emphyteusis, Q. 13. num. 51. Covar. in Epitom. 2. P. cap. 8. §. 4. Sanch. de Matrim. lib. 7 Disp. 24. Mendes à Castro in Praxi lib. 5. cap. 1. num. 65. Clarus §. *Emphyteusis*, Q. 30. Molina Disp. 166. ad 169. apud quos de re hac unum apud unos reperies, & aliud apud alios.

LECTIO IV.

De Hæredibus necessariis.

48 HÆredes alii sunt omnino necessarii, alteri sunt ab intestato, sunt & extranei alii; illi autem *necessarii* dicuntur hæredes, quos testator in Testamento suo præterire, vel exhæredare non potest, sed omnino necessariò eos hæredes instituere debet in legitima illis correspondente. Hæredes *ab intestato* illi dicuntur, qui succedunt, defuncto Testamentum non conficiente, aut si fecit, nulliter illud fecit, sive sine solennitate aliqua substantiali, ex qua nullum remanet. *Extranei* hæredes illi dicuntur, qui nec necessarii sunt, neque ab intestato succedunt, sed pro libito à testatore instituí valent. His sic positis, modo de hæredibus necessariis, & postea de non necessariis sermo. De extraneis autem cura hîc haberi non debet.

49 Dicitur primò quòd omnes legitimi filii, ex legitimo Matrimonio geniti, ac procreati, etiam non *sui*, sive emancipati, &c. tam masculi, quàm fœminæ, *hæredes necessarii* sunt respectu parentum suorum, (patris scilicet, ac matris) & respectu ascendentium suorum paternorum, ac maternorum, nempe respectu avi, & aviæ, proavi, proaviæ, &c. ita, ut si prætereantur, seu hæredes in Testamento non nominentur, eo ipso Testamentum irritum vadat, non data causâ præteritionis, aut exhæredationis, & data, ea non probata; atque adeo quando filii non adsunt, succedunt necessario nepotes, pronepotes, cæterique descendentes ita, ut propinquiores in gradu præferendi sint aliis. Quòd si eorum aliquis instituatur hæres, sed in minori quantitate, quàm ei ex Legibus debita sit, licet tunc Testamentum sit validum, contra illud tamen talis agere potest querelâ inofficiosi Testamenti ad incrementum usque ad legitimam portionem. Hæc omnia communia sunt, promiscuèque constant *ex cap. Si pater de Testam. L. fin. Cod. unde liberi, Instit. de exhæred. lib. in princip. §. 5. Instit. eodem, concordatque Novella 115. cap. 3. & Lex Non dubitem 5. Cod. de Legibus*; constat & ex Lusitana Lege, lib. 4. Ordinat. tit. 82. ubi legendum, docentque Salmant. tom. 3. Tract. 14 cap. 5. §. 1. num. 78. Jul. Clar. §. *Testam.* Q. 36. num. 1. Corneus Consil. 118. litera A. lib. 2. Molina Disp. 175. num. 35. Covar. in cap. Raynuntius, princip. à num. 3. estque certa, & communis.

50 Secundo dicitur quòd naturales filii, (illi autem, qui ex damnato coitu habiti sunt, nullatenus sunt necessarii hæredes, id quod certum, constat *ex Authent. Licet, Cod. de Naturalib.* constat & ex dictis, docetque communis) si legitimati sunt, æquo pede currunt quo ad hæreditatem, ac filii legitimi, ex legitimo matrimonio nati, suntque proinde necessarii hæredes ita, ut vel necessario instituí, vel nominatim exhæredari debent, exhæredationis justa causâ data, quæ teneat, sin minus Testamentum nullum evadet. Clarus §. *Testamentum*, Q. 84. Decius Consil. 52 & communis. Legatur Lusitana Ordinat. lib. 2. tit. 35. num. 12.

51 Dicitur tertiò quòd naturales filii non legitimati hæredes necessarii sunt respectu Testamenti materni ita, ut si mater eos in Testamento suo non instituat hæredes, vel exhæredet, nominatim exhæredationis justa causâ data, hæcque sit probata, tale Testamentum corruat, ac in nihilo vadat, juxta *L. Modestino 8. ff. unde cognati, & L. 1. §. Sed & vulgo, ff. ad Senat. C. Tertul.* docetque communis.

52 Non tamen, communi Jure attento, dicti naturales, sive *nothi* filii non legitimati necessarii hæredes sunt respectu Testamenti paterni; id quod commune est, & constat *ex Authent. Ex complexu, Cod. de incest. nuf. nupt.* in qua licèt tantùm de natis ex damnato coitu factus sit sermo, communiter tamen DD eandem Juris dispositionem ad dictos naturales filios extendunt ob rationem, scilicet, quòd dicta

dicta dispositio in legitimorum favorem, ac in odium fornicatorum sit facta. Legatur Clarus Q. 42. num. 4. cum Glossa communiter recepta *in L. 1. princip. verb. Naturales, ff. de bonis possess.* ¶ Dictum est, *communi Jure attento*: nam quid juxta Lusitanum Jus, quo ad Judicum, & Equitum liberos, videri poterit apud Ordinat. Lusitanas lib. 4. tit. 92. per totum, legique potest *Molina de Primogen. lib. 3. cap. 3. Cabedo 2. P. Arest. 36. Phœb. 1. P. Decis. 14. Barbosa in L. fin. Cod. de natural. lib. Ægid. de Privil. honest. Art. 13. num. 45. Valasc. Consil. 94. num. 9.*

53 Quartò dicitur quòd neque parentes, nec alii ascendentes testatoris hæredes ejus sunt necessarii, si testator legitimos descendentes habeat; si verò testator nullos legitimos descendentes habeat, tunc parentes, & ascendentes per lineam rectam, saltem quo ad legitimam, hæredes sunt necessarii ita taliter, quòd testator, nullis legitimis descendentibus habitis, teneatur ascendentes hæredes instituere, eisque suas legitimas relinquere, vel eos nominatim exhæredare, expressa exhæredationis causâ, sin minus Testamentum erit nullum quo ad institutionem hæredis, validum tamen quo ad legata, & fideicommissa in eo inserta, id omne, quod constat ex Novella 115. cap. 3. & 4. ac 118. cap. 1. docetque communis, estque expressa Lex Lusitana lib. 4. tit. 91. num. 1. ibi: *Deve necessariamente deyxar as duas partes de seus bens a ser pay, ou a sua may, se os tiver, &c.* sic ibi, & alibi. Legantur Salmant. sup. cap. 5. P. 6. num. 83. ad 85.

54 Dicitur quintò quòd, licèt fratres non sint propriè necessarii hæredes aliorum fratrum, sed quilibet frater, descendentes, & ascendentes non habens, Testamentum validè condere possit, nihil fratribus, ac sororibus suis relinquendo, sed quemcunque alium extraneum hæredem suum instituendo, sicut & legatarium, vel legatarios; nihilominus, si quis frater Testamentum condiderit, aliosque consanguineos præterierit fratres, ac sorores turpem personam pro hærede instituendo, possunt fratres, & sorores consanguinei per querelam inofficiosi Testamenti tale Testamentum rumpere; Clarus sup. Q. 5. Anton. Gomes Variar. Resol. tom. 1. cap. 11. num. 3. est communis, constatque planè *ex §. 1. Instit. de inofficios. Testam. ac L. Fratres 27. Cod. eod.* Et

Jus est expressum apud Lusitanos in Ordinat. lib. 4. tit. 90. ibi: *Geralmente he por Direyto permittido ao irmaõ que em seu Testamento possa desherdar seu irmaõ, posto que naõ declare causa alguma, porque o desherde, e naõ poderá o irmaõ desherdado contradizer, e fazer revogar o Testamento, em que assim for desherdado, salvo em cada hum destes casos, que se seguem*, scilicet: *Quando o irmaõ testador fizer herdeyra a pessoa infame de infamia de Direyto, ou de feyto; assim como, &c.* Legatur dictus titulus 90. per totum; quinam autem sint infami infamiâ Juris, habetur ibi, *& in L. 1. ac seqq. ff. qui notantur infamiâ, & L. 2. ac tot. tit. Cod.* ex quibus causis infam. irrogetur, facti autem infami in dicto tit. 90. etiam adducuntur, & *in L. Ea, que 13. Cod. eod. ac L. 2. Cod. de Dignit.* dicuntur que eos esse, qui sunt concubinarii, meretrices, mimi, lenones, ebrii, aleatores, & omnes illi, qui malæ famæ apud viros probos existunt, de quo *Gomes tom. 1. Var. Resol. cap. 11. num. 38. ac Clarus in Addit. num. 1.*

55 Licet tamen juxta dicta frater non teneatur ex justitia hæredes fratres suos instituere, si tamen fratres, vel alios consanguineos pauperes, graviterque indigentes habeat, ex charitate tenetur inter eos bona sua dividere, prout expediens fuerit, ad subveniendum eorum indigentiæ ita taliter, ut proximiores, & magis indigentes præferantur remotioribus, ac minus indigentibus. Ita cum multis *Salmant.* omnino legendi *sup. à num. 86. & Molina Disp. 159.* Et hinc liquidò patet

56 An sit, vel non absolvendus ille, qui ob inimicitias antea cum consanguineis ortas, vel habitas Ecclesiæ alicui, alteri vel personæ extraneæ, omnia bona sua reliquit, nihil relinquendo collateralibus consanguineis? Dicitur enim quòd, si testator non dum ex parte sua inimicitias dissolvit, sive deposuit, absolvi non debet, nec potest, cùm omnino sit indispositus; bene tamen, si inimicitias jam habeat depositas, vel tunc de facto deponat, resque prout debet quo ad inimicitias tales disponatur, tunc enim absolvi potest, ac debet, etiam Testamento persistente, & non mutato, nisi aliter postulent statuta particularium locorum, vel sit aliqua obligatio prudentis arbitrio ad præcavendum scandalum, sive ad consanguineorum indigentiam sublevandam, prout nuper dicebamus. Ita *Dicastill. lib. 2. Tract. 19. Disp. 1. Dub. 35. ibi legendus.*

LECTIO V.

De Legitima, quid sit, quibus, qualiter, & quanta debeatur, vel debeat relinqui?

VIdimus nuper quinam hæredes sint necessarii; nunc pro illis videndum id, quod hujus Lectionis modulatur titulus. Itaque

58 Dicitur primò quòd quo ad præsens *Legitima* hæreditaria portio illa est, quæ necessariis hæredibus (quales sunt descendentes, nempe

nempe liberi, nepotes, &c. ac deficientibus his, aſcendentes, nempe parentes avi) neceſſario in Teſtamento debet relinqui. Communis.

58 Secundò dicitur quòd de communi Jure loquendo, ſi liberi non ſint, niſi quatuor, legitima eorum portio eſt *triens*, ſeu tertia pars totius hæreditatis relictæ, alieno ære, funeralibuſque expenſis deductis; ſi verò liberi plures ſint, quàm quatuor, putà quinque, ſex, vel plures, tunc legitima eorum portio erit *ſemis*, ſive hæreditatis pars media, inter omnes liberos, maſculos, & fœminas æqualiter dividenda, id omne, quod conſtat *ex Novella* 18. *cap.* 1. *& Authent. Noviſſima, Cod. de inoffic. Teſtam.* vel *Authent. de triente, ac ſemiſſe*, §. 1. *& 2. & Authent. unde ſi pater de inoffic. Teſtam.* Et hinc vulgares illi devenerunt verſiculi.

Quatuor, aut infra dant natis Jura trientem,
Semiſſem verò dant natis quinque, vel ultra;
Arbitrium ſequitur ſubſtantia cætera patris.

59 Dicitur tertiò quòd, deficientibus parentibus, legitimi hæredes ſunt, & intrant nepotes, ſive multi ſint, aut pauci; ita ut, ſi unà cum teſtatoris liberis extent, non plus ipſi pro ſua legitima accipiant, quàm præmortuus eorum parens accepiſſet, ſi vivus exiſteret; quòd ſi, nullis teſtatoris extantibus liberis, ſoli nepotes exiſtant, omnes in ſtirpem ſuccedunt, & ſi nepotes ſint diverſorum teſtatoris filiorum, ac filiarum; id quod conſtat ex dicta Authent. *Noviſſima*, & Authent. *de triente, & ſemiſſe*, ac pro quo, & dictis legendi ſunt Thuſcus, litera L. Concluſ. 182. à num. 1. Salicet. in Authent. *Noviſſima*, Cod. de inoffic. Q. 6. num. 96. Caſtrenſis ibid. num. 5. Cancerius 1. P. Var. cap. 3. num. 1. Merlin. de Legitima, lib. 1. tit. 2. Franchis Deciſ. 47 Valaſc. de Part. t. cap. 17. ac Molina de Juſt. Diſp. 158.

60 Quartò dicitur quòd, deſcendentibus nullis extantibus, parentibus quoque debetur Legitima, ſunt enim juxta *Novell.* 115. *cap.* 4. & communem neceſſarii hæredes, & neceſſariis hæredibus, juxta Authent. de triente, ac ſemiſſe, neceſſariò debetur Legitima, & hæc eſt *triens*, ſive tertia pars hæreditatis illius, quam, nullo Teſtamento exiſtente, parentes ab inteſtato accepiſſent. Quando verò Teſtamentum fuit validum, eo quòd parentes hæredes inſtituuntur, & ſimul teſtatoris fratres, ac ſorores, tunc parentum Legitima erit ſola tertia pars illius hæreditariæ portionis, quam ipſi ab inteſtato accepiſſent. Si verò fratres, & ſorores præteriret teſtator, ſolamque matrem, vel ſimul cum ea extraneum, perſonam honeſtam, inſtitueret hæredes, tunc Legitima matris totius hæreditatis tertia pars erit, de quo Thuſcus ubi ſup. & Conſil. 185. num. 19. Graſſus §. Legitima, Q. 8. Iaſon in Authent. *Noviſſima*, Cod. de inoffic. Teſtam. num. 48. & alii.

61 Dicitur quintò quòd præter deſcendentes, & aſcendentes cæterorum nullus, & ſi ſint fratres, ac ſorores, hæredes ſunt neceſſarii, ut ex ſup. dictis conſtat. Commune eſt, & notum omnibus; unde fratres, ac ſorores præteriri optimè poterunt, & inſtitui hæredes quicunque alii extranei in omnibus liberis bonis, (ſecus in vinculatis) dummodo turpis perſona non inſtituatur, nam tunc fratres inofficioſi Teſtamenti querelam habent, uti ſuprà eſt habitum. Supra dicta omnia juxta commune Jus ſunt exarata. Nanque

62 Si de Jure hujus noſtri Portugalliæ Regni ſit ſermo, Legitima, ſive portio deſcendentibus competens duæ ſunt omnium bonorum teſtatoris partes inter eos æqualiter dividendæ, & ſolùm de reliqua tertia parte ad libitum teſtator diſponere poteſt; id quod conſtat, ſive deducitur ex lib. 4. Ordinat. tit. 82. ac ex aliis locis ejuſdem Ordinat. ¶ De Jure autem Regni Caſtellæ quid ſentiendum ſit? Videat lector *L.* 30. *Tauri, quæ eſt* 13. *tit.* 6. *lib.* 5. *nova Collect.* videat & etiam *Lugonem tom.* 1. *de Juſt. Diſp.* 24. *Sect.* 8. *num.* 161. *ac Salmant. Tract.* 14. *cap.* 5. *P.* 6. *num.* 79. Sed

63 Hic notandum *ex Salmant. ſup. num.* 80. *&* 82. primò quòd in bonorum portione legitima neceſſarii hæredes ea omnia, quæ ſinguli in dotem, vel donationem receperunt, ad bonorum cumulum, inter omnes dividendum, afferre tenentur; quòdque inſuper, ſi dos, vel donatio inofficioſa fuit, id eſt, portionem cuilibet contingentem exceſſit, exceſſus talis reſtitui debet, dividique inter omnes; de quo legenda eſt Luſitana Ordinatio lib. 4. tit. 97. ubi de re hac clarè, diſtinctèque agitur, ac legatur *Valaſc. de Jure Emphyteuſis, Q.* 1. *num.* 23. *& Conſil.* 88. *num.* 13. *tom.* 2.

64 Secundò notandum non poſſe aſcendentes (idem quod de deſcendentibus reſpectu aſcendentium) gravamen aliquod, aliquam vel conditionem, modum, &c. deſcendentibus imponere in Legitima, vel portione illa, quæ neceſſariò eis relinqui debet; ſed omne gravamen, omnem conditionem, omnemque modum, &c. ab eis impoſitum à Jure prorſus rejici, & haberi pro non impoſito; conſtat *ex L. Quoniam in prioribus. Cod. de inoffic. Teſtam.* Unde, ſi pater omnium bonorum ſuorum hæredem inſtituerit filium ſuum, ac in tota hæreditate gravamen impoſuit, impoſitio non valet in parte Legitimæ, ſed ſolùm in parte, quæ Legitimam excedat, & ſi tota hæreditas Legitimam non exceſſerit, in nihilo gravamen, ſeu impoſitio valebit. *L. Scimus*, §. *Cùm autem*,

autem, Cod. de inoffic. Testam. L. Quoniam 32. de quo legendus Covarruv. cap. Raynald. §. 2. num. 2. de Testam. Nata Consil. 156. num. 3. Gailus lib. 2. Observat. 119. num. 2. ac 121. num. 9.

65 Legitima debetur ex solis, omnibus, & singulis testatoris bonis, alieno ære priùs deducto, simul ac expensis funeris post testatoris mortem residuis; eo quod id, quod in bonis testatoris non est, ad hæredes transire nullatenus potest; & bona cujuscunque ea intelliguntur, quæ, alieno ære deducto, supersunt, quæ resolutio est juxta *L. Papinianus* 8. cum Concordantiis, tenetque Nata Consil. 156. num. 1. vol. 1. Covar. in cit. cap. Raynald. §. 2 num. 5. de Testam. Fachineus lib. 4. Controv. cap. 23. ac est communis.

66 Hic erat agendum de Inventario, & de ejus effectibus; sed de hoc vide in Repertorio ad Ordinat. Lusitan. verb. *Inventario*, ac in locis ab ipso relatis. Erat & secundò agendum de renuntiatione hæreditatis, ac simul de jure accrescendi. Sed de his vide *Torre de Pactis succes. futur. lib. 2. á cap. 1. Layman lib. 3. Tract. 5. cap. 7. Sanch. lib. 7. Moral. cap. 2. Merenda Controvers. lib. 1. cap.* 18. & alios Juristas, qui circa Juris subtilitates infudare non renuunt.

LECTIO VI.

De Exhæredatione hæredum necessariorum, & ob quas causas exhæredatio fieri possit?

67 EX dictis constat quinam sint necessarii hæredes, modò videndum id, quod titulus quærit; supponitque titulus id, quod est verum, ac inconcussum apud omnes, nimirum posse ascendentes descendentes suos necessarios hæredes exhæredare, & è converso descendentes ascendentes suos necessarios hæredes, si ad id justa, rationabilisque causa adsit, sine enim justa causa fieri Exhæredatio minimè valet, de exhæredatione namque dicitur quòd est *exclusio hæredis, aliás necessariò instituendi ab hæreditate ob causam legitimè facta.*

68 Ut tamen (justa causâ stante) Exhæredatio rite fiat, suumque sortiatur effectum, (sive fiat parentum ad filios, aut filiorum ad parentes) necessariò requiritur primò quòd exhæredatus in Testamento nominetur expressè, id quod est expressum in Jure communi, *Authent. Sed hodie, Cod. de inoffic. Testam.* habeturque *in princip. Instit. de Exhared. lib. & §. 5. eod.* Sed excipitur, nisi unicus sit filius, vel filia; nam tunc satis est quòd testator in Testamento suo dicat: *Filius*, vel *filia mea exhæres esto*; quia cùm non sit, nisi unicus, dicto modo sufficienter exprimitur §. 1. *Instit. eod.* ¶ Secundò requiritur ut legitima Exhæredationis causa in Testamento specificè exprimatur. Novella 115. cap. 3. ibi: *Et ipsas nominatim ingratitudinis causas parentes suo inseruerint Testamento.* ¶ Tertiò ut Exhæredationis causa in Testamento inserta ab hærede scripto legitimè probetur; dicta Novella cit. in loco ibi: *Nisi probabuntur ingrati.* His ita positis, agendum primò sequitur

De causis exhæredandi descendentes legitimè.

69 JUstæ, ac legitimæ causæ exhæredandi liberos, & alios descendentes, necessarios hæredes, quatuordecim dinumerantur in Jure, nimirum cit. Novella 115. cap. 3. quatuordecim ac etiam in Lusitano Jure lib. 4. tit. 88. ubi omnino legendum.

70 Prima igitur ex supradictis causis est, si quis filiorum, vel filiarum in parentes violentas manus injecerit, in eo peccando mortaliter. Citata Novella, & in Lusitano Jure sup. §. 4. ita: *E bem assim poderá o pay, ou mãy desherdar a seu filho, ou filha, se irosamente puzerem as mãos em seu pay, ou mãy.* ¶ Excipitur, si filius pro Patria pugnans patrem hosti adhærentem percusserit, sive occiderit. ¶ Et etiam si pro defensione propriæ vitæ, & membrorum contra patrem injustè, ac immoderatè castiganrem moderamine inculpatæ tutelæ se oppoſuerit, eique violentas injecerit manus; de quo *Covar. in cap. Raynuntius de Testam. num.* 13. & *Salmant. sup. cap. 5. P. 6. § 2. num. 90. initio.*

71 Secunda, si patri, vel matri gravem contumeliam, & inhonestam injuriam intulit; ita in dicta Novella, ac in Lusitano Jure sup. §. 5. ita: *Item se o adoestar de palavras graves, e injuriosas, mayormente em lugar publico, onde o pay, ou a mãy com razaõ se envergonhem*; quænam autem levis sit, vel gravis injuria habetur *apud Menoch. de Arbitrar. Jud. Causa* 26. *apud Clar. §. Testam. Q.* 42. *num.* 3. & apud alios; & communiter id Judicis arbitrio judicandum relinquitur, qualitate parentis, ac filii, loci, aliisque circunstantiis inspectis, & in Lusitano Jure, ubi nuper, sic dicitur: *E ficará em arbitrio do Julgador se as taes palavras saraõ graves, ou leves.*

72 Tertia, si pos accusaverit in criminalibus causis, (quæ non sint adversùs Principem, & Rempublicam, ac etiam hæresis crimen) si ex occasione, vel accusatione pater, aut mater puniendus sit pœnâ mortis, vel perpetui exilii, aut infamiæ notabilis, vel alia corporali pœnâ; & similiter quando in his criminalibus causis testis, aut Procurator, vel Advocatus adversùs parentem exiterit, & hoc sponte, & non coactus. Covar. de Testam. cap. 16. n. 15.

Sal-

Salmant. sup. cit. in num. constatque ex Gloss. in cap. *Veniens de testib. in 6. ac L. Qui cum* 14. §. 5. *ff. de bonis libert.* ex cit. Novella, & ex Lusitano Jure sup. §. 6. ibi: *Item se accusar crimemente o pay, ou a mãy por algum crime, que naõ toque a nosso estado.* ¶ Dictum est *in criminalibus causis*, nam in civilibus contra patrem agere, eumque accusare, &c. filius exhæredari non valet, quia qui jus suum prosequitur, nemini injuriam facit. *L. 155. ff. de reg. Juris.*

73 Quarta, si cum maleficis conversetur, communicet, & tractet, sitque cum illis maleficis (*feyticeyro, encantador*) factus. Eadem Novellâ, Legeque Lusitana sup. §. 7. ibi: *Item se usar de feyticaria, conversando com feyticeyros.* Salmant. ubi nuper.

74 Quinta, si in parentum necem insidietur, vel machinetur eam per venenum, aut aliquo alio modo, etiam si non sequatur effectus: dicta Novella ibi: *Si tentaverit*, unde ad exhæredationem satis est id tentasse, & habetur in Lusitana Lege sup. 8. ibi: *Item se der peçonha ao pay, ou á mãy, ou tratar de lha dar, e não ficar por elle serlhe dada, ou der azo, favor, conselho, ou consentimento a outrem ácintemente para lha dar.* Et iterum ibi §. 9. *Item se por qualquer maneyra por si, ou por outrem procurar sua morte.* Legatur Covar. ubi suprà.

75 Sexta, si novercæ suæ, aut concubinæ patris, domi ipsius patris retentæ, carnaliter se immiscuerit, rem vel cum illa habuerit (sed hoc, si scienter id fiat, nam ignorantia irreverentiam excusat.) Cit. Novella, ac in Lege Lusitana idmetipsum habetur, & extenditur ad filiam rem habentem cum suo vitrico, vel amasio suæ novercæ; sic enim ibi §. 10. *Item se houve affeyçaõ, ou ajuntamento carnal com a mulher de seu pay, ou com sua manceba, que comsigo tinha em caza manteuda, e governada; e omesmo dizemos na filha, que semelhante ajuntamento tiver com o marido de sua mãy, ou seu barrigaõ, que a tiveisse comsigo em caza manteuda.*

76 Septima, si delator contra parentes filius extiterit, per delationemque suam gravia eos dispendia sustinere fecerit sive in corpore, aut in fama, sive in fortunæ bonis, id, quod parum, vel nihil differt ab eo, quod sup. num. 72. exaratum relinquitur, & habetur expressè in Lusitana Lege sup. §. 11. ibi: *Item se deu informação famosa do pay, ou da mãy á Justiça, pela qual receberaõ alguma deshonra na pessoa, ou dano em seus bens, e fazenda*; quantum autem debeat esse dispendium, ut grave dicatur, Judicis arbitrio relinquitur. *L. 1. §. 2. ff. de jure delicti*, & aliis.

77 Octava, si quemlibet ex dictis parentibus inclusum esse contigerit; & liberi, qui possunt ab intestato ad ejus successionem venire, petiti ab eo ut unus ex his in sua fidejussione voluerit suscipere, vel pro persona, aut pro debito, in quantum esse qui petitur, probatur esse idoneus. Hoc tamen, quod de fidejussione censuimus, ad masculos tantum modo liberos volumus pertinere; quæ omnia formalia verba sunt citatæ Novellæ. Et in Lusitana Lege sup. §. 12. ita: *Item se o pay, ou a mãy forao prezos por divida, e o filho varaõ os não quizer fiar, para os tirar da cadea, sendo abonado, e abastante para os fiar, e livrar della, e sendo para isso requerido.*

78 Nona, si quis ex liberis prohibet, vel impedit nè parens faciat Testamentum, uti si testes impedit, sigilla abscondit, &c. dicta Novella 115. cap. 3. num. 9. & in Lusitano Jure sup. §. 13. ita: *Item se tolheraõ ao pay, ou á mãy fazerem Testamento ás suas vontades, porque nesse caso, morrendo o pay nesse tempo sem Testamento, será esse filho, ou filha excluido da sua herança, e naõ morrendo, poderaõ depois livremente desherdar esse filho, ou filha, que lho tolheu.*

79 Decima, si præter voluntatem parentum inter venarios, vel mimos se se filius sociaverit, & in hac professione permanserit; nisi forsan etiam parentes ejusdem professionis fuerint. Sic in citata Novella Q. 10. sed non in Lusitano Jure, cùm de eo nulla mentio fiat.

80 Undecima, si liberi parentibus in furorem, vel dementiam lapsis obsequium, & curam competentem non præbuerint, tunc enim, casus, si parentes ad sanitatem rediverint, tales filios exhæredare possunt; si autem in furore, vel dementia decesserint, tunc hæreditas ab intestato ad eum deveniet, qui parenti ita constituto usque ad mortem auxilium præstitit, & succurrit, negligentibus aliis; ita in dicta Novella cap. 35. §. 12. estque expressum in Lusitano Jure sup. §. 14. incipiente: *E se algum pay, ou mãy perdesse o siso natural, &c.* & ibid. §. 15. incipiente: *E perdendo algum homem, ou mulher seu siso, e entendimento, &c.* hæreditas ad extraneos de parentibus in dicto furore, vel dementia jacentibus curantes transit, si requisiti filii, vel filiæ de illis curare noluerint. Legatur dictum Jus utrobique.

81 Duodecima, si liberi parentem in captivitate hostis detentum non redimunt, dum possunt, justo jure exhæredantur à patre. Et si pater in tali captivitate intestatus moriatur, ipso jure filii exhæredes manent, hæreditasque ad Ecclesiam devolvitur, applicandaque erit captivis, qui sint illius Ecclesiæ, ex qua erat captivus ille demortuus. Dicta Novella cap. 3. §. 13. Et in Lusitana Lege sup. §. 16. ibi: *Outrosim, se o pay, ou a mãy vierem a ser cativos, e o filho, ou a filha forem negligentes em os remir do cativeyro,*

tiveyro, e ſe o pay, ou a mãy for poſto em liberdade ſem ajuda do filho, ou da filha, poderá o pay, ou a mãy, aſſim remido do cativeyro desherdallos livremente. E ſe o pay, ou mãy morrerem em cativeyro por culpa, ou negligencia de ſeu filho, ou filha, eſſe filho, ou filha aſſim negligente em os pôr em liberdade, ſerá excluido de toda a ſua herança pela culpa, e negligencia, que commetteu. Hæc ibi. Non tamen Eccleſiæ hæreditatis fit applicatio, ſicut in Novella prædicta.

82 Decimatertia, ſi alicui ex dictis parentibus volenti ſuæ filiæ, vel nepti maritum dare, & dotem ſecundùm vires ſuæ ſubſtantiæ pro ea præſtare, illa non conſenſerit, ſed luxuriolam vitam degere elegerit, tunc ipſa exhæredationi ſubjacet, ſi honeſtis nuptiis oblatis, luxuriolam duxerit vitam, ac ita in præfata Novela. Et

83 Jus Luſitanum ſe extendit ad amplius, cit. nanque tit. 88. §. 1. ſic dicitur: *E ſe alguma filha antes de ter vinte e finco annos dormir com algum homem, ou ſe cazar ſem mandado de ſeu pay, ou de ſua mãy, não tendo pay, por eſſe meſmo feyto ſerá desherdada, e excluida de todos os bens, e fazenda do pay, ou da mãy, poſto que naõ ſeja por elles desherdada expreſſamente.* Et additur ibi §. 2. dictos parentes dictam filiam hæredem inſtituere non poſſe contra voluntatem aliorum deſcendentium legitimorum, ſi adſint; ſecus autem, ſi deſcendens nullus adſit.

Præterea ibid. §. 3. additur quòd, *ſe a filha cazaſſe com homem, que notoriamente ſeja conhecido que cazou melhor, e mais honradamente do que ſeu pay, e may a podiaõ cazar, naõ fica desherdada, e excluida de todos os bens, e fazenda, como acima dito he, mas ſómente o pay, ou a mãy a poderaõ desherdar, ſe quizerem, da ametade da legitima, que lhe pertencia direytamente por morte de cada hum delles. E naõ a desherdando expreſſamente da dita ametade pela dita cauſa, haverá livremente ſua legitima em todo, como ſe o cazamento fora por conſentimento do pay, ou da mãy. E iſto quer ao tempo da morte haja outro filho, ou filha, legitimo, ou neto de cada hum delles, quer os naõ haja.*

84 Decimaquarta, ſi quis ex prædictis parentibus orthodoxus conſtitutus ſenſerit filium ſuum, vel liberos non eſſe Catholicos Fide, nec in Sacramenta Eccleſiæ communicare, licentiam habeant pro hac maxima cauſa ingratos eos, & exhæredes in ſuo ſcribere Teſtamento; ſic in adducta Novella, ac in Luſitana Lege ſup. §. 17 ita: *Item poderá o pay, ou a mãy, que forem Catholicos Chriſtãos, desherdar livremente os filhos, que perfeytamente naõ eſtiverem em noſſa Santa Fé Catholica, deſviando-ſe do que tem, e crê a Santa Madre Igreja.* ¶ Et concludit ibi §. 18. ita: *E tudo o que dito he ácerca do pay, ou da mãy, haverá lugar no avo, e na avó, e nos outros deſcendentes, aſſim da parte do pay, como da mãy.* Et

Omnes ſupradictæ cauſæ exhæredandi filios aſſignantur communiter à DD. inter quos legi poterunt Lugo de Juſt. tom. 2. Diſp. 14. Sect. 8. §. 2. Covar cap. Raynuntius de Teſtam. Molina tom. 1. de Juſt. Diſp. 176. Salmanr. ſup P. 6. §. 2. num. 90. & omnes in carminibus ſequentibus clauduntur.

Bis ſeptem ex cauſis exhares filius eſto,
Si patrem feriat, vel maledicat ei;
Carcere detruſum ſi negligat, aut furioſum
Criminis accuſet, vel paret inſidias;
Si dederit damnum grave, ſi nec ab hoſte redemit,
Teſtarique vetet, ſe ſocietque malis,
Si mimos ſequitur, vitietve cubile parentum,
Si mutet fidem, filia ſit meretrix.

85 Præter hucuſque enumeratas cauſas, ob alias æquè graves, vel graviores liberi exhæredari non valent, id quod expreſſum in dicta Novella 115. cap. 3. princip. uti ſic habetur: *Nulli liceat ex alia lege ingratitudinis cauſas opponere, niſi quæ in hujus Conſtitutionis ſerie continentur*; & de quo legendus Molina Diſp. 170. Peres de liber. præter. num. 18. Neque in contra facit textus *in L. Non poſſunt, ff. de Leg.* ubi ſic legitur: *Non poſſunt omnes articuli ſingillatim, aut legibus, aut Senatûs conſultis comprehendi; ſed cum in aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta eſt, is, qui juriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, & ita judicare debeat.* Neque illud tritum: *Ubi eſt eadem ratio, eadem eſt Legis diſpoſitio.* Ad utrumque nanque dicitur id verum habere, quando Lex ipſa extenſionem ob paritatem rationis expreſsè non prohibet, prout fit in præſenti, per illud: *Nulli liceat, &c.*

SUBLECTIO I.

De cauſis, ob quas liberis parentes, vel alios aſcendentes exhæredare liceat, & fratribus alios fratres.

86 Sicut parentes ob aſſignatas cauſas filios ſuos exhæredare queunt, ſic pariter filii ob aliquas cauſas parentes exhæredare valent. *Authent. ut cum de Appellat. cognoſcend. §. Cauſas autem*, citataque Novella 115. cap. 4. ſuntque octo, & ſequentes, quæ etiam in Luſitano Jure habentur lib. 4. Ordinat. tit. 89. quarum

87 Prim. eſt, ſi parentes liberos ſuos ad interitum vitæ tradiderunt, accuſando ſcilicet de crimine mortis pœnam inducente, (ſed hoc citra cauſam, quæ ad Maieſtatem Divinam, vel humanam, aut hæreſim pertinere cognoſcitur) tunc enim filius, vel filia parentes

tes ſuos exhæredare valet; ita Juribus allatis.

88 Secund. ſi venenis, aut maleficiis, modo vel alio parentes filiorum vitæ inſidiati probabuntur, ſive eorum mortem iunt machinati. Sic Juribus citatis, & tam hic, quam primus ille caſus in cit. Luſitano Jure, §. ſub his verbis habentur *Se o pay, ou a mãy der peçonha a ſeu filho ácintemente, ou por algum outro modo trataſſe, e procuraſſe ſua morte, eſſe filho, ou filha poderá licitamente desherdar tal pay, ou mãy de toda ſua herança.*

89 Tert. ſi pater nurui ſuæ, aut concubinæ filii ſui ſe ſe immiſcuerit, dummodo pater ſciat talem fœminam eſſe, vel fuiſſe concubinam filii ſui, & idem, quod dictum eſt de patre, dicitur etiam de matre, ſi ſciens cum marito filiæ, vel ejus amaſio fornicata fuerit. ¶ Quart. ſi parentes filios ſuos Teſtamentum condere prohibuerint in rebus, in quibus habent teſtandi licentiam. ¶ Quart. ſi pater, vel mater venenum dedit uxori ſuæ, matri filiæ, vel filii, aut mater marito ſuo, patri filii, vel filiæ, ut vitam ejus de medio tolleret, ſive aliter eum, vel eam procuravit occidere. ¶ Sext. ſi liberos, aut unum ex illis in furore, dementia vel conſtituto curare neglexerit. ¶ Septim. ſi liberi in captivitate detenti negliguntur à parentibus ipſis, quin de eorum libertate, redemptioneve potentes curent. ¶ Octav. ſi filius, vel filia Catholicus fuerit, & pater, vel mater hæreticus.

90 In omnibus his dictis caſibus, vel ob dictas cauſas poſſe filios, & filias exhæredare parentes, clarè conſtat ex cit. Novella, ac ex Luſitano Jure, dicto tit. 89. ubi omnino legendum, & hæc omnia in avis, & aviis locum habent, ſi contra nepotes ſimilia exerceant. §. Nanque 8. tit. præfati, ſic legitur: *E tudo o que dito he no pay, e mãy, que podem licitamente nos caſos acima ditos ſer desherdados pelo filho, ou filha, haverá aſſim meſmo lugar no avo, e na avò, que ſemelhante maldade houveſſe commettido ao neto, ou neta.* Et præfata omnia ſequentibus ſubſerantur in verſibus.

Si pater accuſet capitalis criminis, aut ſe
adjungat nurui, vitaque eſt inſidiatus,
teſtari prohibet gnatum, matrique venenum
præparet, aut incluſum in carcere, vel furioſum
negligat, & veram contemnat Religionem.

91 In Jure generaliter permiſſum eſt fratribus in Teſtamentis ſuis fratres ſuos exhæredare, quin exhæredationis cauſam ullam præſtent, & quin exhæredati fratres de inofficioſo Teſtamento querelam ullam præbere valeant, neque Teſtamentum factum revocare, ſive ejus revocationem petere; id quod etiam verum juxta Novellam 22. cap. 47. in ſequentibus caſibus, caſu, quo frater tentatur hæredem inſtituere fratrem. Primo quando frater fratri mortem machinatus eſt, ei aut inſidias paravit. Secundo, ſi criminalem contra eum ſubſcriptionem inducit; & tertio, ſi fratris opes perdere tentet, id quod clariùs ſequentes verſus declarant.

Tres licet ob cauſas ingratum pellere fratrem,
Si fratri inſidias, perniciemque ferat,
Si ſcelera pingat, ferro, factoque pianda,
Aut ſi fraternas perdere tentet opes.

92 In caſu tamen, quo frater Teſtamentum condens perſonarum turpem inſtituat hæredem (ſi enim honeſtam perſonam inſtituat, in nullo caſu, & ob nullam cauſam contra Teſtamentum fratris querelam inofficioſi Teſtamenti dare poteſt, tunc exhæredatus frater de inofficioſo Teſtamento arguere valet.) Et data doctrina habetur ac etiam in Luſitano Jure ſup. tit. 100. ubi legendum; ubi additur alia cauſa, nempe ſi cum fratris uxore rem habuit: *ou lhe dormio com ſua mulher.* Præterea additur quòd, ſi exhæredatus frater fuerit infamis, ſicut eſt perſona inſtituta hæres, tunc enim nihil contra fratris teſtamentum arguere valet, ibi: *Porèm, ſe o irmaõ desherdado foſſe taõ torpe, vil, ou infame, como o herdeyro inſtituido, naõ poderá elle contradizer o Teſtamento do irmaõ, em que aſſim for desherdado.* Legatur cit. tit. 100. per totum.

SUBLECTIO II.

Circa hucuſque tradita aliqua adnotantur.

93 SEd circa ſuperiùs dicta hîc aliqua notanda veniunt; notandum ergo eſt primò quòd caſibus in illis, in quibus pater filium, & filius patrem exhæredare poteſt, nullatenus ei alimenta omnino neceſſaria ad vitam agendam denegare valet, hoc enim eſſet quaſi eum occidere. *L. Necare, ff. de liberis agnoſcend.* ibi: *Necare videtur qui alimenta denegat*, & illud communiter tritum: *Si non paviſti, occidiſti*, de quo Villalob. Tract. 30. Diffic. 18. num. 8. Trulhench. lib. 7. cap. 28. Dub. 10. num. 7. & alii, ac de quo jam dedimus alibi.

94 Secundò notandum quòd, ſi pater juſta de cauſa exhæredavit filium, (& idem eſt de filio reſpectu patris) poſtea autem cum illo ſe reconciliavit, expreſsè, vel tacitè ei injuriam remittens, & ante conditum Teſtamentum, jam tunc non poteſt pater causâ illa ad eum exhæredandum uti, (non item ſi poſt Teſtamentum, cui exhæredatio jam eſt inſerta, niſi teſtator revocet Teſtamentum illud reconciliatio fiat) ac ita cum multis Clarus Q. 41. num. 9. & 10. Graſſus §. Teſtamentum, Q. 42. num. 9. Salmant. ſup. num. 95. Alexander

xander de Imola *in L. Dotis cauſa, ff. ſolut. matrim.* legatur Covar. de Teſtam. cap. 16. num. 24.

95 Notandum tertiò quòd, ſi filius poſt datam exhæredationis cauſam Monaſterium ingrediatur, ac Profeſſionem in eo emittat, omnis ingratitudo præcedens per tale quid delera omnino cenſetur, ipſoque Jure exhæreredatio ceſſat, & ſi reconciliatio non ſit ſequuta. Covarruv. ubi nuper num. 28. Abbas vol. 2. Conſil. 7. Felin. in cap. Rodolphus de Reſcript. Molina Diſp. 176. §. ult. Gloſſa *in L. Deo nobis, Cod. de Epiſcop. & Cleric. argum.* Can. fin. cauſa 19. Q. 3. ubi ſic legitur: *Non licet parentibus liberos, vel liberis parentes ab hæreditate repellere Monachos factos, quamvis dum laici fuerint in cauſam ingratitudinis inciderint.*

96 Quartò notandum quòd, ſi pater filium, vel filius patrem de facto poſt prædicta crimina patrata non exhæredaverit, vel quia morte præventus id facere non potuit, aut quoniam dictam ignoravit cauſam, &c. nullatenus manet filius ipſo facto exhæredatus, ac per conſequens non tenetur in conſcientia hæreditatem non adire, nec poſt patris mortem eam cauſam alii hæredes ei objicere poſſunt, ut eum ab hæreditate excludant, ſicque proinde non tenetur filius à parentum abſtinere bonis, donec vel ab ipſis exhæredetur, aut de facto à Judice damnetur, non obſtante quòd Lex aliquando dicat, *ipſo facto*, vel Jure, qui illud commiſerit, ſit exhæredatus; poſſunt legitimam portionem accipere, & exigere, ac in collectionem, & partitionem bonorum cum cæteris fratribus, aut cohæredibus venire, juxta generale fundamentum illud, nimirum, nullum teneri ante latam ſententiam pœnam ſubire, multoque minus contra ſemetipſum exequi illam. Molina cit. Diſp. 176. cum eo, multiſque aliis Salmant. ſup. cap. 5. P 7. num. 93. quod ſi in Luſitano Jure cit. tit. 88. dicitur *por eſſe meſmo feyto ſerá desherdada, &c.* id tantùm pro foro externo intelligi debet, & non aliter.

97 Notandum quintò circa caſum, vel cauſam ſup. num. 82. allatam, ubi de filia luxuriosè vivente, *dormir com algum homem*, de qua diximus, patrem, ac matrem eam exhæredare poſſe, id verum eſſe reſpectu patris, etiam ſi ipſe luxuriosè vivat, neque de facto ſit emendatus, ſecus autem reſpectu matris, ſi ipſa ſit etiam meretrix, ſive luxuriosè vivat. Barboſa *in L. Viro, atque uxore* Tract. 16. ff. ſoluto matrim. per *L. In arenam* 11. Cod. de inofficioſ. Teſtam. Bernard. Dias regul. 457. Molina Diſp. 179. & alii. ¶ Si tamen mater jam ſit extra turpitudinis ſtatum, ac emendata, bene filiam meretricem exhæredare poterit, (& ſatis eſt quòd ſit emendata tempore, quo Teſtamentum fecit) ſicut quæcunque alia mater honeſtè vivens poteſt filiam ſuam ſine ejus conſenſu nubentem ante 25. annum exhæredare. Legatur Ægid. Luſitan. in repetit. *L. Titia*, P. 3. num. 38. ac 41. & de Jure, ac privil. honeſtatis, Art. 7. num. 11. Caldas Pereyra in QQ. forenſ. ad §. *Soror*, num. 31. Inſtit. de inofficioſ. Teſtam. ¶ Cæterùm, ut filia luxuriosè vivens exhæredari poſſit, non ſufficit, ſi ſemel, aut bis corporis ſui copiam faciat, prout cum Molina notat Dicaſtill. lib. 2. Tract. 19. Diſp. 1. Dub. 35. n. 392.

98 Rogabis primò an filia vidua, minor tamen 25. annorum, à parentibus exhæredari valeat, ſi ipſa ſtuprum committat, vel ſecundo nubat, patre, aut matre inconſultis, vel renitentibus illis? Affirmavit Ægid. *Tract. de Jure, & Privil. honeſt. Art. 7. num. 9. ac 10.*

99 Deinceps tenendum quòd, ſi vidua hæc digno nubat, ſtuprum & ſit ita occultum, ut in externo foro probari nequeat, non poteſt hæreditate privari; quia tunc non fit injuria tam gravi pœnâ digna id faciendo, parentibus inconſultis. Rebel. de Juſt. 2. P. lib 2. Q. 14. num. 30. verſ. 3. *notandum.* Ratio eſt: quoniam, cùm Luſitana Lex ſit pœnalis, ſecundùm meliorem ſententiam extendenda non eſt extra propriam caſum, cùm igitur Lex non loquatur, niſi de primis nuptiis, vel de ſtupro ante 25. annum, nonque loquatur de nuptiis ſecundis, nec de ſtupro à vidua commiſſo, pœnaque odioſa ſit, imponenda non eſt, ubi non eſt expreſsè in Jure *cap. 15. Qui de ſentent. excommunicat. in 6. Sayrus in Clavi Reg. lib. 8. cap. 3. Sanch. Decal. lib. 2. cap. 18. num. 4. & 5.* Et hinc

100 Sequitur filiam in corpus ſuum peccantem, vel poſt 25. annum inconſulto patre nubentem exhæredari non poſſe, ſive digno, aut indigno nubat, & hoc, tam de Jure Cæſareo, quam Luſitano, conſtat ex Authent. *Sed ſi poſt de inoffic. Teſtam.* ¶ Imò poteſt cogere patrem in pœnam differendi nuptias tanto tempore ut ſibi congruam conſtituat dotem, quantumcunque, eo inconſulto, nupſerit *Rebel. Q. 14. Sect. 14. num. 2. Cald. Pereyra in QQ. forenſ. Q. 18. num. 7.* & alii. ¶ Si tamen nubat ſervo poſt 25. annum ſine patris conſenſu, exhæredari valet propter ſpecialem injuriam parentibus, & cognatis ex eo matrimonio illatam. Contrarium tenet Palacios in repet. cap. *Per veſtras* 3. Notab. §. 16. num. 2. pag. 207.

101 Secundò rogabis an pars illa, quæ danda fuiſſet filio exhæredato, accreſcere debeat filiis aliis? Tertiò nunquid, exhæredato filio, admittatur nepos, & hic querelâ inofficioſi Teſtamenti agere poſſit? ¶ Ad prim. reſpondetur

pondetur affirmativè ; pro quo legendus eſt *Lugo de Juſt. tom. 2. Diſp. 24. num. 170.* Ad ſecund. autem negativè, ſi nepos poſt teſtatoris mortem naſcatur ; affirmativè verò, ſi antea ejus mortem ſit natus ; pro quo legatur *Dicaſtill. ſup. Dub. 21. num. 409. ac Rebell. 2. P. lib. 2. Q. 14. Sect. ult.*

102 Rogabis quartò utrùm pater uni filio pluſquam aliis relinquere poſſit, vel aliter nunquid liceat patri unum ex filiis, aut deſcendentibus meliorare in aliquibus bonis, modò reliqui filii, vel deſcendentes legitimâ ſibi debita non priventur ? Reſolvitur affirmativè, quódque in hoc contra juſtitiam non peccat, ſi tale fecerit, & ſi id ſine juſta cauſa faciat; quidquid ſit an committat peccatum inordinati affectûs erga liberos, ac ſaltem reductivè contra virtutem pietatis ; (imò, juſta ſtante causâ, minus dignum, magis digno relicto, meliorare in utroque foro poſſe reſolvitur) id quod probat factum Jacob Patriarchæ, qui filium ſuum Joſeph Lib. Geneſ. cap. 4 n. 8. meliorávit in una parte, quam tulerat de manu Amorrhæi in gladio, & arcu ſuo. Sed de re hac agit Anton. Gomes in L. 13. Tauri, Vaſq. de Teſtam. cap. 7. §. 3. Sanctus Antonin 3. P. tit. 9. cap. 2. Sylveſter verb. *Legitima*, Navar. cap. 17. Dicaſtill. legendus lib. 2. Tract. 19. Diſp. 1. à Dub. 22. uſque ad 34. & nos non pauca huc ſpectantia ſup. cap. de Donat. dedimus.

103 De jure deliberandi, de inventario, de petitione, aditione, repudiatione, abſtentione, & de renuntiatione hæreditatis, ſimul & de jure accreſcendi hîc non agitur, quia id ad Moraliſtas non pertinere, ſicut nec ad Confeſſarios ex ſe clarè dignoſcitur, directè enim ad Juriſtas, cauſidicoſque id maximè attinet; ſi quis autem aliquid horum videre cupit, videat (eſtò non omnia conjunctim reperiat in omnibus) *Molinam Diſp. 154. 219. 412. & 579. Thuſcum tom. 4. Concluſ. 249. Manticam de Conject. ult. volunt. lib. 12. tit. 12. Martham, Conſil. 448. Layman lib. 3. Tract. 5. cap. 6. Covar. cap. 16. §. 11. de Teſtam. Clarum §. Teſtamentum, Q. 66. Torre de Pactis futur. ſucceſſ. lib. 1. cap. 20. ac 26. Menoch. Conſil. 1. Sanch. lib. 7. Moral. cap. 2. & 7. Merenda Controv. lib. 1. cap. 18. Surdum Conſil. 133. Azor tom. 2. lib. 2. cap. 28.* & circa partitionem bonorum omnino legendum Jus Luſitanum lib. 4. tit. 96.

LECTIO VII.

De ordine, quo hæredes ab inteſtato ſuccedant.

104 HIc ante omnia agendum erat de quidditate conſanguinitatis, de ejus lineis, ac gradibus, ut ſic dicenda meliùs intelligi poſſent, id quod hîc omittitur ; quia de eo aliquantulum actum jam à nobis relinquitur tertia hujus *Breviar. Parte, Tract. 12. cap. 5. Lect. 4. ubi legendum.*

Ille autem ab inteſtato decedere dicitur, qui vel Teſtamentum non condidit, illud jure condere potens ; quoniam illud condendi tempore caruit, & ſi tempus habuit, illud condere noluit ; deinde ille inteſtatus decedere dicitur, qui ideo Teſtamentum non fecit, quia jure non potuit, vel quoniam non erat in ſtatu, vel ætate condendi illud, ut pupillus, amens, &c. rurſus ille inteſtatus decedit, qui, licèt Teſtamentum fecerit, illud tamen nullum, irritum, ac invalidum fuit ob defectum alicujus ſolennitatis requiſitæ, uti præteritionis hæredis, vel ob alias cauſas, aut ſi illud validum fecit, ante mortem illud rupit, aut revocavit, vel quia poſtea natus ei eſt filius in Teſtamento præteritus, aut quoniam poſt Teſtamentum in filium adoptavit aliquem, vel quia teſtatoris delicto nullum eſt factum. Item quando ex Teſtamento ex ſe valido nullus extitit hæres, aut quoniam hic mortuus eſt ante teſtatorem, vel quia hæreditatem repudiavit, aut fuit inſtitutus ſub conditione, quæ non fuit impleta. Ita *Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſtato deferuntur in Princip.* & quibus modis Teſtam. infirmetur per totum. In præſenti ergo quærimus quinam ſint ii, qui in tali caſu ſuccedunt; eritque de deſcendentibus, & aſcendentibus, ac de conſanguineis tranſverſalibus ſermo ; ſit itaque primo loco

De deſcendentibus, & aſcendentibus.

105 AB inteſtato igitur moriente aliquo, ei primo loco deſcendentes ſuccedunt, quicunque illi ſint, ſi ſint legitimi, ut filii, nepotes, pronepotes, &c. ſive ſint mares, aut fœminæ, ordine tamen in gradu propinquitatis ſervato ita, ut omnes filii ſuccedant per capita, & omnes, ac eorum ſinguli in portiones æquales. Dein ſuccedunt nepotes, vel pronepotes ex aliquo filio ante defuncto, non tamen per capita, ſed ſolùm per ſtirpem (ſuccedunt enim, quatenus repræſentant perſonam patris) ita, ut omnes nepotes, aut pronepotes filii unius fratris, cùm unam tantùm repræſentent perſonam, (nempe perſonam patris)

patris) unam solam portionem inter omnes dividendam accipiant, & qualem illi, quam singuli alii filii extantes accipiunt; quod est verum de omnibus filiis, viris, fœminis emancipatis, ac non emancipatis, etiam ingratis, & qui exhæredationis causam dederunt, sed non fuerunt exhæredati, omnes enim per capita æqualiter succedunt, dempto semper alieno ære, & competenti funeris impensâ facta. Ita habetur *Authent. de hered. ab intestato*, §. 1. *Authent. in successione de suis, & legit. haredib.* Et quando dicimus: *Dein succedunt nepotes, &c.* non est intelligendum quòd, viventibus filiis, nepotes succedant, simulque cum patribus suis ad successionem veniant, sed filiis mortuis, tunc nepotes ad successionem accedunt cum patruis suis modo explicato.

106 Si ille, qui ab intestato moritur, descendentes non habeat, qui ei succedant, tunc illi ascendentes succedunt in omnibus suis bonis, exclusis collateralibus, seu transversalibus omnibus, (modo, & ordine infra) ac ita succedunt, Castellano, & Lusitano Jure attento, ut pater, ac mater (exclusis fratribus, etiam utrinque conjunctis) æquis portionibus intrent in succedendo, & si solus pater vivat, (ac idem, si vivat sola mater) ille in totam hæreditatem succedit, avis, & proavis omnino exclusis; si autem nullus ex parentibus vivat, ad succedendum, proavis exclusis, intrant avi ita, ut si paterni, ac materni fuerint avi, in duas æquales partes dividatur hæreditas, quarum una pro paternis, pro maternis altera assignetur, licèt in numero non sint æquales; id quod verum, sive bona filii defuncti à patre, vel à matre proveniant, quia Leges sine distinctione de diversis bonis loquuntur; unde omnia modo dicto dividenda sunt inter ascendentes paternos, & maternos, undecunque nepotes proveniant. Salmant. sup. num. 99. Molina Disp. 163. Lugo Disp. 24. Sect. 8. num. 117. ac 118. & passim alii, estque in Lusitano Jure expressum: lib. 4 tit. 91. ibi: *Finando-se o filho, ou filha sem Testamento em vida de seu pay, ou mãy, ou de ambos, o pay, e mãy, ou qualquer delles, que vivo for a tal tempo, herdará todos seus bens, e fazenda, posto que hajão outros filhos irmãos do defunto, porque o pay, e mãy excluem em todo os irmãos do defunto de sua herança.* Et

107 In eodem Lusitano Jure (id, quod ex communi Jure aliis etiam observatur in Regnis) ibid. deciditur quòd, si filius, vel filia non ab intestato, sed cum Testamento decesserint, necessariò duas omnium bonorum suorum partes, si descendentes non habeant, patri, aut matri, si superstites sint, in Testamento suo relinquere debent, solùmque de bonorum suorum tertia parte pro libito suo disponere possunt, quæ omnia locum habent etiam in avis, (deficientibus patribus) & omnibus aliis ascendentibus, ubi nanque ascendentes adsunt, fratribus quo ad hæreditatem nullus tribuitur locus, ita planè in Ordinat. Lusitana, ubi nuper §. 1. ibi: *E falecendo o filho, ou filha com Testamento ::: deve necessariamente deyxar as duas partes de seus bens a seu pay, ou a sua mãy, se os tiver, e da terça parte poderá ordenar como lhe aprouver. E isto mesmo haverá lugar no avo, e na avò, e outros ascendentes, porque onde houver ascendentes, naõ herda o irmaõ.* Et hinc

108 Manifestè deducitur quòd, deficientibus descendentibus, vel eis justa causâ exhæredatis, &c. tunc necessariò succedunt ascendentes, necessariique sunt hæredes; ex ascendentibus non omnes sunt necessarii hæredes, sed solùm proximiores in gradu; unde, vivente utroque parente, uterque per partes æquales instituendus est hæres, aut ab intestato succedere; si autem solus vivit eorum alter, putà mater, hæc sola institui debet, vel ab intestato succedit, non verò paternus avus, quoniam in ascendentibus superiores non repræsentant inferiorem defunctum, sicut defunctum patrem repræsentant nepotes, ut per stirpem avo suo succedant: utroque parente defuncto, succedunt avi ita, ut dimidia pars ad avos paternos, ad maternos altera dimidia pertineat, si sint, etiam si uterque paternus vivat, & solus alter ex maternis. Nullo manente avo, succedunt proavi, si sint, cum eadem met divisione; sed si solùm sint ascendentes ex patre, vel matre, tunc proximiores in totum succedunt, id omne, quod habetur *Authent. de hered. ab intest. Collat. 9. Authent. defuncti, Cod. ad Senat. Consult.* Trebell. legatur ac etiam Novella 158. cap. 1. 2. & 3.

109 Ascendentes etiam filio posthumo succedunt; casum ponamus; prægnante Mariâ, moritur Petrus, ejus vir, post cujus obitum nascitur filius ejus, (qui verè sit homo, & non monstrum) & hic statim ac nascitur, moritur, & adhuc inter obstetricis manus, aut inter crura materna. Tunc ex communi, Lusitanoque Jure succedit ei mater: (secus ex Jure Castellæ; ex hoc nanque Jure requiritur quòd supervivat proles per 24. horas naturales à puncto, quo egressus ab utero est, ac insuper quòd baptizatus moriatur, alioquin abortivum censetur, & nec patri, vel matri succedere valet, de quo legendi *Salmant. sup. num.* 80.) quia ipse infans pro illo instanti, vel puncto, quo vixit, successit parenti, ac per mortem ipsius infantis in ipsam matrem jus succedendi transfertur.

110 Item, si puer, aut infans nascatur, & statim

ſtatim in puerperio ejus mater moriatur; imò, etiamſi poſt mortem matris, rupto, vel ſciſſo ventre, (prout accidit Divo Raymundo Nonnato) filius e matris utero vivus egrediatur, jam matri tanquam legitimus hæres ſuccedit; & ſi contingat quòd per unum inſtans poſt mortem matris ipſe infans etiam moriatur, tunc in omnibus bonis ſuccedit pater; ac ſi ipſe pater mortuus fuerit, tunc transfertur hæreditas ad proavos avi, & his deficientibus, ad conſanguineos tranſverſales. *L. Quod dicitur de liber. & poſthum. L. 2. ac 3. de hæred. inſtit.* Molina ſup §. *Obſerva*, Lugo de Juſt. tom. 2. Diſp. 24. Sect. 8. §. 3. num. 178. Salmant. ſup. num. 100. & alii plures.

111 Si mater vidua filium habeat, (vel filiam) hicque filius bona ſibi habeat ex patre ſuo, vel avis paternis provenientia, taliſque filius ſine deſcendentibus inteſtatus decedat, eaque de cauſa ei mater ſuccedat, quæ poſt ſucceſſionem, vel antea, aut tempore eo, quo ſuccedit, ad ſecundas tranſierit nuptias, tunc, caſus, ſi mater ipſa ſecundo nupta filium, vel filios filii defuncti fratres ex primo matrimonio habuerit, habebit tantùm uſumfructum pro vita ſua in talibus bonis dicti filii defuncti, quin bona ea aliquo modo diſtrahere valeat; ſed ea bona, mortua matre, ad ſolos filios primi matrimonii (& nullo modo ad filios ſecundi matrimonii) revertentur, ſi ſint ſuperſtites; ſed ſi tempore mortis matris nullus ex primo matrimonio filius ſit ſuperſtes, tunc hoc non tenebit, etiam ſi ſic ſuperſtites ſint nepotes ex filiis præfatis. ¶ Si tamen tempore mortis matris aliquis extiterit filius ex priore matrimonio, & etiam aliquis extiterit nepos filii defuncti, etiam ex priori matrimonio, tunc iſte nepos cum illo filio (qui eſt ſuus patruus) ſimul ad ſucceſſionem concurrit per ſtipitem; & ſi filius mortuus, de cujus ſucceſſione hîc agitur, ante mortem legitimè Teſtamentum condidit, communi Juri tunc erit ſtandum; & hoc omne, quod de matre dictum eſt, debet etiam de patre intelligi, cum hac tamen differentia, quod pater filio ex legitimo matrimonio ſine deſcendentibus decedenti ab inteſtato ſuccedens, cautionem præſtare non tenetur; bene tamen mater de bonis mobilibus ex parte matris filio devenientibus, quòd ea bona ſuo tempore reſtituet cui, vel quibus comperant. Diſpoſitio tamen hæc in avis, & aviis non habebit locum; quæ omnia habentur (& clariùs, quàm hîc in Luſitano Jure cit. tit. 9. ubi omnino legendum. Legatur ac etiam *Lugo ſup. num.* 181. *& Molina ſup. num.* 6.

112 Si autem ſcire velis primò quid ſentiendum circa uſumfructum bonorum filii decedentis ab inteſtato, & qui uſusfructus erat apud patrem, vide Covar. cap. *Quia nos* de Teſtam. num. 2. Molinam ſup. num. 7. ac 8 & alterum Molinam Juriſtam lib. 2. de Primog. cap. 9. num. 21. ¶ Secundò ſi ſcire velis, an quando filius (vel alter) in aliquibus bonis patris (vel alterius) uſumfructum habet cum facultate, ut poſſit Teſtamento ſuo putà de quantitate 100. aureorum ex dictis bonis liberè diſponere, filiuſque talis ab inteſtato moriatur, ſuccedat in dictis 100. aureis, cui relicta eſt dictorum bonorum proprietas, nunquid verò hæredes defuncti morientis ab inteſtato, vide *Lugonem ſup. num.* 183. *Sanch. lib. 4. Conſil. cap.* 1. *Dub.* 33. ¶ Tertiò ſi ſcire velis quid fœmina quinquagenaria, & ſupra, filios habens, ac deſcendentes alios, qui ei ſuccedere poſſunt, de bonis ſuis facere debeat, & poſſit, lege Jus Luſitanum cit. lib 4. tit. 105. ad 107.

113 Filii legitimi, ſive ex legitimo matrimonio geniti, quicunque ſint illi, ſive mares, aut fœminæ, ſive ſui, vel emancipati, ſive laici, aut Clerici, ſive Monachi, vel Moniales, omnes per capita, & æqualiter ab inteſtato ſuccedunt patri, ac matri, & omnes, tam aſcendentes, quàm cæteros deſcendentes à ſucceſſione excludunt. Communis, & conſtat ex cit. *Novella* 118. *cap.* 1. *ac ex Authent. de Succeſſ. Cod. de ſuis, & legitimis, ac ex L. Cum ratio 7. ff. de bonis damnat.* ¶ Idem omnino dicitur de filiis naturalibus, qui per ſubſequens Matrimonium legitimum legitimati fuerunt, §. 2. *Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt. & cap. Tanta 6. qui filii ſint legitimi.*

114 Filii naturales per Reſcriptum Principis legitimati, etiam ſicut legitimè nati, parentibus ſuis ab inteſtato decedentibus ſuccedunt per capita, ſed ad hoc tria requiruntur. Primum, quòd nulli filii legitimi ex matrimonio legitimo extent. ¶ Secundum, quod pater cum tali fœmina, ex qua talem filium habuit, ex juſta cauſa matrimonium contrahere nequeat, ut ita per ſubſequens matrimonium talis proles maneat legitimata. ¶ Tertium, quod proles in legitimatione tali conſentiat. *Novella 74. cap.* 1. *& 89. cap.* 9.

115 Filii naturales, non legitimati, æquali Jure cum legitimè natis matri (& ſi ſit perſona illuſtris) ab inteſtato ſuccedunt Conſtat enim ex L. Si qua illuſtris ad fin. Cod. eod. ibi: *Si autem concubina liberæ conditionis conſtituta filium, vel filiam ab homine libero habitam procreaverit, eos etiam cum legitimis liberis ad materna venire bona, quæ jure legitimo in ſuo patrimonio poſſidet, nulla dubitatio eſt.* Conſtat ac etiam *ex L. 2. unde cognati, c. Noviſſimè, Inſtit. ad 5. C. Orfitian.* ¶ Minimè tamen patri ab inteſtato ſuccedunt, ſi legitima proles, vel nepos, aut

uxor ejuſdem patris exiſtunt, ſecus deficientibus omnibus iſtis, tunc enim tales naturales filii præter nutrimentum ſextam bonorum partem, ſive duas uncias habent ita, ut una pro ipſis, altera pro matre remaneat. Dicta *Novella* 18. *cap.* 5. & 89. *cap.* 12.

116 Filii progeniti ex damnato coitu, ſcilicet Presbyterorum filii, vel ex adulterio, aut inceſtu habiti, neque patri, nec matri ſuccedunt, eſto nulli legitimi filii adſint: *Novella* 83. *cap. fin. & Authent. Ex complexu, Cod. de inceſt. nupt.* (alimenta tamen eis dari debent, ut conſtat ex dictis) ac idem de filiis, quorum parentes ob crimen læſæ Maieſtatis condemnati extant. *L. Quiſquis* 5. §. 1. *Cod. ad L. Jur. Manſt.* & idem de liberis eorum, qui ob hæreſis crimen damnantur, *Cod. Excommunicamus* 3. 5. *damnati de hæret.*

117 Nepotes (ac idem de pronepotibus in defectu nepotum) avis ſuis, & aviis cum patruis ſuis æquali jure ſuccedunt, cum hac tamen differentia, quòd patrui per capita, nepotes verò, vel pronepotes per ſtirpes ſuccedant; ac deficientibus patruis omnibus, tunc avis, & aviis ſuccedunt omnes nepotes, vel pronepotes per ſtirpes, non verò per capita; ponamus claritatis gratiâ quòd Petrus tres filios (aut filias) habuit, omnes Matrimonium duxerunt, & eorum unus quinque liberos habuit, alter tres, ſolum unum & alter; tunc, caſus, omnia avorum bona morientium ab inteſtato in tres partes dividenda erunt; ita ut quinque illi nepotes unam, tres alteri alteram inter ſe dividendam, ac ille unus alteram ferant, quia non per capita, ſed per ſtirpes in avorum bonis ſuccedunt; hoc quid commune eſt, & conſtat *ex §. Cum filius 6. Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt. Novel.* 118. *Authent. In ſucceſſ. Cod. de ſuis, & legit.* ¶ Quòd ſi parens nepotem, filius ſcilicet avi, hæreditatem ab inteſtato adire nolit, vel non poſſit, tunc præfato modo ſuccedunt nepotes.

118 Ultra dicta in præfata Novella 118. cap. 2. ſic dicitur: *Si plurimi aſcendentium vivunt, qui eundem habent gradum,* (de ſecundo, & ulteriori ſermo) *ex eo inter eos hæreditas dividatur, ut medietatem quidem accipiant á patre aſcendentes, quanticunque fuerint, medietatem verò reliquam á matre aſcendentes, quantoſcunque eos inveniri contigerit.* ¶ Et ibid. iterum: *Si cum aſcendentibus inveniantur fratres, aut ſorores, ex utriſque parentibus conjuncti defuncto, cum proximis gradu aſcendentibus vocabuntur; ſi & pater, aut mater fuerit, dividenda quippe inter eos hæreditate ſecundum perſonarum numerum, uti & aſcendentium, & fratrum ſinguli æqualem habeant portionem.* ¶ Præterea Novella 127. cap. 1. (per quam corrigitur Novella 118. cap. 3.) ſic habetur. *Hoc itaque juſtè corrigentes, ſancimus ut ſi quis moriens relinquat aſcendentium aliquem, & fratres, qui poſſunt cum parentibus vocari, & alterius præmortui fratris filios, cum aſcendentibus, & fratribus vocantur etiam præmortui fratris filii, & tantam accipiant portionem, quantam eorum futurus erat pater accipere, ſi vixiſſet.* Hæc omnia attentè lege, ac intelligere cura.

119 In omnibus autem caſibus illis, in quibus filii naturales, & illegitimi parentibus ſuis ſuccedunt, parentes ac etiam ſuccedere illis, docent Covar. in Epitom. ſucceſſ. ab inteſt. num. 19. Barthol. *in L. ult. ff. de his, quibus ut indign.* & Bald. in Authent. *Licet*, Cod. de Natural. argum. Novellæ 18. cap. 13. ibi: *In quibus caſibus naturales filios vocavimus ad ſucceſſionem, in iis quoque & ipſi decentem naturalem patribus devotionem ſervent, eandemque menſuram, ſicut parentes proſpiciunt naturalibus filiis ſecundum noſtram Legem, & ipſis parentibus compenſent in ſucceſſionibus, ſive in alimentis.*

SUBLECTIO.

Circa collaterales, ac uxores.

120 DE ſucceſſione tranſverſalium, ſeu collateralium loquendo, dicitur quòd deficientibus deſcendentibus, & aſcendentibus, tunc ab inteſtato ſuccedunt conſanguinei tranſverſales, ſeu collaterales uſque ad 10. gradum incluſivè, ita tamen, ut ſemper præferantur illi, qui proximiori conjuncti ſunt gradu, ac ſi omnes in eodem ſint gradu, omnes ſuccedunt per capita; ſed in feudis ſolùm uſque ad ſeptimum gradum, in Maioratibus autem uſque ad quemlibet abſque termino, & gradus juxta Jus Civile (de quo nos alibi ſermonem fecimus) computari debent. Legantur *Molina Diſp.* 164. *Lugo ſup. num.* 184. *ac Salmant. ſup. num.* 102. Et hinc

121 Reſolves primò quòd ab inteſtato decedente fratre, deſcendentes, & aſcendentes nullos habente, tunc ei ſuccedunt illius fratres utrinque conjuncti, id eſt, ex eadem matre, ac ex eodem patre progeniti, (excluſis ſemifratribus, ſive ex uno ſolo parente natis, quos Luſitani *meyos irmãos* appellamus) ſingulique omnes portionibus æquis ſuccedunt, ſive per capita: *Authent. de hæred. ab inteſt. §. Si igitur, Authent. ceſſante, Cod. de legitim. hæred. Auth. Itaque, Cod. communia de ſucceſſ. Novella* 118. *cap.* 3. Ita communiter omnes. Legatur *Molina ſuprá.*

122 Secundo quòd, ſi in dicto caſu alicujus ex fratribus utrinque conjunctis filii adſint, tunc ipſi parentis loco, non in capita, ſed in ſtipitem, cum patruis ſuis ſuccedunt per capita

pita ſuccedentibus patruis. Communis, & habetur cit. Novella 118. cap. 3. §. *Si autem defuncto*, idem quod *Authent. Cod. de legitim. hared.*

123 Tertiò quòd, ſi nullus vivat frater ex utroque parente, vel utrinque conjunctus, qui quidem germani dicuntur, ſed eorum ſint liberi cum fratribus, ac ſororibus uterinis, ſive ex uno ſolo parente conjunctis, tunc tales filii fratris germani, ſeu ex utroque parente ſuccedunt per capita, excluſis omnino fratribus uterinis, aut non ex utroque parente conjunctis, ſive ſemifratribus, quia filii illi repræſentant perſonam fratris utrinque conjuncti, qui ſemper ſemifratribus, vel ex uno parente tantùm conjunctis præferuntur, prout conſtat ex Juribus datis, & de quo legi poterunt Fachin. lib. 6. cap. 3. Salmant. ſup. num. 106. Molina ſup. §. *Dubium grave*, ac Lugo ſup. num. 189.

124 Quartò quòd, deficientibus fratribus utrinque conjunctis, & eorum filiis, tunc ſuccedunt ſemifratres, ſive fratres, ac ſorores uterini, vel ex uno tantùm parente conjuncti, (omnibus aliis conſanguineis tranſverſalibus omnino excluſis) non quidem per capita, ſed per ſtipitem; id quod clarum Jus eſt in dicta Novella 118. cap. 3. verſ. *his autem, & Authent. Poſt fratres autem, Cod. de legit. hared.* & de quo Salmant. ſup. num. 104. Lugo ſup. num. 185. Molina Diſp. 164. multique alii. ¶ In quibus autem frater querelare valeat de Teſtamento fratris? Jam conſtat ex dictis, vel lege de eo Ordinat. Luſitan. lib. 4 tit. 90.

125 Quintò quod quando hæredes ab inteſtato fratres ſunt ex una tantùm parte cum defuncto conjuncti, tunc in una ſententia (ſecus in alia) illi, qui ex parte patris conjuncti ſunt, (qui quidem conſanguinei dicuntur) ſuccedunt in bonis provenientibus ex parte patris, & non in bonis provenientibus ex parte matris; illi verò, qui ex parte matris ſunt conjuncti, ſuccedunt in bonis provenientibus ex parte matris, minimè autem provenientibus ex parte patris, in reliquis verò bonis æqualiter omnes ſuccedunt Molina ſup. §. *Sexta Concluſio*, Covar ſup. num. 13. §. *Tertiò eſt advertendum*, eſtque aliorum communis cum Gloſſa in Authenth. Poſt fratres autem, verb. *filii eorum*. ¶ Dictum: *Secus in alia*, nanque Fulgoz. & Corneus in Authent. *Itaque, Cod. communia de ſucceſſ.* Fachin. lib. 6. cap. 5. & alii. Contrarium probabiliter tenent, dicentes dictos fratres æqualiter in omnibus ſuccedere bonis, nulla ratione habita, an à patre, nunquid verò à matre proveniant bona.

126 Sextò quod, ſi quis deceda ſine deſcendentibus, & aſcendentibus, ac ſine fratribus, & filiis fratrum, relicto uno patruo, qui ſui patris frater utrinque conjunctus erat, & alio patruo, qui erat ſui patris frater ex alia parte conjunctus; tunc ſuccedunt ab inteſtato cæteri omnes collaterales ſanguine juncti ſine ulla diſtinctione, aut differentia agnationis, vel cognationis, aut bonorum paternorum, vel maternorum ſecundùm prærogativam gradûs, ita ut gradus proximior remotiorem excludat, & qui pares ſunt gradu, pariter ſuccedant per ſtipitem, non verò per capita; quare ſi quis decedat, relicto patruo magno, fratre ſui patris, aut matris ex altera tantùm parte ei conjuncti, & relictis nepotibus alicujus ſui fratris utrinque conjuncti, patruus magnus talibus præfertur nepotibus, quia eſt in gradu proximior, & quia ultra filios fratrum in linea collaterali non datur repræſentatio, nec ulla habetur ratio, an ſint, vel non utrinque conjuncti (in una ſententia, in altera autem repræſentatio extenditur ad 10. gradum.) *Novella cit.* 118. §. 1. *& cit. Authent. Poſt fratres.* Legantur Salmant. ſup. num. 105. Lugo ſup. num. 188. ac Molina ſup § *Septima Concluſio*, qui ibi §. *Poſſumus* cum Covar. addit quod, ſi quis plures filios habeat, quoſdam inter ſe utrinque conjunctos, & alios uterinos, ab inteſtatoque decedat, ac unus ex filiis utrinque conjunctis habens filios nepotes defuncti, hæreditatem repudiet, tunc portio illis æqualiter cedit, non filiis ſuis nepotibus defuncti, ſed aliis fratribus etiam uterinis. Legatur Author.

127 Septimò quòd, ſi plures ex damnato coitu ſint fratres, & eorum unus ab inteſtato decedat, cui pater, aut mater ſuccedere nequit, tunc fratres ex eadem matre ei ſuccedunt, ac cæteri deſcendentes de matre; deficientibus fratribus, id quod in Luſitano Jure lib. 4. tit. 93 expreſſum extat. Legatur Gloſſ. in L. 2. verb. *naſcuntur, ff. unde cogn.* Covar. in Epitom. 2. P. cap. 8. §. 5. num. 26. ad fin. Gomes in L. 9. Tauri, num. 47. ante fin. ¶ Quo ad ſucceſſionem ſpuriorum vide Gomes, ubi proximè Ægid. de Privileg. honeſt. Art. 13. à num. 4.

128 Octavò, deficientibus hæredibus omnibus in linea tranſverſali uſque ad 10. gradum, Jure Civili computatione facta, vel quia non ſunt, aut quia aliqua Lege, de cauſa vel aliqua prohibiti ſunt ſuccedere, tunc defuncti conjux ſuccedit, niſi inter illos divortium adſit, & etiam in caſu, quo divortium præceſſerit, conjux ſuccedit, ſi ante mortem, vel tempore ejus fuerint reconciliati; id quod etiam intelligendum eſt reſpectu mariti, Fiſco omnino excluſo; id omne quod Jus clarum extat *in L. unic. Cod. unde vir, & uxor*, ac id verum,

tametſi matrimonium non ſit conſummatum, quia non concubitus, ſed conſenſus nuptias facit. *L. Nuptias 3. ff. de reg. Jur.* Et data doctrina expreſſum Jus eſt Luſitanum lib. 4. Ordinat. tit. 94. ubi legendum.

129 Nonò ſi vir uxorem ſine dote ſuſcipiat, virque præmoriatur, non habente uxore, unde decenter, & commodè vivere valeat, tunc ſuccedit uxor unà cum filiis in quarta parte bonorum mariti, in quibus liberi ſuccedunt, modò liberi tres ſint, aut infra; ſi verò plures ſint, quàm tres, tunc in virili parte ſuccedit, id eſt, tantam portionem accipit, quantam quævis proles legitima accipit, id quod eſt per capita cum illis ſuccedere. ¶ Et in prædictis eventibus dominium, ſive proprietas illorum bonorum, in quibus talis uxor ſuccedit, pertinet ad filios ejuſdem matrimonii, ſi illos habeat, ac ſolus uſusfructus ad talem uxorem pro vita ejus; quod, ſi filios non habeat, tunc dicta bona pleno Jure pertinent ad matrem. ¶ Et ſi maritus ab inteſtato decedat, nullis ſtantibus deſcendentibus, & aſcendentibus, ac ſolùm extantibus collateralibus, tunc etiam ipſa in quarta parte bonorum mariti ſuccedit, non ſolùm quo ad uſumfructum, ſed etiam quo ad dominium, & proprietatem (ac idem, quod dictum eſt de uxore, dicitur etiam de marito, ſi fortè uxor dives præmoriatur, relicto marito inope.) Si autem maritus aliquid uxori in legato reliquerit, comparat illud in eam quartam, aut virilem portionem. ¶ Quod ſi uxor marito contulit dotem, matrimonio ſoluto, iterum repetit, nihilque tunc ex bonis mariti accipit, dummodo recepta dos competens ſit ad ejus congruam, decentemque ſuſtentationem; quæ omnia permiſcuè reperies in dicta *L. un. ff. unde vir, & uxor, L. 1. ff. de Ritu nupt. Novell. 57. & cap. fin. ac 117. cap. 5. & 53. cap. 6.* ac ibi communiter apud DD. Legatur Molina ſup. num. 19.

130 Decimò, deficientibus prædictis conſanguineis omnibus, & etiam uxore, quo caſu defuncti bona *vacantia bona* remanere dicuntur, tunc, caſus, ſecularis Fiſcus ſuccedit, quando defunctus merus eſt ſecularis, prout conſtat *ex L. Vacantia 4. Cod. de bonis vacant.* ac ex Jure Luſitano, lib. 2. Ordinat. tit. 26. §. 17. ibi: *E todos os bens vagos, a que naõ he achado ſenhor certo.* Legatur Gama Deciſ. 193. & 288. Caldas 2. P. Deciſ. 52. ¶ Sed eſt neceſſum quòd antequam Fiſcus inteſtati capiat bona, publicam denuntiationem faciat, ut ſciatur an quis ad talia bona jus habeat, dato ad hoc tempore certo, ac determinato, intra quod ſi nemo ſe inſinuet, tunc bona vacantia cenſentur, eaque Fiſcus capit. *L. fin. Cod.*

131 Undecimo peregrinis aliquibus ab inteſtato decedentibus, conſanguineiſque uſque ad 10 gradum nullos habentibus, tunc omnia eorum mobilia bona, quæ ibi fuerint reperta, per Epiſcopum in pias cauſas ſunt dividenda, & hoc ex Jure communi Authent. *Omnes peregrini*, Cod. communia de Succeſ. ubi ſic legitur: *Peregrini, ſi inteſtati deceſſerint, nihil ad hoſpitem pertinet, ſed bona ipſorum per manus Epiſcopi loci, ſi fieri poteſt, hæredibus tradantur, vel in pias cauſas erogentur.* ¶ Utrùm autem, ſi pupillus ſine ullis conſanguineis decedat, in ejus bonis ſuccedat Tutor, vel non? Variant DD. ſed probabilior eſt pars negativa. Videatur *Lugo ubi ſuprà num.* 193.

132 Duodecimò, ſi Clericus aliquis inteſtatus decedat, tunc in ejus bonis, quæcunque ſint, (redditibus Beneficii demptis) ejus legitimi conſanguinei ſuccedunt eodem modo, & jure, quo in laicorum bonis ſucceditur (quo ad Clericorum filios dictum eſt ſuprà, ac legendum Jus Luſitanum lib. 4. tit. 93.) ¶ Si autem Clericus conſanguineos ſucceſſionis capaces non habeat, tunc ſuccedit Eccleſia, in qua ipſe Beneficium habuit, Epiſcopali Fiſco excluſo. Can 2. Cauſa 12. Q. 3. & Can. fin. Cauſa eadem Q. 5. & Cod. 1. de Teſtament. ubi Summarium ſic habet: *Clericus bona propria dare poteſt cui vult; ſed, ſi decedat inteſtatus, & non habeat conſanguineos, ſuccedit Eccleſia*, & ibi Abbas num. 2. ac 3. Barboſa num. 2. tenet & Rebell. Diſquiſit. Cleric. P. 1. §. 14. num. 2. & communis.

133 Si autem Clericus inteſtatus decedens Beneficium non habuit, neque conſanguineos reliquit, tunc in propriis ejus bonis patrimonialibus, induſtrialibus, parſimonialibus Fiſcus Epiſcopalis ſuccedit ita taliter, quòd Fiſcus, ſive Epiſcopus nihil ex talibus bonis ſibi applicare quit, ſed ea omnia in pias cauſas erogare debet. Communis. Legantur citati, & *Peregrin. de jure Fiſci, lib. 4. tit. 3. ac Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. Allegat. 107. num. 16.* Et idem eſt, quando ſuccedit Eccleſia, vel Communitas, cujus eſt Clericus ab inteſtato decedens; tunc etiam ejus bona in pios uſus fideliter diſtribui debent. *Argum. cit. cap. 1.* & habetur *in cap. Relatum 12. de Teſtam. ubi Abbas*, & alii.

134 Dictum eſt: *Redditibus Beneficii demptis*, nam circa bonorum Clericorum mere Eccleſiaſtica jam vidimus alibi Clericos nullum talium bonorum dominium habere quo ad ea, quæ ex ſua congrua, decentique ſuſtentatione ſuperſunt, ſed omnia in uſus pios inſumenda neceſſariò eſſe, quin in contra conſuetudo aliqua, quæ juſta ſit, prævalere valeat; unde ſi Clericus Teſtamentum condiderit, ea omnia pauperibus, & aliis operibus piis applicare,

vel

vel relinquere debet; quòd ſi conſanguineos pauperes habeat, aliquid dictorum bonorum, ſicut pauperibus cæteris applicare poterit; ſi autem ipſe inteſtatus decedat, pauperibus, (inter quos inopes conſanguinei ſemper locum tenent) & aliis piis cauſis ea omnia diſtribui, & applicari debent. Legantur Navar. de Reddit. Eccleſ. Q. 1. Mon. 21 ac Q. 5. num. 7. Abbas in cap. *Cùm ſecundum* 16. num. 4. de Præbend. Archidiacon. in cap. *Statutum*, §. *Aſſeſſorum* de Reſcript. in 6. Innocent. in cap. *Indecorum* de ætat. & qualit. Pellagius de Planctu Eccleſ. cap. 28. Angel. verb. *Clericus* 3. num. 1. ac 3. Div. Antonin. 3. P. tit. 15. cap. 1. §. 19. Bellet. ſup. §. 2. num. 5. Molina Diſp. 147. num. 31. Layman lib. 4. Tract. 2. num. 2. Vaſques Opuſc. de Eleemoſ. cap. 4. num. 12. Covar. in cap. *Cùm in officiis* 7. de Teſtam. num. 27. Leſſ. lib. 2. cap. 19. num. 44. de quo & alibi quamplura dedimus.

LECTIO VIII.

De Subſtitutionibus, ac Fideicommiſſis, quid, & quotuplex ſit Subſtitutio, ac quibus modis quis hæres ſubſtitui valeat?

UNa ex diſpoſitionibus ultimæ voluntatis eſt Subſtitutio, quæ eſt ſecunda hæredis inſtitutio in defectu prioris, hæres nanque ex Teſtamento fit per Subſtitutionem quandoque, & ideo de Subſtitutione hæreditaria brevis hîc nobis ſermo, cùm res hæc ad Juriſperitos directè pertineat.

135 *Subſtitutio eſt hæredis ſecunda inſtitutio.* Sic in L. 1. ff. de *vulgar. & pupil. Subſtit.* concordatque Jus Luſitanum, quatenus lib. 4. Ordinat. tit. 87. ita dicitur: *Subſtituiçaõ he inſtituiçaõ de herdeyro feyta pelo teſtador em ſegundo grao*, vel *eſt ſubordinata hæredis inſtitutio, aut vocatio ad rem aliquam ex ultima voluntate* juxta Welembet. in cit. L. 1. vel *eſt unius, vel plurium in alterius, vel aliorum locum, ad rem aliquam in ultima voluntate tacita vocatio* juxta Salmant. tom. 3. Tract. 14. cap. 5. P. 8. num. 109.

136 Subſtitutio in hæreditate alia eſt *directa*, & alia *indirecta*, ac indirecta (quæ etiam vocatur tum obliqua, tum fideicommiſſaria) eſt, vel tunc datur, quando pura unus inſtituitur hæres, & gravatur hæreditatem, aut hæreditatis partem reſtituere alteri, veluti, dum quis dicit: *Petrum hæredem inſtituo, voloque, vel mando ut eam, aut ejus partem reſtituat Paulo.* Directa verò eſt, vel datur, quando hæreditas ſubſtituto defertur abſque alterius miniſterio, ſive quando quis immediatè ab ipſo teſtatore hæreditatem conſequitur, uti ſi quis dicat: *Hæredem inſtituo Petrum, qui ſi hæres non fuerit,* (vel quia non vult, aut quoniam non poteſt) *mihi Paulus ſit hæres*, vel *Paulum ſubſtituo hæredem.* In dubio autem præſumitur Subſtitutio directa, qualiter autem una ab altera differat apud Juriſtas reperies. Legatur *Covar. de Teſtam. in cap. Raynuntius, ac Molina tom.* 1. *de Juſt. Diſp.* 182.

137 Subſtitutio directa communiter dividitur *in vulgarem, reciprocam*, ſive *breviloquam, pupillarem, exemplarem*, & *compendioſam*, ac ita in Ordinat. Luſitanis cit. tit. 87. tenetque Covar. ſup. & communis aliorum, (alii iterum dividunt eam in *fideicommiſſariam*, ac *militarem*) de quibus dicendum hîc aliquid, ut de illis Theologus aliquam ſaltem notitiam ſumat, vel carpat.

138 Prima ergo ex præfatis Subſtitutionibus eſt *Subſtitutio vulgaris*, & hæc eſt directa, ſimplexque ſubſtitutio, qua quis ſine ſpeciali privilegio hæredem ſuum ſubſtituit aliquem, vel aliquos, unde hæc à quocunque teſtatore, (teſtandi capaci) & comparatione cujuſcunque hæredis (modò non ſit ex his, qui inſtitui hæredes in Teſtamento non poſſunt) fieri poteſt; uti ſi quis in ſuo Teſtamento dicat: *Petrum inſtituo meum hæredem, qui ſi hæres non ſit, ſubſtituo Paulum*, vel *Paulus mihi hæres eſto*; vel ſic: *Petrum, & Paulum hæredes meos inſtituo, eoſque ſibi invicem ſubſtituo.* Covar. ſup. communiter DD. legatur Ordinat. Luſitana ſup. de Subſtitut. vulgari, ubi circa hoc aliquid notatu dignum habetur.

139 Extinguitur, & expirat Subſtitutio vulgaris, ubi primùm hæreditas eſt adita per hæredem, cui ſubſtitutus eſt datus. *L. Poſt aditam* 5. *Cod. de impuber. & L. Si legata, Cod. de legat.* ac Luſitana L. ſup § 2. ibi: *Tanto que o herdeyro inſtituido aceytar a herança, logo eſbirará a ſubſtituiçaõ vulgar*; Subſtitutio nanque vulgaris eſt conditionalis, videlicet, ſi ille, cui ſubſtitutus eſt datus, hæres non fuerit: ſi ergo hæres fuerit, deficit conditio, ſubſtitutioque evaneſcit, actus nanque ſub conditione factus, conditione deficiente, deficit, ut eſt quid commune, & tritum. ¶ Item expirat, ſi ſubſtitutus ante aditam hæreditatem ab inſtituto moritur. Legatur *Molina Diſp.* 183.

140 *Pupillaris* Subſtitutio eſt, ac tunc datur, quando pater prolem in ſua poteſtate conſtitutam habens hæredem, & eam inſtituens ſubſtituit aliquem in caſu, quo dicta proles ante annum pubertatis deceſſeret, & tunc decedenti prole ante pupillarem ætatem expletam, ei ſubſtitutus ſuccedit, uti ſi dicatur: *Filium* (vel filiam meam) *hæredem inſtituo, cui, ſi ante annos pubertatis deceſſat, ſubſtituo Petrum*, vel ut in Luſitana Lege, §. 7. dicitur: *Se meu filho Pedro falecer dentro da pupillar idade, ſeja ſeu her-*

herdeyro Paulo. Legatur Gomes 1. Var. cap. 4. in princip. Molina Diſp. 182. & Mantica de Conject ult. vol. lib. 5. tit. 7.

141 Ad valorem pupillaris ſubſtitutionis quatuor conditiones requiri aſſerit *Gomes cit. cap. 4. num. 2.* quarum prima eſt, ut impubes ſit ille, cui fit ſubſtitutio. ¶ Secunda, ut ſit filius, aut deſcendens ſubſtituentis. ¶ Tertia, ut ſit in poteſtate ejuſdem teſtatoris ſubſtituentis. ¶ Et quarta, ut poſt teſtatoris obitum fiat ſui juris, & in alterius poteſtatem non recidat. Et hinc

142 Reſolves primò non poſſe aliquem pupillariter filio emancipato ſubſtitui, eo quod hic non eſt in poteſtate parentis. ¶ Secundò non poſſe aliquem filio illegitimo, etiam naturali, ſubſtitui ob eandem rationem ¶ Tertiò non poſſe matrem pupillariter ſubſtituere ob datam rationem. ¶ Quartò non poſſe fieri pupillarem Subſtitutionem conſanguineo collaterali, ſicut nec extraneo ob eandem rationem; ii enim non ſunt in poteſtate teſtatoris, id quod neceſſarium, argum. princip. *Inſtit. de pupill. Subſtit.* ubi: *Liberit ſuis impuberibus, quos quis in ſua poteſtate habet, non ſolum ita, ut ſup. diximus, id eſt, ut ſi hæredes ei non extiterint, alius ſit hæres,* (quæ vulgaris expreſſa, & tacita pupillaris eſt Subſtitutio) *ſed eò amplius, ut ſi hæredes ei extiterint, & adhuc impuberes mortui fuerint, ſit eis aliquis hæres.* Conſtat & *ex L. 2. ff. de vulg.* ¶ Quintò ob eandem rationem non poſſe avum pupillariter ſubſtituere aliquem nepoti, vivente patre, cùm nepos poſt mortem teſtatoris non ſit ſui juris, ſed in patris poteſtate remaneat. ¶ Sextò neque poſſe patrem pupillariter filio ſubſtituere, vivente adhuc avo, nam, vivente avo, & mortuo patre, filius communi jure in avi poteſtatem recidit, nonque fit ſui juris. ¶ Septimò potiori ratione idem dicitur de matre, quia liberi in poteſtate matris nunquam ſunt, nec eſſe dicuntur. Hæc omnia communia ſunt. Legantur *Ordinat. Luſitan. ſup. §. 7. Dicaſtill. lib. 2. Tract. 19. Diſp. 1. Dub. 42. num. 606. ac Salmant. ſup. num. 114.*

143 Inſuper ad hoc, ut pupillaris Subſtitutio rite fiat, & valorem accipiat, omnino neceſſariò requiritur quòd ſubſtituens prius pro ſe Teſtamentum condat, bonorumque ſuorum hæredem inſtituat, id quod ſi deficiat, talis pupillaris Subſtitutio filio facta non valebit. ¶ Requiritur & etiam quòd inſtitutus hæres hæreditatem adeat, aliàs non valebit Subſtitutio. Communis, planèque conſtat *ex L. 2. §. 1. ff. de vulg.* ibi: *Quiſquis autem impuberi Teſtamentum facit, ſibi quoque debet facere. Ceterum ſolo filio facere non poteſt, nili forte ſit Miles.* Et iterum ibi §. 4. *Prius autem ſibi quis debet hæredem ſcribere, deinde filio ſubſtituere, & non invertere ordinem ſcripturæ; ceterum ſi autem filio, deinde ſibi Teſtamentum faciat, nihil valere.* Et rurſus ibid. §. 1. *Niſi adita quoque patris hæreditas ſit, pupillare Teſtamentum evaneſcit*; id omne, quòd expreſſum etiam Luſitanum Jus eſt ubi ſup. §. 8. ubi omnino legendum. Et

144 Eſt notandum quòd, ſi pater pupillariter extraneum pro filio matrem habente, ſubſtituat, mortuo filio in ætate pupillari, ſubſtitutus vi talis ſubſtitutionis ſuccedit, non ſolùm in bonis, vel hæreditate teſtatoris ſubſtituentis, ſed etiam in omnibus bonis illius, cui facta eſt Subſtitutio, undecunque bona talia ei proveniſſent, excluditque matrem ita, ut ipſa neque de portione legitimæ pupillare, & ſi per lineam maternam ei obveniat, aliquid poſſit accipere. Conſtat *ex L. Sed ſi plures 10. §. 5. ff. de vulg. & princip. Inſtit. de pupill. Subſtit.* ac eſt ratio: quia Teſtamentum, in quo pupillaris fit Subſtitutio, non eſt diſpoſitio filii, ſed patris, qui non tenetur uxorem ſubſtituere hæredem. Et ita ex pluribus probant *Salmant. ſup. num. 115.* legatur *Lugo ſup. num. 149. ac Molina Diſp. 184. Covar. de Teſtam. cap. 16. §. 5. num. 20.* eſtque communis.

145 *Pupillaris* Subſtitutio expirat primò, ſi ſubſtitutus ante pupillum è vita decedat, ſicut & vulgaris perit, ſi ſubſtitutus ante teſtatorem decedat, jus quippe, ſeu ſpes ſubſtituti ad ejus hæredes non tranſit. Dicta *L. Si plures docet & Gomes cap. 4. & cap. 3. num. 29.*

146 Secundò expirat ſtatim, ac is, cui ſubſtitutus eſt datus, ex pupillari ætate egreditur, pro ſolo nanque tempore pupillaris ætatis ei ſubſtitutus eſt datus, & ſub conditione ſi intra id tempus è vitâ decedat. *Inſtit. de pupill. Subſtit. L. In pupillar. ff. de vulgar. & pupill.* concordatque Jus Luſitanum ſup. §. 9. ubi notatur ſufficere pupillum 14. annum attingere, vel, inquam, ultimum dicti anni diem attingere, in quo pupillaris ætas finitur, ad hoc, ut pupillaris Subſtitutio pereat. *E tanto que o filho varaõ chegar a quatorze annos, e a femea a doze, eſpira a ſubſtituiçaõ pupillar, que ſeu pay lhe tinha feyta. E baſtará entrar qualquer deſtes filhos no derradeyro dia do anno, em que ſe acaba a pupillar idade, poſto que naõ ſeja de todo acabado.* Et ibid iterum §. 10. notatur non ſolùm poſſe patrem pupillarem Subſtitutionem in Teſtamento efficere, ſed etiam in Codicillo. Legatur.

147 Expirat tertiò ſtatim, ac filius à patria poteſtate egreditur, ſitque ſui juris, vivente patre, qui ſubſtitutum pupillarem ei dedit; unde pupillaris Subſtitutio ceſſat, & finitur ſtatim, ac pater in Religione aliqua approbata Profeſſionem ſolennem emittit, quippe tunc filius à patria poteſtate egredi dicitur, (ſicut & etiam ſi ſolenniter profiteatur filius)

& ſic ſi, moriatur pater, ac poſt ejus mortem etiam moriatur filius ante pubertatem, tunc filii bona ad hæredes ipſius ab inteſtato pertinent, non autem ad pupillarem ſubſtitutum. Emmanuel à Coſta cap. *Si pater*, P. 2. à num. 10 Dicaſtill. ſup. num. 605 Molina ſup. Diſp. 184. num. 25. & cum multis aliis Salmant. ſup. num. 116.

148 *Exemplaris* Subſtitutio (quæ talis dicitur, eo quòd exemplo pupillaris ſubſtitutionis fuit inventa) illa eſt, in qua parens (etiam mater, & quilibet alius ex aſcendentibus) filio amenti, vel furioſo, aut prodigo, vel muto, aut ſurdo, vel qualibet alia ratione teſtari à Jure prohibito, alium ſubſtituit, etiam ſi filius pubes ſit, ac etiam emancipatus. Et hæc Subſtitutio perit ſtatim, ac impedimentum tollitur; quòd ſi impedimentum iterum rediverit, Subſtitutio hæc reconvaleſcit, niſi tempore, quo impedimentum erat ablatum, Teſtamentum fuerit factum, cùm tunc teſtator pubes ſui juris eſſet. Quæ omnia ſummatim dicta ſunt, communiaque ſunt apud DD. legatur Ordinat. Luſitana ſup. §. 11. *L. 9. Cod. de impub. Subſtitut.* §. 1. *Inſtit. de pupill. Subſtit. L. Divus Marcus* 14 *de offic. Præſid.* Covar. de Teſtam. cap. 16. §. 6. Gomes Variar. Reſol. tom. 1. cap. 6. Molina Diſp. 185 Menoch. lib. 4. Præſumpt. 49. & 50. Mantica de Conject. ult. vol. lib. 5 tit. 16.

149 *Reciproca* Subſtitutio dicitur talis, ſeu *breviloqua*, quia brevibus fit verbis, tuncque datur, quando teſtator plures inſtituit hæredes, quorum unus alteri ſuccedit, uti ſi quis in ſuo Teſtamento dicat: *Conſtituo meos hæredes Petrum, & Paulum, eoſque invicem ſubſtituo.* Et talis Subſtitutio ſubſtitutiones plures comprehendere poteſt, ſcilicet vulgares, vel pupillares, aut utraque ſimul; ſed de hoc fuſiùs *Mantica lib. 7. tit. 5. Molina Diſp.* 191. *Gomes* 1. *Var. cap.* 8. *Covar. cap.* 16. §. 11. *ac Menoch. lib.* 4. *Præſumpt.* 60. legatur etiam *Ordinat. Luſitana ſup.* §. 5. & 6.

150 *Compendioſa* Subſtitutio illa eſt, quæ verborum compendio ſubſtituriones plures ſub ſe continet, ſecundùm diverſa tempora, & ætatem, uti ſi teſtator dicat: *Inſtituo Petrum, filium meum, hæredem, & quomodocunque è vita deceſſerit, ei Paulum ſubſtituo.* Unde, ſi Petrus ante patrem moriatur, vel alia de cauſa non ſit hæres, erit tunc Subſtitutio *vulgaris.* Si ſupervivat patri, fiatque hæres, ac moriatur in ætate pupillari, vel hæreditatem repudiet, ſuccedit Paulus Subſtitutione *pupillari*; ſi Petrus poſt pupillarem ætatem moriatur, ſuccedit Paulus Subſtitutione etiam *vulgari*, vel *fideicommiſſaria*, ſi obliquis verbis ſit facta; ſi Petrus fiat, & moriatur amens, &c. ſuccedit Paulus Subſtitutione exemplari. Et de hoc fuſiùs *Molina Diſp.* 191. *ac* 192. *Covar. ſup. & cap. Raynuntius* 59. *Filiuc. tom.* 2. *Tract.* 34. *cap.* 7. *num.* 172. *Menoch. lib.* 4. *Præſumpt.* 51. Et eſt legenda *Ordinat. Luſitana ſup.* §. 12.

151 *Militaris* autem Subſtitutio illa eſt, quæ fit præter communes regulas ex privilegio Militibus conceſſo, quorum quilibet poteſt directè ſubſtituere filio, etiam poſt pubertatem decedenti; de qua omnino legendus eſt *Molina* ubi ſuper. ¶ Si quis aliquid de Subſtitutionibus piis ſcire velit, legat *Amoſtaſum de Cauſis piis, lib.* 1. *cap.* 8. & 9. *fol.* 30. *ad* 39. de quo & infra, dum de Legatis ſermo aliquantulus erit; nunc autem ad Fideicommiſſum breviter accedamus.

SUBLECTIO.

De Subſtitutione fideicommiſſaria, vel de Fideicommiſſo.

152 *Fideicommiſſum*, vel Subſtitutio *fideicommiſſaria* illud, aut illa eſt, in quo, vel qua inſtitutus hæres (qui propriè *non hæres*, ſed *commiſſarius* dicitur) à teſtatore gravatur abſolutè, vel ſub conditione hæreditatem totam, vel aliquam ejus partem, putà mediam, aut tertiam, vel certam rem alteri reſtituere, talis enim, qui ita gravatur, aut obligatur, *fideicommiſſarius* dicitur. Et dicta Subſtitutio *non directa*, ſed indirecta, ſive obliqua Subſtitutio dicitur, quatenus non directè, immediatè, ac proprio Jure ſine miniſterio alterius hæreditatem capiat; ſed *indirectè*, & mediatè, mediante alio, nempe hærede, ita taliter, ut, ſi hæres directè inſtitutus hæreditatem non adeat, Subſtitutio hæc fideicommiſſaria evaneſcat. Communis. Legatur *Molina Diſp.* 162.

153 Dictumque fideicommiſſum, ſive fideicommiſſaria Subſtitutio ſub hac forma fieri valet, abſolutè ita dicendo: *Petrum hæredem meum inſtituo, eumque rogo, vel eidem mando ut totam hæreditatem meam reſtituat Paulo*, vel conditione ſub hac forma: *Petrum hæredem meum inſtituo, voloque ut, ſi liberos non habeat, hæreditas poſt ejus mortem reſtituatur Paulo*, aut ita: *Petrum hæredem inſtituo, ut tali tempore totam hæreditatem, vel partem ejus reſtituat Paulo*, aut ita: *Petrum hæredem inſtituo, eumque rogo ut totam, vel mediam ejus partem, aut talem rem Paulo reſtituat.* Communis. Et hinc

154 Fit non ſolum hæredem inſtitutum in Teſtamento, ſed etiam hæredem ab inteſtato, ac per Codicillum fideicommiſſo, vel Subſtitutione fideicommiſſaria gravari poſſe, id quod conſtat ex §. *In primis* 2. & §. *Præterea* 10. *Inſtit.*

Instit. de fideicom. hæred. §. 2. *Instit. de Codicil.* ac ex Lusitano Jure lib. 4. Ordinat. tit 87. §. 10. ibi: *Dessa mesma maneyra pode por elle fazer Codicillos pupillares, nos quaes ordene, que falecendo o dito filho de tal idade, o herdeyro, que houver de succeder ab intestado ao pupillo, falecendo elle dentro da pupillar idade, restituna os bens do pupillo a alguma certa pessoa, o qual herdeyro ab intestado do pupillo restituirá a herança a quem seu pay mandou.* ¶ Manere autem fideicommissarium obligatum hæreditatem tradere, si ad hoc tantùm fuerit rogatus. Constat ex §. 2. *Instit. de fideicomm. hæred. facitque L. Unum ex familia* 67. §. *penult. & ult. de legat.* 2. *ac L. Cum pater* 75. §. *Cum ex imperfecta* 22 *ff. Cod.* & doctrina Barbol. in L. Quones, n. 3 ff. de hæred. instituend. ac Mantic. de Conject. ult. vol. lib. 8. tit. 1. num. 31.

155 Fideicommissum aliud est *universale*, aliud *particulare*, aliud *purum*, vel *absolutum*, & aliud *conditionale*, quorum *universale* illud est, aut tunc datur, quando hæreditas tota, certa vel ejus quota alteri restitui debet; *particulare* autem, quando res aliqua in particulari restitui debet. *Absolutum*, aut *purum*, quando sine ullâ conditione fit, & absque dilatione, ut statim post hæredis mortem substituto fideicommissario relictum tradatur *Conditionale* denique, quando sub certa conditione aliqua alteri restitui debet; conditionale autem, purificata conditione, statim purum fit, vel creditur. Communis.

156 Omnes, ac soli illi, qui jus habent testandi, aut Testamentum condere queunt, Substitutionem fideicommissariam facere possunt, sive fideicommisso aliquem gravare. Et omnes, ac soli illi, quibus ab intestato relinquitur hæreditas, quibus vel hæreditas, aut legatum, vel fideicommissum relictum est, fideicommisso possunt gravari, dummodo gravamen impositum sit proportionatum, nonque hæredi atis vires excedat; est communis. Legatur *Peregrin. Tract. de Fideicommiss. Art.* 12. *Parisius Consil.* 18. *volum.* 2.

157 Fideicommissum, sive Substitutio fideicommissaria, pro libito testatoris, absolutè scilicet, aut conditionatè fieri valet, potestque insuper unum, vel plures substituere, & eos vel simul, aut successivè successuros; quòd si plures hæredes, vel totam familiam substituat, ita tamen, ut semper solus unus, ac primogenitus succedat, tunc dicitur *primogenitura*, quæ nihil aliud est, nisi *fideicommissum individuum in una tantùm persona, eaque primogenita, deferendum, aliorum simultaneum concursum excludens*, de quo legendus est Cardinal. de Luca de Fideicommiss. Discursu 6. num. 6. ibi contendens quod *Maioratus*, & *primogenitura* synonyma sunt, ac unum idem quod aliud.

158 Si testator in fideicommisso, vel Substitutione fideicommissaria gravet hæredem universalem, ut post ejus mortem hæreditatem totam restituat alteri, intelligi necessariò debet sub tacita conditione, quòd hæres sine filiis decedat, aut descendentibus aliis ita, ut quævis proles substituto extraneo semper præferatur: *L. Cum avus* 102. *ff. de condit. & demonstrat. L. Cum acutissimi* 3. *Cod. de fideicommiss.* & aliis, de quo legendi sunt Thuscus litera f. Conclus. 254. ac 255. Bald. Consil. 286. lib. 3. Ancharran. Consil. 396. Gomes 1. Var. à cap. 1. num. 32 Molina Disp. 190. ac Mantica de Conject. ult. vol. lib. 7. tit. 2. ¶ Id quod est verum, tametsi causa aliqua pia, uti Monasterium, Ecclesia, & Hospitale, sit instituta: quoniam licèt causa pia loco filii habeatur, Authent. *Nisi rogati, ff. ad Trebell. & Authent. De Sanctis Episcop.* §. *Sed hoc præsente*, tamen solùm fictione Juris filii loco habetur, ac ideo potentior est naturalis causa, quàm ficta. L. Filio, quem pater de liberis, & posthum. cum aliis legendus Gomes num. 34. latèque Mantica lib. 11. tit. 2. 3. ac deinceps; Sá verò verb. *Hæreditas* num. 27. quo ad loca pia contrarium tenet.

159 Si hæres gravatus est, vel rogatus ut post ejus mortem tradat, aut tradi jubeat hæreditatem personæ alicui, quæ hæreditatis sit incapax, tunc ingreditur Fiscus ad talis rei possessionem; constat ex Lusitano Jure lib. 2. Ordinat. tit. 26. §. 23. ibi: *Em tal caso aquillo, que assim he deyxado tacitamente por defraudar a Ley, he applicado ao Fisco, e he feyto direyto Real.* Et

160 Idem, si Commissarius ille gravatus, sive rogatus, cui facta est Substitutio fideicommissaria, aliquod committat delictum, ob quod ejus bona acquiruntur Fisco; tunc enim, casus, bene poterit Fiscus ea hæreditate uti, interim dum vivit hæres gravatus, vel donec restituendi fideicommissum tempus adveniat, & adsit casu, quo constet hanc testatoris esse voluntatem, quia Fiscus succedit in bonis talis delinquentis, ac ea bona sunt illius interim dum ea restituendi tempus accedit.

161 Si tamen de testatoris mente constet nullo modo voluisse dictam illam hæreditatem alienar, nec ad alios transire, nisi tantùm ad fideicommissarium, Fiscus illam retinere non poterit, sed est fideicommissario tradenda, id quod ex multis probat *Molina sup. Disp.* 186. *& tom.* 1. *Disp.* 9. *latè Vasques* 12. *Disp.* 196. *cap.* 1. *num.* 10. *ac Sanch.* cum multis *in Sum. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 4.

162 Quòd si dictus hæres gravatus Professio-

feſſionem emittat in Religione approbata, hæreditatis capace, (ſecus, ſi hæreditatis ſit incapax) abs dubio hæreditatem reſtituere non tenetur, ſed excluditur ſubſtitutus, ſuccedítque Monaſterium, dictaque hæreditate fungitur uſque ad naturalem mortem talis Religioſi, vel uſque ad reſtitutionis tempus determinatum à teſtatore, juxta Authent. *Niſi rogati, Cod. ad Senat. Conſult. Trebell. & cap. In præſentia* 8. *de probat.* docentque Covar. 1. Var. Reſol. cap. 19. num. 7. ac 10. Gomes cap. 5. num. 3. Molina Diſp. 186. à Coſta cap. *Si pater* 1. P. Rebel. de oblig. juſt. lib. 18. Q. 16. num. 3. Layman lib. 3. Tract. 5. cap. 9. & plures alii apud Salmant. ſup. num. 122. eſtque communis. Sed doctrina hæc

163 Limitatur primò in caſu, quo de teſtatoris contraria voluntate conſtet, uti ſi teſtator dicat: *Si filius vel hæres, meus Clericus fiat, aut Monaſterium ingrediatur, & profiteatur, &c. Petro obveniat hæreditas,* quia juxta Barboſam Axiomat. Juris verb. Præſumpt. num. ult. præſumptio ceſſat, dum verſamur in claris; dictaque limitatio habetur, datur vel à *Molina Diſp.* 190. *Sanch. & Layman ſup. ac Covar.* Et idem dicunt *Layman, Covar. ſup. ac Sanch. cap.* 15. *num.* 19. *Molina Diſp.* 623. *Azor tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 8. *Q.* 5. quando eadem, ut nuper, teſtatoris voluntas aliunde colligi poteſt, uti in Primogenituris, ac Maioratibus contingit, qui ad conſervandum familiæ ſplendorem eriguntur; in his enim proximum agnatum ſuccedere, Monaſterio excluſo, docent citati, & communiter dicitur. ¶ Secundò limitatur quando hæres malo animo ſubſtitutum fraudandi fideicommiſſo Religionem ingreditur. Sanch lib. 7. cap. 16. num. 54. ac 55. Menoch. lib. 4. Præſumpt. 83. num. 76. & Abbas cap. *In præſentia* 8. de Probat num. 46.

164 Dictum eſt ſup. *ſecus, ſi hæreditatis ſit incapax*, tunc enim nullatenus Monaſterium ſuccedit. Sed eſt dubium ad quem hæreditas in tali caſu pertineat? Statim ſubſtitutum in tali hæreditate, vel fideicommiſſo ſuccedere, ingredique debere reſolvit *Sanch. ſup. num.* 13. *ac* 16. reſolvunt & alii.

165 Sed contrarium ab aliis reſolvitur, & dicitur expectandam eſſe mortem naturalem ipsius Religioſi, ut fideicommiſſum fideicommiſſario reſtituatur, ac interim dum naturalis non evenit mors, bona illa penes venientes ab inteſtato manere debere, quoniam in conditionibus implendis civilis mors naturalem non adæquat mortem, niſi tantùm in caſibus in Jure expreſſis, ſicut docet *Coſta in L. Gallus*, §. *Et ſi quid tantùm*, 2. *P. num.* 12. *de liber. & poſthum. ac Menchaca de Succeſſ. creat.* §. 21. *num.* 171. *juvatque L.* 1. §. *fin. verſ. & ſi pater, ff. de contra tabul.* ubi, filius ſi deportetur, non intrat nepos in bonorum poſſeſſionem contra tabulas ipſi avo, quoniam filius naturaliter mortuus non eſt, cùm civilis mors naturali non æquiparetur, ac ita Gloſſ. in cap. *Suſceptum* de Reſcriptis, lib. 6 & Coſta ubi ſup. poſt: Felin. in cap. *In præſentia* de Probat.

166 Plura alia de re hac (ac de quarta Trebell. & Falcid.) hic adduci poterant, quæ omnia omittimus ob brevitatis cauſam, ac ut confuſionem vitemus, & quia hæc, ac illa ad Juriſperitos, & Cauſidicos maximè pertinent, inter quos legi poterunt Covar. cap. 16. cap. *Raynunt.* Gomes cap. 5. à Coſta cap. *Si pater*, P. 2. verb. *Trebelliana*, Menoch. lib. 4. Præſumpt. 197. Mantica de Conject. ult. vol. lib. 7. ac tit. 8. Peregrin. de Fideicommiſ. ibid. Cardinal. de Luca, Pariſius lib. 2. Conſil. 17. & 18. Thuſcus litera b. Conſil. 283. ac litera f. Concluſ. 228. 254. & 255. Gama Deciſ. 183. Valaſc. tom. 2. Conſult. 139. ac 140. videri & etiam poterunt Molina Diſp. 180. ac ſeqq. Lugo de Juſt. tom. 2. Diſp 14 Sect. 8. Villalob. Tract. 20. Dffic. 14. Dicaſtill. lib. 2. Tract. 19. Diſp. 1. Dub. 42. ad 44. Layman lib. 3. Tract. 5. cap. 9. Salmant. ſup. P. 8. apud quos multa alia de re hac reperies, licèt unum in unis, & aliud in aliis.

LECTIO IX.

De hæredum obligationibus, & primò de Inventario.

167 OLim hæres eo ipſo, quòd hæreditatem adibat, omnibus defuncti creditoribus ſatisfacere obligatus manebat, quanvis debita hæreditatis vires excederent, ſicque ex propriis bonis ſuis tenebatur ſolvere quando teſtatoris bona ad id non ſatis erant. *L. fin. Cod. de jure deliberandi, L. Si te bonis; Cod. eod. L. Quæ dotis, ff. ſoluto Matrim. & L. Quia poterat, ff. ad Trebellian.*

168 Cæterùm Jure novo ex gratia, favore, ac beneficio Juſtiniani *L. fin. Cod. Sin autem de jure deliberandi* Inventarium fuit introductum, quod nihil aliud eſt, quàm *ſcriptura, in qua res inventæ in hæreditate defuncti deſcribuntur juxta Gloſſ.* §. *Si verò abſunt, Authent. de hæredit. & Falcid. col.* 1. vel, ut communiter DD. *argum. L. fin. Cod. de jure deliber.* definiunt, ſive deſcribunt, *eſt legitima bonorum in hæreditate defuncti repertorum à Notario, & in ſcripturam redactio.*

169 In dicto ergo novo Jure conceditur primo ut illi, qui beneficio Inventarii hæreditatem accipiunt, ſupra hæreditatis vires defuncti debita ſolvere non teneantur. ¶ Secundò

do quòd intra triginta dies Inventarium incipiant, nisi legitimum impedimentum, putà exilii, infirmitatis, &c. adsit; quodque cœptum Inventarium intra sexaginta dies, (si præsens hæreditas est) si verò absens intra annum absolvi debet juxta *L. fin. §. Sin autem dubius 2. & §. Sin autem à locis 3. Cod. de jure deliber.* (ac legi debet Jus Lusitanum lib. 1. Ordinat. tit. 88.) & licèt Inventarium intra dictos 30. dies non incipiant, si illud intra nonaginta concludant, beneficio prædictæ Legis semper gaudere possunt, quia omissio talis diligentiæ levis reputatur materia, ac defectus solennitatis levis actum non vitiat. *L. 1. §. ult. ff. de ventre inspiciendo.* ¶ Et dum Inventarium durat, non possunt creditores, aut legatarii molestare hæredem, ut Testamentum adimpleat. *Molina Disp. 218. Lugo Disp. 24. Sect. 8. §. 5. á num. 234.* cum quibus, & aliis *Salmant. sup. P. 11.*

170 Ad hoc, ut Inventarium rite perficiatur, plura requiruntur; requiritur itaque prim. ut fiat coram Notario publico, ab ipsoque conscribatur, citatis creditoribus, ac legatariis, Judicis prius facultate suppositâ, per quam eos comparere adstringat, ne ipsi postea minus fideliter factum esse Inventarium objiciant, & sufficit citatio à Judice facta, quin sit necesse quod Judex Inventario assistat.

Secund. in Inventario debent omnia bona defuncti tam mobilia, quàm immobilia scribi, item ac omnes scripturæ, & omnes actiones, tam activæ, quàm passivæ, ac omnia debita tam activa, quam passiva; item & scribi debent debitorum nomina: item & cum declaratione sua bona apud testatorem depositâ, vel ei commodata.

Tert. debet in Inventario ipso subscribere hæres, quod si scribere nesciat, Tabellio loco illius, ac si plures fuerint hæredes, sufficit quod id uni cæteri committant, & hæres se in Inventario subscribens dicere debet quòd legaliter, ac sine fraude, & dolo declaravit omnia; sed si hæres manu propria (uti fieri potest) Inventarium scribat, necessaria tunc non erit ipsius hæredis ibi subscriptio. Quod si hæres absque dolo aliqua in Inventario omisit apponere, alia vel ibi non ponenda appposuit, re vera excusatur. Quæ omnia videri poterunt *apud Valasc. tom. 2. Consult. 52. qui ibi num. 16.* monet quòd hæres in fine Inventarii præstare debet, ac dicere, si in eo non scribenda scripsit, quòd habeantur pro non scriptis, & si quæ omisit non omittenda, censeantur pro non appositis; præstareque etiam debet in actis se in Inventario scripsisse omnes res, quas intellexit esse defuncti, ad eum vel pertinere, quódque, si tempore aliquo res aliquæ propalentur esse defuncti, ad eum vel pertinere, faciet Inventario addi; hujusmodique protestationes bonas esse, & utiles ad excusandos hæredes à multis litibus asserit.

171 Aliqui sunt, qui dicunt in principio Inventarii Crucis signum esse ponendum ita, ut ejus omissio Inventarii Instrumentum nullum, ac irritum reddat; nos hoc quo ad primam partem admittimus, sed non quo ad secundam, eo quòd Crucis omissio non est magnæ solennitatis, & ideo dispositionem non vitiat; licèt nanque Divini nominis invocatio quid piissimum, ac utilissimum sit in principio cujuscunque contractûs, & operationis, omissio tamen hujus solennitatis non vitiat actum, vel contractum, aut Inventarium, non enim substantialis censetur solennitas; neque id à Lusitano Jure ullo modo exigitur, uti constat, sive deducitur ex lib. 1. Ordinat. tit. 78. §. 4. ubi Instrumentorum publicorum referuntur solennitates, & hujus non meminit. ¶ Sed circa Inventarii solennia in eo DD. conveniunt, scilicet quòd in ejus confectione servanda omnino est consuetudo loci, in quo Inventarium conficitur, aliis omnibus solennitatibus missis. Utrùm autem testator possit hæredi in præjudicium creditorum confectionem Inventarii remittere? Receptius est non posse, quanvis testatori remittere possit. Sed tu circa hæc vide *Valasc. suprá á num. 26. ac Fragozo 3. P. lib. 5. Disp. 8. §. 18. num. 583.*

172 Dictum est *sup. num. 166.* hæredes Inventarium conficientes non teneri defuncti solvere debita ultra, vel supra hæreditatis vires, ex quo sequitur teneri supra hæreditatis vires, si Inventarium non fecerint; quia præsumit Jus hæredem hæreditatem absque Inventario adeuntem plura accepisse ad satisfaciendum sufficientia, & fraude multa occultasse alia. ¶ Sed hoc tantùm verum habet in externo foro, minimè autem in conscientiæ foro, in hoc enim licèt multi probabiliter teneant hæredes Inventarium non conficientes teneri in conscientiæ foro ultra hæreditatis vires legatariis, & creditoribus satisfacere; pars tamen negans est omnino indistinctè tenenda, cujus ea est ratio: quoniam Leges, quæ de Inventario loquuntur, quæcunque illæ sint, & quantumcunque justæ existant, fundantur in fallacia, ac fraudis præsumptione, & ideo in conscientia non obligant, quando de rei veritate contrarium constat, in interiori nanque foro veritas prævalet, ac non præsumptio *per cap. Anobis 2. de sentent. excommun.* Ita scribentes in cap. *Quæ in Ecclesiarum de Constit. Abbas in cap. Raynald. num. 14. de Testam. & Consil. 73. num. 9. argum. L. Continuus, §. Cum ita de verbor. obligat.* Et hæc sententia ita est certa, vel vera, ut etiam post Judicis sententiam ve-

rifice-

rificetur, & adhuc poſt dictam ſententiam non teneatur hæres in conſcientiæ foro ultra vires hæreditatis ſolvere, (quidquid alii probabiliter in contrarium teneant) quia etiam talis ſententia fallaciæ, & præſumptioni nititur falſæ, & etiam, quia talis ſententia eſt pœna, & hæc abſque culpa non eſt debita (id quod valde notandum; nam pro multis aliis deſerviet) *Ægidius Luſitanus in L. 1. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Q. 5. §. 1. num. 5. verſ. ſolum*, Fragozo ſup. num. 590. ac Salmant. ſup. p. 11. n. 111. DD. multos ibi pro ſe adducentes.

173 Inventario confecto, quanvis creditoribus, & legatariis debeatur quantitas certa, & non res determinata, ac in individuo, ſeu in ſpecie, quæ ſit in rebus hæreditatis, ſi pecunia in hæreditate deficiat, nec ſit emptor, qui res hæreditarias ea Lege emere velit, ut hæres de evictione non teneatur, poteſt legatarios, & creditores compellere, ut res ipſas hæreditarias in ſolutum accipiant, prout tenet Valaſc. ſup. num. 39. Spino in Gloſ. 35. num. 49. Molina Diſp. 216. verſ. *quartum commodum*, & alii. ¶ Item, Inventario confecto, expenſas funeris extrahit hæres, ac id omne, quod in inſinuatione expendit, ſeu Teſtamenti publicatione, nec non in Inventarii confectione, & in reliquis hæreditati neceſſariis ita, ut de reliquo ſolùm teneatur creditoribus, ac legatariis ſolvere. Molina ſup. verſ. *Sextum*, & alii Poteſt itidem creditoribus, ac legatariis ſolvere, prout eorum quilibet prius venerit, quin teneatur examinare quiſnam ex illis potiùs, aut prius privilegium habeat, & quin poſtea venientes eum inquietare valeant, ſi ad eis ſolvendum nihil jam ex hæreditate ſuperſit: juxta *L. fin. §. 2. Cod. de jure deliber.* Legatur Valaſc. ſup. num. 38. ac Fragozo ſup. à num. 600.

174 Per ſe loquendo, nullus tenetur Inventarium conficere, neque ad id cogi poteſt, maximè quando certò conſtat quod hæreditas ſatis eſt pro ſatisfaciendis omnibus debitis, & creditorum, ac legatorum neutri periculum aliquod imminet non ſolvendi quod ſibi debetur: Inventarium nanque in hæredum favorem fuit introductum principaliter, & favore, ac privilegio ſibi conceſſo nemo uti tenetur. *L. Si quis 29. Cod. de pactis.* Et equidem Fiſcum Inventarium conficere non teneri, quando bona ob aliquod delictum ad ipſum veniunt; quia tunc Fiſcus non ſuccedit indigno tanquam hæres, ſed ſolùm causâ vindictæ; (bene tamen, ſi Fiſcus inſtituatur hæres) & idem, quando Fiſcus in vacantibus bonis ſuccedit, quoniam nec etiam tunc tanquam hæres ſuccedit communiter docetur.

Dantur tamen aliqui caſus, in quibus neceſſariò Inventarium fieri debet. Itaque primo Inventarium facere debent Tutores, & Curatores, quando eorum curæ commiſſi ſunt pupilli, minores, amentes, furioſi, prodigi, &c. quod ſi Inventarium non fecerint, tenentur non tantùm illi, cujus curam gerunt, ſed etiam creditoribus ultra hæreditatis vires ſatisfacere, ſi damnum inde exoritur, omnes nanque, qui ad præſtandam rationem alicujus obligationem habent, ad Inventarii confectionem tenentur; *argum. L. 1. ff. de tut. & rat. diſtrah.* legatur Ordinat. Luſitana lib. 4. tit. 102.

175 Secundo ab hæredibus Inventarium fieri debet, eis vel invitis, à Judice ex officio confici debet ſemper, & quando periculum ineſt, nè, illo omiſſo, cohæredes abſentes, creditores, legatarii, aut alii patiantur damnum, uti contingere poſſet, ſi præſentes hæredes interim hæreditatem diſtraherent, partem vel ejus occultarent, aut lapidarent, vel tam pauperes eſſent, ut reſtitutionem Lege debitam facere non valerent; de quo *Molina Diſp. 219.* & communis. Et idem cum communi ibid. dicit *Molina* de illis, qui fideicommiſſo univerſali extant gravati, ac de quo etiam *Peregrin. de Fideicommiſ. Art. 36. num. 25. & Thuſcus tom. 4. Concluſ. 249. num. 20.*

176 Tertio filius Inventarium conficere tenetur, ſicut quilibet alius hæres, ſed ſi non fecerit, non ideo legitimam amittet, tenetur tamen integra debita patris de ſuis ſolvere bonis, niſi in caſu, quo creditores, ac legatarii fateantur non reliquiſſe patrem, niſi ea tantùm, quæ affirmant hæredes; imò Inventarium non conficiens non perdit Trebellianicam, ſecundùm magis communem ſententiam. ¶ Patrem autem filios habentem teneri, mortua uxore, Inventarium conficere, conſtat ex Luſitano Jure lib. 1. Ordinat. tit. 88. num. 6. qui titulus omnino pro aliis legendus, etiam Repertorium ad dictas Ordinationes verb. *Inventario.*

177 Quarto neceſſarium etiam omnino eſt ut Epiſcopi non Regulares, & etiam Regulares Inventarium faciant (coram Illuſtriſſimo Nuntio producendum) in ingreſſu Eccleſiæ ſuæ tam de bonis patrimonialibus, aut alio titulo acquiſitis, quàm de redditibus Epiſcopatûs, ut ſic inter bona, quæ antea habebant, quàm ea, quæ Epiſcopatûs ſunt redditus, tempore mortis ejus, ſive poſt eam omnis confuſio de medio tollatur; id quod ſi factum non fuerit, præſumitur in ejus morte omnia bona inventa ex Eccleſiaſticis redditibus acquiſita eſſe; pro quo legatur *Barboſa de offic. Epiſc. 3. P. Allegat. 114. num. 15. & in cap. 3. de Peculi. Cleric. num. 2. Cappani tom. 3. Diſcept. 140. num. 6. Villarroel Govierno Eccleſ. 1. P. Q. 3. Art. 4.*

num. 3. *& Mieres de Maiorat.* 1. *P. Q.* 2. *num.* 19. Et hoc quo ad Epiſcopos non Regulares, quos de omnibus illis bonis, quæ ex redditibus Eccleſiaſticis non proveniunt, teſtari poſſe nullatenus eſt in dubium vertendum. ¶ Quo ad Regulares Epiſcopos legatur Barboſa cit. Allegat. 114. num. 24. Covar. in cap. *Cùm in officiis*, num. 8. ac Sanch. lib. 6. Decal. cap. 6. num. 11.

SUBLECTIO.

De quibuſdam aliis hæredum obligationibus.

178 ALtera hæredis obligatio eſt, quòd ſtatim, ac factum eſt Inventarium, & etiam ſi illud non fiat, omnia realia (non tamen perſonalia, hæc enim comitantur perſonam, ac extinguuntur, illa extincta) defuncti debita ſolvere teneatur. Ratio eſt: nam, ſicut hæres in defuncti bonis ſuccedit, hocque commodum ſentit, ita & in obligatione ſolvendi ejus realia debita ſuccedere debet, hocque ſentire incommodum, quin de hoc queri queat. Quòd ſi multi inſtituti ſint hæredes, eorum quilibet pro hæreditaria rata defuncti dicta debita ſolvere debet, niſi aliud ſit à defuncto, vel teſtatore diſpoſitum. Eo vel maximè, quia hæres repræſentat teſtatoris perſonam; *L. Hæres de uſucapion.* ad illa igitur realia onera, ad quæ defunctus obligatus erat, ad ea omnia etiam hæres manet obligatus. Et hoc omne commune DD. placitum eſt, qua de cauſa nullum in particulari referimus. Unde

179 Reſolves primo hæredem pro debitis ex delicto defuncti ſatisfacere teneri, etiam Inventario non confecto, non tamen ultra hæreditatis vires in conſcientiæ foro, ut ſuprà dicebamus. Legatur *Barthol. in Rubrica de acquirend. hæred. Hoſtienſ. in Sum. tit. de Teſtam.* §. *penult.* ¶ Secundò locationibus, & aliis contractibus circa talia bona ab anteceſſore initis ſtare tenetur, eo quòd hæreditatem accepit cum oneribus, quæ habebat; *Covar.* 2. *Var. cap.* 15. *num.* 2. *Gomes* 1. *Var. cap.* 3. *num.* 7. ¶ Cæterùm ex Maioratu, vel bonis vinculatis non tenetur debita ſolvere, quia vinculum non eſt bonum defuncti, niſi tantùm pro tempore vitæ ſuæ; atque adeò, cùm dicta vinculata bona non jam ſint ipſius defuncti, nullatenus ex eis debentur defuncti debita ſolvi. Ex quo fit non teneri hæredem vinculi ſtare locationibus, aliis vel contractibus ab anteceſſore factis circa vinculata bona, ſicut nec Beneficii ſucceſſor contractibus, aut pactis circa Beneficii bona ab anteceſſore initis ſtare tenetur, eo quòd ſolùm pro vitæ ſuæ tempore ſub ejus diſpoſitione erant, ac de illis poſt mortem nihil diſponere valet. *L. Si quis domum*, §. 1. *ff. locari.*

180 Tertiò hæredem teneri vota realia defuncti adimplere; *L. Hæres in omne, ff. de acquirend. hæred. & L. Nihil* 24. *ff. de reg. Jur. cap. Si hæres de Teſtam. L.* 4. *ff. de pollicitation.* & ratio patet ex ſup. dictis, & alibi, docetque *Suar. tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 11. *Tract. de Voto*, cum multis *Salmant. tom.* 4. *Tract.* 17. *cap.* 1. *P.* 5. *num.* 122. ibi adnotantes hoc intelligendum eſſe, quando abſque temporis reſtrictione factum eſt votum, ut ſi Deo voviſti abſolutè Calicem putà Eccleſiæ dare; ſecus vero, cùm ad tempus votum emiſit, uti ſi diceret: Voveo me quotidie eleemoſynam dare, hoc enim votum intelligitur per vitam ſuam; unde eo demortuo, omnino extinguitur voti obligatio, ad ejuſque proinde hæredes non tranſit. Legantur ea, quæ dedimus 3. *hujus Breviar. Parte, Tract.* 17. *præcip. cap.* 1. *Lect.* 4. *Sublect.* 1. ubi de re hac, & aliis aliqua curioſa reperies.

181 Licèt *Navar. lib.* 3. *Conſil. tit. de Voto, Conſil.* 13. *in* 2. *editioneque Conſil.* 16. & alii teneant, quod quando hæres tenetur realia (ac etiam miſta ex parte, qua ſunt realia) vota defuncti omnia implere ex toto hæreditatis corpore, vel cumulo, adhuc debita legitima à tali cumulo non ſeparata, id facere poteſt. Contrarium tamen eſt omnino tenendum, & dicendum quòd, ſegregata legitimâ, ex reliquo ſolvenda ſunt talia realia vota. Et ratio eſt in promptu, & clara: quoniam legitima neceſſariis hæredibus ex Jure eſt debita, nonque igitur à teſtatore, ac minus ab alio gravari valet, aut minui ex voluntario debito, quale eſt votum, legatum pium, & hujuſmodi, quia hoc eſſet ex iniquo ſolvere velle, id quod Spiritus Sanctus Lib. Eccleſ. cap. 34. num. 20. *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata.* Et magnus Parens Auguſt. relatus in cap. fin. 19. Q. 4. ait: *Quicunque vult, exhæredato filio, hæredem facere Eccleſiam, quærat alterum, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum, imò Deo propitio neminem inveniet*; quare, licèt debita ex juſtitia, quæ ſunt omnino neceſſaria, ex toto bonorum corpore, vel cumulo extrahi debeant, non tamen debita gratioſa, ac ex voluntate procedentia; & ideo quæcunque gravamina à teſtatore appoſita bonis, ſive per vota, vel per alia legata pia in præjudicium legitimæ nullius ſunt roboris: *L. Quoniam in prioribus, Cod. de inoffic. Teſtam.* licèt enim pater in vita (per quod contrariorum argumentum durè calcatur, atque radicitus eradicatur) quando bonorum dominium habet, eleemoſynis, aliiſque piis operibus, & votis moderatis aliqualiter aſcendentium, & deſcendentium legitimam minuere valeat; ſecus poſt mortem, quippe jam illorum dominium amiſit. *Sanch. lib.* 7. *de Matrim. Diſp.* 36.

num.

num. 6. ac in Sum. lib. 4. cap. 15. num. 38. Truthench. lib. 2. cap. 2. Dub. 15. num. 4. cum aliis *Dicastill. lib. 2. Tract. 19. Disp. 3. Dub. 1. num. 19.* cum multis *Salmant. sup. de Voto, num. 127.* facit & *Lusitana Lex lib. 4. Ordinat. tit. 65. §. 1.*

182 Hæres autem, ficut & teſtamentarius non ſolùm debita, & vota realia defuncti ſatisfacere tenetur, ſed etiam legata. Conſtat ex dictis, ac eſt quid indubitatum. Et ad obligationes iſtas implendas pro externo foro integer annus habetur à die mortis teſtatoris, pro legatis profanis quidem, ita ut ante annum tranſactum nullatenus ea ſolvere cogi poſſit. Cap. *Nos quidem de Teſtam. Authent. Hoc amplius, Cod. de fideicomm.* ¶ Sed, ſi legatum ſit abſolutum, & ad piam cauſam, ſtatim ac hæres hæreditatem adit, cogi poterit in eodem externo foro ad illud ſolvendum. *Salmant.* cum aliis *de Contract. Tract. 14. cap. 5. P. 11. num. 153.* ibi notantes teneri hæredes, ac teſtamentarios, quando res adimplenda dilationem non exigit, ſtatim legata, & debita ſolvere ita, ut contrarium facientes mortaliter peccent, ac proinde à Confeſſariis cogendos eſſe ut Teſtamenta quàm primùm adimpleant, quod ſi, cùm poſſint, non fecerint, eos abſolvi non debere, cùm ſint in ſtatu peccati mortalis; apud ſe aliena detinentes debita.

183 De ordine autem habendo in defuncti debitis ab hærede ſolvendis jam quantum ſat erat, dedimus *ſup. cit. loco de Voto*; pro nunc autem breviter etiam tene quòd vota realia præferenda ſunt omnibus legatis, etiam piis; quia legata ſunt libera, & gratioſa, ac votorum debita ſunt obligatoria. ¶ Deinde omnia debita ex juſtitia præferenda ſunt debitis ratione voti, & ratione legati; quoniam votum, ac legatum ex alienis bonis implendum non eſt, ſed ſolùm ex bonis propriis ipſius voventis, aut legantis; & ſolùm ipſius ſunt bona ea, quæ remanent, deducto alieno ære; *L. Mulier bona, ff. de jure dotium* tenet Div. Thom. Opuſc. 73. de Uſur. cap. 18. Navar. de Reſtit. lib. 4. cap. 6. Dub. 1. num. 7. ac Dub. 10. num. 48. Medina de Reſtit. Q. 2. Dub. 5. Concluſ. 4. ¶ Rurſus funeris expenſæ ante omne debitum etiam ex juſtitia extrahi debent; & idem de expenſis factis in favorem rerum relictarum in Teſtamento, vel Inventario *L. penult. de Relig. & ſumpt. funer.* tenetque Sanch. lib. 4. cap. 15. num. 37. Bonac. tom. 2. Diſp. 4. Q. 5. §. 2. num. 26. & plures alii apud Salmant. ſup. ubi de Voto, num. 125. Sylveſter verb. *Hæreditas* 3. Q. 9. ib. notans quòd, ſi creditores, ſimul ac legatarii veniant, peccat hæres, ſi prius legatariis, quàm creditoribus ſolvat, quia id facere nequit, niſi ſolùm quando bona ſufficiunt pro omnibus.

184 Ulteriùs quando plures ſunt creditores, nonque pro omnibus eſt ſatis hæreditas, ſatisfaciendum eſt ex integro in rem dominium habentibus, dominium enim extantium rerum ſemper penes creditorem, vel creditores permanſit, neque bona illa inter bona ſunt creditoris, propriè loquendo; & idcirco ante omnia domino ſuo ſunt reſtituenda, cùm bona aliena aliis reſtitui non debeant, imò neque alii ipſa recipere queant, nec retinere, ſed verò domino reſtitui debent.

185 Præterea, quando concurrunt creditores tacitam, vel expreſſam hypothecam habentes, ſive aliquo modo realem actionem, vel ſaltem perſonale privilegium cum illis, qui tantùm perſonales actiones, aut chirographa habent, præferendi ſunt ſemper habentes hypothecam, ſuntque in integrum hujuſmodi creditores ſatisfaciendi, eſto poſteriores ſint tempore illis, qui tantùm perſonales actiones habent; quare Proloquium illud: *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*, de realibus debitis, id eſt, de habentibus actiones reales intelligi debet, atque ita priori hypothecæ reali expreſſæ priuſquam poſteriori ſatisfactio fieri debet, ut tradit Sylveſter verb. *Reſtitutio* 6. Q. 5. per totam, Petrus Navar. lib. 4. de Reſtit. cap. 6. Dub. 5. num. 3. & alii.

186 Cæterùm quando creditores in defuncti bonis actionem nullam realem habent, neque privilegium, nec hypothecam, ſed omnes æquè perſonalibus actionibus muniuntur, non tenetur hæres antiquiori ſatisfactionem facere, ſed pro rata dividenda ſunt bona juxta debitorum proportionem, quinimo non poteſt debitor hæres integrè uni ex debitoribus ſatisfacere, quando hæreditas de ſe ſufficiens non eſt ad ſolvendum creditoribus omnibus, hoc enim aliis injuriam impingere eſſet. Sed de his jam alibi diximus.

187 Inſuper, quando teſtator in Teſtamento ſuo mandavit ut ea faciat, vel expendat hæres, vel teſtamentarius, quæ ſibi dicta fuerint à ſuo Confeſſario, id eſt, teſtatoris, hæres ipſe Confeſſario credere tenetur; (& idem, quando à teſtatore nihil dictum eſt, ſed à teſtatoris Confeſſario privata exhibetur ſchedula, in qua aliquid decernitur) atque adeo, Confeſſario 100. putà ab hærede petente, ut clam de mandato teſtatoris reſtituat, &c. hæres exhibere tenetur. Neque Confeſſarius tenetur ad detegendas cauſas, nec perſonas, quibus 100. illa danda, reſtituenda vel ſint. *Argum. cap. Omnis de pœnit. & remiſſ. & cap. Sacerdos de pœnit. Diſt. 6.* tenetque Mantica lib. 3. tit. 19. tenent & alii citati, ac ſequuti à Dicaſtill.

castill. sup. Disp. 3. Dub. 2. legendus & etiam num. 24. circa hæredes plura alia hîc adhuc ad medium poteramus vocare, id quod omittimus, ac quia de eo jam constat ex alibi dictis, de quo aliquid videri quit Tract. 27. cap. 1. Lect. 3. & quoniam ex infra ponendis magis constabunt.

LECTIO X.

De Testamentorum Exequutoribus, eorumque obligatione.

188 TEstamenti, vel alterius ultimæ voluntatis *Exequutor* ille est, & dicitur talis, qui aut ex dispositione Legis, vel testatoris, aut Judicis defuncti voluntatem ultimam adimplere tenetur, illamque exequitur, ut deducitur *ex cap. Joannes de Test am.* & communis docet. Unde testamentarii alii sunt *legitimi*, qui quidem illi sunt, qui dantur à Jure, vel Lege, ex Lege, aut ipsis munus hoc competit exequi. ¶ Alii sunt *Testamentarii*, ac illi sunt, qui in Testamento, vel à testatore sunt designati. ¶ Alii demum *Dativi* sunt, qui sunt, & dicuntur tales illi, qui à Judice, Magistratu, vel dantur in casu, quo ille, qui exequutor fuit institutus, aut deputatus, munus exequutoris sibi assumere nolit, sibi vel non possit assumere. ¶ Testamenti Exequutores alii sunt *particulares*, hique sunt illi, quibus non integram testatoris voluntatem, sed unam, vel alteram particularem dispositionem duntaxat exequi, committitur. ¶ Alii autem sunt *universales*, & hi sunt illi, quibus totius ultimæ voluntatis exequutio traditur, sive committitur. Et etiam

189 Quando quis testatur ad pia, estò aliqua non pia legata misceat, vel hæredem instituit Animam propriam, aut pauperes in genere, nullis in specie, nec in individuo assignatis, constitutus ad ea omnia exequutioni mandanda, universalis Exequutor dicitur, & hunc quasi ut hæredem Jus reputat. *L. Si quis ad deliberandum, Cod. de Episcop. & Cleric.* hæres ac etiam *universalis* Exequutor dicitur, quando testator eum hæredem instituit, nullumque in Testamento exequutorem denominat, de quo *Molina Disp.* 247. *num.* 2. *Abbas de Test am. cap.* 3. *num.* 4. *ibid. Covar. cap.* 3. *num.* 11. *Layman lib.* 3. *Tract.* 6. *cap.* 11. *Q.* 1. & ex dicendis etiam constabit.

190 Sed, licèt, quando testator nullum Testamenti exequutorem designat, tunc ad hæredem, vel hæredes Testamenti exequutio pertineat, etiam quo ad legata pia, juxta *Dicastill. sup. Disp.* 3. *Dub.* 9. *Molinam* ubi nuper, & alios, à cit. tamen DD. excipiuntur legata pro redimendis captivis, ac pro eleemosynis, & alimentis pauperum, in quo casu Ordinarius intrat, (id quod verum esse dicitur etiam in casu, quo testator expresè determinaverit, sive præceperit ut in ea re Episcopus, vel loci Ordinarius, aut alius non se intromittat) hoc quippe negotium, tanquam ad pauperum, & miserabilium, patrem, Episcopum pertinet, si nullus exequutor alius, sive testamentarius fuerit relictus, nisi in contrarium prævaleat legitima consuetudo. Legantur *Layman, ac Molina, Carpio de Exequut. Test am. lib.* 1. *cap.* 22. *à num.* 7. *Sanch. lib.* 4. *cap.* 1. *Dub.* 43. apud quos reperies ad hæredem pertinere etiam quo ad alias causas pias Testamenti exequutionem, maximè quando testator ita decrevit, neque Episcopum in eo se intromittere posse, nisi hæredis negligentiâ data.

191 Testator, quicunque sit ille, sive vir, aut fœmina, optimè potest quem voluerit Testamentum eligere, unum, vel plures assignando, & ideo poterit esse etiam uxor, vel alia fœmina, sicut & potest esse tutrix, ac licèt mater ad secundas nuptias transiens filiorum suorum tutelam amittat, non tamen amittit munus exequutricis in Testamento primi viri sibi relictum. ¶ Si quis verò fratres suos Testamenti sui exequutores denominet, non intelligitur denominare sorores: *L. ult. Cod. de legit. tut.* nisi in casu, quo testator unum tantùm fratrem habeat, quia tunc nominando fratres in plurali sub nomine fratrum etiam sorores clarè intelligitur se nominasse. ¶ Deinde testamentarius esse potest minor 25 annorum, (non tamen impubes) si decimum septimum expleverit annum. Cap. *Quia generaliter*, §. *fin. de Procurat. in* 6. ¶ Excommunicatus etiam, & servus hoc munus exercere valent. Hæc omnia reperies apud Sanches lib. 4. Consil. cap. 1. Dub. 4. Molinam Disp. 247. Lugonem de Just. tom. 2. Disp. 24. Sect. 16. num. 324. Salmant. sup. de Contract. cap. 5. P. 12. num. 161. Layman sup. Sylvestrum verb. *Testamentum* 2. Q. 1. & Covar. cap. 17. num. 5. ac est, vel sunt communia. Legatur etiam Diana Coordinat. tom. 6. Tract. 9.

192 Ulteriùs testamentarii cujuslibet testatoris esse possunt, non solùm seculares personæ, sive Clericus sit, aut non, sive vir, vel fœmina, sed etiam quilibet Regularis, sive Religiosus; (si Minores Fratres demas, quibus id prohibitum extat in Clementina *Exivi* de verbor. signific. §. *Verum etiam*, quin ad id Superioris licentiam conferre possint) sed in eo semper sui Superioris licentiâ habita ad munus hoc exercendum *juxta Clement. unicam de Test am. cap. Religiosus eod. tit. in* 6. unde graviter peccaret Religiosus, qui absque dicta licentia

centia munus exerceret, vel acciperet ad exercendum, non prius licentiâ obtenta, eo quòd in materia gravi contra prohibitionem Eccleſiæ ageret; hæc tamen licentia dari quit ab immediato Prælato, (ſicut & ſibi aſſumere eam) niſi in aliqua Religione ſtatutum ſit in contrarium, uti eſt apud nos Carmelitas Excalceatos, apud nos nanque ſolus Generalis talem licentiam conferre valet, ut videre eſt *in Conſtit. 3. P. cap. 13. num. 5.* ¶ Non tamen peccaret mortaliter Religioſus noſter, qui ſine Generalis licentia, ſed ſolùm cum licentia immediati Prælati tale ſuſciperet munus, illudque exerceret: quia Jus commune ſolùm Prælati, quicunque ſit ille, etiam immediati, licentiam exigit, & Conſtitutio noſtra, ut in ea videre licet, eſt mere, ac purè pœnalis. Sed neque contra Conſtitutionem procederet, ſi ſub conditione: *Si Generalis conſentiat*, tale munus acceptaret ex præſumpta ejus licentia, quæ ſola ſufficit in hoc caſu. Hæc *Salmant. ſup. num. 162. & á Spiritu Sancto 2. P. Tract. 3. Diſp. 6. num.* 1477. Sed circa præcipua ea, quæ ſub hunc num. cadunt, legatur *Dicaſtill. ſup. Dub. 10. á num. 115. ac Diana ſup. tom. 6. Reſol. 14. ad 28.*

193 Utrùm autem, ſi Religioſus aliquis abſque ſui Superioris licentia exequutoris Teſtamenti munus accipiat, & illud exequatur, teneat factum? Variant DD. affirmativam partem cum magis communi tenent *Felinus in cap. 2. de Judiciis, Layman lib. 3. Tract. 6. cap. 11. num. 4. Sanch. lib. 6. Moral. num. 15. ac* 16. negativam verò docent *Covar. de Teſtam. cap. 17. num. 2. Molina ſup. num. 9. Sylveſter ſup.* & alii, ac eſt uti umque probabile.

194 Dictum eſt ſup. *Si Minores Fratres demas, quibus id prohibitum extat*, id quod verum, ſed hoc non tollit quòd ipſi exequutionis conſilium dare poſſint, & hoc non ſolùm, quando ab ipſis Exequutoribus liberè interrogantur, ſed etiam quando teſtator ipſe ſuis Exequutoribus mandat, prout poteſt, ut nullatenus ad exequutionem ſuæ teſtamentariæ voluntatis procedant, niſi à prædictis religioſiſſimis Fratribus conſilio prius petito (eſto, ut non pauci docent, Exequutores conſilium petitum, & datum exequi non teneantur, ſed aliud facere poſſint.) Legatur Covar. ubi ſup. Sanch. ſup. cap. 11. num. 28. Barboſa *in dicta Clement. Exivi*, Molina Diſp. 247. num 12. Emman. Rodrig. Quæſt. Regular tom. 3. Q. 70. Art. 2. apud quos itidem reperies teſtatorem dictis Fratribus committere poſſe, ut ipſi unum, vel plures Exequutores denominent. Et Exequutoribus etiam jubere poſſe ut nullatenus pauperibus, vel piis cauſis hæreditatem, aut legata diſtribuant, niſi ſolùm pauperibus, piis & aliis cauſis illis, quos, & quas dicti religioſiſſimi Minores Fratres elegerint. Legantur citati, præcipuè *Rodrigues, ac Diana ſup. Reſol. 10.*

195 Per ſe, ſive regulariter loquendo, nemo ad acceptandum munus Exequutoris alicujus Teſtamenti, & ſi in Teſtamento ad id ſit deſignatus, cogi poteſt, etiam ad piam cauſam, poſtquam tamen munus tale acceptavit, bene cogi poteſt ut illud exequatur, univerſaliter nanque dicitur quód mandatum non ſuſcipere cuivis liberum eſt, ſuſceptum autem conſummandum eſt, ac juxta cit. cap. *Joannes 19. poſt ſuſceptum mandatum cogi debent.* Eſt communis. Legatur Covar. de Teſtam. cap. 19. num. 3. Abbas in dicto cap. *Joannes*, & Molina Diſp. 248. num. 3. legatur Diana ſup. Reſol. 30. ad 33.

196 Teſtamentorum Exequutores tenentur quàm primùm poſſint (& hoc juxta plures ſub mortali) ultimam teſtatoris voluntatem exequutioni mandare (niſi certum tempus ab ipſo teſtatore ſit deſignatum, nam teſtatoris voluntas tanquam lex habetur, id quod non tollit quòd tempus illud præveniatur quo ad exequutionem.) Abbas in cap. *Si hæres 6.* num. 5. ibid. Covar. num. 4. Layman lib. 3. Tract. 5. cap. 11. num. 12. Sylveſter verb. *Teſtam. 2. Q. 6. ac 9.* Et hinc

197 Sequitur teſtamentarios (ac idem de hæredibus) ſolvere teneri, quàm primùm poſſint, omnia legata à defuncto relicta, cæteraque exequutioni mandare, quæ in Teſtamento reperiuntur diſpoſita, ita ut mortaliter peccent, ſi in hoc negligenter ſe gerant. (Legatum tamen ipſi in Teſtamento relictum propria auctoritate ſibi accipere poteſt. *L. Non eſt dubium, ff. 2. Cod. de legatis.*) Debent & etiam ſolvere debita, quæ teſtator expreſsè in ſuo declaravit Teſtamento. Legantur *Salmant. ſup.* cum aliis *num. 161.*

198 Et eſt advertendum quód, licèt hæredes, ac teſtamentarii negligentes ſint in defuncti mandatis exequendis, & ob hoc ipſi mortaliter peccent, nullatenus tamen ob id defunctorum Animæ in Purgatorio detinentur uſque dum debita ſua à ſuis hæredibus, ac teſtamentariis ſolvantur: (prout vulgi communis eſt error) nanque, ſi hoc ita eſſet, quamplurimæ Animæ nunquam à Purgatorio egredirentur eo quód nunquam earum debita ſolvuntur, quod non eſt exiguum abſurdum, eó vel maximè, quia alienum eſt ab omni ratione, nonque cum Divina, ſummaque Dei pietate cohæret, quód Animæ in Purgatorio ob alienam incuriam, negligentiamque patiantur, res quippe eſſet indigna Deo, ſi ſanxiſſet ut quis pro ea culpa pateretur, quæ ſua non eſt, (ſaltem in capite, qualis fuit Adami) neque

in

in sua jam est libertate Quæ sententia est Magistri Soti in 4. Dist. 45. Q. 5. Art. 3. & lib. 4. de Just. Q. 6. Art. .. prope fin. & aliorum plurium apud Salmant sup. num. 158. tenetque Magister Angelicus Quodlibet. 6. Art. 13. in corp. & ad 1. rationemque assignat, dicens: *Quia negligentia unius non imputatur alteri ad pœnam.*

199 Tam laici, quàm Ecclesiastici Judices, nempe Episcopi, potestatem habent monendi, & compellendi testamentarios laicos, (quo ad Ecclesiasticos id ad Episcopos solum modo pertinet) sicut & hæredes ad exequendum defunctorum voluntates, tam ad profana, quàm ad pia; est enim facultas hæc misti fori, prævention ique subinde locus datur, & quòd Episcopis conveniat facultas ista, patet *ex cap. Tua nos 17. de Testam. cap. Nos quidem 3. cap. Si hæredes 6. de Testam.* docet communis. Legantur Abbas in dicto cap. *Si hæredes*, num. 3. ibid. Covar. num. 1. Molina Disp. 252. num. 5. ac 252. num. 1. ¶ Quod verò competat etiam laico Judici, quando laici testatoris voluntas est etiam ad causam piam, constat *ex Authent. Hoc amplius de fideicom. & Novella 131. cap. Si quis ædificationem*, ac de quo legantur cit. legatur Ordinatio Lusitana lib. 1. tit. 62. ubi plura de hac re, & quo ad præsens ibid. §. 4. ac Tiraquel. Privil. 149. Martha de Jurisdict. 2. P. Calu 10. n. 12.

200 Si Testamenti Exequutor Ecclesiasticus sit, sive laicus, à competenti Judice monitus, voluntatem defuncti intra annum non adimpleat, perdit omne id, quod aliàs eidem ex Testamento competit, sive sit legatum, aut hæreditas (salva semper legitimâ sibi debita tantùm.) *Authent. Hoc amplius, Cod. de fideicomm. Novella 1. cap. 1. §. 1. cap. Nos quidem 3. cap. Si hæres 6. L. Si patroni 15. §. Sed nec illud, ff. ad Senat. C. Trebell.* Lege Lusitana ubi proximè §. 12. vers. *E faraõ tornar, &c.* & §. 14. à vers. *E posto que toda a fazenda.* Legatur Covar. in cit. cap. *Si hæredes*, ac Molina Disp. 251. num 3.

201 Si Exequutor aliquis Testamenti alicujus quo ad causas pias bis ab Episcopo admonitus fuerit, ut suam obligationem adimpleat, negligens in eo fuerit, omnibus commodis ex Testamento eidem aliàs competentibus etiam ante annum privari potest; pro quo legatur Covar. in dicto cap. *Si hæres 6.* num. 5. ibid. Abbas num. 5. & Layman sup. num. 13. ¶ Quod si intra lex mentes à die insinuati Testamenti numerandos legata pia non exequatur, illis privari debet simul cum omnibus fructibus, ac emolumentis, quæ à tempore mortis testatoris percipi potuissent. *Novella 131. vers. Si autem legatum*, & communis. ¶ Si autem semel admonitus intra annum voluntatem, præsertim quo ad legata pia, non adimpleverit, idque facere negligat, tunc ad Episcopum integra devolvitur exequendi potestas; imo & ante annum, si bis admonitus in eo negligenter se gesserit. *Novella 131. cap. 10. ac 11. cap. Nos quidem 3.* & ibi Covar. num. 8. & Abbas num. 11. multique alii; idque verum, & si testator dixerit: Nè Episcopus se intromittat in legatis piis ab eo *relictis*, nam tale interdictum, negligentiâ Exequutorum data, locum non habet. *Authent. Licet, Cod. de Episcop. & Cleric.* tenetque Leoncillus de Privil. pauper. 2. P. Privil 131. num. 2. & alii. ¶ Quod si Episcopus negligens fuerit in exequendis piis legatis, ad Metropolitanum tunc fit devolutio, de quo Spino de Testam. Gloss. 28. num. 42.

202 Exequutores Testamentorum acceptorum, ac expensarum rationem reddere tenentur, etiam si testator id remiserit, vel prohibuerit nè Exequutor ad reddendam rationem teneatur, quia hujusmodi exactio munus est publicæ potestatis, ad commune bonum introductum, & ideo à privato testatore impediri non valet, Inventariumque subinde facere tenentur. *Authent. de Sanctis Episcop. §. Æconomus, L. Nulli 28. Cod. de Episcop. & Cleric.* Molina Disp. 251. num. 8. Sylvester verb. *Testamentum 2.* Q. 8. Escobar de Ratiocin. cap. 3. num. 18. Petrus Gregor. lib. 42. Syntag. cap. 36. num. 12. ¶ Si Exequutor, vel Commissarius fuerit Monachus, ad rationem reddendam Episcopo tenetur. *Clement. 1. de Testam.* S autem fuerit Episcopus, eam Metropolitano reddere debet. Dicta *L. Nulli.*

SUBLECTIO.

Eadem materia prosequitur.

203 SI testator in suo Testamento dispoſuit ut hæreditas, vel legata ad Exequutoris, aut testamentarii arbitrium distribuerentur in pauperes, vel causas pias in genere, nullam specificando, potest, & tenetur Exequutor distribuere in pauperes, vel causas pias loci, ubi testator habet domicilium, priusquam alienigenis, quando testator in domicilio, aut non longè ab illo decessit; neque tunc, casus, uni soli pauperi, vel operi pio eas conferre potest, quoniam commissionis sensus in communi acceptatione est, ut inter pauperes, &c. fiat distributio; & hoc in una sententia, secus in alia, pro qua legendus est *Moronius Respons. 58.*

204 Bene autem poterit præferre quos maluerit intra suæ indigentiæ qualitatem, &

paupe-

pauperibus conſanguineis teſtatoris prius, ac magis, quàm extraneis, prout tenet *Tiraquel. in Præfat. de Privil. cauſæ pia, num.* 15. ¶ Item poterit talis diſtributor eas ſuis erogare cognatis, ſi verè ſint pauperes. Item, ſi ipſe Exequutor, vel diſtributor fuerit Religioſus, ſuo Monaſterio, & ſi Clericus, Eccleſiæ ſuæ etiam eas applicare poteſt non minus, quàm pauperibus, &c. ¶ Item, ſi ipſe Exequutor ſit pauper, ſibi etiam de illis juxta ſuæ inopiæ exigentiam aliquid applicare valet, non enim deterioris eſt conditionis per hoc, quòd tale munus exerceat; quæ eſt expreſſa doctrina Præceptoris Angelici 2. 2. Q. 32. Art. 9. ad 3. ibi: *Cum aliquis diſtributor ponitur eleemoſynarum, poteſt & ipſe ſibi accipere, quo & aliis miniſtrat*, tenentque multi apud Salmant. num. 169. Et licèt oppoſitum videatur præcipi *in L. Si mandavero, ff. mandati* pro foro tantùm externo, ubi præſumitur fraus, ac dolus, intelligi debet Circa dicta hoc num. legantur Sylveſter verb. *Teſtamentum* 2. Q. 2. Sanch. lib. 2. Moral. cap. 11. num. 59. Layman lib. 3. Tract. 6. cap. 12 num. 6. & Menoch. lib. 4. Præſumpt. 125. num. 17.

205 Ulteriùs poteſt dictus diſtributor filio ſuo ſpurio etiam eleemoſynare, eo quòd non ipſe exequutor propriè, ſed teſtator eſt, qui talem eleemoſynam facit. ¶ Sed utrùm eleemoſynam eam ſpurio teſtatoris filio dare queat, ſi ſit pauper? Pars affirmativa placet, & tenet *Maſcard. de Probat. vol. 2. Concluſ.* 193. *num.* 7. tenent & alii. ¶ Item poterit talis exequutor pro virginum dotibus ſummam illam diſtribuere, ſi verè ſint pauperes, earum qualitate penſata, & hoc modo teſtatoris voluntati bene ſatisfacit, hoc enim eſt defuncti bona inter pauperes, ac uſus pios diſtribuere; docet *Palatius Rub. in repet. cap. Per veſtras*, cap. 12. num. 6. & 7. cauſa nanque dotis, quando virgo eget, eſt ſatis pia; de quo *Baeça de Dotib. cap.* 11. *num.* 53. *ac Pinel. lib.* 1. *P.* 3. *num.* 69. *Cod. de bonis maternis.* ¶ Niſi bona illa diſtribuenda à teſtatore deſignentur in particulari, ut ſcilicet certis, & determinatis pauperibus diſtribuantur, nam tunc illis debent diſtribui à diſpenſatore fideli in eos uſus, quos Animæ defuncti videt eſſe utiliores. ¶ Utrùm autem teſtatore præcipiente certo tempore eleemoſynam pauperibus dare, tempus illud Exequutor prævenire valeat in præjudicium pauperum futurorum? Pars affirmativa probabilior videtur, eamque tenet Covar. cum aliis in cap. *Tua nos*, num. 5. de Teſtam. Spino in Specul. gloſſ. num. 71.

206 Quando teſtator mandavit ut pro malè ablatis mille putà reſtituantur aurei, nonque inveniuntur tot creditores, inter quos ea ſumma ſit dividenda, diſtinguit Panormit. *in cap. Tua nobis de Teſtam.* & dicit quòd, ſi teſtator prohibuit eam ſummam in alium uſum converti, tunc id, quod ſupereſt, tradendum eſt hæredi; ſed ſi ſimpliciter diſpoſuit, inter pauperes reſiduum eſt dividendum, quia credendum eſt tantam debuiſſe quantitatem, quantam diſtribuendam reliquit, ſive creditoribus reſtitui mandavit, eſto non reperiantur; idem quod ſervandum circa cautionem, quam uſurarii præſtant, uti adnotatur *in cap. Quanquam de uſuris*, lib. 6. ſequunturque Tabiena verb. *Exequutor*, num. 13. & Armilla eod. verb. num. 12.

207 Teſtamenti Exequutor, cui teſtator certam ſummam reliquit diſtribuendam, prout ſibi viſum fuerit, & placuerit, illam in uſus pios elargiri tenetur, niſi aliud ex teſtatoris voluntate colligatur: *Surdus de Alimentis, tit.* 8. *Privileg.* 17. *num.* 5. Ratio eſt: quia teſtatoris voluntas ſemper in meliorem partem interpretanda eſt, *juxta regul. cap. Cùm dilectus de donat.* & melior pars ea cenſetur, quæ in favorem piæ cauſæ, pauperum vel redundat, quod ſi aliter diſtributio fiat, ab Epiſcopo revocari valet. Armilla verb. *Exequutor*, num. 13. ac Tabiena ſup. num. 13. ¶ Ex quo fit, ut quando Teſtamenta reperiuntur duo, alterum ad pias cauſas, ad non pias & alterum, ac de prioritate non conſtat, in dubio Teſtamentum ad pias cauſas poſterius præſumitur; quia voluntati, mentique teſtatoris magis adhæret, & favet. Imò duo Teſtamenta ad pias cauſas, inter quæ de prioritate non conſtat, non confunduntur, ſed illud valet, quod favorabilius eſt piæ cauſæ Ægidius Luſitan. in L. 1. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. 3. P. §. 1. num. 9. verſ *quare.*

208 Teſtamenti Exequutorem, ſive hæredem, cui à teſtatore impoſitum fuit ut conſtruat Capellam, Oratorium, vel Eccleſiam, certa pecuniæ quantitate ſignata, ſi poſt adimpletum legatum aliqua pecuniæ quantitas ſuperſit, poſſe ſibi illam retinere, aſſerit *Covar. de Teſtam. cap.* 3. *num.* 10. *& Vaſques de Teſtam. cap.* 8. §. 5. *Dub.* 1. cæterùm contrarium eſt omnino tenendum; quoniam teſtator non demonſtrativè, ſed taxativè teſtatus eſt dictam quantitatem in utilitatem Animæ ſuæ, & forſitan ad exonerandam illam; unde non poteſt hæres, nec Exequutor tuta conſcientiâ dictam quantitatem pecuniæ retinere ſibi, ſed debet illam in maiorem utilitatem, ac ornamentum dictæ fabricæ, aut loci inſumere, de quo legatur *Bonac. Diſp.* 3. *Q. ult. num.* 8.

209 Si autem teſtator legatum reliquit Eccleſiæ ſub nomine putà *Sanctæ Mariæ*, & in dicta Civitate, vel loco, ubi teſtator fuit mortuus, & cujus erat Civis, plures dicti nominis

Eccleſiæ eſſent ita, ut adeſſet dubium cuinam Eccleſiæ deberetur tale legatum, credendum eſt magis indigenti relictum fuiſſe. *Authent. de Eccleſiis, §. Si quis.* ¶ Aſt juxta Panormitan. in cap *Indicante de teſtib.* dandum eſſe Eccleſiæ Parochiali, ſi idem nomen haberet, aliter autem pauperiori dandum eſſet. ¶ Quod ſi omnes eſſent æquales, dandum Epiſcopo eſſet, ut ipſe diſtributionem faceret. ¶ Quòd ſi nulla dicti nominis eſſet Eccleſia, dandum eſſet Cathedrali, *ut Gloſſ. in cap. Nos quidem de teſtib.* Sylveſter verb. Legatum 2. num. 8. niſi tamen teſtator facultatem reliquiſſet hæredi eligendi pauperes, vel Eccleſiam, nam tunc quos maluerit eligere poterit ¶ Imò, ſi legatum Religioſis fuerit dandum, tam mendicantes, quam non mendicantes eligere poterit, juxta *Manticam de Conject. ult. vol. lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 8. Sed tutius, & magis ad teſtatoris voluntatem conforme illud Mendicantibus dare.

210 Rogabis quid faciendum in hoc caſu; (de eo conſulti fuimus) quidem piiſſimus vir legatum pium reliquit ad maritandas quaſdam, putà octo puellas honeſtas, idque à nobiliſſima Domo Miſericordiæ hujus Luſitaniæ Regni, vel ab ejus Proviſore unà cum Confratribus diſtribuendum diſpoſuit ut id in perpetuum per ſingulos annos efficerent, accidit quòd Proviſor, ſimul & Confratres dictæ Miſericordiæ Domûs anni præteriti 1733. ut defuncti voluntatem implerent, fœminas honeſtas octo ſignarunt, datis aliquibus, non verò aliis, ſuis portionibus debitis, deſignatione ſuppoſita; quæritum fuit (ac iterum quæritur) an hujus anni 1734 ſucceſſores Proviſor, & Confratres dictæ Domûs ſolvere tenerentur (ac teneantur, ſi iterum caſus contingat) promiſſas illas dotes à ſuis anteceſſoribus puellis illis ex vi dotis ſibi promiſſæ jam maritatis, aut maritandis conferre?

Reſponſio fuit affirmativa, (& eſt etiam modò, ſemperque eadem erit) probatur primò, tum, quia quando poſſeſſor de præſentibus rebus diſponit, quarum eſt adminiſtrator, & proviſio ad ipſum pertinet, talis proviſio eſt ſervanda, ſi non habuit effectum; *Bald. in cap.* 1. *num.* 3. *qui ſucceſſor feud. dar. teneant, ac in L. Qui ſe patris, num.* 14. *ad med. Cod. unde liber.* ¶ Secundò quoniam ubi prædeceſſor aliquid conceſſit, & ex ea conceſſione jus quæſitum eſt, non poterit illud revocare ſucceſſor. *L. Id, quod noſtrum, ff. de reg. Jur. ac tenet Barthol. in L. Quia tale, ff. ſoluto Matrim. num.* 88. ſequiturque Caldas Pereyra lib. Conſil. fol. 70. Conſil. 8 à num. 49. ¶ Tertiò, quia adminiſtratori, ſeu exequutori hujus legati competit poteſtas eligendi virgines maritandas, & eo ipſo quòd eas elegit, ac ipſæ per electionem quæſitum jus habent, eſt contractus quaſi inter adminiſtratorem, & inter eaſdem, cui adminiſtrator ſuccedens contradicere nequit, *argum. cap.* 1. *de Probat. & ibi Bald. num.* 4. *ac* 5. ¶ Quartò, quoniam eſtò mandatum, re integra, mandantis morte expiret, hoc tamen non intelligitur, quando mandatum eſt ad pias cauſas, ut in præſenti: quanvis ergo virgines illæ non nupſerint tempore concedentis has dotes, (& multò melius, ſi nupſerunt, dolque eis non fuit ſoluta) non propterea ſucceſſores, matrimonio ſequuto, liberantur à ſolvenda dote; quia cauſæ piæ favore obitu mandantis mandatum non expiravit. Cum multis *Tiraquel. Privil.* 82. *ac* 131. *de Privil. piæ cauſæ, Molina Diſp.* 263. *Sanch. lib.* 1. *de Sponſal. Diſp.* 6. *num.* 9. tenetur igitur in dicto caſu ſucceſſor eaſdem ſolvere dotes eiſdem fœminis, quibus promiſſæ fuerunt à prædeceſſore, eis qui ſolutæ non fuerant.

211 Sed ecce de eadem re caſus alter: (de quo etiam conſulti fuimus) prædeceſſor dictæ Miſericordiæ Proviſor nihil circa tale legatum tempore eo, quo erat Proviſor, diſpoſuit, neque puellas matrimonio conjunxit, nec alicui dotem illam promiſit; habet tamen apud ſe quantitatem, & ſummam illam, quæ ſingulis, ſi maritarentur, tradenda erat. Et ecce Proviſor ſucceſſor, qui modò gubernat, ac adminiſtrationem bonorum dictæ Domûs Miſericordiæ habet, arguit, dicens ſummam, & quantitatem illam, quæ eſt apud prædeceſſorem ſuum Proviſorem, ac quam ipſe tempore ſuo non diſtribuit, ad ſe pertinere, ut ipſe diſtribuat eam; negat autem Proviſor prædeceſſor, inquiens conſuetudinem inveteratam eam eſſe, quòd Proviſor etiam poſt finitum officium, munuſque Proviſoris dictam ſummam in dictis fœminis maritandis diſtribuat, & eſſe in poſſeſſione; quæritur quid juris?

Reſponſum tunc fuit, modòque reſpondetur ex jure competere ei, qui modò gubernat, talem diſtributionem efficere. Cæterùm, cùm conſuetudo (quæ jam præſcripta ſupponitur) ſit in contrarium, prout ipſi teſtati ſunt, bene poſſe prædeceſſorem Proviſorem talem diſtributionem facere, quin Proviſor præſens eum ad contrarium conſtringere poſſit, conſuetudo nanque præſcripta vim Legis habet, vel facit, & inſuper poſſidet prædictus Proviſor, ac ſemper eſt beatus qui poſſidet.

212 Utrùm autem, ſi teſtator nominet putà Petrum, ut legatum à ſe relictum diſtribuat inter pauperes, aut puellas, vel orphanas, nuptiis tradendas, vel eligat locum, vel Eccleſiam, in qua Capella aliqua ſit ædificanda, & ipſe

& ipſe Petrus intra annum, aut ſex menſes electionem non fecerit, vel exercuerit, eligendi jus, tempore eo elapſo, ad Epiſcopum devolvatur, & tranſeat? Eſt ſententia pro utraque parte probabilis, circa quod legatur *Fagundes de Translat. Dominii, lib. 6. cap. 4. num. 11.*

213 Quòd ſi ſcire velis an quando legatum relictum eſt Eccleſiæ, vel Monaſterio à Prælato abſque Juris ſolennitatibus, & conſenſu Capituli, repudiari poſſit; quando Prælatus ex conſenſu ſui Capituli Eccleſiæ, aut Monaſterii res adminiſtrat, quando legatum utile, nonque perniciоſum Eccleſiæ, vel Monaſterio eſt; & quid, ſi legatum Eccleſiæ, aut Monaſterio, vel cauſæ piæ fuerit relictum, conditione ea appoſita, ut abſque ſolennitatibus alienari poſſit, ſine illis alienari queat? Vide *Franciſcum de Amoſtaſo de Cauſis piis, lib. 1. cap. 12. à num. 42. ad 56. pag. mihi 55. ac 56.* negativèque reſpondebis. Et pro hac materia de Exequutoribus Teſtamentorum lege *Dianam Coordinat. cit. tom. 6. Tract. 9.* apud quem de ea plura reperies.

LECTIO XI.

De Commutatione ultimarum piarum voluntatum.

214 REs hæc graviſſima eſt, circa quam cum viro quodam graviſſimo, atque doctiſſimo valde importunam, & acrem contentionem habuimus olim; eo aſſerente nunquam, & à nullo, niſi ſolùm à Pontifice Summo, ultimas voluntates hominum pias commutari etiam in melius poſſe; nobis verò contrarium probabiliter aſſerentibus, quandoque juſta, & rationabili ad id causâ data, ab Epiſcopo id validè, ac licitè fieri poſſe. Rationes, quæ tunc hinc, inde adfuerunt, ad medium nunc trahere; ſtylum noſtrum, quem hic ſequimur, eſſet mutare, & ad longum rem iſtam protrahere; unde ex rationibus, quas tunc attulimus, paucas hìc dabimus aliquas, ſimul & Auctores quoſdam ex multis, qui in re tanta pro Epiſcoporum poteſtate ſe ponunt.

215 Dubium ergo in eo conſiſtit; an Epiſcopus, juſta, rationabilique causâ ſtante, ultimas pias teſtatorum voluntates commutare poſſit licitè, ac validè? Et pro re hac ſupponitur ut quid certum, & indubitabile primò ultimam teſtatoris voluntatem habendam eſſe pro Lege, & regulariter eſſe in ſpecie obſervandam, id quod conſtat ex pluribus Juribus, nempe *ex L. Verbis 120. ff. de verb. ſign. Novella 22. cap. 2.* ubi: *Diſponat unuſquiſque ſuper ſuis, & ſit Lex ejus voluntas. L. Conditionibus 19. princip. ff. de condit. & demonſtrat. cap. Nos quidem 3. de Teſtam. Can. 4. Cauſa 13. Q. 2.* ibi: *Ultima voluntas defuncti omnibus modis obſervari debet, Clementina Quia contingit de Religioſis domibus,* ubi expreſsè ſic dicitur: *Cùm tamen ea, quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata Fidelium, & ad illum debeant, non ad alium (ſalva quidem Sedis Apoſtolicæ auctoritate) converti.* L. Autem *in his, ff. de condit. & demonſtrat.* ſic dicitur: *In his, quæ extra Teſtamentum currunt, poſſunt res ex bono, & æquo interpretationem capere; ea verò, quæ ex ipſo Teſtamento oriuntur, neceſſe eſt ſecundùm ſcripti Juris rationem expediri.* Et in his Juribus præcipuè fundatur ſententia DD. (qui ſunt plures, & graves, ut videre eſt apud citandos) docentium Epiſcopum nullo modo, nulloque eventu, ex aliqua cauſa teſtatorum ultimas voluntates erga pia commutare poſſe.

216 Secundò ſupponitur in Concilio Tridentino circa commutationes ultimarum voluntatum teſtatorum ita decerni: *In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ nonniſi ex juſta, & neceſſaria cauſa fieri debent, Epiſcopi, tanquam Legati Sedis Apoſtolicæ, ſummariè, & extrajudicialiter cognoſcant, nihil in precibus tacita veritate, vel ſuggeſta falſitate fuiſſe narratum, priuſquam commutationes prædictæ exequutioni demandentur.* Ita ibi Seſſ. 22. de Reformat. cap. 6.

217 Supponitur tertiò quòd, licèt hoc, quod eſt ultimas teſtatorum voluntates obſervare, naturali, Divinoque Juri ſit valde conforme, non tamen dictis Juribus, aut alteri dictarum voluntatum commutatio ullo modo contrariatur; alias nullus hominum unquam ulla de cauſa in talem commutationem ingredi poſſet, id quod eſt omnino falſum, ut ex allegatis Juribus bene perpenſis clariſſimè conſtat, ac ex ponendis magis conſtabit.

218 Quartò ſupponitur Summum Eccleſiæ Paſtorem pias ultimas teſtatorum voluntates, juſta de cauſa, licitè, & validè commutare poſſe; id quod planè conſtat ex allegata Clement. *Quia contingit* verbis in illis *ſalva quidem Sedis Apoſtolicæ auctoritate*, tenetque communis Theologorum, & Canoniſtarum. ¶ Imò non ſolùm voluntates ultimas pias, ſed etiam profanas, pro quo legatur *Rota apud Farinac. tom. 2. Deciſ. 54. num. 3. Molina de Juſt. Tract. 2. Diſp. 249. num. 4. Moneta de Commut. cap. 5. num. 332. ac Barboſa de univerſ. Jur. lib. 3. cap. 27. num. 57.*

219 Dictum eſt *juſta de cauſa*, nam utrùm Summus Paſtor pias ultimas voluntates abſ-

que juſta cauſa commutare poſſit? Gravis contentio eſt apud DD. valdeque probabile eſt poſſe, maximè, quando non lædit jus alicujus tertii, & quando jus non dum eſt quæſitum, ſed eſt quærendum; pro quo legantur Sanch. in Conſil. lib. 4. cap. 2. Dub. 1. Covar. lib. 3. Var. cap. 6. num. 7. verſ. *Sic Juriſconſ.* Sarmiento Select. lib. 1. cap 8. num. 21. Martha de Juriſdict. 4. P. Caſu 74. num. 5. Peregrin. *de Fideicom.* Art. 52. num. 24. qui omnes adducuntur à Franciſco de Amoſtaſo de Cauſis piis, lib. 1. cap. 14. omnino legendo à num. 3. ad 12. docent & plurimi alii à Patre Torrecilla allegati tom. Epiſcopor. Tract. 1. Q. 7. Sect. unica, Diffic. 12. num. 76. ac 77. ubi legendi.

220 Supponitur probabiliter quintò ſupremos Principes ultimas ſuorum ſubditorum voluntates, juſta de cauſa, in alias commutare poſſe, vel permutare, uti teſte *Amoſtaſo ubi ſuper num. 1.* docent *Azor Inſtit. Moral. tom. lib. 6. cap. 1. Q. 5. Larrea Allegat. 115. & Moneta de Commut. ult. vol. cap. 3.* ¶ Imò juxta *Anacletum tom. 2. ad Decretal. tit. 26. num. 804. §. 23. fol. mihi 499.* Teſtamentorum Exequutores ultimas defunctorum voluntates ad pias cauſas in alium uſum pium mutare poſſe ſaltem in caſu, quo legatum ad pium uſum non ſufficit, vel applicari non valet. His ita jactis.

SUBLECTIO I.

Ad Punctum.

221 Dicitur dóminos Epiſcopos (& ſi non ſint conſecrati, dummodo ſint confirmati) ordinario Jure, juſta, rationabilique cauſâ ſtante, pias ultimas teſtatorum ſubditorum ſuorum voluntates, (maximè ſi res adhuc ſit integra) non ſolùm in melius, ſed etiam in æquale commutare licitè, ac validè poſſe. Et

222 Quòd id ita facere poſſint tenet in primis *Diana* cum AA. tredecim *t. 6. ex Coordinat. Tract. 9. Reſol. 64. ac 65.* ibi legendus, eamque probat, & ad argumentum in contra ex Clement. *Quia contingit* (quæ contrariæ ſententiæ præcipua eſt baſis) deſumptum, ſufficienter cum *Luca de Penna* reſpondet. Imò, ſi ipſemet *Diana* legatur *tom. 3. Tract. 5. Reſol. 40.* reperietur quòd ipſe de hoc non dubitat, ſed potiùs ſupponit ut certum, ibi enim ſic ab eo quæritur: *An Capitulum, Sede vacante, poſſit commutare ultimas voluntates in caſibus, in quibus poterat Epiſcopus?* Et ita reſpondet dicens: *Reſpondeo affirmative, quod probatur, quia in hujuſmodi juriſdictione ordinaria, quæ Epiſcopo competit Jure communi, mortuo Epiſcopo, ſuccedit Capitulum, ut probatum eſt ſupra, negari autem non poteſt quin commutatio ultimæ voluntatis ſit actus juriſdictionis Epiſcopalis.* Hæc ipſe ibi, ubi, ut vides, rem iſtam ut certam ſupponit, id eſt, Epiſcopum ordinario Jure id poſſe, nullumque de ea dubium habet: *Negari autem non poteſt.*

Tenet *Torrecilla ubi ſup. dicta Difficultate 12.* ubi eam probat, ad argumentaque contraria acutè reſpondet, pro iſtaque ſententia novem ſupra viginti DD. adducit, quorum aliqui adducti ſunt *á cit. Diana*, tenet ex parte *cit. Anaclet. num. 875.* legendus; *Layman, Sá, & Covar.* adducens. Inſuper abſolutè tenet cum multis *Amoſtaſus ubi ſup.* legendus *á num. 15.* cum plurimis & etiam tenet (imo & ut quid indubium ſupponere videtur) *Barboſa* omnino legendus *Collectan. ad Concil. Trident. Seſſ. 22. de Reformat. cap. 6.* facit & id, quod ipſe tradit *de offic. Epiſcop. 3. P. Allegat. 83. num. 5. ac de univerſ. Jur. lib. 3. cap. 27. num. 56.* Et

223 Data reſolutio probatur primò: quoniam dicta poteſtas commutandi ultimas pias teſtatorum voluntates, juſta, rationabilique cauſâ ſtante, ex Concilio Tridentino Epiſcopis competit, ut conſtat ex ejuſdem Tridentini verbis *ſup. num. 213.* datis; ſed dicta poteſtas per Clement. illam: *Quia contingit* (multòque minus per aliquod aliud) nullatenus illis eſt ablata, uti probat *ubi ſup. cit. Diana*, & cum multis *Amoſtaſus ſup. num. 15. ac Torrecilla ſup. á num. 72.* ſupponereque videtur *Barboſa*: ergo, &c.

224 Secundò: quia dicta Epiſcoporum poteſtas ad pias ultimas teſtatorum voluntates commutandas, juſta, rationabilique ſubſiſtente cauſâ, competit eis ex communi, & ordinario Jure, ut videre eſt *apud cit. Amoſtaſum, Dianam, Torrecillam*, & apud alios, ac ut dictum manet, & tenent citati, talis poteſtas Summo Paſtori non eſt reſervata: non eſt ergo, unde ipſi talem commutationem facere non valeant, cùm tale ordinarium Jus ipſis in hoc non ſit coarctatum. ¶ Accedit, quod plures, graviſſimique DD. ſunt, (ut videre eſt *apud Amoſtaſum ſup. num. 28. apud Torrecillam ſup. num. 98.* & apud plures alios) qui aſſerunt ordinario Jure poſſe Epiſcopos in tota ſua Diœceſi quidquid Summus Paſtor in tota Eccleſia poteſt, in omni eo, quod ab eis non auferatur à Jure, vel quod Summo Paſtori expreſsè, & certò non eſt reſervatum; ſed non conſtat apertè per quod Jus talis poteſtas eis ſit ablata, neque quòd dicta facultas commutandi Paſtori Summo certo ſit reſervata, vel appareat: (ad Clement. nanque *Quia contingit* jam ex dictis conſtat) in eis ergo dictum Jus ordinarium

per-

permanet nunc, ſicut antea permanebat, conſequenterque ordinario Jure ultimas voluntates teſtatorum pias juſta de cauſa commutare poſſunt; probationes omittimus alias, & aliæ videri poterunt apud citatos.

225 Idem, quod dicitur de Epiſcopis, dicitur etiam de Capitulo, Sede vacante; id eſt, Epiſcopo mortuo, Eccleſiâque viduata Paſtore, ultimas pias teſtatorum voluntates commutare poſſe non minus, quàm ex communi, & ordinario Jure poterat Epiſcopus, dum vivus erat, cùm Capitulo, Sede vacante, ordinaria Epiſcopi Juriſdictio competat, eique transferatur; ac ita cum multis *Diana* adductus *ſup. num.* 219. *Amoſtaſus ſup. num.* 25. *& ſeqq.* apud quem, ſi eum legeris *á num.* 21. *ad* 31. videbis quid circa hoc poſſint, vel non Epiſcoporum Vicarii, & Viſitatores.

226 *Inter pias cauſas*, (verba ſunt Barboſæ ſup. adducti Collectan. ad cap. 6. Tridentini) *ob quas Epiſcopus ultimas defunctorum voluntates commutare poteſt*, (ex vi Tridentini, ac ordinario Jure) *illa prima eſt, quando pecunia legata ad aliquem uſum non ſufficeret.* ¶ Secunda, *quando uſus legatus non poteſt adimpleri.* ¶ Tertia, *ſi Monaſterium in certo loco teſtatoris juſſu conſtrui non poteſt.* ¶ Quarta, *quando legatum eſſet factum ad unum uſum, non ita neceſſarium.* ¶ Quinta, *quando pro una tantùm vice, & ad tempus commutatio facienda eſſet.* ¶ Sexta, *quando Eccleſia, ad cujus favorem emanavit defuncti voluntas, negligens eſt.* Septima, *ſi urgeat aliunde neceſſitas commutandi ultimas defunctorum voluntates, neque adiri poſſit Summus Pontifex.* Hæc omnia Barboſa omnino legendus, Amoſtaſus autem ſup. num. 32. ac ſeqq. ex Gloſſa, Moneta, & Capponi omnes ad quatuor tantùm cauſas reducit, nimirum *neceſſitatis, utilitatis, pietatis, & incommodationis, aut maioris utilitatis.* Legatur.

227 Quando pia teſtatoris voluntas in melius, vel æquale pium per Epiſcopum commutatur, non eſſe neceſſariam cauſam ullam aliam juſtam, niſi quòd ſit pium id, in quo fit commutatio, eo quòd tunc, propriè loquendo, ibi commutatio non detur, ſed recta, juſtaque interpretatio voluntatis teſtatoris, ſive diſponentis, docuerunt *apud Amoſtaſum ſup. legendum á num.* 17. *ad* 19. non pauci, eſtque probabile, pro quo facit doctrina *Torrecillæ ſup. num.* 137. *ad* 154. ¶ Apud quem *á num.* 140. *ad* 146. reperies primò quòd, ſi quis aliquod legatum reliquit ad aliquem finem malum, & peccaminoſum, tale legatum caducat, conſequenterque ad hæredes pertinet; neque commutari valet, cùm non ſubſiſtat legatum. ¶ Secundò quòd quando legatum adimpleri nequit, neceſſariaque eſt commutatio, hæredes illam abſque conſenſu Epiſcopi facere non poſſunt, neque pariter Epiſcopus abſque conſenſu hæredum, aut ejus, cui relictum erat legatum, niſi in caſu, quo à talibus per Epiſcopum, conſenſu petito, illum ipſi dare renuant, nam tunc, ait, bene poterit Epiſcopus ſine tali conſenſu commutationem facere: *Bien es verdad que, ſi el heredero, o el legatario no quizieren conſentir, eſſo no obſtante, podrá el Obiſpo por ſi ſolo hazer dicha commutacion.* Legatur & etiam Amoſtaſus ubi ſup. num. 41.

SUBLECTIO II.

Quid ex dictis inferatur.

228 EX dictis inferunt citati AA. non pauca, ex quibus ſequentia habes; Epiſcopum, maximè cum hæredum conſenſu, ultimas pias voluntates commutare poſſe; primò quando legatum pium ad aliquem uſum relictum impedimentum habet, ut impleatur, commode vel impleri non valet, ſive impedimentum Juris ſit, aut facti, veluti ſi à teſtatore juſſum fuit certo loco Monaſterium erigi, vel ædificari, & difficile eſt id ibi fieri, (quod eſt impedimentum facti) eſtque impedimentum perpetuum; (ſecus, ſi temporale fuerit, nam tunc expectandum erit ut tollatur) aut ſi interdictum ſit in tali loco à teſtatore ſignato Monaſterium ædificari, (quod Juris impedimentum dicitur) tunc enim bene poſſe Epiſcopum voluntatem illam teſtatoris piam in alium commodum pium uſum convertere docetur, de quo *Amoſtaſus* cum aliis *ſup. legendus num.* 33. *ac* 34. *Barboſa cit. loco ad Trident. n.* 4. *&* 5. ubi conſimiles alios caſus apponit, ac ideo legendus. Legatur etiam *Torrecilla ſup. num.* 115. Et

229 Addit ex aliis *Torrecilla ibid. num.* 116. *ac* 117. quòd, ſi teſtator juſſit ut pro pauperibus Hoſpitale ædificaretur, bene poterit Epiſcopus ex hæredum conſenſu commutationem facere, & Monaſterium Hoſpitalis loco ædificare, ac ſi ad Hoſpitale erigendum impedimentum, & difficultas ulla non adſit, cùm id quid ſit melius, teſtatoriſque Animæ magis favorabile; citatque plures. ¶ Secundò ex Bordonio quòd, ſi teſtator certam pecuniarum ſummam relinquat ad ædificandum Altare quoddam, ſive Capellam, tunc Regulares Prælati ex hæredum licentia tale legatum in emendis libris pro ſcholaſticorum ſervitio, vel pro ad eundem finem Bibliotheca habenda convertere poſſunt.

230 Tertiò quando pecunia ad certum uſum legata non ſatis eſſet, tunc ab Epiſcopo in pium alium uſum converti poſſe. ¶ Quartò quando legatum factum eſſet ad unum uſum

non

non ita necessarium alicui Ecclesiæ, commutationem facere posse in alium usum magis necessarium eidem Ecclesiæ; sicque legatum pro anniversario annuatim celebrando relictum Ecclesiæ alicui, quæ reparatione indiget, & aliunde reparari nequit, nisi tantùm ex tali legato, illud reparationi dictæ Ecclesiæ per aliquod tempus applicare posse. ¶ Quintó idem de legata pecunia pro construenda Capella in aliqua Ecclesia, ubi ad sufficientiam plures aliæ adsunt, dictaque Ecclesia reparatione indiget; ac idem, si relinquatur pro ædificanda Ecclesia, ubi ruinosæ, & egentes reparatione plures sunt aliæ, nec est, unde eis subveniri, ac provideri possit. Quæ omnia cum multis habet *Barbosa sup. num.* 6. *ibi num.* 8. idem dicens, quando Ecclesia, ad cujus favorem emanavit defuncti voluntas, fuerit negligens; quæ etiam ex multis docet *Amostasus sup. num* 36. *&* 37. ibi addens quód quando una Ecclesia pauper est, & aliæ divites, harum pecunias ad reparationem, & ad sublevandam indigentiam illius pauperioris applicare posse. Et hæc omnia, & alia reperies *apud Torrecillam sup. legendum á num.* 114. *ad* 154. ac ex hactenus dictis consimiles alios casus resolves, in quibus Episcoporum ordinaria, vel delegata potestas pro voluntatibus piis ultimis commutationibus intrare valebit, nam pro Breviario hæc satis.

CAPUT V.

De Maioratibus, bonis vel vinculatis, ac de renuntiatione bonorum.

QUia sæpe numero homines Maioratus erigere, vel instruere solent, omnia vel sua stabilia in perpetuum vinculare bona, id quod ab eis fit, (& prudentissimè quidem, bona quippe non vinculata, paucissimis annis, nè dicamus diebus, pede rapido ad interitum decurrunt, ac vadunt, ut ipsa experientia quotidie testatur) ut eorum decoretur familia, eorumque nomen in perpetuum maneat, & ut per Maioratus, bona vel vinculata quilibet eorum possessor in dignitate, æstimatione, splendore, ac honore positus sit, atque habitus, prout latè explicant uterque *Molina Jurista quidem de Primog. lib.* 1. *cap.* 13. *Theolog. autem de Just. Tract.* 2. *Disp.* 260. *simul & Miseres de Maiorat. in init.* 1. *P. num.* 10. *Vela Disert.* 49. *á num.* 16. *ac Roxas de Incompatibilit.* 4. *P. cap.* 6. *á num.* 16. *& habetur in Ordinat. Lusitan. lib.* 4. *tit.* 100. §. 5. idque multiones fiet Testamentorum jure, sive vigore; & ad testatoris mortem Maioratuum, bonorum vel vinculatorum statim subintrat successio, notque in materia de Testamentis pedem nostrum fixum pro nunc teneamus, idcirco de Maioratibus, bonis vel vinculatis estò de eis jam alibi dederimus aliquid) aliquid aliud, saltem in cortice, iterum hic tangere, & addere placuit. Pro eo sit ergo

LECTIO I.

De Maioratûs origine, quid sit, & quotuplex, ac in quo cum Fideicommisso conveniat, ab eoque distinguatur?

1 MAioratus, sive Primogenitura (quod est idem) juxta unos ortum duxit à Jure naturali, juxta verò alios ab antiquissimo gentium Jure; Maioratus tamen apud Lusitanos communi usu loquendi (& idem apud Castellanos lib. 5. Recopilat) pro jure Primogenituræ desumitur, quod idem valet, ac vinculum perpetuum relictum à patre, vel matre, sive ab aliquo extraneo alio, cum onere non alienandi unquam bona vinculata, ut ad maiores natu (vel ut institutori placuerit, & ab eo fuerit dispositum) in perpetuum deveniat: *para andarem em seus filhos, e descendentes ::: E para que em todo o tempo se sayba a antigua linhagem, donde procedem, &c.* dicitur in Ordinat. Lusitan. lib. 4. tit. 100. §. 5. ubi legendum. Legantur Anton. Gomes, L. 4. Tauri initio, Molina de Primog. cap 1. lib. 1. ac Molina Theolog. tom. 3. Disp. 576. ¶ Jus itaque Maioratûs, sive Primogenituræ, de gentium, & naturæ Jure (ac etiam Divino, uti habetur Lib. Geneseos cap. 25. 27. & 43. ac Lib. Deuteron. cap. 21.) habuit ortum; Maioratusque Canonico etiam Jure fuit approbatus, uti cavetur in cap. *Licet* de Voto, tenetque Abbas Consil 3. & 4. lib. 2. & alii.

2 Maioratum variè definiunt, vel describunt DD. alii, nanque dicunt quód *Maioratus est jus succedendi in bonis ea lege relictis, ut in familia integra perpetuò conserventur, & cuique primogenito proximo successivo deferatur ordine.* Alii dicunt quód *est prælegatum quoddam studio conservandæ memoriæ á patre, vel matre institutum.* Dicunt & alii quod *quoddam est perpetuum vinculum á patre, aut matre, vel ab alio extraneo relictum, adjecto onere, quód bona titulo Maioratûs relicta indivisibilia, ac inalienabilia in perpetuum extent, & ut ad maiores natu, ac inde ad successores in infinitum deveniant*: quæ omnes Maioratûs descriptiones ferè idem sunt, beneque Maioratûs quidditatem, naturam vel explicant.

3 Maioratus, & Fideicommissum in multis differunt, ac in plurimis conveniunt: differunt primò: quoniam in Maioratu cuncti succedere nequeunt, quantumvis omnes in eodemmet

demmet gradu consanguinitatis existant, uti sunt duo, plures vel fratres, secus in Fideicommisso familiæ alicui perpetuò relicto, nam in eo omnes succedunt. L. Cùm ita legatur 2. ibi: *Omnes fideicommissum petent, qui in familia fuerint.* Legatur Valasc. Lusitan. Consult. 82. num. 9. Covar. in Pract. cap. 38. à num. 1. & num. 4. § 1. ac Molina sup. Disp. 577. à n. 3.

4 Secundò differunt, quia Fideicommissum relinquitur in Testamento, aut in ultima voluntate, non autem in contractu; & Maioratus tam ex contractu, quàm ex Testamento. *L. Cùm quis decedens, §. Pater, ff. de legat. 3.* de quo Decius Consil. 488. num. 19. & alii. ¶ Sed notandum quòd quando Maioratus Testamenti naturam sequitur, in eo Fideicommissum institui valet, sicut in donatione causâ mortis fidei committi potest, eo quòd voluntatis ultimæ effectum habeat, & si quo ad ordinationem assimiletur contractui: *L. Ut heredes*, ac ib. Barthol. ff. de legat. 2. uterque Molina, Jurista lib. 1. de Primog. cap. 12. ex num. 4. & 17. Theolog. de Just. Disp. 182. ac de Primog. Disp. 579. num. 5.

5 Differunt tertiò: nam fideicommissarius ab hærede gravato fideicommissum accipere debet, nec prius quàm per gravatum hæredem sequatur traditio, fideicommissum ad eum transferatur, sicut nec etiam actiones, tam activæ, quàm passivæ ad eum deveniunt, quæ tamen in primogenitura non procedunt: in hac nanque eo ipso, quòd ultimus possessor demoritur, & alius succedit, in successorem transfertur dominium, & actiones ipsæ omnes absque aliqua cessione, sive traditione, vel apprehensione. Molina Theolog. de Just. Tract. 2. Disp. 186. per totam ex §. *Eo ipso*, ac de Primog. Disp. 577. vers. *tertiò differunt*, & alter Molina de Primog. lib. 1. cap. 1. ex n. 14.

6 Conveniunt primò: quoniam qui bona fideicommisso subjecta alteri relinquunt, possunt etiam injungere vincula, gravamina, onera, & conditiones, quæ, quasque voluerint, dummodo gravamen, vel onus non superet commodum, uti habetur *in L. Ab eo, Cod. de fideicommiss.* Et hæc etiam onera omnia Maioratûs conditor successoribus apponere potest. Legatur Molina de Primog. lib. 1. cap. 1. n. 8. vers. *eorum autem.*

7 Secundò conveniunt: nanque in successione Maioratûs proximitas gradûs respectu ultimi possessoris consideratur, & hoc etiam locum habet, & habere potest in quibuscunque aliis fideicommissis, familiæ, seu agnationi relictis. Molina de Just. tom. 3. Tract. 2. Disp. 628. col. 2. Caldas Pereyra de Nominat. Emphyt. Q. 24. num. 90. Gama Decis. 7. num. 1. ac Decis. 206. num. 23. Flores ad Gamam dicta Decis. 7. vers. *quintus casus*, & alii apud Castill. Controvers. Jur. lib 3. cap. 15. num. 51. & cap. 19. à num. 139. licèt contrarium scilicet quòd proximitas gradûs non sit attendenda respectu ultimi possessoris, sed consideranda respectu testatoris, aut conditoris Maioratûs, vel Fideicommissi, sit valde probabile apud Manticam de Conject. ult. vol. lib. 8 tit. 12. à num. 1. Covar. Pract. cap. 38. sub num. 2. vers. *si sanè*, & Menoch. Consil. 124. ac seqq. & apud alios.

8 Conveniunt tertiò in eo, quòd ambo alienari possunt causâ dotis, vel donationis propter nuptias dandæ, aut restituendæ filiis, ac descendentibus institutoris, si bona libera deficiant, uti constat *ex L. Mulier, §. Cùm proponeretur, ff. ad Trebell. textus in Authent. Res, quæ, Cod. communia de legat.* tenetque Molina de Primog. lib. 1. cap. 10. à num. 1. ibi concludens bona alienari posse ex causa necessaria, estò alienari prohibita sint, quod idem repetit lib. 4. cap. 6. à num. 1. Et

9 Ipsemet *Molina ibid. ex num. 17.* subdit, quæ in fideicommissis statuta sunt, ea omnia in Maioratibus Hispanorum habere locum, atque ita non solùm causâ dotis, seu donationis propter nuptias, sed etiam in alimentis præstandis possessori Maioratûs, aut ejus filiis, seu in illo ab hostibus redimendis, ac in dote pro filia Monali assignanda, & in cæteris casibus, ad quos dicta Authent. *Res, quæ* extenditur, procedere ipsa, nisi contrarium à fideicommissi, vel Maioratûs institutore fuerit dispositum, prout etiam resolvit *Gomes in cit. L. 40. num. 86. Covar. lib. 3 Resol. cap. 6. num. 10.* quare omnia, quæ scribentes fideicommissis accommodant, eadem bonis Maioratuum Hispanorum applicari possunt. Expressa autem prohibitione posita, nullo modo similia bona sine Regia facultate alienari posse, quando primogenium fuit de Regis licentia conditum vult *Covar. sup. Cod. penult.* & ultima, qui legendus, ac etiam *lib. 2. Var. cap. 16. num. 9.*

10 Sed adnotatur tunc bona Maioratui subjecta alienari posse, quando dotes, seu alimenta tempore mortis conditor Maioratûs solvere tenebatur, & deficientibus bonis liberis, ac fructibus ex bonis Maioratûs non sufficientibus, quia debita sunt ipsis bonis obligata, quæ institutor ipse tenebatur solvere, & ideo ex bonis ipsis deducenda sunt, & ad ejus hæredes hoc debitum transit, ut ostendit *Molina de Primog. lib. 2. cap. 15. num. 42.* secus tamen, quando mortis in tempore institutor Maioratûs obligatus non erat hujusmodi dotes, seu alimenta solvere; circa quod legatur *Molina de Primog. lib. 1. cap. 18. n. 1. ac lib. 4. cap. 6. n. 21. & Ordinat. Lusitana lib. 3. tit. 93.*

11 In

11 In Lusitania nostra de communi consensu inter seculares Principes, ac Prælatos definitum fuit ut quando bona aliqua vinculantur cum onere, vel gravamine, ut ex redditibus Sacrificia celebrentur, pia vel alia opera fiant, constituta reddituum parti aliquota, aut parte alia ex illis administratori determinata, qui ordine quodam in bonis eis vinculatis sit successurus ita, quòd reliqui redditus in operibus piis insumantur, talem eam institutionem censendam esse Capellam, quam vocant, ac proinde ad ea bona, institutionemque eam Ecclesiasticam se extendere jurisdictionem. ¶ Quando verò bona aliqua vinculantur, ut in eis aliqui ordine quodam succedant cum gravamine, ut successor teneatur ad Sacrificia aliqua, vel ad aliqua alia opera pia ex redditibus eorum bonorum implenda, aut sine ullo tali gravamine, institutionem Maioratum esse censendam, nihil impediente quòd in Instrumento institutionis prioris dicatur institui Maioratum, & Instrumento posterioris istius institui Capellam dicatur; quare tunc in posteriori institutione solùm spectabit ad Prælatos Ecclesiæ cogere ut ea spiritualia gravamina opere impleantur. Quæ omnia ex Lusitana Ordinat. constant lib. 1. tit. 62. §. 33. incipiente: *E por naõ vir em duvida qual hè Morgado, ou Capella, &c.* legatur.

SUBLECTIO.

Quotuplex sit Maioratus?

12 TRia Maioratuum genera distinguunt DD. quorum primum est *Regnum*, mortuo nanque Rege in quolibet Regno, (Regnis illis exceptis, in quibus ex electione homines coronantur Reges, uti in Polonia, &c.) illico primogenitus succedit in Regno, qui sit masculus, vel etiam, masculis deficientibus, fœmina secundùm quod Regni Jure sit constitutum, pro quo legatur *Molina Theolog. ubi sup.* ¶ Secundum genus Maioratûs est, vel ille est Maioratus secundus, qui de bonis à corona Regni præcisis, atque divitis institutus est, de quo etiam legatur *cit. Molina*, & etiam *Ordinat. Lusitana lib. 2. tit. 35.* ubi circa hoc secundum Maioratûs genus plura valde curiosa, scituque digna reperientur. ¶ Tertium Maioratûs genus, sive Maioratus tertius est qui ab hominibus privatis constituitur de suis propriis bonis, estè aliqua derivata, ac præcisa fuerint à Regni corona, sive titulo emptionis, permutationis, donationis, vel recompensationis obsequiorum, &c. Et

13 Maioratus hic tertius, ac ultimus duobus modis institui potest. Primo sine ulla Regis facultate, nanque siquis nullum hæredem habeat, cui suorum bonorum partem relinquere teneatur, omniaque sua possideat ab omni obligatione, & vinculo libera, nec ulla Lex detur, quæ ipsum impediat de illis pro libito suo disponere, eaque subjicere vinculo, ac obligationibus, quæ sibi magis placuerint, (prout in Regnis Castellæ, & Lusitaniæ Lex talis non viget) re vera is absque ulla facultate Regis de omnibus bonis suis, aut de eorum parte Primogenium, sive Maioratum instituere poterit cum vinculis, & gravaminibus, ordineque succedendi in eis, quem ipse maluerit. Et estò hæredem, vel hæredes habeat, quibus juxta Regni Leges partem bonorum suorum relinquere teneatur absque ullo gravamine, vel onere, de reliqua tamen parte, de qua liberè disponere quit, (ut hoc Lusitaniæ Regno de tertio bonorum suorum, sive descendentes, vel ascendentes habeat) poterit similiter absque ulla Regis facultate Maioratum pro libito instituere; sed circa hæc vide Molinam sup. §. *Tertii generis*, ac Molinam Juristam de Primog. cap. 1. num. 25.

14 Secundo de Regis facultate Maioratus institui valet, etiam de illis bonis ex Legum præscripto ascendentibus, aut descendentibus debitis: (& hoc etiam ipsis ascendentibus, aut descendentibus minimè consentientibus, sed renitentibus, ægrèque id ferentibus) nanque, cùm ea bona eis duntaxat sint debita ex humanarum Legum Civilium præscripto, quæ à Rege sunt latæ, ab ipsiusque voluntate pendeant, abs dubio Rex in illis dispensare valet, facultatemque concedere, (de factoque multoties concedit) ut, relictis descendentibus, aut ascendentibus aliis competentibus alimentis pro eorum conditione, dignitate, & statu, de cæteris bonis Primogenium instituatur in familiæ suæ splendorem, conservationem, &c. Reipublicæque ornamentum. Et quòd Maioratus à Principe, vel Rege licitè institui possint, ut quid certum supponitur. Nec id de prioribus duobus Primogeniorum generibus inter DD. est controversum, teste *Molinâ Theolog. sup. Disp.* 578. initio. Et licet circa tertium Maioratûs genus aliqui dubitent, ac probabiliter teneant licitè institui non posse, communis tamen sententia, & ipsamet praxis in his Hispaniarum Regnis contrarium nos edocet. Legantur *Covar. in* 4. *Decret. P.* 2. *cap.* 8. §. 6. *num.* 5. *Gomes L.* 40. *Tauri, num.* 56. *Molina lib.* 2. *de Primog. cap.* 1. *num.* 3. & alter *Molinæ sup num.* 3. Unde ex dictis

15 Resolves primo Regiam facultatem necessariam non esse ad erigendos, vel instituendos Maioratus de bonis patrimonialibus, sed hoc licitè, ac in utroque foro fieri sine tali licentia

centia posse; eo quòd Leges, quæ hoc ita disponunt, supponuntur justæ, sed non iniquæ; quod probat Molina Theolog sup. Disp 578. num. 3 §. *Prima est.* ¶ Si tamen Maioratûs institutor descendentes, aut ascendentes habuerit, in ipsis suis bonis debetur legitima portio, non potest de bonis ita illis debitis sine facultate Regis, & sine prævio eorum legitimo consensu Maioratum construere; quod si fecerit, illicite, ac invalidè facit in utroque foro. ¶ Quòd si Maioratûs institutor descendentes habet, quibus legitima portio in bonis ipsius ex Legum præscripto debetur, semper (quocunque modo Rex facultatem instituendi Maioratum concedat) cæteris filiis competentia, necessariaque alimenta relinqui, vel dari debent, qualitate ipsorum attenta, quin & fœminis competens dos in ratione alimentorum, ut pro ratione sui status, & conditionis decenter, ac competenter nubere possint; quod si aliter institutor fecerit, iniquè, & invalidè agit, quatenus competentia alimenta aliorum constituit, vel congerit, eatenusque revocabitur, moderamenque illi adhibebitur, etiam in exteriori foro, quod probat uterque *Molina, Jurista lib. 2. de Primog. cap. 1. á num.* 10. *Theolog. cit. Disp. 578. num. 5.*

16 Secundò resolves quòd, si ille, qui descendentem, aut ascendentem habet, cui legitima in bonis suis debetur, de ea legitima, & aliis suis bonis Maioratum sine Regis facultate instituerit, ad eumque Maioratum vocet eum, cui legitima ea debetur, sub hac tamen lege, vel conditione, ut, si ipse consentire velit, in eo gravamine obtineat Maioratum, alioquin solùm legitimam suam obtineat, ac totum incrementum deveniat ad alium; tunc eo expressè consentiente in tali gravamine, circa legitimam suam, vel tacitè Maioratum integrum acceptando cum scientia, quòd Maioratus ita sit institutus, valet institutio, legitimaque unà cum incremento Maioratûs vinculo allegata manet; secus, si non consentiat, tunc enim ipse suam legitimam accipit, & alius in incremento toto succedit. *Covar. cap. & Raynald. de Testam. §. 2. num.* 4. ubi

17 Addit validum esse pactum in hoc eventu filii cum patre, & consentiente filio in eo gravamine, vivente patre, pro eo emolumento, quia non gratis consentit in gravamine tali, & quasi in diminutione suæ legitimæ, sed pro eo emolumento maximo; sequiturque *Molina dicta Disp. 578. á num. 7.* ibi etiam addens quòd, si quis Maioratum de legitima filio debita, quem non suum Jura vocant, aut alicui ascendenti, & de aliis bonis sine Regis facultate Maioratum instituat, ad quem vocet eum, cui talis legitima debetur, conditione, de qua nuper, non apposita, tunc valida est de Jure communi institutio quo ad incrementum, non verò quo ad legitimam, sed legitima ab eo vinculo libera remanet, quod verificatur, estò filio suo debita sit legitima ea, isque similiter ad Maioratum cum sit vocatus. Legatur.

18 Resolves tertiò. In Maioratibus tertii generis ii succedunt, quos institutor Maioratûs vocaverit, & eo ordine, quo vocaverit eos, nisi in Maioratu tertium includat, descendentibus in bonis suis debitum, quando multi sunt ipsius descendentes, tunc enim quo ad id tertium prius vocare tenetur descendentes, quos voluerit, ac in eorum defectu ascendentes, & post illos consanguineos cæteros eo modo, quo voluerit, ac novissimè extraneos vocare potest.

19 Quando autem institutor aliud non expressit, sancitum est in Castella ut tam in Maioratibus tertii generis, quàm secundi generis hoc modo succedatur, videlicet, ut descendens legitimus masculus ultimo successori proximior præferatur cæteris, & ut in masculorum defectu descendentium descendentes fœminæ ordine eodem succedant, ac ut si proximior descendens natu maior, qui succedere debebat, moriatur, relicta legitima sobole, illa, estò ex fœmineo sit genere, patrem repræsentet, patrisque loco succedat, & fratribus patris semper præferatur. Et denique, ut tunc solùm in successione ad proximiorem in linea transversali ultimo possessori transitus fiat, quando omnino defecerit descendens legitima soboles. Legatur *Molina sup. num.* 13.

20 Quartò resolves quòd ille, qui Maioratum instituit, sive vir nobilis sit, aut non, (quemlibet enim, & si ignobilis sit, de naturali gentium, ac Civili Jure de rebus suis liberè disponere posse, prout sibi placuerit, consequenterque Maioratum erigere, vel instituere, constabit ex infra ponendis, constatque *ex §. Singulorum, Instit. de rer. division. §. Quod verò, Instit. de Jur. natur. gent. & Civil. L. Ex hoc jure, ff. de just. & jure*, estque quid indubium) semper illum instituere debet ex solis immobilibus bonis, quoniam, cùm Maioratus perpetuus sit, ex solis rebus perpetuis, quales sunt res immobiles, vel æquipollentes, constare debet. *Textus in cap. 1. §. fin. de feud. cogn.* docetque *Cursius Junior in Tract. feud. P. 1. Q. 6.* & alii. ¶ Sed excipitur, nisi bona mobilia, pecunia scilicet, aut similes res ad erectionem Maioratûs relinquantur conditione ea, vel lege, ut vendantur, ac ex illis immobilia, & de se perpetua acquirantur bona, in eisque Maioratus fundetur; aliter enim sine ea conditione, vel lege Maioratus, neque ex pecunia, nec ex cæ-

teris immobilibus rebus erigi, instituive potest: secus, si instituatur ex adamantibus, gemmis, rebus pretiosis & aliis, argento, & auro, quia hæc, etsi mobilia sint, immobilium numerantur loco. *L. Lex, quæ Tutores, Cod. de Administr. Tutor.*

21 Resolves quintò primogenituræ jus, vivente patre, competere filio ita, ut filius Regis, vel Comitis, &c. etiam vivente patre, Rex, vel Comes vocetur, vocari vel queat, uti probatur ex cap. ult. ubi Glos. 24. tenentque multi apud Tiraquel. de Primogenit. Q. 33. num. 1. & Abbas in cap. *Licet* de Voto, n. 8. vers. *Sed dubium est*; unde eo ipso, quod Primogenitus natus est, sibi, & posteris ejus primogenituræ veluti occupatione vendicavit tam firma, & certa spe, ut nec à patre, nec à Principe ipsi auferri valeat, quare nec sibi præmatura mors obest, quin posteri illius suum ipsius locum retineant. Et ideo, licèt primogenitus decedens ante conditionis eventum primogenituram capere nequeat, loco tamen illius eam ejus filius abs dubio capiet. *Menoch. Consil. 211. num. 58. & Consil. 206. num. 158. lib. 2.* unde constat eo ipso, quòd primogenitus nascitur, spem immutabilem statim acquiri. *Molina* referens plures *de Primog. lib. 2. cap. 6. num. 37.* & alii.

22 Sed utrùm primogenituræ jus hæreditario jure deferatur, & transmitti valeat? Bipartita est quæstio; sed non hæreditario jure, sed sanguinis jure solùm deferri probabilius est, ac est ratio: nam Maioratus non ab ultimo possessore, sed à primo institutore defertur. *L. Cum hæredi, §. Cum filius, ff. de vulgari, & pupil.* atque ita nullo modo hæreditario jure capi valet, sed tantùm sanguinis jure ab ultimo possessore. *L. Cum qui, ff. de interdict. & relegat.* ubi Barthol. & communiter ibi scribentes. ¶ Item quia primogenii successio sequitur filios ut filios, non autem ut hæredes; quinimo, si hæreditario jure primogenituræ jus deferretur, nonnisi tantùm hæredi competeret; at quia sanguinis jure defertur, etiam si hæres non sit successor, nihilominus Maioratum absque hæreditate possidebit: dicitur ergo sanguinis jure, non verò hæreditario deferri. *Bald. in cap. 1. de eo, qui sibi ex hæredib. suis inutilib. feudorum.*

23 Dictum est *sup. jus primogenituræ, vivente patre, competere filio*, circa quod hìc quæri solet an, vivente patre, primogenituræ jus vendi valeat ad exemplum Esau, & Jacob? Pro hoc legatur Angelus *in L. Stipulatio hoc modo Iason in L. Pactum, ff. de pactis.* Panormit. in cap. *Licet* de pactis; Specul. tit. de pactis, §. *Instrumentum* post princip. & Lusitana Ordinat. lib. 3. tit. 93.

24 Nunquid autem primogenituræ jus renuntiari possit, ac etiam utrùm præscribi valeat? Quo ad primum negativè resolvitur, si in præjudicium filiorum renuntiatio cedat, juxta *L. Si quis filium, Cod. de inoffic. Testam.* docetque Bald. Consil. 389. Menoch. Consil. 211. num. 15. secus, si renuntians descendentes non habeat, tunc enim renuntiatio valebit, eoque ipso, ac facta fuerit, ad secundo genitum devolvitur. *L. 1. §. Assignare, ff. de assign. libert. & cap. 1. An filii, vel agnati*, copiosèque tradit Tiraquel. in Tract. Primog. Q. 3. & 40. num. 187.

25 Quo ad secundum affirmativè resolvitur à Socino Consil. 47. probatque ex eo, quòd regulariter in prohibitis præscriptio datur, nisi expressè interdicatur. *L. ult. Cod. de præscript. long. temp.* Item quia hoc jus primogenituræ cedit, & vendi potest: ergo & præscribi: argum. *L. Alienationis, ff. de verb. signif.* Et ad hoc jus præscribendum satis est spatium triginta annorum cum bona fide, quia procedit sine titulo, & hoc modo non satis spatium longi temporis, sed requiri longissimi, nimirum annorum 30. *L. Sicut, Cod. de præscript. 30. annorum*, deciditurque in cap. Si diligenti de præscript. vel quoniam non, nisi tempore hoc in feudo præscribitur, juxta *Tiraquel. sup. Q. 30. num. 6.* ac idem de jure primogenituræ dici debet ob similitudinem inter utrumque repertam. Legatur *Tiraquel. Q. 23. num. 10.*

LECTIO II.

Quisnam Maioratum instituere possit?

JAm circa hoc sup. aliquid dedimus, sed hìc aliqua addenda veniunt, & eo supposito, quod vidimus sup. num. 20. nempe quemlibet, sive nobilis, sive ignobilis sit, Maioratum instituere posse,

26 Dicitur quòd primus, qui justè, licitè, ac validè Maioratum instituere, vel erigere valet, est pater, vel mater. *Alberic. in L. Barbarius, ff. de offic. Prætor. col. 7. num. 10. Abbas in cap. Sicut de voto*, & alii, apertèque constat ex L. Lusitana lib. 4. tit. 100. §. 5. ubi sic legitur: *E porque a intençaõ dos Grandes, e Fidalgos, e pessoas nobres de nossos Reynos, e Senhorios, que instituem Morgados de seus bens, e os vinculaõ para andarem em seus filhos, e descendentes, &c.* Et licèt in dicta Lege duntaxat nobilium, &c. mentio fiat, id non tollit quòd quilibet alius ex rebus suis Maioratum constituere possit, ut suprà est habitum.

27 Secund. omnis ille, qui liber est, & potest testari, Maioratum pariter instituere valet, apud Lusitanos quidem in tertio, apud Castellanos in tertio, & quinto, si filii adsint;

nec

nec nón ultra tertium, & quintum, modò ad hoc Regiam facultatem obtineat; & si filiis caruerit, poteſt de omnibus ſuis bonis Maioratum creare, niſi prohibeatur. *L. Si quæramus, ff. de Teſtam. L.* 1. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. L. Ab ea parte, ff. de probat.* Unde ex his

28 Reſolves impuberem Maioratum inſtituere non poſſe eo quòd teſtari nequit: *L. Si frater, Cod. qui Teſtam. fac. poſſ.* pupillus namque neque ad pia teſtari valet. *Cod. ſi pater de Teſtam. in* 6. Excipitur, niſi Princeps cum eo diſpenſet, appoſita clauſulâ: *Non obſtantibus Legibus, quæ hoc prohibent*, tunc enim poterit, quia, cùm prohibitio teſtandi fiat impuberi ex Civili Jure, tali Juri Princeps derogare valet, de quo non dubitatur.

29 Sed quid, ſi tempore, quo Maioratus inſtitutus eſt, dubium adfuerit, an inſtituens pubes, vel impubes fuerit? Tunc dicitur quòd præſumitur pubes. *Ita Innocent. in cap. In præſentia de probat.* Et eſt ratio: quia Teſtamentum præſumitur factum per maiorem 14. annorum, niſi contrarium probetur, tenet Caldas Pereyra *in L. Si Curatorem habens, Cod. de in integr. reſtit. minor.* verb. *infra legitimum tempus*, num. 20. fol. 394 Menoch. lib. 6. Præſumpt. Q. 13. num. 1. & alii; ex ea & etiam Regula, quòd actus, qui fuit ſolenniter, ac in forma debita confectus, præſumitur in eo adfuiſſe perſonæ habilitas, & factus ſecundùm Juris diſpoſitionem. *L. Quæro*, §. *Inter locatorem, ff. locati.*

30 Tert. quòd Maioratum inſtituere non valet omnis ille, qui condemnatur ad mortem, quando poſt condemnationem ſtatim facienda eſt exequutio, ac idem dicunt aliqui de laico, qui ad perpetuum carcerem eſt condemnatus; ſed de hoc contra dicit Clarus §. *Teſtamentum*, Q. 24. ex doctrina ab eo tradita Q. 21. verſ. *Sed pone*, & eſt legendus Molina Theolog. infra Diſp 605.

31 Item quart. Maioratum creare non poteſt furioſus, mentecaptus, ac phreneticus, phrenetì, vel furore durante; non enim ii contractum, ſicut neque Teſtamentum facere poſſunt. *L. Furioſum, Cod. qui teſtam. fac. poſſ. L. In negotiis contrahend. ff. de reg. Jur.* Dictum eſt *phreneſi, vel furore durante*, ſi namque intervalla lucida habeat, tunc tempore ſanæ mentis Maioratum creare poterit, prout docet *Palat. de Maiorat. 2. P. Q. 4. Illation. 2. num. 47. & Molina de Primog. lib. 2 cap. 9. ex num. 29. ubi num. 31.* ſubdit neque Curatorem furioſi ex bonis illis Maioratum facere poſſe, eſtò contractus nomine furioſi efficere queat; ex eo, quia inſtituere Maioratum eſt donare, quod Curatores facere nequeunt: *L. Non omnis, Cod. de adminiſtrat. Tutorum.*

32 Etiam quint. mutus, & ſurdus, qui omnino non loqui, nec ſcribere poteſt, neque eſt intelligens, Maioratum creare non valet, tum quia talis teſtari non poteſt; *L. Diſcretis, Cod. qui Teſtam. facere poſſ.* Mantica de Conject. ult. vol. lib. 6. tit. 4. num. 2. tum quoniam mutus, ac ſurdus furioſo æquiparatur; *L. Poſt ſuſceptam.* Nec obſtat poſſe Matrimonium contrahere, reſpondetur namque in Matrimonio verba neceſſaria non eſſe, ſed ſatis eſſe ſigna externa exprimentia conſenſum internum, hæredis tamen inſtitutio nullo modo regulariter loquendo nutu, vel ſignis fieri ſolet, aut poteſt: *L. Jubemus*, & ibi Barthol ac Salicetus num. 2 Covar. in cap. *Cum tibi*, num. 4. de Teſtam. & alii; ex ea ratione, quia nutu non declaratur voluntas, niſi conjecturali, ac præſumpto quodammodo, & per conjecturas hæres inſtitui nequit, & quia ad inſtitutionem hæredis Lex certitudinem exigit, non autem conjecturam, nec præſumptionem: multò ergo minus Maioratus conſtituitur per nutus, ſeu conjecturas. Utrùm autem mutus, ac ſurdus fideicommiſſum relinquere poſſit? Controverſum eſt inter DD. ſed pars negativa probabilior extat.

33 Item ſext. minor ſine Tutoris auctoritate Maioratum creare non valet, niſi in caſu, quo talis Maioratûs creatio fiat in Teſtamento, vel ultima voluntate, minor namque ſine auctoritate Tutoris, aut Curatoris teſtari poteſt: *L. Aurelio*, §. *Caius, ff. de liberat. legat.* ubi Gloſſ. verb. *intra legitimam*, *L. Cum pater*, §. *Curatoris, ff. de legat.* 2. & alius; ſecus, ſi fuerit in minori ætate, in qua teſtari nequeat. *L. Si frater, Cod. qui Teſtam. fac. poſſ.* Unde, ſi minor ex contractu Primogenium inſtituere voluerit, indiget auctoritate Tutoris, & Curatoris, Primogenium namque contractûs naturam induit, ac ideo, ſicut ſine Tutoris, vel Curatoris auctoritate contractus contrahere nequit, *L. Si Curatorem habens minor, Cod. de in integr. reſtit.* pariter abſque prædicta auctoritate Maioratum, ſeu Primogenium inſtituere non valet.

34 Uxor autem Maioratum inſtituere valet ex Teſtamento, aut ultima voluntate, inconſulto marito, ex contractu autem, ſeu inter vivos auctoritas viri requiritur, & aliter Maioratus nullius erit momenti, cùm uxor ſine licentia viri contrahere nequeat. *Molina de Primog. lib. 2. cap. 9. num. 4.* & alter *Molina Theolog. de Maiorat. Diſp. 583. num. 7. ac ſeq.* & præcipuè *Diſp. 601.* per totam, *ac Diſp. 602. & ſeqq.* ¶ Si autem ſcire velis an quando vir, ac uxor ſimul in una charta Capellaniam, vel Maioratum inſtituunt, unum, vel duos Maioratus inſtituant, &c. vide *Amoſtaſum*

lib. 3. *cap.* 8. *á num.* 19.

35 Si Religiosus, aut Monachus ante Religionis ingressum in contractu, vel Testamento (prout potest) de rebus suis disponat, Maioratum, vel Primogenium instituendo, valebit. *Authent. de Monacho*, §. *Si quis autem*, vers. *illud quoque*, Collat. 1. ¶ Si tamen Testamentum creatum fuit ex ultima voluntate à non cogitante de ingressu, Primogenium per Religionis ingressum nullum censetur, & Testamentum per ingressum irritum redditur. Barthol. *in Authent. Si qua mulier, num.* 7. *Cod. de Sacros. Eccles.* Valasc. sup. cap. 16. num. 17. ac Ægid. Lusitan. 4. P. §. 2. de Testam. num. 4. fol. 143. col. 4. Sed alii contrarium tenent. ¶ Si Monachus cùm Primogenium instituit ex ultima voluntate, cogitavit de ingressu, per talem ingressum Testamentum non revocatur, Barthol. *in Authent. Si qua mulier*, & est communis, ac idem, si Maioratus ex contractu instituatur, sive cogitaverit, aut non de ingressu.

36 Quòd si Primogenium instituatur à Monacho, Professione emissa, nullatenus valet, quoniam professus nullo modo de bonis suis disponere valet; textus *in cap. Quia ingredientibus* 19. *Q.* 3. & quia Monachus in Jure pro mortuo habetur, vel reputatur, velleque, ac nolle non habet, Ægid. 4. P. de Testam. §. 2. num. 6. vers. *Sed ex præcedentibus* fol. 145. & num. 7. ac ideo Monachi Testamentum ita confirmatur Professione ejusdem, ut deinceps ab eo revocari non valeat, etiam in Monasterii favorem. *Ægid. dicto num.* 6. *in fin.* ¶ Quando autem post Professionem Maioratum condere queat, docet *Molina de Primogen. lib.* 2. *cap.* 9. *á num.* 55. pro quo etiam legatur *Amostafus lib.* 8. *cap.* 13. *á num.* 72. *fol. mihi* 365.

37 Si Monachus ante Professionem, aut in sæculo, vel in Novitiatu validè Maioratum instituit, & ita, ut illius fruitio, seu ususfructus ad vocatos ad illum non pertinerent, nisi post naturalem mortem ipsius, tunc si profiteatur Religionem, quæ jus habet ad bona Religiosorum suorum, nec aliud expressit, ac disposuit ante suam Professionem, ususfructus dictorum bonorum toto eo tempore, quo ipse naturaliter vivet, ad Monasterium pertinent, & post naturalem suam mortem ad vocatum ad Maioratum spectant; si verò Religionem profiteatur, quæ jus ad bona Religiosorum suorum non habet, sta in post ejus mortem ad vocatum ad eum Maioratum pertinent. Legatur *Molina cit. Disp. num.* 3.

38 Utrùm autem Primogenium institutum in Testamento minus solenni sustineatur? Negativa responsio datur. Sed si institutio fiat Capellaniarum, (quarum usus frequens in Lusitania hodie permanet) cùm principaliter instituantur ad Animarum utilitatem, subindeque ad pias causas dirigantur, resolvitur valere in Testamento minus solenni, id quod constat ex jam alibi à nobis traditis. ¶ Ut autem cognoscatur institutio Capellæ, vel Capellaniæ, & institutio Maioratûs Ordinatio Lusitana differentiam constituit lib. 1. tit. 62. §. 53. uti sup. num. 11. relinquitur adnotatum.

39 Deinde nunquid Episcopus, aut Præbendatus quilibet, vel alius redditus Ecclesiasticos habens, ex illis Primogenium, aut Maioratum creare valeat? (Ex patrimonialibus bonis, vel quasi patrimonialibus, ac ex illis, quæ parcè vivendo, & quæ ex labore suo acquirit, Maioratum creare licitè, ac validè posse non dubitamus.) Resolutio in nostra sententia est negativa, quæ constat ex jam à nobis alibi dictis; sed pro dubio hoc legatur *Amostafus dicto lib.* 8. *cap.* 7. *á n.* 5. *ad* 17.

LECTIO III.

Quinam in Maioratibus succedere possint?

40 PRo re hac supponimus ut quid nobis certum (contra alios contrarium tenentes) in Maioratibus non hæreditario, sed sanguinis jure succedi, comparatione scilicet antecessoris, successoris, qui non fuit ipsemet institutor Maioratûs, quod adeò verum videtur, ut addat *Molina Jurista lib.* 1. *de Primog. cap.* 8. *in operis fin. addit ad num.* 3. *ejusd. cap.* quòd, etiò Maioratûs institutor ad Maioratum vocet proximiorem hæredem ultimi possessoris, aut aliter in vocationibus mentionem de hæredibus successorum faciat, intelligendum id esse de hæredibus jure sanguinis, quales etiam sunt qui proximè ab intestato succedunt, non verò de hæredibus jure institutionis à possessoribus Maioratûs, de quo etiam legendus Molina Theolog. tom. 3. Disp. 617. num. 1. §. *Multi apud Molinam.* Et

41 Si Lusitanum Jus legimus lib. 4. Ordinat. tit. 100. §. 2. & 3. ibi sequentia reperimus: *E nos Morgados, e bens vinculados de qualquer qualidade, que sejaõ, succederá o parente mais chegado ao ultimo possuidor, sendo do sangue do instituidor. E tudo o que acima dito he, se entenderá, naõ declarando, ou dispondo o instituidor em quaesquer dos ditos casos em outra maneyra, porque o que elle ordenar, e dispuzer, se cumprirá*; ubi clausula illa *sendo do sangue do instituidor* (quæ non sine meditatione, ac studio ibi fuit apposita) sicut & clausula illa initio ejusdem Legis apposita: *sendo descendentes do instituidor*, clarè demon-

demonſtrare videtur in Maioratibus non hæreditario, ſed ſolùm ſanguinis jure ſuccedi, alias ad quid clauſulæ illius *ſendo do ſangue, &c.* expreſſio? Quo, ut certum, & verum, ſuppoſito, & accedendo ad punctum, in primis

42 Dicitur, atque reſolvitur primò infamem, ſive Juris, aut facti infamiâ laboret, in Maioratu ſuccedere non poſſe, maximè quando Maioratus eſt dignitas, vel dignitatem habet annexam; quod intellige, quando infamia eſt talis, ut eum inteſtabilem reddat, & ſucceſſionis incapacem; ſecus, ſi talis non fuerit, reſolutionem hanc ex Legibus multis probat Molina Theolog. ſup. Diſp. 620. à num. 4. verſ. *Prima hac de re concluſio eſt*, & alter Molina lib. 1. de Primog. cap. 13. à num. 10. ¶ Id tamen locum habet, addit Molina Theolog. num. 5. verſ. *Secunda concluſio*, quando de ſola dignitate principaliter agitur, ſecus verò, quando annexa eſt bonis, in quibus ſucceditur, in conſequentia enim bonorum, quibus ea dignitas annexa eſt, ſuccedere etiam poteſt per accidens in dignitate eis annexa, quoniam propter eam privandus non eſt ſucceſſione in bonis, quibus illa eſt annexa, & quarum, ea ſecluſa, eſt capax, ac ipſe ibid. num. 8. notat quòd, quanvis ſpurius vilis conditionis reputetur, eum in Maioratu ſuccedere poſſe, etiam ſi juriſdictionem, ac dignitatem habeat annexam, modò tamen talis ſpurius ſucceſſionis ſit capax reſpectu ejus, qui talem Maioratum inſtituit, quique ejuſmodi ſpurium ad eum Maioratum vocat. Legatur Auctor.

43 Secundò dicitur, & reſolvitur furioſum, dementem, mentecaptum à nativitate nullatenus in Maioratu ſuccedere, quando Maioratus in juriſdictione, vel adminiſtratione conſiſtit, ut Regnum, Ducatus, & hujuſmodi: nam diſpoſitio, aut Lex vocans primogenitum ad ſuccedendum, intelligitur de eo, qui naturaliter habilis in lucem exivit: ſi ergo à nativitate furioſus, demens, aut mentecaptus exivit, & hujuſmodi vitia perpetua ſint, ſtatim excluditur, ac ſecundus in gradu ſuccedere debet.

44 Dictum eſt *à nativitate*, nanque ſi poſt nativitatem ex aliquo accidenti, vel caſu inhabilis ſit factus, ſunt qui dicant talem in Maioratu ſuccedere poſſe, dato ſibi Curatore, vel adminiſtratore, niſi aliud Maioratûs conditor expreſsè diſponat. Sed contraria ſententia eſt communis, & ideo tenenda. Legatur *Molina Juriſta ſup. á num. 24. ac Theolog. Diſp* 621. *á num. 2. verſ.* contraria verò ſententia.

45 Dictum eſt etiam, *quando Maioratus in juriſdictione, vel adminiſtratione conſiſtit*: nam quando Maioratus conſiſtit in pura, & ſimplici tantùm ſucceſſione bonorum, in hoc eventu ſuccedit primogenitus, eſtò ſit demens, furioſus, aut mentecaptus, cùm bonorum, ſicut & hæreditatis ſit capax. *L. final. §. Tali, Cod. de Curat. furioſ. & in §. Sui, Inſtit. de hæred. quæ ab inteſtat. deferuntur.* Legatur Molina Juriſta ſup. cap. 13. à num. 21. ad 38.

46 Sed notant multi *apud Molinam Theolog. cap. illo* 621. *num.* 4. quod quando dicitur quòd amens excluditur à Maioratu, & in eo ſuccedit ſecundò genitus, intelligi debet in caſu, quo ſucceſſionis in tempore primogenitus amens filium non habeat, nanque ſi habuerit, tunc, caſus, filius iſte talis amentis ſuccedit, ac non ille ſecundò genitus; id quod Luſitano Juri conſonat lib. 4. tit. 100. initio, ubi ſic legimus: *De maneyra, que ſempre o filho, e ſeus deſcendentes legitimos por ſua ordem repreſentem a peſſoa de ſeu pay, poſto que o dito pay naõ houveſſe ſuccedido no tal Morgado.* Legatur & iterum ibidem verbis ab illis, *poſto que o filho mais velho morra em vida de ſeu pay, &c.*

47 Quòd ſi curioſè ſcire velis utrùm filius naturalis, qui poſt contractum à patre matrimonium cum muliere alia, ex qua filius natus eſt, per ſubſequens matrimonium cum ejus matre initum fuit, legitimatus præferatur in Maioratu iſti ex legitimo matrimonio ſecundò genito? Vide *Molinam de Primog. lib. 3. cap. 1. num. 7. Caldas de Nominat. Q. 13. ex num. 52. Covar. in Epitom. ſup. 4. 2. P. cap. 8. §. 2. num.* 35. interim dum de eo mentio fiat infra *num.* 68. *&* 69.

48 Dicitur, ac reſolvitur tertiò quòd, cùm mutus, & ſurdus ad ſuccedendum ſint habiles, *L. Mutum, ff. de acquirend. hæred. §. ult. de hæred. qualit. ac L. 1. §. Mutus, ff. de hæred. inſtit. L. Cùm pater, §. Surdo, ff. de legat. 2.* inde fit eos non debere excludi à ſucceſſione in Maioratu inſtituto ſine dignitate, & juriſdictione; quare ſuccedere etiam poſſunt in bonis vinculatis, quando juriſdictionem, ac dignitatem annexam non habent; quinimo, ſi ſermo ſit de Maioratu dignitatem, & juriſdictionem ſibi annexam habente, etiam in eo mutus, ac ſurdus ſuccedere poſſunt, ſi in eis, vel eorum aliquo eluceat ingenii acies, ſignum clarum adſit recti judicii, & intellectûs, ſecus, ſi ſint obtuſo ingenio, nihilque intelligant, nam tunc furioſo, ac mentecapto æquiparantur. Legatur *Molina Theolog. Diſp. 622. & Juriſta de Primog. lib. 1. cap. 13. num.* 65.

49 Quartò dicitur, ac reſolvitur quòd, cùm Clerici in Sacris conſtituti ſucceſſionis non ſint incapaces, in quocunque Maioratu ſuccedere poſſunt, etiam in illo, qui dignitatem, & juriſdictionem annexam ſibi habuerit, ac ita *Abbas in cap. Inter dilectos de fide Inſtrum. num. 2. & 5. Felin. ibid. num. 3. Molina Theolog.*

ſup.

sup. Disp. 263. *num.* 6. hujusmodi enim dominatio cum Sacerdotio, aut Pontificatu etiam non pugnat, ac ideo videmus Summum Pontificem temporalem jurisdictionem habere, & etiam Archiepiscopos, ac Episcopos aliquos, uti in Lusitania Bracharensem dictæ Civitatis temporalem dominum esse, & Coxæ loci Conimbricensem, & hoc ad maiorem splendorem, ac ornatum dignitatum earum, debent tamen qui sunt in Sacris, administrare temporalem jurisdictionem per Ministros ad id idoneos, quando eam per seipsos exercere decens non fuerit, & quando expedient sit attendere seculari regimini, relinquere debent Beneficia curam Animarum habentia, prout Cardinalem Henriquum, dum in hoc Regno successit, fecisse narratur, Archiepiscopatum Eborensem, & Abbatiam *de Alcobaça* mittentem, ut sibi assumeret hujus Regni, ac omnium adjacentium gubernium, quanvis infelice omine.

50 Porró, si in institutione Maioratûs clausula sit appositа, quæ Clericos in Sacris ab eo excludat, in tali eventu Clericos in eo non succedere dicitur; secus verò, si talis clausula non sit appositа, sunt nanque capaces successionis in Maioratu, ubicunque per conditores non excluduntur, prout tenet *Gomes in L. Tauri, num.* 66. *Molina Jurista lib.* 1. *de Primog. cap.* 13. *num.* 97. *alter Molina sup. & Tiraquel. in Tract. de Primog. Q.* 44. *num.* 6.

51 Quinimo non valere consuetudinem dicitur, ut Clerici non succedant in Maioratibus, ut Auctor est Paulus de Castro in Consil. 154. incip. *In præsenti casu*, lib. 2. num. 7. juvatque textus *in Authent. de Sanctis Episcop.* §. *Sed & hoc præsenti* ibi: *Monasteria ingrediantur, vel Clerici fiant*, tit. 6. Collat. 9. atque ita Clericus, ejus vitâ durante, ad Maioratum admittitur, exerceatque omnia jura familiæ tam activa, quam passiva, prout resolvit *Decius Consil.* 114. *Joan. de Amicis Consil.* 14. & alii; quod adeo verum est, ut si nepotes vocentur ad fideicommissum, Clerici, ac Sacerdotes comprehenduntur; cum *Decio Mantica de Conject. ult. vol. lib.* 8. *tit.* 8. *num.* 25. *pag.* 336. Et si conditor Maioratûs Clericus fuerit, dubium non est voluisse Clericos ad Maioratum admitti propter qualitatis similitudinem, secundùm *Consilium Ancharrani* 339. pro maiori *num.* 12.

52 Dicitur, & resolvitur quintó quòd Religiosi Novitii, sive ante Professionem emissam capaces sunt succedendi in quocunque Maioratu. *Molina de Just. Disp.* 139. *ac* 140. ¶ Religiosi verò jam solenniter professi, si in Religione profiteantur, quæ loco Religiosorum suorum successionis est incapax, uti Monasteria omnia Divi Francisci de Observantia, & omnia nostra Carmelitanæ Familiæ Excalceatæ, in hac Congregatione Hispana, (exceptis Monialibus nostris, quæ quidem, vel earum loco, Monasteria, succedunt in Maioratibus, ac de facto testamur, dum enim Matritensi Curiâ eramus, Monasterium Monialium nostrarum sub nomine Sanctæ Teresiæ, ibi existens, in grandævo quodam Maioratu successit pro toto tempore vitæ cujusdam Dominæ Religiosæ, quam cognovimus, sæpeque tractavimus, & hodie hic Ulyssipone in Monasterio nostro vulgó *de Santo Alberto* idem evenit) nullatenus in Maioratibus succedere queunt; nec eorum loco, eorum Monasteria, sed statim quilibet Maioratus ad ulterius vocatum devolvitur, non minus, ac si Religiosus talis mortuus jam naturaliter fuisset, vel natus non esset, qui enim successionis incapax est, pro mortuo naturaliter reputatur. *L.* 1. §. *Sed si patruus, ff. de conjungend. cum emancip. liber.*

53 Si vero Religiosus in Religione profiteatur, quæ successionis est capax, dicitur quód, si Maioratus jurisdictionem, ac dignitatem sibi annexam non habeat, tunc, casus, succedit Monasterium ratione, & loco talis Religiosi professi, ac proinde recipiet totam commoditatem ex tali eo Maioratu, interim dum talis Religiosus vivit, & eo mortuo, statim transit ad ulterius ad eum vocatum. ¶ Quòd si in prima institutione talis Maioratûs Religiosus à successione excludatur, tunc nec ipse, neque Monasterium loco ejus in Maioratu succedere potest, sed standum semper est voluntati instituentis, potuit enim institutor talem legem bonis ita vinculatis apponere, & ideo ei erit standum; *porque o que elle* (institutor) *ordenar, e disfuzer, se cumprirá*, dicitur in Lusitano Jure cit. tit. 100. §. 3. legantur Valasc. Cons. 23. à num 102. ac Molina ubi suprà.

54 Dictum est: *Si Maioratus jurisdictionem, ac dignitatem annexam sibi non habeat*; sed quid, si habeat? Negativa pars probabilior extare videtur, quam latè, & doctè probat *Molina. Jurista cap. illo* 13. *á num.* 71. *ad* 94. ubi legendus, legendus ac etiam *Molina Theolog. sup.* sed, licet hoc ita sit, si tamen casus evenerit, ut sanguinis successor non extet, qui in Maioratu succedere valeat, probabile est tunc posse Summum Pontificem dispensare cum Religioso (de quo jam alibi tetigimus aliquid) solenniter professo, ut Matrimonium contrahere queat. Legatur Bald. *in L. Si pater*, §. *In arrogationibus, ff. de adoptionib.* Ancharran. Cons. 339. col. 3.

55 Sextó dicitur, & resolvitur Commendatarios uxorem ducentes capaces esse quorum-

rumcunque Maioratuum, ac si clausulam habeat Maioratus Religiosos excludentem, & estó ipsi Professionem emiserint, ea nanque non obstante, in Maioratibus succedere possunt, ac etiam Maioratus instituere bonorum suorum, ex antiqua quippe Hispaniarum consuetudine ipsi eorum omnium bonorum, quæ successione, donatione, aut aliter acquirunt, veri sunt dómini, cùm non integrè, & perfectè Religiosi censeantur, & habeantur, pro quo legendus *Molina Disp.* 141. *ac de Maioratu, Disp.* 623. *num.* 5. possíque instituere Maioratus Commendatarios Hispaniæ, qui non sint Ordinis Divi Joannis, vulgò *Maltezes*, docet *Molina Disp.* 604. *num.* 6. eo quòd possunt testari de redditibus etiam Commendatarum suarum. Sed tu circa Religiosos Militarium Ordinum, si plura scire velis, quære *Salmant. tom.* 4. *Tract.* 15. *cap.* 1. *P.* 4. *á num.* 55.

SUBLECTIO II.

Prosequitur materia præcedens.

56 Dicitur, & resolvitur septimò quamcunque fœminam in Maioratibus succedere etiam, (est omnino certum, ac extra dubium, & id ipsamet praxis, ac experientia docet) sive Maioratus sit Regni, aut Ducatûs, sive cujuscunque alterius rei, sed hoc solùm in masculorum defectu. Communis. Et est in Lusitano Jure expressum dicto tit. 100. ibi enim §. 1. sic legimus.

E concorrendo na succeſſaõ dos Morgados irmaõ varaõ, e femea, ordenamos que ſempre o irmaõ varaõ ſucceda no Morgado, e bens vinculados, e preceda a ſua irmãa, poſto que ſeja mais velha; e o meſmo ſerá nos outros parentes em igual grao mais chegado ao ultimo poſſuidor; porque ſempre o varaõ precederá na ſucceſſaõ á femea, poſto que ella ſeja mais velha. Hæc ibi, quare masculo, ac fœminâ in eodemmet gradu concurrentibus, semper præferendus est masculus, tametsi natu maior sit fœmina.

57 Concurrentibus verò fœminâ, & fœminâ, tunc fœmina proximioris gradûs succedit; quòd si una, & altera ejusdem sint gradûs, tunc prætertur maior natu cæteris fœminis ejusdem gradûs; & hoc tam in Regnis, quàm in aliis Maioratibus, quando aliud in creatione Regni, vel Maioratuum aliorum dispositum, institutum, aut decretum non extat. Est communis DD. sententia, quam sequitur Gregorius Lopes lib. 3. tit. 13. Part. 3. verb. *Mugeres*, uterque Molina Jurista lib. 3. de Primog. cap. 4. à num. 4. Theolog. Disp. 625. Et addit Molina Jurista sup. à num. 6. fœminam Maioratûs esse succedaneam, etiam si institutor dixerit se illum instituere causâ conservandi suam memoriam, aut familiam, vel in favorem suæ domûs, generationis, generis, posteritatis, ac descendentium, quoniam in fœmina anterioris gradûs etiam conservatur memoria institutoris, & ad familiam latè sumptam pertinet, ac ad domum, & generationem, genus, ac posteritatem; legatur Auctor.

58 Si fœmina in Regno succedet, & in feudo poterit (ut alibi vidimus) exercere jurisdictionem, causas expedire, ac judicare, prout docet Angelus *in L. Cum Prætor, ff. de Judiciis, & in L. Eam, quam, Cod. de fideicomm.* ubi vult id à Regina, vel Comitissa, alienum non esse, additque se vidisse Joannam Reginam Neapolis in solio Regio sedentem pro tribunali, capitalemque sententiam ferentem. Et non paucis ab hinc annis Angliæ Reginam Annam Regiam exercuisse jurisdictionem, Regnique expedivisse causas scimus, idque metipsum tempestate hac agere Perusianam Imperatricem nobis testantur, & narrant scripta, atque adeò circa hoc dubium non debemus habere.

59 Ad quæstionem utrùm fœminæ à primogenitura excludantur, quando successores nomen, vel cognomen, & Arma deferre tenentur? Resolutio apud Hispanos est negativa, apud eos enim parentum, & successorum cognomina, & Arma fœminæ portant, & hoc inviolabiliter est servandum. *L. Minimè, ff. de Legib.* & testatores cum tali Lege se se accommodant. *L. Heredes mei, §. Cum ita, ff. ad Trebell.* nisi contrarium fuerit expressum. Et re vera non inducitur fœminarum exclusio, nisi in casibus expressis in specie, est enim fœminæ à successione exclusio pœna quædam, quæ per solas conjecturas non debet infligi. De Armis à nobilibus viris habendis, & portandis habetur in Ordinat. Lusitan. lib. 5. tit. 92.

60 Suprà dicebamus quòd, concurrentibus masculo, & fœminâ, semper præferendus est masculus in eodem gradu, tametsi natu maior sit fœmina, circa quod adhuc quæres an fœminæ proximiores excludant masculos remotiores? Resolutio est affirmativa (ubicunque fœminæ à successione expressè non excluduntur.) Ita *Covar. lib.* 3. *Var. cap.* 5. *num.* 5. cujus ea est ratio: quia de Jure proximiores consanguinei remotioribus præferuntur in successione, sive sint masculi, aut sint fœminæ. *L.* 2. *§. Hæreditas, ff. de suis, & legitim. hæredib. ab inteſt. venient. §. Si verò neque fratres, §. Si plures, Inſtit. de legit. agnat. ſucceſ. Covar. in Epitom. de Succeſ. ab inteſt. n.* 10. Sed

61 Excipitur, nisi apertè ostendatur fundatorem Maioratus voluisse agnationem conservare,

servare, nam tunc dicitur quòd masculus remotior fœminam proximiorem excludit. Et advertitur quòd quando Maioratus (& idem ex feudo) concessus est pro masculis, ac fœminis, intelligitur ordine successivo; unde fœminæ exclusæ à successione propter masculos, illis non existentibus, admittuntur, tanquam cessante exclusionis causâ. Angel. *in Authent. de hæred. & falcid.* §. *Si quis autem* in verb. *auferre*, & Fulgoz. Consil 8.

62 Sed observa primò quòd, si fœminæ in eodem gradu existentes pro Maioratu litigent, nata ex masculo semper præferri debet. *L. Quoties, ff. de reg. Jur.* sequitur Ancharran. Consil. 259. Mantica lib. 8. de Conject. ment. defuncti, tit. 18. num. 12. & 17. concludens quòd masculi descendentes ex fœminis præferentur fœminis, juvatque *L. Quæritur, ff. de statu homin.* ac Peralta in Rubr. *ff. de hæred. instit.* num. 172. vers. *tertiò*, & Pelaes de Maioratu 2. P. Q. 6. num. 266.

63 Secundò observa quod proximorum nomine non continentur fœminæ, quando testator apponit hæc verba: *Ex linea paterna*, secus, si verba hæc non apponat. *Bald. Consil. 115. super 1. puncto in princip. lib. 4. Angel. Consil. 283. num. 3. ac 4. & idem Bald. in cap. Si pater de Testam. num. 6. Ancharran. Consil. 95.* ubi vult quòd, si de linea paterna mentio fiat, comprehendantur ascendentes, & collaterales, quoniam intelligitur de linea, in qua pater subjicitur, secus, si fiat mentio de conjunctis ex prole patris. *Mantica de Conject.* mente defuncti, idem de appellatione propinquorum, cùm sit generale nomen, extenditur ad cognatos, & ad illos, qui per fœmineum sexum conjunguntur. *L. 1. Cod. de secund. tab. L. Item Prætor, ff. de suis, & legitimis*, Alciat. Respons. 62. Art. 8.

64 Observa tertiò quòd, si Princeps alicui facultatem concedat faciendi Maioratum in uno ex filiis masculis, & ille, cui talis facultas fuit data in masculum filium, instituit illum, nonque disposuit quòd non succederet filia, si postea contingat quod talis masculus filius non filium, sed unicam tantùm filiam habeat, ista in tali Maioratu succedit. *Gregorius Lopes in L. 3. tit. 13. Partita 6. in gloss. verb. Mugeres*, fol. 88. juvatque Decius Cons. 899. docent & alii, quibus accessit Pelaes de Maioratu, Part. 2. Q. 6. ex num. 326.

65 Quartò observa quòd, si fœmina Maioratum instituat, non videtur fœminam sibi consimilem à Maioratu removere. Peralta *in L. Cùm pater*, §. *A filia*, *num.* 64. *fol.* 335. *ff. de legat. 1. ac in L. Si quis in princip. ff. tam*, *num.* 169. *pag.* 470. *ff. de legat. 3.* faventque Gama Decis. 2. & Pelaes de Maioratu, 1. P. Q. 19. à num. 195. ¶ Resolvit ac etiam Peralta proximè *in L. Cùm pater*, *num.* 63. *ff. de legat. 2.* Quòd, si fœmina Maioratum instituat, & in scriptura planè dicat ut ad illius successionem non admittantur, nisi descendentes per lineam masculinam, adhuc fœmina admitti valet propter qualitatem personæ disponentis, quia mulier est, & quia fœmina raro attendit familiæ, & agnationis conservationi, nonque minus fœminam, quàm masculum diligit. Sed contrarium tenendum, non enim à voluntate testatoris, ac testatricis est recedendum. *L. In conditionibus primum locum, ff. de condit. & demonstrat.* neque à significatione verborum est deviandum, nisi quando de disponentis voluntate id apparuerit. *L. Non aliter, ff. de legat. 3.* Unde non solùm voluntas expressa, sed etiam tacita, & per conjecturas servari debet. *L. Licèt Imperator* post princip. Mantica in Tract. de Conject. mente defuncti, lib. 7. tit. 12. n. 7. pag. 295. Menoch. Cons. 86. num. 50. & alii relati, ac sequuti à Pelaes 2. P. de Maioratu in princip. ex n. 9. ad 22.

SUBLECTIO III.

Prosequitur adhuc præcedens materia.

66 EX dictis constat in successione Maioratûs semper masculum fœminæ præferri, semperque & masculum natu maiorem succedere, etiam respectu cæterorum masculorum, circa quod etiam

Observa quintò maiorem natu etiam eum censeri, qui, mortua matre, ejus ventre sciso, in lucem editus est vivus; atque adeo solus ipse, & non alius, qui sit vocatus, in Maioratu succedere debet. Legatur *Molina Theolog. jup. Disp.* 624. Sed

67 Quid quando gemini duo nascuntur, ut Esau, & Jacob? Dicitur quòd ille, qui primo in lucem editus est, sive nascitur, primogenitus judicari debet, id est, ad eum Maioratus pertinet, estò alter prius fuisset conceptus, ac prius extendisset, vel extraxisset manum, uti etiam Genes. 38. inter Zaram, & Phares evenit. ¶ Et quid quando certò non constat quis eorum duorum geminorum esset natu maior, eo quòd id non fuit observatum, quando, unus post alterum, ambo sunt nati? Tunc, si alter est masculus, & altera fœmina, succedit masculus, quia in dubio masculus prior præsumitur natus; argum. *L. Si fuerit in fin. ff. de reb. dub.* & constat ex traditis. Sed, si uterque sit masculus, vel utraque fœmina? Variè discurrunt DD. alii enim dicunt utrumque in Maioratu succedere, debereque utrumque pro indiviso illum administrare (licèt sit Regnum) donec

donec compositio, vel divisio inter eos fiat. Alii autem resolvunt ad Regni Magnates spectare dicere quem illorum in Regem potiùs velit. Alii dicunt sortem mittendam esse, & in hanc sententiam inclinat omnino legendus *Molina Theolog.* ubi proximè. Legatur & *Bossius tit. 1. num. 971. ad 979.*

68 Sextò observa quòd, si filius fuerit naturalis, (qui ille etiam dicitur talis, qui, licèt conceptus sit ex parentibus, inter quos conceptionis in tempore impedimentum matrimonium dirimens erat, tempore tamen nativitatis tale impedimentum cessaverat) & per matrimonium subsequens legitimatus fuerit, re vera capax est succedendi, & succedit in omnibus, in quibus succedunt legitimi, (in Jure enim hujusmodi filii post matrimonium legitimi appellantur. *Authent. Quibus modis natural. efficiantur sui*, §. *Si quis igitur dotalia* (ac proinde succedunt in emphyteusi Ecclesiastica, in feudo, ac Maioratu. ¶ Quinimo in ea successione præponitur talis naturalis filius per matrimonium legitimatus quibuscunque aliis genitis ex quocunque alio posteriori matrimonio, tanquam natu maior. ¶ Et eadem ratione excludit substitutum patri, vel matri sub ea conditione, si sine liberis legitimis decesserit. Item sicut nativitate filii legitimi donatio à parente facta revocatur, ita revocatur legitimatione filii per matrimonium subsequens habita Quæ omnia cum multis tenet *Molina Theolog. tom. 1. de Just. Disp. 172. num.* 6. Et

69 Ex eodem *Molina á num. 7.* observa septimò quòd, si legitimi filii ex priore aliquo matrimonio adsint, præferri debent legitimatis, quia filii prioris matrimonii obtinuerunt jus ad feudum, vel Maioratum, antequam filii naturales per matrimonium cum concubina, sive amasia initum legitimarentur, & æquitas clamat, ac postulat ut à Jure prius tempore acquisito per subsequentem legitimationem non expellantur, hic nanque regula illa: *Qui prior est tempore, potior est jure*, propriè, & in rigore verificari videtur. Et equidem id cederet in fraudem, ac præjudicium prioris uxoris, quæ tali viro non nupsisset, si Maioratus illius ad filios ex ipsa genitos deventurus non esset, quod idem (ait ipse) dicendum est, si quis prius ducat unam concubinam, ex qua naturales filios habeat natu minores, & ea mortua, ducat aliam, ex qua etiam naturales filios habeat natu maiores, filii quippe illi natu minores, ac ex priore matrimonio legitimati, præferuntur in successione in feudo, & in Maioratu filiis maioribus natu, ac ex posteriore matrimonio legitimatis, quæ omnia vera videntur, nisi aliud in contrarium fuerit expressum.

70 Octavò observa quòd, si quis naturalem filium habens, & ex eo nepotem, filium legitimum talis filii naturalis, naturalique filio mortuo, avus ducat concubinam illam, ex qua talem naturalem filium habuit, licèt aliqui negent nepotem illum per tale subsequens matrimonium legitimari, contrarium tamen est probabilius, ac tenendum, eo quod matrimonium subsequens legitimat omnes descendentes naturales ex eisdem parentibus ante tale matrimonium progenitos. Legatur *Molina Theolog. Disp. 165. 172. & 624. ac Molina Jurista lib. 3. de Primog. cap. 2.* apud quos de hoc alia reperies.

71 Observa nonò quòd, si primogenitus, sive is, qui alioquin primo ad Maioratum vocatur, illius sit incapax quocunque ex capite, tunc ille, qui ulteriùs vocatur, in illo succedet, nisi ipse similiter sit incapax, nam tunc progrediendum est, quousque capax aliquis reperiatur. Sed quid, si incapacitas cesset, talis nec nè, incapacitate cessante, in Maioratu succedet? Distinguitur, & dicitur quód, si incapacitas cessit postquam delata est successio, vel Maioratus ad alium, in pacificaque possessione illius extat, tunc ad rem nihil proficit talis incapacitatis cessatio, nec ille alius dominio, ac possessione talis Maioratûs privabitur; si verò incapacitas cessat ante mortem ultimi possessoris, vel ante delatam successionem ad ulteriorem alium, tunc incapacitas præcedens non impedit quominus hic tempore delationis jam factus habilis in Maioratu succedat. Legatur *Molina Theolog. Disp. 172. á num. 4.*

72 Utrùm verò filius exhæredatus maioriam perdat? Sententia negans est probabilior, & maximè si maioria à patre non fuit instituta: nam tunc, casus, filius non à patre, sed ab institutione Maioratûs, maioriam obtinet, & quia maioria hujusmodi nullam cum paterna hæreditate affinitatem habet. Tenet *Padilha in L. Unum ex familia*, §. 1. *num. 17. de legat. 2. vers. Sed ipse*, Molina lib. 1. de Primog cap. 9. Costa in Tract. de Regni succes. pag. 152. Valasc. de Jure Emphyteusi, Q. 45. col. 2. ad fin. & Q. 44. docent & alii.

73 Decimó observa quòd quando primogenitus renuntiaret successioni in favorem secundó geniti, tunc secundó genitus succederet, talisque renuntiatio primogenito præjudicaret. Si tamen primogenitus renuntiationis in tempore filios haberet, vel post renuntiationem filios procrearet, talis renuntiatio illis præjudicare non posset. Sed, si talis renuntiatio à filio institutoris Maioratûs fuerit facta, institutore ipso vivente, tunc invalida erit, nisi institutor in ea consenserit, totoque tempore vitæ suæ in eo perseveret consensu, & si facta

fit, mortuo illo, licèt alio possessore ejus Maioratûs vivente, tunc valida est sine talis possessoris consentu. Si verò qui ita cederet, minor esset, nec juramento eam cessionem confirmaret, tunc restitutio in integrum illi competeret. Hæc omnia *Molina Jurista de Primog. lib. 3, cap. 2. á num. 2. ac lib. 1. cap. 6. num. 45.* tenetque alter *Molina tom. 3. Disp. 624. num. 7.*

74 Observa undecimò quód, quando primogenitus, sive, qui ad Maioratum primò vocatur, interficit eum, cui succedere in Maioratu debet, tunc, si occisus Maioratûs sit institutor, abs dubio occidens Maioratum amittit, nisi occisus illi delictum antequam moriatur pepercerit, vel voluerit ut nihilominus in Maioratu succedat; si occisus institutor non fuerit, sed alius ejus Maioratûs ultimus possessor, eadem omnino est resolutio, (licèt contrarium videatur probabile) & tunc, casus, in utroque eventu Maioratûs commoditas toto eo tempore, quo occisor vixerit, ad Fiscum pertinet, nisi clausulæ Maioratûs disponant ut continuo Maioratus transeat ad ulteriùs ad illum vocatum; in quo eventu si occisor filium legitimum habeat tempore mortis possessoris anterioris occisi, talis filius in Maioratu succedet, & estò sit filius familias, pater ejus non habebit usum fructum, sed ad filium unà cum proprietate spectabit. Quòd si filium occisor non habeat, tunc transit Maioratus ad superstitem ulteriùs vocatum, & ad ejus sobolem, licèt posteriùs generatum, & hoc estó occisori postea filii nascantur; quando tamen Maioratûs commoditas spectaret ad Fiscum, toto eo tempore, quo occisor viveret post delictum patratum filium generaret legitimum, is in eo Maioratu succederet, tanquam proximè post occisoris mortem ad illum vocatus. Et quæ dicta sunt de occidente anteriorem possessorem Maioratûs, extendit *Molina Jurista de Primog. cap. 2. num. 33.* ad filium ultimi possessoris, qui eum non curavit ægrotum, secus autem ad transversalem ultimi possessoris, qui eum ægrotum curare non tenetur, sicut descendens suum ascendentem curare tenetur. Legatur etiam *Molina Theologus sup. Dist. 624. num. 10.* ac etiam *Disp. 178.*

75 Duodecimò observa quód quando duo Maioratus (juxta Jus Hispanum, teste *Molinâ Jurista ubi sup. num. 9.*) ad eundem primogenitum devenire deberent, si redditus unus eorum valorem *de dos cuentos* excederet, tunc is primogenitus unum eorum, quem ipse maluerit, eligere debet, & Maioratus alter ad secundò genitum devenire debet, quoniam ita ob commune bonum sancitum est in Regno Castellæ. Deinde quando duo Maioratus incompatibiles leges, & conditiones habentes, in eodem primogenito concurrunt, ut quód teneatur solùm deferre Arma, & insignia ejus familiæ sine permistione aliorum Armorum, ac insignium; aut quód vocari debeat solo nomine, vel cognomine ejus familiæ sine permistione aliorum, sive nominis, aut cognominis familiæ alterius, tunc enim is primogenitus unum eorum, quem maluerit, eligere debet, & alter Maioratus ad secundó genitum devenit, devenireque debet. Et

Ex Lusitano Jure.

76 DE Lusitano Jure loquendo lib. 4. Ordinat. tit. 100. habemus quòd quoties ex vi Maioratus duo in una domo, vel familia junguntur, quorum Maioratuum unus ex annuis redditibus habeat quatuor mille Lusitanos *cruciatos*, aut deinceps, *dos quaes hum renda cada anno quatro mil cruzados, ou dahi para a sima*, dicitur ibi §. 6. tunc, si in dicta familia duo, vel plures sint masculi filii, primogenitus filius nullatenus possidere potest Maioratum utrumque, sed eligere potest, necessariòque debet unum ex illis, & Maioratum alium secundò genito filio relinquere, (ex Jure enim competit ipsi) si talis secundò genitus filius successionis sit capax, quòd si incapax, tunc tertiò genitus, &c. si adsit capax, ad succedendum intrat; quòd si secundó genitus, &c. succedendi in Maioratu capax non fuerit, ac etiam in casu, quo non adsit, nisi tantùm unicus filius, vel unica proles, tunc ipse, vel ipsa possidebit utrumque usque dum secundó genitus adsit, & ut Legis verbis utamur, aut clariùs loquamur.

O filho mayor, (dicitur ibi dicto §. 6.) *que delle nascer, (o qual conforme as instituiçoens dos ditos Morgados houvera de succeder em ambos) succeda sómente em hum dos ditos Morgados, qual elle quizer escolher, e o filho segundo succeda em o outro, e caza; e isto sem embargo de quaesquer clausulas, e condiçoens, &c.* Et §. 7. *E isto haverá lugar, sendo o filho segundo capaz da successaõ do tal Morgado, conforme a instituiçaõ delle; porque, sendo por algum caso o dito filho segundo incapaz, succederá outro irmaõ, se o houver, sendo outrosim capaz para nelle succeder.* Et §. 8. ita: *E naõ havendo irmaõ capaz, ou havendo hum só filho, poderá o filho primogenito possuir em sua vida ambos os Morgados até delle por sua morte ficarem filhos, ou taes descendentes, nos quaes possa haver effeyto a divisaõ, e separaçaõ, que das ditas duas cazas, e Morgados, conforme a esta Ley, mandamos que se faça.*

77 Habemus & insuper ibi num. 9. & 10. *E naõ ficando do dito matrimonio filho algum varaõ, e ficando huma, ou mais filhas taes, que conforme a qua-*

qualidade dos bens, e clauſulas das inſtituições pòdem ſucceder nos ditos Morgados, o que dito he no modo, em que nos ditos Morgados os filhos devem ſucceder, haverá legar nas filhas. E ſe houver hum ſó filho varaõ, que haja de eſcolher hum dos ditos Morgados, no outro ſuccederá a filha, que houver, naõ ſendo excluida pelas clauſulas da inſtituiçaõ; e ſendo chamado por ella em caſo, que naõ haja filho varaõ, poderá ſucceder no outro Morgado. E em caſo, que a dita filha ſeja excluida pelas clauſulas da inſtituiçaõ, o dito filho ſó, que houver, ſuccederá em ambos os Morgados, e os poſſuirá como acima dito he, no caſo, em que ha hum ſó filho. Et hæc quo ad Maioratus, bona & vinculata ex patrimonialibus bonis.

78. Quid verò tenendum ſit quo ad Maioratus, bona & vinculata, qui, & quæ ex Coronæ bonis per donationes à Regibus factas deveniunt, & an in iſtis ſuccedens anteceſſoris ſui teneatur ſolvere debita omnia ex dictis Coronæ bonis, quando ad id libera alia bona non adſunt; ac nunquid bonorum Coronæ ſucceſſor ſucceſſoris ſui hæreditatem repudiare valeat? Habes eodem titulo 100 & 101. ubi omnino legendum, ſimul & lib. 2. tit. trigeſimo quinto. Quid rurſus de Maioratu illius, qui proditionem commiſit? Habes lib. 5. tit. 6. §. 15. ac 16. An Maioratus conſtitutus dicatur, quando inſtitutor bona ſua alicui reliquit cum Miſſarum, piorumque aliorum operum onere? Habes lib. 1. tit. 62. §. 53. quæ omnia loca diligenter videri debent, ut ſciatur quid in Lusitano Jure circa rem tantam ſit ſtatutum.

79. Si autem ſcire velis an Imperator, & Summus Pontifex jus ferendi ſententiam habeant inter duos ſupremos Principes contendentes de jure ad Regnum, vel Provinciam, ac nunquid Pontifex Summus de plenitudine poteſtatis controverſiam inter duos ſupremos Principes ortam dirimere poſſit, quando id in bono Eccleſiæ, & fini ſupernaturali judicetur omnino expediens eſſe, ac quis in controverſia tali Judex eſſe debeat? Vide *Boſſium tit. 1. á num. 1044. ad 1045. & 1055.* ubi de his plura habet.

LECTIO IV.

De Renuntiatione bonorum.

SUprà num. 24. ac 25. de Renuntiatione facta circa jus Primogenituræ tetigimus aliquid, ſed quia circa materiam de Renuntiatione aliquot aliæ difficultates ſe offerunt, earum aliquas in medium afferre oportet.

80. Itaque *Renuntiatio eſt ceſſio, ſeu remiſſio juris, quod quis ad hæreditatem, vel quid aliud habet, vel habere poteſt.* Et dicitur, *vel habere poteſt*, quoniam quis non ſolùm renuntiare poteſt jus jam ſibi de facto quæſitum, ſed etiam futurum, ſive quærendum; id omne, quod deſumitur *argum. L. 1. Cod de pactis*; licet enim jus futurum, ſive quærendum in bonis noſtris non adeſſe dicatur, neque de eo diſpoſitio valeat, *argum. L. Si filius 14. & L. Conſtante 2. Cod. de donationib.* renuntiari tamen, & in pactum deduci poterit ſpes, quam ad jus futurum habemus: *argum. dictæ L. 1. Cod. de pactis, ac L. Spem 3. Cod. de donat. junctâ L. Si jactum 12. ff. de action. empt.* quilibet autem omnino, vel in parte renuntiare valet ſucceſſioni alterius, in cujus bonis ei debetur legitima portio, unde videndum eſt quoulque talis renuntiationis actus validus, vel invalidus ſit. Pro quo prius

81. Notandum venit, renuntiationem hanc uno ex tribus modis fieri poſſe. Primo vel pacto inito cum eo, cui quis ſuccedere debet, quo in totum, vel in partem illius ſucceſſioni renuntiat, contentus, ut nihil ex talibus illis bonis illi obveniat, vel quòd ſola pars hæc, vel illa ex illis obveniat, omne remittendo reliquum. ¶ Secundo conſentiendo in ipſomet actu teſtandi, vel poſt Teſtamentum conditum conſentiendo in Teſtamento, quo privatur, aut legitima tota ſibi debita, vel in parte illius. ¶ Tertio inito cum hæredibus pacto in ipſorum, aut alicujus eorum gratiam, & favorem, ut tota legitimâ ſua privetur, vel parte illius, conſentiente ſimul illo, in cujus bonis eſt ſuccedendum; quibus ſic potitis,

82. Dicitur, & reſolvitur primò quòd renuntiatio illa, ſive pactum de renuntiatione, cum eo inito, cui ipſe renuntians ſuccedere debet, nulla, vel nullum eſt ob mala, quæ inde evenire poſſunt, proinde eo, & renuntiatione non obſtantibus, ille, qui renuntiavit, vel pactum illud fecit, ſuccedit in integra legitima ſibi debita, & ab inteſtato in portione æquali cum aliis hæredibus, ſive renuntiatio facta ſit mere gratis, vel ex cauſa onerosa, uti ſi filia contenta tanta, vel tanta dote renuntiat reliquæ ſuæ legitimæ. ¶ Et idem, ſi aſcendens renuntiet legitimæ, quæ ſibi ex bonis deſcendentis debetur. ¶ Item renuntiatio ſucceſſionis alicujus in univerſum invalida eſt, eſtò renuntianti non debeatur legitima ex bonis ejus, cujus ſucceſſioni renuntiat, & ideo, renuntiatione ea non obſtante, illi ſuccedere poteſt, tam ab inteſtato, quàm ex Teſtamento, ſi ab eo hæres inſtituatur. Ita tenendi.

83. Quòd ſi filius, vivente patre, poſt ſuam integram legitimam acceptam ſucceſſioni in bonis patris renuntiaret; & è contrà pater, vivente filio, poſt ſuam integram legitimam acceptam ſucceſſioni in bonis filii renuntiaret,

talis renuntiatio teneret. ¶ Si tamen post suam legitimam integram acceptam, spectato tempore, quo accipitur, bona illius, cui est succedendum, accrescerent, posset qui ita illam accepisset agere ad incrementum usque ad integram suam legitimam pro tempore mortis, nisi juramentum adsit, tunc enim incrementum petere non posset; quia censetur renuntiasse in quemcunque eventum, & etiò postea bona decrescerent, ac minueretur legitima, nihil ille restitueret. Quæ omnia constant *ex L. Si quando, §. Illud, Cod. de inoff. Testam.* & ex aliis pluribus Legibus allatis ab *Antonio Gomes L. 22. Tauri, num. 2. ad 4. Molina lib. 2. de Primog. cap. 3. num. 5. ac ult.* & alter *Molina de Just. Disp. 579. num. 12.* Et

84 Notat *cit. Molina* ubi proximè *num. 13.* validam esse dictam renuntiationem, & pactum, si confirmetur juramento, non vi, nec dolo, neque metu extorto; id quod probat *ex L. Quanvis pactum de pactis, lib. 6.* ipse tamen aliquos excipit casus, seque remittit *ad Q. 149. ac 175.* ubi eum videre poteris; vide etiam ea, quæ circa hoc diximus de Contractibus in genere.

85 Notat & insuper ipsemet Molina ex Covar. cap. *Quanvis pactum* 3. P. num. 3. idem dicendum esse, si filius sub juramento promittat se renuntiaturum hæreditati paternæ, censerique eo ipso cum juramento illi renuntiare, ac proinde expelli posse à possessione hæreditatis, ipsumque arguere non posse de Testamenti nullitate, in quo vi talis promissionis juramento confirmatæ fuerit præteritus, vel exhæredatus. ¶ Deinde dicit quod eo ipso quòd filius cum juramento hæreditati paternæ renuntiat, tenetur etiam renuntiare legitimæ sibi in paternis bonis debitæ, & non solùm incremento portionis, quod sibi ab intestato obvenire debebat. Et idem de renuntiatione cum juramento, qua ascendens renuntiat sibi ex descendente competenti.

86 Utrùm autem, licèt filius, qui ita renuntiavit, nihilominus nepotes ex hoc filio succedant avo? Negativè respondetur, si tempore mortis avi superstes sit filius, pater nepotum eorum, docet *Gomes* cum communi *sup. num. 10. Molina lib. 2. de Primog. cap. 3. num. 47.* ¶ Idem, si tempore mortis avi defunctus erat filius, pater eorum nepotum. Legatur etiam *Molina Theolog. Disp. 579. num. 14.* ¶ Utrùm vero, si filius, vel filia cum juramento renuntiet hæreditati parentum ante Religionis ingressum, & post Professionem emissam moriantur parentes, Monasterium succedat? Variant DD. legatum Covar. in cap. *Quanvis pactum*, P. 3. §. 2. Molina de Just. sup. legatur ac etiam Molina Jurista ubi sup. ubi alia reperientur.

87 Secundò dicitur, & resolvitur quòd, licèt quis cum juramento hæreditati alicujus (putà patris) renuntiaverit, hoc non obstante, succedere potest in bonis illius loco alterius, ad quem immediatè ex patre ea deferantur bona, uti loco fratris, cui is, qui paternæ hæreditati renuntiavit, immediatè succedat, idque non solùm, si frater is, qui immediatè patri succedit, patris hæreditatem adivit, sed etiam si non dum illam adivit, & eam transmittat in fratrem, qui hæreditati paternæ renuntiavit. Est communis juxta *Gomes, & Covar. sup.* ¶ Idem de eo, qui hæreditati patris renuntiavit, ac pater ejus ad secundas nuptias transivit, eaque de causa tempore mortis ejus regrediantur ad filios prioris matrimonii bona, quæ patri ex priori uxore devenerant, tunc enim potest in ea bonis succedere filius, qui hæreditati patris renuntiavit, quia tunc illa bona non obveniunt jure hæreditario ex patre, sed tanquam bona, quæ fuerunt matris dividenda in eo eventu ex Juris dispositione inter filios prioris matrimonii. Est etiam communis, teste *Covar. sup. §. 3.* ¶ Item eadem ratione, si filius cum juramento paternæ hæreditati renuntiet, non censetur renuntiasse (nisi certò constet hoc intendisse) bonis paternis, quæ hæreditaria non sunt, ut feudo, aut emphyteusi, non hæreditariis, quod idem omnino dicendum de Maioratu, in quo hæreditario jure non succeditur; cum aliis *Covar. sup. num. 6. legendus Torre de Pactis futuræ succes. lib. 2. cap. 38. á num. 12. & Molina Disp. 579.*

88 Dicitur, & resolvitur tertiò quòd, estò filius, qui cum juramento renuntiavit hæreditati paternæ, expresserit neque ex Testamento successurum illi, si tamen postea hæres à patre instituatur, illi succedere valet in portione ea, in qua institutus fuerit, nihil juramento impediente, quoniam juramentum illud præstitum fuit patri in ipsius patris favorem; unde eo ipso, quod pater filium eum renuntiantem hæredem instituit, censetur remittere illi obligationem ex juramento tali, consequenterque is filius ad statum illum ingreditur, in quo erat ante renuntiationem, & eam hæreditatem acquirit, ad suosque transmittit hæredes. Est etiam communis juxta *Gomesium sup. num. 10. Molinam de Primog. lib. 2. cap. 3. num. 6. ac Covar. sup. num. 8.* Et

89 Hoc verum est juxta cit. estò renuntiatio cum juramento fuerit facta post conditum Testamentum patris, in quo talis filius unà cum aliis instituebatur hæres, si pater post renuntiationem illam Testamentum jam factum non mutavit. Et idem, si pater post dictam renuntiationem eundem filium generalibus verbis hæredem instituit dicendo: *Instituo omnes*

filios

filios meos, vel *filios meos hæredes*. Et idem, ſi talis renuntiatio facta fuit patri in favorem alicujus filii. Legatur *Molina de Juſt. ſup. num.* 23. *qui ibi num.* 24. ¶ Ad quæſtionem utrùm renuntiatio juramento confirmata revocetur ex eo, quòd poſtea filii naſcantur, veluti quando filia certa dote contenta reliquæ paternæ hæreditati renuntiat? Affirmativè cum communi reſpondet, in hoc tamen caſu contrarium eſt probabile; & circa hoc omnino legendi ſunt Surdus Conſil. 133 num. 11 ac 12 lib. 1. Decius Conſil. 118. & *in L. Pactum dotale de Collat.* Fachineus lib. 3. cap. 23. Covar. *in cap. Quanvis de pactis in* 6. P. 3. §. 2. num 4. Molina Diſp. 579. num. 4. Azor tom. 2. lib. 2. cap. 28. num. 13. circa renuntiationem metu, vi, dolo, vel fraude factam conſtat ex à nobis dictis de Contract. in genere; circa alias renuntiationes juramento firmatas legantur citati, ubi de eo plura habentur.

90 Quartò dicitur, & reſolvitur quòd renuntiatio ſub conditione facta, regulariter loquendo, deficiente conditione, evaneſcit; unde, ſi ſoror dicat: Renuntio hæreditati paternæ in favorem fratris mei Petri, ſi hic nubit, & filios habet, evaneſcit, ſi vel non nubat, aut & ſi nubat, filios non habeat. Communis. Legatur *Torre ſup. lib. 2. cap.* 33. *ac* 40. *Molina Diſp.* 252. ¶ Et idem, ſi renuntiatio facta ſit ex certa cauſa finali, ſi cauſa non impleatur, vel ceſſet, aut non eveniat. Eſt etiam communis. Legatur *Torre ſup. à num.* 224. *Fontanell. de Pactis nuptiar. 1. P. Clauſula* 9. circa renuntiationes, attento Luſitano Jure, vide *Ordinat. lib. 2. tit.* 35. §. 16. *& lib.* 3. *tit.* 59. *ac lib.* 4. *tit.* 70. ¶ Circa renuntiationem Novitiorum, attento Decreto Sacri Concilii Tridentini Seſſ. 25. cap. 16. de Regular. jam alibi ſufficienter vidimus, & ſi placet, videatur *Molina Theolog. tom. 1. Diſp.* 139. *ac Valaſc. in Praxi Partition. & Collat. cap.* 16.



TRA-

TRACTATUS XXXI.

DE LEGATIS, &c.

BREVIS PRÆFATIO.

LICET Tract. 8. cap. 3. Lect. 6. circa legata lectorem pium certum quemdam remitteremus ad locum ob rationem ibi datam; & licèt etiam de Legatis in præcedentibus hujus Breviarii partibus variis ejusdem in locis sparsim non pauca dederimus, uti in cujuslibet Syllabo suo competenti verbo videre licebit; quia tamen in præcedenti Tract. de Testamentis, ultimisque voluntatibus egimus, & mos, usus communis, quotidianaque testatorum sit praxis, tum profana, tum pia legata Testamentis in suis relinquere, Legatorumque materia valde sit pro praxi proficua, nonque in se pauca habeat scitu, atque notatu dignissima; idcirco opere pretium duximus pauca ea, quæ de his rebus sparsim tetigimus alibi, iterum hîc saltem remissivè vocare, & insuper brevi, ac stupido calamo nostro addere, ac inferere aliquid aliud, & estò hæc omnia præcedenti Tract. diversis capitibus, tanquam in sua propria domo, quietam, securamque sedem habere possent, ea tamen ab illis justa quadam de causa extraximus, atque secrevimus, diversumque pro illis Tract. construximus, ac etiam quia plures, gravesque DD. ita fecerunt, quorum vestigia sequentes, aberrare non erit à tramite recto. Sit itaque ergo

CAPUT I.

De Legatis quasi in communi.

DE fideicommisso, & substitut. fideicommissaria præcedenti Tract. cap. 4. Lect. 8. quantum ad rem satis, egimus, & quanvis ibi locum haberet materia hæc de Legatis, eo quod hodie inter legatum, & fideicommissum particulare, nulla quo ad effectum differentia intercedit *juxta L. 1. ff. de legat. 1. L. 2. Cod. communia de legat. & §. Sed non, Instit. de legat.* unum tamen ab altero oportuit avellere, & de legatis hîc agere; sed ante omnia legantur de illis ea, quæ dedimus Tract. 12. cap. 1. Lect. 4 & Tract. 20. Lect. 4. à num. 35. Tract. 26. cap. 3. Lect. 4. num. 75. ac 76. & verb. *Heres*, ubi de hæredum obligat. quibus visis, & ad rem nostram sit

LECTIO I.

Quid, & quotuplex sit Legatum, quis legare, quibus legari possit, ubi fieri valeat? &c.

1 LEgatum communiter inter AA. dupliciter accipi, definirique solet, videlicet pro actu, sive dispositione, quo, vel qua legatur res aliqua, vel pro ea re, quæ legatur; legatumque hoc ultimo modo acceptum *quædam particulari res est, verbis ad legatarium directis, á defuncto relicta, & ab hærede præstanda*, ac de legato hoc, sive sumpto pro re ipsa legata præstanda, præcipuè hîc non curamus, hoc enim ad hæredum obligationem pertinet, de qua jam suo loco; curamus ergo de legato, primo modo sumpto, sive pro actu legandi. Et

2 Circa legatum primo illo modo desumptum varias Juristæ diffinitiones dixerunt; cæterùm inter omnes receptissima, & omnium aptior, & melior esse videtur ea, quæ sequitur, & affertur §. 1. *Instit. de legat. & L. Legatum est,*

est, ff. de legat. 2. tenetque Gomes 1. Var. cap. 12. num. 13. Barthol. communiterque DD. alii, nimirum: *Legatum est donatio quædam à testatore relicta, & ab hærede præstanda.* Ille autem, cui legatum relinquitur, *legatarius* vocatur.

3 In dicta autem diffinitione ly *Donatio* loco generis ponitur, in eo nanque cum donationibus aliis tam inter vivos, quàm causâ mortis re vera convenit; per illud vero à Testamento differt, eo quòd testamentum liberalis non est, sed onerosa donatio, hæredis onera sibi habens annexa. Et dum dicitur *quædam* datur intelligi quòd alicujus rei particularis esse debet, legata nanque nullatenus fiunt, nisi respectu alicujus rei particularis in specie, vel in individuo determinatæ, uti certæ pecuniæ quantitatis, certæ domûs, certi fundi utensilium, vel mobilium, aut immobilium certorum, per dictamque particulam differt legatum, sicut & fideicommissum particulare à fideicommisso universali. *Et á defuncto relicta* dicitur; quia legatum vim, firmitatemque nullam habet, nisi tantùm post legantis mortem, cùm ante mortem ad legantis libitum revocari valeat, *juxta L.* 3. §. *fin. ff. de adim. legatis.* ¶ Dicitur tandem *ab hærede præstanda*: quia, licèt legatarius jus certum ad legatum acquirat à die mortis legantis, illud tamen occupare non potest, nisi ei tradatur ab hærede, (vel etiam ab ipso testatore) sive ab alio, *juxta L.* 5. *Cod. de legat. & L. Lucius* 22. *ff. de legat.* 2. *ac L. Hujusmodi* 84. §. *Si Titio, ff. de legat.* 1. de quo infra.

4 Omnes, & soli illi legare possunt, qui jus testandi, & codicillandi habent, textus clarus *in L.* 2. *ff. de legat.* 1. legatum nanque necessariò in testamento, vel codicillo fieri debet, consequenterque qui testamentum, & codicillum facere nequeunt, nullatenus legatum facere valent. *L. Divi*, §. 3. *de jure codicillor.* quinam autem sint illi, qui jure testandi, & codicillandi carent, consequenterque legare non valent, jam vidimus, ubi de Testam. cap. 3. Lect. 1. ubi legendum.

5 Ordinariè illis tantùm legari potest, qui hæredes instituì valent, textus clarus *in* §. *Legari* 24. *Instit. de legat.* ubi sic legitur: *Legari autem illis solum potest, cum quibus testandi factio est*, & tenet communis; unde provenit quòd, licèt uxor marito donationem inter vivos facere nequeat, ut vidimus alibi; quid tamen eidem legare valet, eo quòd eundem hæredem instituere potest: quinam autem hæredes instituì nequeant, consequenterque legatorum sint incapaces, vidimus ubi de Testamentis, cap. 4. Lect. 2. ubi legendum.

6 Dictum est *ordinariè*: nam duo potissimùm excipientur casus; excipiuntur nanque primò filii *spurii*, licèt enim ii nullatenus hæredes instituì valeant, ut vidimus citato *in loco*, juste tamen licitè, & validè eis competentia alimenta legari valent, de quo jam alibi, vide in 3. P. verb. *Obligatio*, ac verb. *Parentes*, & sup. Tract. 29. cap. 4. Lect. 3.

7 Secundo excipiuntur religiosissimi Fratres Minores illustrissimi scilicet Ordinis Seraphici Divi Francisci; hujusmodi enim gravissimi, illustrissimi, ac religiosissimi Patres, & si hæredes nullatenus instituì possint, uti loco proximè cit. Lect. 2. vidimus, & constat ex *Clement. Exivi de verb. signif.* eis tamen pro eorum competentibus alimentis licitè, ac validè legari potest, dummodo id in fraudem non fiat, sed tantùm quatenus indigent, idque ipsi licitè, & validè acceptare valent, omni fraude remota; id quod constat ex dicta *Clement. & cap. Exivi de verb. signif. in* 6.

8 Dictum est *dummodo id in fraudem non fiat, sed tantùm quatenus indigent :: & omni fraude remota* ad inuendum quòd legatum dictis Fratribus relictum tantæ quantitatis esse non debet, ut videatur in Legis fraudem relinqui, & sub legati nomine re vera hæreditas detur, talique modo eis relinqui necessariò debet, qui in Regula non sit prohibitus, qualis esset, si testator vineam, vel agrum ad excolendum, domum ad locandum, &c. Fratribus dictis legaret; sed hoc non tollit quòd licitum, ac validum sit pro illis legatum, illudque ipsi acceptare licitè, & validè possunt quando quis pro eorum competenti sustentatione rem mobilem, putà pecuniam, vel immobilem, veluti domos, agrum, vineam, &c. tertiæ personæ alicui relinqueret, ut ex talibus rebus, vel earum fructibus tribueretur dictis Fratribus, quidquid eis necessarium fuerit ad competentem victum, vestitum, ædificationem, domûs, &c. dummodo emendicitas nunquam perdatur, neque deferatur, uti constat, vel colligitur *ex cap. Exivi de verb. signif. in* 6. possunt & insuper in legatum accipere domos sibi contiguas, sicut & solum, ut proprium ædificium, vel Monasterium protendant, si id necessarium fuerit; possunt & itidem annuos accipere redditus (& si non in perpetuum) pro luminibus, ornamentis, &c. necessariis Ecclesiæ, ac pro victu, & vestitu, vel iis, quæ emendicatione acquiri non possunt, uti pro solutione carnis, vini, olei, panis, medicinæ, &c. & id per tempus non longum, ac dummodo semper servetur emendicitas, &c. Et si legatum licito modo dictis Fratribus relictum hæres solvere nolet, ad id à Judice tam seculari, quàm Ecclesiastico cogi poterit; quæ omnia (licèt non omnia in singulis) reperies apud

Rodr.

Rodrigues tom. 2. QQ. Regular. Q. 126. & 127. Layman Tract. 5. cap. 10. Sanch. lib. 7. Moral. cap. 26. num. 60. ac 61. Barbos. in cap. *Exivi de verb. signif. in* 6. Sylvestrum verb. *Hæreditas* 1. Q. 7. Sorbum verb. *Legata* in Compend. Privil. Et circa legata religiosissimis, ac sapientissimis Patribus Minoribus relicta legatur Torrecilla tom. 1. Encyclopœdiæ verb. *Legados* à num. 17. ad 67.

9 Quo ad quotuplex sit, vel esse possit legatum, dicitur quòd est, vel esse potest *purum*, aut *in diem*, vel *conditionatum*, quorum *legatum purum* illud est, & tunc datur, quando pure, ac simpliciter fit sine adjecto tempore ullo, aut conditione, vel modo, uti constat *ex* §. *Omnis* 2. *Instit. de verb. obligat.* docetque Molina Disp. 205. & communis. Imò *juxta L. Hæres meus* 79. *princip. ff. de condit. & demonstrat.* legatum purum omne illud dicitur, quod fit sine conditione in futurum, uti si dicatur: *Hæres meus, cùm morietur Titius, centum ei dato, purum legatum est; quia non conditione, sed morâ suspenditur*, dicitur ibi, & legatum hoc purum legatum proprium est, transitque ad legatarii hæredes, etiò ante aditam hæreditatem decedat, dummodo post mortem testatoris legantis moriatur, *juxta L. Si post* 5. *ff. quando dies legati*, non tamen ante hæreditatem aditam exigi valet. Quòd si, nullo hæreditatem adeunte, Testamentum corruat, simul ac etiam corruunt legata, nec ab hæredibus ab intestato præstari debent: *L. Si nemo* 9. *ff. de testam. tutela*, statim tamen ac adita hæreditas est, legatarii legatorum dominum acquirunt unà cum eorum fructibus post testatoris mortem, etiam ante aditam hæreditatem perceptis, ut cum communi docet *Molina Disp.* 194. *& Layman ubi suprà.*

10 *Legatum in diem* est, fit, & tunc datur, quando testator aliquid legat certo, determinatoque tempore, post ejus mortem legatario tradendum, uti si dicatur: *Petro lego centum*, putà *ducatos, ei biennio post mortem meam tradendos elapso*, id quod colligitur *ex L. Si dies* 21. *ff. quando dies legat. cedat, ac ex cit.* §. *Omnis* 2. *Instit. de obligat.* quod legatum licèt ante præfixum diem peti non possit, jus tamen illud petendi, & actio transmittitur ad legatarii hæredes, si post testatoris mortem legatarius ante diem illum signatum decedat: *Cit. L. Si dies, ac L. Si post diem*, quòd si dies, vel tempus incertum apponatur, uti si dicatur: *Lego* putà *centum aureos Petro quando creatus fuerit Doctor*, aut *quando primum celebraverit Sacrum*, vel *quando duxerit uxorem*; tunc tale legatum conditionatum, & non in diem appellatur, *juxta L. Dies incertus, ff. de condit. & demonstrat.*

11 Legatum *conditionatum* est, & tunc fit, & dicitur, quando à testatore sub certa conditione de præterito, præsenti, vel futuro aliquid alicui præstandum; legatur de præterito quidem, uti si dicatur: *Lego centum Petro, si jam navis ex India venit*; *L. Conditio in præteritum* 100. *ff. de verb. obligat.* de præsenti autem, si dicatur: *Lego* 100. *Petro, si Lusitanus Rex adhuc vivit* juxta *L. Cum in præsenti* 37. *ff. de reb. cred. & si certum petatur*; sub conditione verò de futuro, si dicatur: *Centum lego Petro, si navis submergenda non erit, vel si Doctor, aut Consul fiat, &c.* juxta §. *Sub condit. Instit. de verb. oblig.* & hoc ultimum legatum propriè legatum conditionatum dicitur; illa verò de præterito, ac de præsenti impropriè conditionata legata dicuntur, omnia autem legata propriè conditionata omnino suspensa manent ita, ut nec legatario cedant, neque tranſeant ad ejus hæredes antequam conditio impleatur, sed eo mortuo, conditione non dum impleta, omnino expirant: *L. unica, ff.* §. *Autem* 7. *Cod. de caducis tollendis*; id quod intelligitur, quando res legata principaliter legata est intuitu ipsius personæ, uti si dotem Mariæ leges, eo quòd fideliter, & piè tibi servivit, (quòd est intuitu personæ legare) tunc, ea mortua, legatum expirat; secus autem, si non personæ ipsius intuitu, sed solùm ob aliam causam, putà pietatis, dignitatis, &c. tunc nanque, legataria mortua, non expirat legatum, sed puella alia dotanda erit, cùm pietatis motivum, & causa adhuc subsistat; id quod ex communi docet *Abbas in cap. Nos quidem de Test am.* constatque ex à nobis jam alibi traditis, magisque ex infra ponendis constabit.

12 De legatis *sub modo*, vel in diem, ac *sub conditione* de præterito, ac de præsenti, & de legatis ex errore, vel incertitudine nobis hîc non est cura; quia parum, aut nihil proficuum in se habent, & quoniam de illis constare poterit ex jam à nobis alibi dictis, maximè ubi de contractibus, ac promissione gratuita, & aliquid de illis legi poterit *apud Lugonem tom* 2. *de Just. Disp.* 24. *Sect.* 9. *à num.* 142. *apud Fagundes de Translat. dominii, lib.* 6. *cap.* 5. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *Disp.* 8. *ac lib.* 8. *Disp.* 21. *& Dicastill. lib.* 2. *Tract.* 19. *Disp.* 3. *Dub.* 14. unde solùm sermo noster erit circa legata absoluta, ac præcipuè circa conditionata propriè talia; solùmque hîc adnotandum diligenter venit circa legata Propositionem sequentem ab Alexandro VII. extare damnatam, quæ sic se habebat: *Annuum legatum pro Anima relictum non durat plus, quàm per decem annos*; circa quam vide scribentes de illa, & videas *Dianam Coordinat. tom.* 2. *Tract.* 1. *Resol.* 17. *ac tom.* 6. *Tract.* 8. *Resol.* 26.

SUB-

SUBLECTIO.

Aliqua deducuntur, vel inferuntur ex dictis, per quod magis explicatur tradita doctrina, solvuntur & alia.

13 EX hactenus traditis deducitur, vel sequitur primò legatum esse partem Testamenti, non quidem substantialem, sed solùm accidentalem, sive accessoriam, Testamentum nanque quo ad essentiam, sive substantiam optimè sine legato ullo consistere valet. *L. 1. §. Qui neque legaturus, ff. de hared. instituend.*

14 Secundò legatum duobus modis fieri posse, uno in legatarium verba dirigendo ita: *Lego, vel relinquo* 100. *aut* 1000. *&c. Petro, vel Paulo, aut Monasterio, Ecclesiæ tali*; altero verba in hæredem ordinando, eum rogando, ei vel præcipiendo ita: *Rogo, aut jubeo ut hæres meus* 100. *vel* 1000. *&c. det Petro, aut tali Monasterio, Ecclesiæ, &c.* Et legatum fideicommissum particulare vocatur, & quidquid de legato dicitur, etiam dicitur de fideicommisso particulari, de quo legatur *Molina tom. 1. de Just. Disp.* 193. ¶ Insuper legatum, sicut & fideicommissum possunt quibuscunque verbis relinqui, & quocunque sermone, sive Latino, aut vernaculo, sive vulgari. ¶ Imò solo nutu relinqui valent. *L. Nutu, ff. de legat.* 3. quia sola in legatis, & fideicommissis voluntas spectatur. *L. penult. ff. de legat.* 1. ac de voluntate constante verba non inspiciuntur. *L. Hæres meus, §. Cùm ita, ff. ad Trebell. L. Cùm verum de fideicomm.* ¶ In dubio autem à verbis non est recedendum. *L. Non aliter de legat.* 3. *& L. Si alii de usufructu legato.* Legatur Mantica de Conject. lib. 8. tit. 1.

15 Tertiò non solùm in Testamentis, sed etiam in codicillis legatum, vel legata posse relinqui; unde quo ad hoc testari, & codicillari æquiparantur, & qui potest testari, aut codicillari, potest etiam legare, fideique commissum relinquere, & qui hoc non potest, nec etiam legare valet. *L. Sciendum*, ubi Barthol. ac omnes scribentes, *ff. de legat.* 1.

16 Quartò quòd, si testator in ipso actu testandi, vel vita comite, rem legatam legatario tradidit, non ex eo legati rationem amittit, proindeque revocari valet; sed si absolutè donavit Testamentum non adimplere intendens, tanquam donatio inter vivos habenda erit, sicque per aliud Testamentum postea factum revocari non poterit. *Molina de Primog. lib. 4. cap. 2. num.* 18. *Covar. in Rubr. de Testam. 2. P. in fin.* & alii.

17 Quintò quòd, licèt secundùm Jus commune nullum legatum, quodcunque illud sit, (si legatum ad causas pias excipiatur, vel quando in Testamento appositа est clausula codicillaris) valeat, in quo hæres hæreditatem non acceptavit, quia tale Testamentum censetur nullum, *L. Nemo, ff. de Testam. tutel. ac L. 1. §. Additum, L. 24. Tauri*, & cum Anton. Gom. & à Costa adnotarunt Salmant. tom 3. Tract. 14. cap. 5. P. 13. num. 172. nihilominus juxta Castellæ Jus valet Testamentum quo ad legata, & alia in eo disposita, esto hæres hæreditatem non acceptet, & esto in Testamento nullus instituatur hæres, prout aiunt, ac probant cit. in num. Salmant. legendi. Et

18 Si juxta Jus Lusitanum loquamur, valent legata, & si Testamentum sit nullum; ita decernitur lib. 4. Ordinat. tit. 82. §. 1. ibi: *Tal Testamento he por Direyto nenhum, e de nenhum vigor, quanto á instituiçaõ, ou desherdaçaõ nelle feyta; mas os legados contendos no dito Testamento seraõ em todo caso firmes, e valiozos, em quanto abranger a terça do testador assim, e taõ compridamente, como se o Testamento fosse bom, e valiozo por Direyto.* Hæc ibi, & infra §. 2. *Ficará o Testamento nenhum, e haverá o filho toda a herança do pay, ou mãy, se a quizer haver; porèm pagará os legados contendos no Testamento pelo modo sobredito.* Sed ut hæc pleniùs intelligantur, legatur ibid. §. 3. 4. & 5.

19 Sextò legatum incapaci relictum pertinere ad hæredem, quando respectu personæ incapacis, vel ejus personâ attenta, fuit relictum. *L. Si in metallum, ff. de his, quæ pro non script. habentur, & L. Pater, §. Fideicomm. ff. de legat.* 3. E contrà verò, si relictum fuit incapaci, non propter ejus respectum, sive ejus personâ præcisè attenta, sed ob contemplationem Animæ defuncti, in hoc eventu, si deficiat illa persona, debet relictum in aliud opus pium converti, ut defuncti mens in effectu adimpleatur. *L. Legatum, & ibi scribentes, ff. de usufructu legato*, & cap. *Nos quidem per textum ibi: seu si ibi non potest de testib.* ubi notatur quod legatum relictum ad alicujus Ecclesiæ constructionem propterea caducum non fieri, quanvis locus ædificio non fuerit designatus, ac ibi Covar. & alii.

20 Si autem legatum relinquatur duobus, quorum unus legati est incapax, tunc pars illius non accrescit alteri, sed remanet penes hæredem. *L. Si Titio, ac L. Planè, §. Si conjunctim, ff. de legat.* 1. Si tamen aliquibus re conjunctis sub conditione relinquatur legatum, & antequam impleatur conditio, aliquis eorum decedat, tunc legatum debetur illi, vel illis, qui conditionis existentis in tempore superstites erant, & nihil eorum debetur hæredibus, qui ante conditionis eventum decesserunt *per L. Unis, §. Si autem, Cod. de caducis tollend.*

ac L. Si quis legat. §. fin. & L. Se conjunctim, ff. de legat. 3. Et

21 Juxta Jus Lusitanum legatarius, cui relictum est legatum, isque tacitè saltem à testatore est rogatus ut post ejus mortem tale legatum incapaci tradat, perdit legatum, Fisco que applicatur; ita lib. 2. Ordinat. tit. 26. §. 23. ubi sic legimus: *Item toda a cousa, que he deyxada em Testamento, Codicillo, ou ultima vontade a algum herdeyro, testamenteyro, ou legatario, ou fidecommissario, e elle he rogado tacitamente pelo testador de a entregar depois da sua morte a alguma pessoa incapaz; porque em tal caso aquillo, que assim he deyxado tacitamente por defraudar a ley, he applicado ao Fisco, e he feyto direyto Real.* Sic ibi.

22 Septimò legatum revocari posse per Testamentum postea factum, sicut Testamentum unum revocari potest per aliud. Et si testator eam rem semel Petro putà legatam alteri postea legavit, revocatum censetur legatum, quia voluntatem censetur mutasse. Item legata præsumuntur revocata propter inimicitias supervenientes inter legantem, & legatarium, de quo *Molina de Primog. lib. 1. cap. 9. num.* 38. Unde legatum tunc remanere debet apud hæredem ipsius legantis, etiam si testator non dixerit expressè se prædictum revocasse legatum. Ripa *in L. fin. 155. Cod. de revoc. donat.* Covar. in cap. *Raynut.* in princip. num. 7. de Test. Et hoc, licèt inimicitiæ ex ipsius testatoris culpa duxerint ortum. *Jason in L. Si filiam, num. 2. Cod. de inoffic. Testam.* Ripa ubi proximè, quod etiam verum esse dicitur, tametsi testator gravissimarum inimicitiarum causam ignoret, quoniam, inimicitiis illis stantibus, verisimile est ita voluisse testatorem, si inimicitiarum tenuisset causam. Costa in cap. *Si pater 1. verb. legavit, num. 32. de Testam. in 6.* Glos. in L. Fideicomm. Cod. de fideicom.

23 Item revocatur legatum, seu legatarius eo privatur, si legatarius ipse in testatorem contumeliosa protulit verba, uti si cucurbitam (vulgò *cornudo*) eum vocasset. Textus *in L. Si inimicitia, ff. de his, quibus ut indignis*, & ibi Glos. ¶ Item si legatarius in testatore ægroto curando fuerit negligens, ex tacita conjectura voluntatis testatoris. *L. 3. §. ult. de adimend. legat.* juvatque id, quod notatur *in L. Si ab hostibus, §. Si vir uxorem, ff. solut. Matrim.* ubi Angelus ait paria esse occidere, & ægrotantis curam non habere. Sed semper debet esse culpa lata, putà si Medicum vel non vocavit, aut imperitum adhibuit, perito habito alio; quia non in contingentibus, sed in substantialibus tunc, calus, peccavit; secus, si Medicum peritum adhibuit, & in quibusdam contingentibus negligenter processit. Bald. *in L. Quæ fortuitis, num. 13. Cod. de pignorat. act.*

24 Item revocatur legatum, si legatarius post testatoris mortem rem habuerit cum ejus uxore. Barthol. *in L. 1. ff. de his, quibus ut indign. num.* 3. & alii, eo quia injuria tam vivo, quàm mortuo fieri valet: *L. 1. § Et si fortè, ff. de injuriis*; ex quo vidua luxuriosè vivens propter offensam, quæ ex hoc marito infertur, filiorum tutelâ privatur, quam pater uxori in Testamento reliquit, nec non tutelâ legitima, atque dativa, circa quod legendus est *Mantica de Conject. ult. vol. & lib. 12. tit. 5. à num. 5.* ¶ Privatur legato, applicaturque Fisco, si in culpa, vel negligentiâ fuit quòd testator mortuus sit. ¶ Item privatur, tanquam indignus, si Testamentum surripiat. *L. Si legatarius*, & ibi Paul. Castrens. in Sum. Cod. de legat.

25 Octavò dominium rei legatæ, *si fictè* loquamur, statim à morte testatoris in legatarium transmitti; si tamen *verè* loquamur ab adita hæreditate per hæredem, (& tunc dicitur hæredem hæreditatem adire, quando ipse dicit: *Volo esse hæres*, vel *hæreditatem volo*, aut ipso facto hæreditatem ingreditur) ac etiam tunc transit jus ad legatarii hæredes. Et sermo est de legatis absolutis. ¶ Si legatarius ante testatorem moriatur, caducat legatum, nec ad hæredes legatarii transit. Et idem, si testator alicui relinquat legatum putans eum vivere, qui verè tamen mortuus erat. ¶ Idem, si legatarius ante acceptationem legati moriatur. ¶ Idem, si legatum relinquatur sub conditione pendenti de futuro, vel in diem, sive ad tempus determinatum, & antecedenter adhuc legatarius moriatur. Quæ omnia communia sunt. Legantur *Salmant. sup. num.* 173. ac ea, quæ dedimus *Tract. 26. cap. 3. Lect. 4. num.* 45. *& 76.*

26 Nonò legatarium de manu hæredis debere legatum accipere à die additionis hæreditatis, à quo die peti potest quòd, si postquam hæres hæreditatem adivit (secus, si antea) legatarius propria auctoritate, & inscio hærede (secus si sciat) totum legatum, vel illius partem accipiat, pœnâ punitur à Jure, ut amittat id, quod accepit, & tribuatur hæredi. *L. Non est dubium, Cod. de legat.* legatur Lugo Disp. 24. Sect. 9. num. 240.

27 Quibus autem expensis præstandum sit legatum? Dicitur quòd, si legatum consistat in re, pondere, numero, & mensurâ ingente, præstandum est in hæredis domicilio, vel ubi hæres maiorem rei hæreditariæ partem habuerit, quo non obstante, si legatum in re aliqua certa, ac in loco aliquo certo constituta consistat, ubi res sita est, peti potest, textus *in L. Non amplius, ff. de legat. 1.* atque ita expensis, & sumptibus hæredis erit tradenda; nisi fortè

servus

servus sit legatus, qui, adhuc testatore vivente, aufugit in remotam Urbem, vel Provinciam, nam tunc sumptibus, & periculo legatarii, cui legatus est, tradi debet, eo quòd rem legatam debet hæres præstare eo loco, in quo à testatore fuit relicta; textus *in L. Cùm res, ff. de legat.* 1. Si verò servus post testatoris mortem aufugit, tunc expensis hæredis est inquirendus, & tradendus legatario ipsi. Dicta *L. Cùm res sup.* legatur Cardoza in Praxi verb. *Legatum*, num. 40.

LECTIO II.

De Legatis conditionalibus.

28 LEgatum *sub conditione* de futuro contingenti eodem ferè modo se habet, ac hæredis institutio, etiam sub conditione facta (de quo jam in suo loco) ita, quòd fieri possit, & valeat, si honesta sit, & possibilis, protestativa, causalis, aut mista; si autem turpis, vel impossibilis pro non adjecta sit habita, consequenterque etiam conditione deficiente legatario debeatur legatum, eo modo, ac si absolutè, & sine ulla conditione ei fuisset relictum; quo scito, & supposito, de Legatis sub conditione relictis hîc agendum venit, licèt de illis erit ac etiam fortè in sequentibus sermo.

29 Dicitur ergo primò quòd, licèt probabile sit quòd legatum pro maritandis virginibus, ita sub hac conditione relictum, putà: *Relinquo, vel lego* 100. *aus* 1000. *Mariæ, si de patris licentia nupserit*, non valet, nisi talis conditio exequutioni mandetur, eo quòd dicta conditio justissima, & honestissima est, voluntas nanque patris matrimonio non repugnat, & Lex multum de patre confidit, ac injustum judicat filium, vel filiam sine patris consensu matrimonium contrahere, neque relinquitur credi quòd pater (si prudens, & non eum ambitio aliqua ducat) filios impediat, le seque opponat contra matrimonium decens, subindeque justa à filio non auferetur libertas, sed injusta ad sine ejus licentia contrahendum; pro qua parte stat Sylvester in Sum. verb. *Matrimonium* 3. num. 4. Flores in Addit. ad Gamam Decis. 316. aut 317. citans Menoch. tenetque Mantica de Conject. ult. volunt. lib. 11. tit. 18. à n. 8. plures & alii; licèt, inquam, hoc probabile sit,

30 Contraria tamen sententia probabilior est, & tenenda: nanque, ut vidimus alibi, obligatio obtinendi licentiam à parentibus libertati ad Matrimonium requisitæ repugnat, & ex consequenti rejicienda est, ac ut turpis conditio habenda. Ratio est: quia Leges, Jura, vel conditiones similes reprobant, ut libertati matrimonii contrarias, prout probat Gama Decis. 314. num. 4. Molina de Primog. lib. 2. cap. 13. num. 35. & alter Molina tom. 1. de Just. Disp. 207 vers. *in hoc tamen Regno* ibi tradens sic à Lusitano Senatu judicatum fuisse; *Vasques in Controv. Illustrib. lib. 3. cap. 94 á num.* 14. multique alii; cùm igitur dicta conditio matrimonii libertati repugnet, quod debet esse libera voluntatis, eo quòd perpetuæ servituti addicatur homo, ea cõditione non obstante, legatum consequitur, & ideo quanvis filius patri subesse debeat, non tamen ita ut servus, sive mancipium; quemadmodum diceretur subesse, si de patris licentia matrimonium contrahere cogeretur, prout optimè ponderat sapientiss. *Sotus in* 4. *Dist.* 28. *Art.* 1. *in fin. ac Petrus Sotus de Matrim. Lect.* 4 *post Div. Thom. in* 4. *Dist.* 29.

Sed pro re audiatur Angelus Doctor, (qui lux est omnium in materia omni, & melius, quàm alii semper nos edocuit) ipse enim in 4. Dist. 28. Art. 3. ad 1. (legendus ac etiam Dist. 38. Q. 1. Art. 1. Quæst 3. ad 2. & 22. Q. 104. Art. 5. in corp.) sic habet: *Dicendum quòd puella non est in potestate patris, quasi ancilla, ut sui corporis potestatem non habeat, sed qua filia ad educandum, & ideo secundùm hoc, quòd libera est, potest se in potestatem alterius absque consensu patris dare, sicut etiam potest aliquis, vel aliqua intrare Religionem absque consensu parentum, cùm sit persona libera*; & iterum ibid. Dist. 29. Art. 4. in corp. sic ex eo legimus: *Dicendum quòd, cùm in Matrimonio sit quædam quasi servitus perpetua, pater non potest cogere filium ad Matrimonium per præceptum, cùm sit libera conditionis; sed potest eum inducere ex rationabili causa, & tunc, sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris, ut si illa causa cogat de necessitate, vel honestate, & præceptum similiter cogat; aliás non*; & iterum ibid. ad 3. ita: *Dicendum quòd parentes non debent jurare, nisi sub illa conditione, si illis* (filiis) *placuerit.* Ex quibus omnibus bene perpensis, seduló, attentèque meditatis, clarè devincitur quàm vera sit dicta nostra resolutio data.

31 Libenter admittimus tamen quòd, si legatum fuerit relictum sub conditione contrahendi de consilio patris, tale onus rejiciendum non est, sed admittendum, quia justus facere aliquid cum consilio patris, vel alterius, solùm tenetur consilium petere, non tamen eo petito, illud sequi tenetur, prout ex ferè omnibus Theolog. tenet, ac probat *Sotus* ubi proximè, & ex professorib. Juris Pontificii *Navar. in Manual. cap.* 14. *á num.* 15. *ac Mantica sup. tit.* 18. *num.* 10. In matrimoniis nanque consanguineorum, & amicorum consilium requirere libertati matrimonii nullo modo repugnat,

pugnat, uti colligitur *ex L. 1. ac L. Vidua, Cod. de nupt.* hancque opinionem tradunt Iason *in L. Turpia, num. 4 de legat.* Decius *in L. Familia, num. 38. de Reg. Jur.* Covar. in Epitom. de Matrim. cap. 3. §. 8. num. 3. & alii.

32 Quòd si acciderit ut moriatur ille, à quo consilium peti debebat, antequam consilium ab eo requisitum fuerit, probabilius est non amitti legatum, quoties per legatarium non stetit, quominus conditio esset adimpleta; pro quo legendus est Mantica de Conject. ult. vol. lib. 1. tit. 18. num. 11. verl. *Sed ego contradico,* ac Molina de Just. tom. 1. Disp. 206. fol. 1260. Sanch. lib. 1. de Matrim. Disp. 34. num. 27. ubi num. 26. docet, si is, cujus consilium requiritur, absens sit, periculumque sit in mora, posse tunc expediri actum absque ejus consilio, docent & alii.

33 Secundò dicitur quód, si conditio sit nubendi alicui, vel aliquibus viris, ita ut moraliter loquendo liberum fœmellæ, vel fœminæ sit nubere aliis, prout sibi magis placuerit, tenet conditio, quod est verum, nisi fœminæ per modum pœnæ auferatur legatum, si cum aliquo matrimonium contrahat, in hoc enim casu conditio per modum pœnæ apposita non sustinetur, sed rejicitur, habetur *in L. Titio, §. Titio de condit. & demonstrat.* tenetque Molina sup. Disp. 207. fol. 1265. ac Mantica ubi sup. num. 3. Et

34 Ipse Mantica ibidem subdit posse testatorem alicui auferre legatum, vel hæreditatem sub conditione, si certo personarum genere contraxerit matrimonium, de quo & Oldrad. Consil. 16. num. 1. sequitur Felin. in cap. 1. num. 19. circa med. de Sponsal. Roland. de Lucro dotis, Q. 31. num. 9. ¶ Et idem est, si conditio sit: *Si non nupserit Petro,* vel *Paulo,* aut *Joanni*; tunc enim conditio tenet, & amittitur legatum, vel hæreditas, sub tali conditione relictum, si cum eorum aliquo nupserit, quia per talem conditionem matrimonium absolutè non prohibetur, cùm cuilibet alteri commodè nubere valeat, id quod est juxta *L. Cùm ita* 63. *ff. de condit. & demonstrat. cit. que L. Titio.* ¶ Tenet ac etiam conditio, si fit quòd cum tali designata fœmina, vel viro designato nubat, quia etiam tunc non impeditur matrimonium, sed determinatur persona, & id verum; & si, primo matrimonio soluto, (contracto scilicet cum alia persona designata distincta) cum designata à testatore nubere velit, quia extinctum est legatum, cum primo cum designata non nupsit, & postmodum non revixerit.

35 Sed adverte quòd quando conditio apponitur ad contrahendum personam designando, matrimonium debet esse licitum, & honestum, atque factum cum persona digna, alioquin rejicienda omnino est talis conditio, ac solvendum legatum, quoniam tunc conditio illa habetur ut turpis, vel impossibilis de Jure, sicque pro non adjecta habetur. *L. Cùm ita, ff. de condit. & demonstrat.* ex quo infertur legatum virgini relictum, ut nubat Joanni, non amitti, si ejus pater nolit, eo quód honestè non nubit absque voluntate, vel contra voluntatem parentis nubendo. *Sanch. de Matrim. lib. 1. Disp. 33. num. 10. 11. 13. ac 19. Molina Disp. 206.* cum quibus, & aliis *Salmant. sup. num. 181.* Semper enim quòd ex parte legatarii non stat quòd apposita conditio non impleatur, non amittitur legatum, ut dictum manet, constat & insuper *ex L. Sed si hoc* 62. *cum duab. seqq. ff. de condit. & demonstrat. juncta L. Hoc modo* 64. *ff. Cod.*

36 Dicitur tertió quód, si legatum relictum fuerit alicui fœminæ, (& idem est, si relictum fuerit viro) quæ nunquam juncta fuit matrimonio, *sub conditione, quòd non nubat,* vel *si non nubat,* aut *si in statu Cœlibatûs maneat,* habetur pro non adjecta talis conditio; legataria persona subinde capit, vel capere debet totum legatum, & si nubat, est communis, ac vera, & ex allatis Juribus liquet.

37 Dictum est: *quæ nunquam juncta fuit matrimonio,* nam si legatum relictum fuerit viduæ sub conditione prædicta, tenet conditio, & si vidua (idem de viduo) nupserit, amittit legatum, quód si vidua (vel viduus) testatore mortuo, legatum, vel hæreditatem petierit antequam nubat, ei tradi non debet, nisi prius cautione præstita, quód si nupserit hæreditatem, vel legatum cum omnibus fructibus, vel eorum valore, ex eo perceptis, restituet. ¶ Et est notandum per fornicationem legatariæ non amitti dictum legatum, eo quia conditio solùm dicit, vel petit quòd non ad secundas perveniat nuptias, & conditio sumenda, explicandaque est juxta verborum significationem, & non aliter. Et ea, quæ hoc, ac antecedenti num. diximus, constant *ex Authent. de nupt. §. Quæ verò, col. 4. Authent. Cui relictum, Cod. de indict. viduit. toll. docentque á Costa in L. Cùm tale, §. Si arbitratu, Limit. ult. num. 1. ff. de condit. & demonstrat.* Mantica de Conject ult. vol. lib. 11. tit. 19. num. 2. Sanch. de Matrim. lib. 7. Disp. 91. num. 47. Gomes, Covar. & plures alii, ac cum multis legendi Salmant. sup. num. 182.

38 A Costa autem ubi nuper Limit. 10. num. 8. circa legatum virgini relictum sub hac conditione: *Si nuptias non contrahat, vel arbitrio Petri putá nupserit,* dubitat an valida sit, vel teneat talis conditio? Sed *Mantica ubi sup. tit. 18. num. 7. Tiraquel. de Privil. pie cause, Privil.*

vil. 18. & alii asserunt dictam conditionem non rejici, sed favore piæ causæ valere; id quod probabile.

39 Item probabile est valere conditionem, ut fœmina *ante vigesimum quintum annum non nubat*, eo quòd ante eam ætatem grandis, vel longa non censetur mora, docet *Henriques in Sum. lib.* 11. *de Matrim. cap.* 6. *num.* 6. ¶ Secus autem, si matrimonium in tam longum tempus differretur, ut moraliter virgo non de facili virum inveniret, cum quo matrimonium iniret, quia tunc quasi in nuptiarum fraudem talis conditio judicatur, & extat appositа, ac ideo ut talis rejicienda, *argum. L. Cùm ita legatum*; *& L. Hoc modò, ff. de condit. & demonstrat.* docetque Mantica sup. num. 8. & alii plures.

40 Sed circa legatum illud viduæ relictum sub conditione, *si ad secundas non transierit nuptias, vel si castè vixerit*, adhuc ex citandis notandum venit quòd talis vidua legatum, vel hæreditatem amittit, ad secundas transiens nuptias, si legatum, vel hæreditas sibi relicta fuerit à suo viro, vel à consanguineo viri, ejus propinquo, aut valde amico, vel ab aliquo alio, cujus intererat ob honorem mariti viduam illam in mariti honorem castitatem servare, vel ad secundas nuptias non ire. ¶ Secus, si legatum illud relictum sit ab alio, cujus id non interfit, vel à patre, matre, fratre, aut consanguineo viduæ; ita *Molina legendus de Just. tom.* 1.. *Disp.* 207. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *Disp.* 91. *à num.* 16. qui notat legatum supradictum non amitti, si conjux, vel maritus primum matrimonium non consummasset, licèt vidua ad secundas transiret nuptias. ¶ Si verò uxor è contrario legatum viro suo relinquat sub ea conditione: *Si castè vixerit*, vel *si viduus permanserit*, non illud ille per secundas nuptias amittet, tertias, quartas, & ulteriùs, docet *Sanch. sup. Disp.* 89. *num.* 54. *ac Disp.* 91. *num.* 34. *Barbosa tom.* 2. *initio* 1. *P. num.* 98. *ff. soluto Matrimon.* & alii. Legatur 3. *P. Tract.* 20. *Lect.* 4. *num.* 35. *ac* 36. *& Diana Coordinat. tom.* 6. *Tract.* 8. *Resol.* 53. *ad* 55.

41 Quartò dicitur quòd, si legatum fuerit relictum sub conditione, *ut castè, & honestè vivat*, non amittitur, & si legataria fœmina matrimonium ducat, quia in matrimonio etiam castè, & honestè vivitur. Ita cum multis *Salmant. sup. num.* 183. ibi adnotantes legatum relictum à marito uxori, vel ab alio, distribuendum fœminis honestæ vitæ sub conditione, *ut castè, & honestè vivant*, amitti per copulam illicitam, ac per oscula, amplexus, & tactus impudicos, non tamen per unam, vel alteram copulam, unum, vel alterum osculum, amplexum, vel tactum lascivum, quoniam ex communi modo loquendi illa non dicitur inhonestè vivere, quæ unam, vel alteram copulam, aut unum, vel alterum actum lascivum admittit. Legatur *Fagund. de Just. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 32 *ac legatur* 3. *P. ubi sup. num.* 37.

42 Dicitur quinto quòd, si vir uxori suæ legatum reliquerit sub hac conditione: *Si cum filiis meis commorata fueris in domo mea*, vel ita: *Si lectum meum custodieris*, uxor illud per transitum ad secundas nuptias amittit, eo quòd per talia verba secundæ nuptiæ dictæ viduæ interdictæ censentur, habent & filii causam justissimam se separandi ab habitatione cum matre, ac per illos non stetit separatio talis, sed solùm per illam, vel quia, dum vir legatum tale uxori suæ reliquit propter habitationem cum filiis, videtur educationi speciali filiorum prospicere, quam eis mater secundo nubendo dare non potest, cùm potiùs ad mariti, quàm ad filiorum curam attendat, ut monstrat experientia ipsa, neque defuncti filii per domos extraneas eam sequi tenentur; & quia tunc non servatur inviolatus torus prioris conjugii, uti voluit vir, qui ipsi legatum reliquit, ac ita Sanch. tom. 2. de Matrim. lib. 7. Disp. 91. num. 21. & 23. Mantica de Conject. ult. vol. lib. 11. tit. 19. num. 25. patetque *ex Authent. de non eligend. secundo nubent.* §. *Cùm igitur.* Legatur 3. P. ubi suprà num. 38. ac 2. P. Tract. 12. cap. 1. Lect. 4. num. 30. ad 78.

SUBLECTIO I.

Prosequitur materia præcedens.

43 SExtò dicitur quòd, si legatum relictum fuerit ad nubendas virgines, viduas, vel fœminas orphanas, ei dari potest, quæ Religionem ingredi vult, & de facto ingreditur, (nisi expressè contrarium de testatoris voluntate constet) hæc enim testatoris voluntas prudenter præsumitur. ¶ Et idem, si testator expressè dixerit: *Si nupserit, & filios habuerit, aut absolutè: si nupserit*, nullo posito alio addito; constat, vel colligitur *ex Authent. de Sanctiss. Episcop.* §. *Et hoc præsenti, col.* 9. *Authent. Nisi rogati, Cod. ad Trebell.* docentque Molina sup. Disp. 267. Sanch. de Matrim. lib. 1. Disp. 33. num. 29. cum plurimis Covar. 1. Variar. cap. 19. à num. 7. ad 11. Menoch. lib. 4. Præsumpt. 83. à num. 65. & alii plures. ¶ Et id verum esse dicitur, non solùm quando præfatum legatum determinatæ personæ, puta Mariæ, relinquitur, sed etiam quando generaliter ad nubendas virgines, &c. est relictum, ac ita cit. & cum multis aliis Salman. omnino legendi sup. P. 13. §. 2. num. 184. 185. Et circa dicta legi etiam potest Lom.

tom. 3. ad Constitut. Apostolicas Constit. Innocent. IV. incipienti *Solet annuere*, Sect. 2. ubi de hoc reperies aliqua pulchra. Et Diana Coordinat. tom. 6. Tract. 8. Resol. 42. ad 46.

44 Et hîc notandum quòd quando legatum factum est determinatæ personæ, putà *Mariæ*, considerandum est an intuitu præcisè personæ, nunquid verò pietatis intuitu relictum fuerit, scilicet in remedium Animæ, quòd si factum fuit in favorem Animæ, deficiente legataria personâ, tunc legatum in simili opere pio expendendum erit: *argum. L. Legatum, ff. de usufructu.* Si verò factum fuit personæ intuitu, ad piam causam respectum non habet, sicque legatariâ deficiente, legatum expirat, & remanet apud gravatum. *L. 1. Cod. de caduc. toll. §. Si autem.* ¶ Et in dubio favore piæ causæ legatum in aliquo opere pio expendi debet.

Si autem legatum relictum fuerit ad nubendas orphanas, illis dari potest, quæ, licèt parentes habeant, inutiles (eo quia pauperes) omnino sunt ad earum remedium, quia tales parentes quo ad intentum reputantur, & sunt, ac si parentes non essent, atque adeò tales virgines ut orphanæ reputari possunt, & debent. Istis concurrentibus tamen cum illis, quæ veræ orphanæ sunt, verèque parentibus carent, istæ illis sunt præferendæ, eo quòd sic melius, & aptius salvatur testatoris intentio, melioùsque ejus voluntas impletur. Legatur *Trulbench. lib. 7. cap. 18. Dub. 12. num. 15. ac Diana Coordinat. tom. 6. Tract. 8. Resol. 44. 45. & 46. ac Salmant. sup. num. 187.*

45 Dicitur septimò quòd, si legatum pro maritandis fœminis fuerit relictum, & à testatore dicatur: *Detur 100. ad puellas dotandas*, puellæ etiam jam maritatæ legatum illud consequi valent, si sine dote duxerunt, vel cum parva, aut modica dote quando viri egestas ad ferenda matrimonii onera non est satis, quia adhuc causa pia subest, quæ pertinet ad legatum, instantque matrimonii onera, quæ pertinent ad dotem, ac ideo verè est dotare. Cum aliis *Sanch. de Matrim. lib. 7. Disp. 91. num. 63.* ¶ Si autem relictum est legatum pro dotandis, vel maritandis puellis in plurali, aut in generali, & non alicui determinatæ personæ, tale legatum jam maritatæ conferri non valet, eo quòd legati verba non verificantur, cùm puella illa maritanda non sit, sed jam sit maritata. Cùm aliis *Sanch. sup. num. 64. Mantica de Conject. ult. vol. lib. 12. tit. 1. num. 13. Trulbench. lib. 7. cap. 18. Dub. 12. num. 15. & alii apud Salmant. sup. num. 188.* ibi adnotantes aliud esse, si relictum esset legatum ad dotandas virgines, vel fœminas pauperes, hoc enim (aiunt) si posset etiam jam nuptis, sed absque dote, vel dote competenti, quia hæ verè pauperes sunt, & indotatæ, id quod est illud primum, quod sub hoc num. jacet.

46 Quòd si legatum sit factum pro maritanda aliqua fœmina, vel fœmella in particulari, ipsaque tempore conditi Testamenti jam maritata erat, debetur legatum, (contrarium tenet *Mantica*) imò debetur, quanvis nubat, adhuc testatore vivente. Ratio est: quia legatum hoc factum videtur ob specialem affectum illius personæ, quæ affectio, qui vel affectus cùm non extinguatur, quin potiùs duret, testatore vivente, sive sciente, aut ignorante nuptias jam factas, dicendum est non extingui, sed stabiliri legatum. Cum aliis *cit. Sanchez num. 65.* Et hinc

47 Resolvitur ab eodem *Sanch. ibid. num. 66.* quòd, si testator in suo Testamento dispositi, ac mandavit hæredi suo quòd ex hæreditate sibi ab eo relicta singulis annis in perpetuum pro dotandis, vel maritandis fœmellis *centum* insumeret aureos, addita clausulâ, *si aliqua ex meis consanguineis, vel affinibus nubat, volo ut ex illis centum ei sexageni tradantur aurei, & omnibus aliis præferatur.* Accidit quòd Maria, una ex consanguineis dòmini testatoris, nupsit, & quia de tali legato illi non constabat, illud non exigit; annis verò jam quinque, putà elapsis, de tali legato notitiam habens, petit quòd ex legato hoc anno expendendo ei illud, quod ei relictum est, detur, ac dari debere resolvit *cit. Sanchez*, tum quia jus petendi, quando nupsit, habebat, & si non petiit, fuit, quoniam id ignorabat tunc, quia affectionis adhuc militat ratio; tum quia, nisi detur isti, quia jam nupsit, dabitur extraneæ alteri, quæ hoc anno nubet, & non relinquitur credi testatorem voluisse ignorantiam legati præjudicare consobrinæ, seu consanguineæ suæ ad exclusionem.

48 Octavò dicitur quòd, si legatum relictum est pro fœminis maritandis, dari valet fœminis viduis nubere secundò volentibus, si fœminæ aliæ nubiles ætate non adsint; quoniam tunc præsumi potest hujusmodi legatum viduis testatorem voluisse tradi. Si tamen legatum relictum fuerit pro certa, determinataque fœmina maritanda, expectandum est, donec ætate completa ipsa matrimonium contrahat, habet enim jus, ut sibi tale legatum solvatur juxta testatoris mentem, qui eam elegit, & designavit; sed si nubiles aliæ fœminæ adsint in casu, quo fœmina à testatore non sit designata, legatum ad fœminas maritandas relictum nunquam viduis ad secundas nuptias pervenire volentibus conferri valet, quia tunc nomine fœminæ in matrimonio collocandæ solùm intelligitur ea, quæ nunquam maritum cognovit, vel invalidè nupsit, aut matrimonium

nium non consummavit: *L. Hoc sermone, ff. de verb. signif.* tenetque Mantica lib. 8. tit. 5. num. 21. docent & alii apud Salmant. sup. num. 189. ibi notantes legatum relictum mulieribus pauperibus, tam virgines, quàm viduas comprehendere, in quo nulli dubium extat. Legatur Diana ubi sup. Resol. 41. §. *Quartò legatum*, & Resol. 44. §. *Sed circa, vers. quintò legatum*, ac Resol. 45. §. *Notandum est hic obiter.*

49 Dicitur nonò quòd, si legatum relictum sit pro maritandis virginibus, corruptis dari potest, si communiter pro virginibus, & non corruptis sint reputatæ. *L. Librorum*, §. *Quod autem Cassius de legat.* Et hoc præcipuè, si ob negationem legati talis fœmina infamiam patiatur aliquam, tunc enim, casus, hæc, & non alia testatoris voluntas prudenter præsumitur, esseque censetur. ¶ Utrùm autem fœmina illa corrupta solicitare possit, ut sibi legatum detur illud, quod pro virginibus relictum extat? Est pro utraque parte probabile, sed probabilius est posse, ac maximè, si occultus fuerit defectus. Diana sup. Tract. 7. Resol. 60. §. *Adde posse*, & Tract. 8. Resol. 44. §. *Nota etiam*, ac ibid. Resol. 53. §. *Confirmatur hæc opinio*, citatque plures, & ideo legendus. Salmant. sup. num. 190.

50 Legatum pro naturalibus relictum dari posse ibi habitantibus, licèt alibi natis, si per decennium ibidem habitarunt, & de animo ibi permanendi non constet, habentibusque animum ibi perpetuò manendi, statim ab initio dari posse, quia ab initio, animo eo supposito, domicilium ibi acquisiverunt; cum Sanch. & aliis dixerunt Salmant. legendi sup. num 186. tacitque doctrina allata apud Dianam sup. Tract. 8. Resol. 44. §. *Sed circa*, vers. *quartò legatum*, ac Resol. 48. §. *De hoc casu sæpius*, & Resol. 45. §. *Nota quintò*, ac *Nota sextò*.

51 Si testator dixerit: *Heredem instituo fratrem meum in Sacris Ordinibus constitutum, & si sine liberis ipse decesserit, mea omnia bona perveniant ad Confraternitatem Deiparæ, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli*, tunc, casus, filios spurios ejusdem Clerici omnia illa bona sibi obtinere, dictamque Confraternitatem excludere à tali legati obtentione, judicatum fuisse in supremo Lusitano Senatu, testatur Phœbus tom. 1. Decis. 52. Ab hac tamen sententia supremi Senatûs multi, & non infimæ notæ recesserunt DD. sequentes Barthol. *in L. Heredibus*, §. *Titius, num.* 4. *Ripam in L. Ex pacto*, §. *Si quis rogatus* 19. *ff. ad Trebell.* Paul. Castrens. *in L. Si quis posthum.* 3. legendus est Phœbus.

52 Decimò dicitur quòd, si legatum sub ista conditione fuerit relictum, *si Religionem ingrediatur*, debetur legatario, bona fide ingredienti, & si intra annum Novitiatûs exeat justa de causa, quia videlicet ei vita ea, viribus suis attentis, non congruit, nec convenit, &c. (contrarium habetur *apud Fagundes de Just. lib. 1. cap. 8. num* 14.) ac est ratio: quoniam Religionem ingredi, in eaque profiteri res sunt valde diversæ, sicut diversum valde est votum ingrediendi Religionem, & votum profitendi in ea: si ergo bona fide, profitendique verò animo legatarius ingrediatur, ac postea à Religione exeat justa de causa, optimè conditioni ingrediendi à testatore petitæ satisfacit, consequenterque legatum comparat. ¶ Dictum est: si bona fide, &c. nanque, si mala fide, & animo solùm comparandi legatum fuerit ingressus, ac postea exeundi, nullatenus comparabit illud, neque justè ipsum retinere valebit; nam credendum est legantem juxta Jus legavisse; Jus autem Concilii Tridentini Sess. 25. de Regular. cap. 15. & 25. solùm exigit bonam fidem in ingrediente, ut voto à se facto ingrediendæ Religionis satisfaciat. Et hujus sententiæ sunt plures apud Fagundes sup. num. 15. ac lib. 6. cap. 5. num. 49. tenetque Sanch. lib. 1. de Matrim. Disp. 34. num. 16. Mantica de Conject. lib. 6. tit. 11. cum multis Diana sup. Tract. 8. Resol. 50. §. *His tamen*, & *Limita tamen* legendus. Et hæc sunt hîc probabiliter dicta. Legatur in 2. hujus Breviarii Parte Tract. 12. cap. 1. Lect. 4. num. 73.

53 Dicitur undecimò quòd, si quis legatum alicui reliquit sub ea conditione, *quòd, si nupserit, mille ei dentur, si autem Religionem ingrediatur, bis tantùm centum*, & legatarius Religionem fuerit ingressus, non tantùm bis centum, sed mille debent ei dari. Ita cum plurimis legendus omnino Diana sup. Resol. 41. §. *Sextò, si quis legaret*, & Resol. 44. §. *Et tandem pro coronide*, ac tom. 9. Tract. 2. Resol. 220. §. *Ex quibus*, vers *Et ego etiam puto*, ac juxta Molinam de Just. tom. 1. Disp. 207. §. *Bartholus.* Communior Jurisperitorum sententia extat. Legatur in 2. P. hujus Breviarii Tract. 12. cap. 1. Lect. 4. num. 81. lege & totam illam Lectionem 4 ubi plura ex hic dictis, & alia reperies; & adhuc in Lect. seq. de Legatis conditionalibus aliqua erunt.

LECTIO III.

De Legatis absolutis, ubi & permiscuè de aliquibus aliis conditionalibus.

54 QUid sit legatum purum vidimus sup. num. 9. hîc autem de eorum aliquibus venit agendum. Unde ambi-

ambigitur primò an, si quis hæreditatem relinquat alicui cum onere ut Monasterio, vel Ecclesiæ alicui tot aureos, putà decem (vel quid aliud) det in perpetuum per singulos annos, tale onus duret post centum annos, consequenterque teneatur hæres post illos aureos eos solvere decem? Variarunt DD. *apud Dianam cit. Tract.* 8. *Resol.* 26. Sed hodie firmissimè affirmativè tenendum cum *Bonac. & Homo bon. á Diana* ibid. adductis (& pro hoc primum facit illud, quod adnotavimus *sup. num.* 12. *in fin.*) *qui ibid. Resol.* 45. cum aliis resolvit quòd legatum relictum pro liberatione incarceratorum in quolibet anno expendi potest in impediendo, nè quis in carcerem detrudatur, quando certum est proximè detrudendum, nisi legato illi subveniatur. Sic ipse ibid. §. *Nota tertiò*, ac ibidem §. *Nota quartò* cum multis aliis resolvit legatum post quatuor putà menses distribuendum pauperibus, ante diem, & tempus designatum distribui posse; quòdque si quis legavit annuum censum, singulis annis pauperibus distribuendum, juxta beneplacitum suorum testatorum posse ipsos semel totam illam quantitatem cum suis redditibus distribuere, applicando illam alicui, putà Hospitali, vel Monasterio, ut illis fruatur in perpetuum, qui pro hoc legendus ac etiam *ibid. Tract.* 9. *Resol.* 62. Et iterum ipse dicta *Resol.* 45. dicit ex aliis quòd legatum pro fabrica Ecclesiæ relictum pro ornamentis, & aliis cultui Divino necessariis expendi potest.

55 Secundò ambigitur an legatum relictum pauperibus viduis, pauperibus cælibem vitam gerentibus ab Exequutoribus testamentariis conferri valeat? Affirmativè respondet *Diana cit. Tract.* 8. *Resol.* 48. ubi omnino legendus; apud quem *ibid. Resol.* 51. *ac* 52. reperies an valeat legatum profanum, quando incertum est quis sit legatarius, & cuinam sit dandum?

56 Ambigitur tertiò an, si quis hæres, vel Testamenti Exequutor teneatur ex vi Testamenti ab altero facti distribuere per singulos annos centum ducatos pro maritandis pauperibus fœminis, quas ipse elegerit, & ipse habeat pauperem famulam, cui ex servitio quinquaginta putà debeat, tutò possit cum illa inire contractum, ut ipsa ei quinquaginta remittat, ac ipse ei legatum illud centum ducatorum præstabit tempore eo, quo ipsa matrimonium contraxerit? Affirmativè resolvitur *apud Dianam* (& idem est, si legatum sit ducentorum aureorum distribuendum alicui Monasterio pauperi, quod ipse elegerit, ac ipse Monasterium eligat illud, cui centum aureos debet, cum pacto reddendi ei illos ex legato aureos ducentos, prædictorum centum aureorum remissione suppositâ) *sup. Resol.* 50. qui addit quòd Thesaurarius alicujus Principis, vel Procurator, aut famulus alicujus domini, eo inscio, potest cum pecuniis Principis, vel domini, quas expendendas, vel conservandas habet, negotiari, & lucrum in suam utilitatem vertere, de quo iterum ipse *ibid. Tract.* 3. *Resol.* 144. *&* 145. ac nos jam alibi.

57 Quartò ambigitur an servus, sive mancipium ea sibi retinere tutò possit, quæ ab aliquo sibi in Testamento, vel legato relicta fuerunt, aut aliter donata sunt ea intentione, quòd non transeant ad ejus dominum? Variant DD. apud Dianam Coordinat. tom. 7. Tract. 8. Resol. 30. sed affirmativè respondet ipse per hæc verba: *Sed ego contrariam sententiam teneo, si bona relinquantur servo absolutè, & sine conditione, non tamen intuitu domini, ut verbi gratiâ ob industriam, vel officium exhibitum, vel ut se redimat*, ac pro se adducit Trut hench. Molinam, Sanch. Less. Rebell. Lugonem, Villalob. Fagund. & Machado, cujus hæc dat verba: *Todo aquello, como quiera que sea, que alguno dexa al esclavo, o le haze donacion con expressa, o tacita condicion de que sea para el, y no para el señor, es propio del esclavo, y no del señor, no obstante que Azor lo contradize.* Legatur etiam ipse Diana ibid. Resol. 29. §. *Conveniunt etiam*, ac Resol. 31. §. *At verius.* Legatur ac insuper tom. 6. Tract. 7. Resol. 26. §. *Sed sententia Sanches, tenet Molina*, (quæ est, quæ stat pro servo) ibique apponit verba Rodrig. quibus pro re hac stat Clarus, atque adeò legendus.

58 Ambigitur quintò an, si Religiosus de una in alteram Religionem transitum faciat, eique sit relictum legatum sub conditione aliqua, quæ tempore secundæ Professionis impletur, tale legatum pertineat ad primam, nunquid verò ad secundam Religionem, si succedendi sit capax? Pertinere ad secundam, non verò ad primam (& idem de jure succedendi) resolvitur *apud Dianam cit. tom. 7. Tract.* 1. *Resol.* 220. eo quòd jus succedendi Religioso competens jus est personale, personamque consequitur, subindeque cum eo ad secundam Religionem transit. ¶ Si autem scire velis quænam sint causæ justæ, ut Religiosus de una Religione in aliam, etiam laxiorem transire queat, & an Religiosus transiens debita cum licentia teneatur ibi integrum Novitiatûs perficere annum, ut legitimè Religione in ea profiteatur? Vide eundem *Dianam ibid. Resol.* 198. *ac* 199.

59 Sextò ambigitur an, si legatum relictum fuerit pro Monachatu, eo gaudere valeant Tertiariæ, Mantellatæ (vulgò *Bizoechæ*, sive *Beatæ*) cujuslibet Ordinis eas habentis,

quæ

vitam virginalem, aut cæbilem simpliciter, expresèque vovent, & si ipsæ non collegialiter vivant, affirmativè asseritur) sed in consanguineorum, vel affinium suorum, aut etiam in propriis domibus, vel seorsim habitent? Affirmativè (ac etiam privilegio fori ipsas gaudere) cum multis resolvit omnino legendus Diana Coordinat. tom. 9. Tract. 2. Resol. 175. fol. mihi 181. & Resol. 176. §. *Notandum est etiam* ad fin. ac tom. 7. Tract. 1. Resol. 352. pro reque facit id, quod ipse adducit ibid. Resol. 371. §. *Nec caret probabilitate*, facitque subinde doctrina apud Petram allata, ubi sup. num. 39. fol. mihi 122. ubi pro hac parte DD. sunt plures. Et pro dictis *Bizocchis* respectu aliorum privilegiorum, quibus ipsæ fungi possunt, legatur idem *Diana dicto Tract. 1. Resol. 351. per totam, ac dictis Resol. 175. & 176.*

60 Ambigitur septimò an, si legatum sit pro monachandis, possint viduæ pauperes ad illud admitti, si non adsit expressa voluntas testatoris contraria, vel nisi verba pro solis virginibus dispositionem inducentia adsint? Affirmativè respondetur *apud Petram, ubi sup. legendus á num. 24. ad 38.*

61 Octavò ambigitur an, si legatum relictum fœminis ad Monachatum, relictum fuerit ingrediendi, vel monachandi, designato termino, putà quód designata ad id fœmina intra duos annos monachetur, statim debeatur, ac ipsa intra præfixum tempus, vel terminum illum monachatur, sive ingreditur, ad monachandum, an verò, ut tradatur, expectanda sit ejus solennis Professio; & quid, si ipsa ob aliquam justam causam intra præfixum terminum illum ingressa non fuerit, aut non sit Monacha facta, an nimirum eo ipso amittat legatum? Utrumque *apud cit. Petram ubi sup. á n. 27. ad 33.* legendum, proponitur, & ibi ad primum satis esse quod ingrediatur, ut legatum tradatur, resolvitur, ad secundum autem negativè. Legatur. ¶ Apud quem à num. 22. ad 26. reperies primò quód legatum relictum pro fœminis Monasterium ingredi volentibus, maritandis dari non posse, nisi Apostolicæ Sedis dispensatio adsit. ¶ Secundó quód subsidia dotalia pro uno Monasterio à testatore designato dari posse ingressuris fœminis in aliud Monasterium in casu, quo designatum Monasterium puellam, vel puellas acceptare nolit, neque per puellas stet quo minus Monialis in designato Monasterio fiat. Apud quem etiam à num 47. ad quem pertineat dos Novitiæ professentis ob causam mortis prudenter speratæ intra annum Novitiatûs, reperies & alia ibi tota Sect. 2. legenda.

62 Ambigitur nonó an legatum relictum pro eleemosynis consanguineis pauperibus dandis, pro redimendo consanguineo apud infideles captivo applicari possit? Affirmativè resolvitur, uti videre est apud cit. Petram ad Constit. 6. Nicolai Papæ incipientem *Ex parte*, num. 8. fol. mihi 501. & ibi num. 9. habes quód legatum pro redemptione captivorum applicari potest pro redimendo captivo apud infideles ob maleficium detento; ibidemque num. 3. & 4. quòd legata pro captivorum redemptione apud infideles existentium facta, eorum exequutore non deputato, exhibenda sunt ad eundem effectum religiosissimis, ac piissimis Patribus Sanctæ Mariæ de Mercede, quod munus sapientissimi Patres Sanctissimæ Trinitatis in hoc Regno habent.

63 Decimó ambigitur an, si Moniali alicui legetur fundus, vel proprietas rei alterius, ut ipsa pro vitæ suæ tempore fructibus illius utatur, eaque decedente, tam proprietas rei, quàm fructus ad ejus Monasterium transeat, possit Priorissa, vel Abbatissa, etiam vivente dicta legataria Moniali, in communes usus Monasterii dictum legatum convertere contra voluntatem ipsius Monialis? Resolutio est affirmativa, constat ex jam sup. dictis, docet, & probat N. Illustriss. à Spiritu Sancto legendus Consult. 49. quem si leges ibid. Consult. 50. scies an, si legatum aliquod relictum sit Monialì alicui, possit ejus Superior ei ad illud ad censum vitalitium ponendum licentiam concedere, de quo & nos etiam jam alibi diximus, & pro illo prim. quod sub hunc num cadit, legi poterit *apud Dianam Coordinat. tom. 6. Tract. 7. Resol. 31. ac tom. 7. Resol. 235.*

64 Ambigitur undecimó an, si dos legetur alicui fœminæ, & ipsa legatum renuntiet, illudque non accipiat eo fine, ut à Pontifice dispensationem obtineat ad titulo paupertatis cum suo consanguineo nubendum, ac dispensationem obtineat, teneat dispensatio, non obstante illius dotis, sive legati non acceptatione, & renuntiatione? Affirmativè resolvitur *apud Dianam tom. 3. Tract. 2. Resol. 141.* ibi legendum, ac ibi adnotantem quod, si legatum, vel dos ei fuerit relicta, ea inscia, & post dispensationem obtentam legatum illud, dotem, vel hæreditatem acceptaverit, ei non officit quo ad dispensationis valorem. Et si ipsum Dianam legeris tom. 6. Tract. 7. Resol. 97. reperies §. *Colligitur uberiùs* quemlibet legatum illud, quod non dum obtinuit, renuntiare posse absque insinuatione.

65 Duodecimò ambigitur an valeat legatum, quando incertum est quis sit legatarius? (Et termo est de legatis profanis, legata namque pia cum incertitudine cuinam sint danda, semper tenent, cùm semper causa pia adsit,

adsit, sit ista, vel illa, semperque causa testatoris finalis, mensque ejus salvetur, detur isti, vel illi.) In foro exteriori esse nullum, sicque hæredem solvere non teneri tale legatum, esse verò validum in conscientiæ foro, distribuendumque proinde ab hærede, vel testamentario esse inter eos, inter quos, vel circa quos dubium fuerit, *apud Dianam legendum dicto tom. 6. Pract. 8. Resol. 51. & 52.* resolvitur.

66 Ambigitur decimotertiò an hæres ab intestato teneatur in conscientiæ foro solvere legata relicta in Testamento minus solenni? (Et sermo est de legatis profanis, nam quo ad legata pia nullum est Testamentum, quantumcunque sit minus solenne, quod non valeat, uti vidimus alibi, communiterque docetur ab omnibus.) Variant DD. sed pars affirmativa est verior, probabilior, securior, & praxi tenenda; unde alibi diximus quòd, si hæredi, sit ex Testamento, sit ab intestato, de testatoris voluntate constiterit, hoc, vel illud huic, vel illi personæ testatorem ex sua ultima voluntate legare, donare, tenetur illud in conscientiæ foro ei dare; sed circa difficultatem hanc legatur *Diana sup. Resol. 57.* & locis ad marginem.

Decimoquartò ambigitur an hæres in gravi necessitate constitutus excusetur à solutione legati relicti ad Missas dicendas pro Animabus Purgatorii? Dubium hoc excitavit *Diana sup. Resol. 58.* negativèque cum Mazuchelo resolvit, cum quo addit Animas Purgatorii venire sub nomine pauperum, atque adeò eleemosynas ex legato elargiendas pauperibus, pro Missis ad dictarum Animarum levamen applicari posse, addit & ex aliis insuper quòd Beneficiarius omittens Canonicas horas, satisfacit, si eleemosynas non distribuat pauperibus, sed Missas pro Animabus Purgatorii celebret. Legatur.

67 Ambigitur decimoquintò quid de legato, vel legatis inter pauperes distribuendum? Quo ad hoc jam constat, constare vel potest ex suprà dictis, & maximè ex doctrina tradita *Tract. 26. cap. 3. Lect. 1. Sublect. 4 num. 28. ad 30.* ubi legendum, pro nunc verò breviter dicitur, & additur primò quòd, si legatum alicui certo pauperi fuerit relictum, & iste, non dum adimpleto legato, ab hac vita decesserit, distribuendum est alteri pauperi, nisi aliud de testatoris voluntate constet. Sic apud Dianam tom. 4. Tract. 6. Resol. 55. §. *Sed quia*, vers. *quartò qui vovit.* ¶ Secundò quòd quando relictum est legatum, distribuendum inter pauperes, nullo designato, tunc inter duos solos pauperes distribui valet; imò si relictum sit, ut uni pauperi detur, nullo designato, inter duos distribui valet, *juxta Dianam ubi sup. Tract. 7. Resol. 62. ibi Resol. 64.* addens quòd, si distributor fuerit pauper, tem sibi applicare valet, de quo[illegible] à nc alibi.

SUBLECTIO.

Prosequitur materia præcedens.

68 DEcimosextò ambigitur an, si testator exprimit finem, vel causam, ob quam præsentem, vel præteritam alicui quid legat, uti si dicat: *Quia Petrus pauper est*, vel *quoniam ipse negotia mea fideliter gessit*: vel *quia cæcus est, nihilque labore suo acquirere valet, ei mille lego*, causaque non subsistat, teneat legatum? Affirmativè respondet Anacletus (nisi de contraria testatoris voluntate expressè, & indubitanter constiterit, vel saltem præsumptivè, id quod hæres probare tenetur) *tom. 3. lib. 3. tit. 26. §. 21. legendus num. 658. & 659.* id ex multis Juribus probans citans *Molinam, & Gomes*, dicentque esse communem aliorum. ¶ Sed limitat in casu, quo testator in substantia personæ erravit, putans eam esse filium, fratrem, &c. cùm tamen talis non esset. Et idem, si in instituendo hærede circa personam sit error, quo casu dicit non tenere legatum absque ulteriori probatione, quia prudenter præsumitur testatorem nullo modo legasse, si cognovisset errorem, id quod ex quibusdam Juribus etiam probat.

69 Ambigitur decimoseptimò an, si testator alicui aliquid leget, circa legatum signum, vel accidens aliquod exprimens, uti si dicat; *Centum, quæ in ea mea cista jacent*, vel *quæ Petrus mihi debet*, vel *Franciscus mihi donavit, lego Joanni*; vel *Mariæ, quæ virgo est, mille lego*, teneatque legatum, si res legata non extet? Respondet *Anacletus* legendus ubi proximè *num. 660. ad 662.* quòd, si res legata extet, de eaque constet, ac de persona, cui res fuit legata, tenet legatum, & si testator in demonstratione erraret; si autem de re legata nihil extiterit, non valet legatum. Si verò in designato loco rei legatæ aliquid adsit, tantùm quo ad illud valet legatum, id omne, quod ex variis Juribus probat, & ideo legendus.

70 Ex dictis sequitur quòd, cessante causâ impulsiva legati, (& juxta Cephalum Consil. 81. num. 8. in dispositionibus ultimarum voluntatum, semper causa data, tanquam impulsiva præsumi debet) non cessat dispositio, neque legatum *juxta L. Cùm tale, ff. de condit. & demonstrat. ac L. 2. §. fin. ff. de donat.* cessante tamen causâ finali, & de hoc constet, cessat etiam dispositio, & caducat legatum, *juxta L. Qui tutelam, ff. de Testam. tutor. in princip. & L. Cùm pater, §. Dulcissimis, ff. de legat. 2. ac L.*

Tutor

petitur, *ff. de excusat. tut.* docetque Barthol. *in L. Demonstratio falsa, §. Quod autem, Q. ff. de condit. & demonstrat.* ex quo fit quòd, si certò, vel indubitanter constaret (id quod difficilè erga Catholicos) defunctum aliquem, pro cujus Anima Missarum legatum, vel anniversarium fuisse relictum, in cognito mortali decedere, esseque in Inferno, omnino cessaret legati obligatio, cùm tunc omnino corruat totalis finis, & causa legati; pro quo facit doctrina *Surdi de Aliment. Q. 1, num. 1.*

71 Decimooctavò ambigitur cujus sint incrementa, vel decrementa legati? Dicitur esse legatarii, ac ideo, si postquam testator fundum legavit, domum in eo erexit, aut vineam, &c. plantavit, est legatarii, & sic de aliis, & è contrà, si legavit domum, vineam, aut hujusmodi, quam postea destruxit, evellit, &c. decrementum hoc est legatarii. *L. Si grege in fin. ff. de legat. 1. ac L. Si ita, §. Si dominus eod. tit.* docetque Lugo Disp. 24. Sect. 9. num. 239. multique alii. Quare,

72 Si legata fuit domus, hæcque postea ab igne, vel tempestate fuit consumpta, locus, in quo erat sita, ad legatarium pertinet eadem *L. Si grege*; si testator rem legatam vendit, intelligitur revocatum legatum, nisi legatarius oppositum probet: *L. Si rem legatam, ff. de adimend. legatis*, & licèt postea eandem rem testator acquirat, non reviviscit legatum, nisi repetatur: *L. Cùm servus, ff. de adimend legat. & L. Qui res, §. Autem, ff. de solut.* si testator Petro centum dare mandet, quæ in tali sunt cista, vel arca, ibique tantùm sint quinquaginta, hæc solùm ei debentur: *L. Cùm ita, ff. de legat. 2.* de quo jam sup. si autem ibi plus, quàm 100. reperiantur, solùm centum legatario debentur. *Villalob. Tract. 30. Diffic. 30. num. 2.* & alii. ¶ Quòd si testator mandet alicui triticum in suo horreo positum, (ac idem de vino, oleo, &c.) sive inclusum, & postea illud consumat, cessat legatum; si ipse autem aliud triticum in eodem horreo apposuit, illud legatario debetur, tanquam loco tritici consumpti subrogatum. Et idem, si legata domus destruatur, & à testatore in eodem loco erigatur alia. *Bonac. de Contract. Disp. 2. Q. 17. §. 3. num. 2.* & alii. Legatur *Diana tom. 6. Tract. 8. Resol. 115.*

73 Licèt probabile sit quòd, legata Cruce aurea, non censeatur legata catena aurea, ex qua Crux è collo dependet, eo quòd fundo legato non intelligitur legata via ad ipsum fundum per Gloss. *in L. 3. §. Loci, ff. de adimend. legat. de quo Bald. in L. unica, num. 9. in fin. Cod. si Rector Provinciæ*, & quia fundo legato non intelligitur instrumentum legatum; aliàs intelligerentur legata omnia pertinentia ad fundum arandum, & sic etiam aratorii boves; pars tamen affirmativa verior, ac probabilior apparet, quo ad catenam auream, ex qua Crux pendet; pro quo stat textus Clarus *in L. Cùm aurum*, vers. *planè, & ibi habet Barthol. ff. de auro, & argento legato* ibi: *Planè, si cui argentum legetur factum emblemate aurea, quæ in eo sunt, eum sequuntur, quoniam argento cedit quod ad speciem argenti junctum est, quemadmodum clavi aurei, & purpuræ pars sunt vestimentorum, & quanvis clavi non sunt vestimentis consuti, tamen justè legato contineri.* Hactenus Lex. Et

74 Ad primam Legem in contrarium adductam dicitur contrarium esse verum, nimirum, legato fundo, intelligi viam ad ipsum fundum legatam, prout tenet *Barthol. in L. 1.* circa fin. deservit legata ibi dicens servitutem itineris legatario esse præstandam. ¶ Item quoniam usufructu alicujus prædii legato, non est dubium quin etiam iter ad tale prædium censeatur legatum: *L. Servum filii, §. ult. ff. de legat. 1.* & ibi Barthol. ac Iason num. 4. ¶ Ad confirmationem autem dicitur quòd, legato fundo, intelliguntur legata instrumenta ea omnia, quæ affixa sunt fundo, & ab eo amoveri non valent. *L. Cùm scimus, Cod. de agricol.* unde nil mirum quòd aratorii boves ad legatarium non pertineant, quia fundi non sunt instrumenta. Legatur *Angelus in L. Sed & si quis, §. Proprietatis, ff. de usufructu.* Et hinc

75 Si quis leget prædia sua, cedunt legato horrea, in quibus fructus conduntur, & cellæ vinariæ, in quibus continentur dolia per textum *in L. Prædiis, §. Titio, ff. de legat. 3.* ac ibi Barthol. ¶ Et idem, quando quis legat prædia cum suis pertinentiis, tunc enim continentur omnia loca, ubi fructus conservantur, & dicuntur pertinentiæ quæ sunt pro usu ipsius rei. *Socin. Junior Consil. 47. lib. 1.* ¶ Similiter si quis leget argentum potorium, in quo bibi potest, omne illud continetur, quod ad præparationem potandi inservit. *L. In argento* princip. *ff. de auro, & argent. legat.* ¶ Item legata lana intelligitur de lana ab animalium corpore separata, sive tonsa sit, aut non, & adhuc in pellibus jaceat, debetur ac etiam lana, de qua non tela facta est, nec non lana, quæ non tincta est, eo quod lana jam tincta, vel contexta pluris multò valet, & accrescit in pretio. Secus dicitur de lino legato, sub hoc enim dicitur intelligi etiam linum in tela positum, vel tinctum ex *L. Si cui lana, ff. de legat. 3. ac ibi Gloss. Barthol.* communiterque scribentes. Et universaliter legato principali, illius accessorium per se loquendo censetur legatum.

76 Ambigitur decimononò an, si testator ex multis rebus ejusdem naturæ, quas habet, puta ex multis equis, vel servis, relinquat unam consanguineo suo, & aliam alteri, &

contingat alteram alia meliorem esse, maiorisque pretii, sitque inter eos contentio, quis eorum prius eligere debeat, quia testator quid faciendum non expressit, quid tunc faciendum erit? Videtur dicendum eligere debere eum, qui prius postulavit, litemque prius fuit contestatus *argum. L. Si pluribus, vers. fin. de legat.* 1. Nihilominus præferendum esse eum, ut eligat, qui prius nominatus est, eo quòd videtur magis à testatore dilectus, dicendum videtur, quod colligitur *ex L. Quoties, ff. de usufruct. & ex L. Qui solvendo, ff. de hared. instit.* Ordo nanque designationis designat ordinem delectionis: *L. Qui solvendo*, docetque Mantica de Conject. ult. vol. lib. 6. tit. 11. num. 13. ac lib. 8. tit. 4. num. 12. & tit. 9. num. 7. Menoch. de Præsumpt. lib. 4. Præsumpt. 16. n. 3. cum seqq. legatur Diana tom. 6. Tract. 8. Resol. 114.

77 Quòd si testator res aliquas Petro sub disjunctione legavit, putà vel vestes, sive arma, vel aliqua in specie determinata, & non in individuo, putà aliquam ex suis vestibus, tunc ad hæredem electio pertinet, suæque obligationi satisfacit, id quod minus valet, reddendo, aut tribuendo, & hoc licèt legatum sit ad pia, uti si calix legetur aureum, vel argenteum, potest conferre, si ornamentum, poterit dare lanceum, aut sericum, id quod colligitur *ex L. Si ita relictum fuerit* 43. *ff. de legat.* 2. *L. Si ita scriptum in fin.* & aliis, ac de quo jam alibi diximus. Legatur Diana Coordinat. tom. 8. Tract. 4. Resol. 23. §. *Respondeo*, vers. *quarto si quis*, & Resol. 14. per totam, ac lit ad marginem.

78 Vigesimó ambigitur ad quem pertineant fructus rei legatæ? Dicitur quód fructus è re legata ante mortem testatoris percepti ad hæredem, non verò ad legatarium pertinent, nisi aliud de mente testatoris constiterit. *L. Lucius, ff. de legat.* 2.

79 Si tamen fructus crescant in re legata, & illi incorporentur, veluti si legetur grex, ac illi capita aliqua, testatore vivo, accrescant, sive quia nascuntur, aut quoniam emuntur, gregique aggregantur ante testatoris mortem, ad legatarium pertinent, sicut si vendantur, & pereant omnia capita gregis illius, vel ejus pars, legatario pereunt; habetur *in §. Si grex, instit. de legat. & L. Si grex, ff. de legat.* 1. *L. Ergois, ff. de usur.* ¶ Eodem modo si peculium & augeatur, vel minuatur, incrementum, aut decrementum erit legatarii. *L. Si peculium, initio, ff. de legat.* 1 *L. Denique*, §. *ult. ff. de pecul. legat.* ¶ Item si legetur fundus, ager, vinea, olivetum, &c. fructus pendentes tempore mortis testatoris ad legatarium pertinent. *L. Si pendentes* 34. *ff. de usufructu*, §. *Si verò, Instit. de rer. divis.* Et legatarius fructus suos facit tempore mortis testatoris, etiam ante acceptationem, uti ex communi Jure probat *Gomes Variar. cap.* 11. *num.* 5. *ac* 12. vel saltem à die aditæ hæreditatis, de quo etiam *Molina Disp.* 194. ¶ Item quidquid accrescit fundo legato, vel alluvione, aut emptione, &c. legans illum adauxit, totum hoc legatario cedit, sicut decrementum factum, testatore superstite, legatarius patietur; & idem, si quid augeatur, vel detrahatur domibus, ac cæteris rebus legatis *per L. Cùm fundus, ff. de legat.* 2. *& L. Si statutum, ff. de aur. & argent.* legatur Molina Disp. 194.

80 Ambigitur vigesimoprimò an, si legatarius ante mortem testatoris aliquo titulo rem legatam sibi acquirat, adhuc debeatur ei, darique debeat rei legatæ æstimatio? Dicitur quòd, si legatarius factus est dominus rei sibi legatæ ex causa onerosa, putà emptionis, vel simili alia, tunc ex Testamento pretium, vel æstimationem consequi valet; secus, si ex lucrativa causa, putà donatione, factus est dominus, tunc enim agere nequit, ut sibi æstimatio solvatur, quia certi juris est duas causas lucrosas in eundem hominem, ac eandem rem coincidere non posse: §. *Si res aliena, Instit. de legat. & L. Omnes, ff. de act. & oblig.*

Si testator rem alienam leget, controversia inter AA. non parva est, an talis rei valeat legatum, saltem quo ad valorem, seu æstimationem rei legatæ. Et si Civilibus Juribus inhæreatur, affirmativè erit respondendum *ex cap. Cùm alienam, Cod. de legat.* §. *Non solum*; limitatur tamen ex dicto §. dicendo quòd, si testator scivit rem, quam legabat, alienam esse, tenetur tunc, casus, hæres talem rem comparare, ac legatario tradere, & si dominus rei non consentiat in legatæ rei distractione, tenetur hæres legatario dare quantum justa fuerit æstimatio.

In dubio autem an testator sciret, vel non rem legatam alienam esse, onus probandi incumbit legatario, ac dum non probat, nihil ei hæres præstare tenetur. Ita latissimè *Menoch. Præsumpt.* 116. *lib.* 4. subscribuntque *Covar. ad cap. Filius noster de Testam. á num.* 2. *Mantica de Conject. lib.* 9. *tit.* 9. *num.* 4. *Molina tom.* 1. *Disp.* 196. *Sanch. lib.* 4. *Decal. cap.* 19. *num.* 45. apud quos plures alii, qui omnes asserunt quód, si testator ignorabat rem legatam alienam esse, nullum tunc esse legatum, nisi factum sit personæ valde conjunctæ, uti uxori, fratri, aut amico admodum intimo, quibus præsumi potest testatorem, etiam si statuisset rem alienam esse, voluisset tamen eam legare, aut ejus æstimationem, si comparari ab hærede non valeat. Ita relati, & respondent ad *cap.*

Filius

Vivius ioster, ubi Canonico Jure contrarium sit multum probabile. Sed circa hæc omnia omnino legendus est *Fragoso tom.* 3. *lib.* 5. *Disp.* 8. §. 11. *num.* 351.

81 Vigesimosecundò ambigitur an, si testator vestes suas pauperibus leget per hæc verba: *Vestes meas relinquo pauperibus, tali vel pauperi*, quid tunc intelligatur? Dicitur tale legatum intelligi de vestibus duntaxat illis, quas testator tempore conditi Testamenti habebat, (non autem de aliis, quas obtinuit postea) sive sint sericæ, vel non. Si tamen addat: *Vestes meas etiam sericas, & festivas*, tunc vendi debent, ac earum pretium inter pauperes distribuendum, eo quòd egenis tales non competunt vestes, sed solùm earum æstimatio. Barthol *in L. Si ita esset legatum, ff. de aur. & argent. legat.* Gomes 1. Variar. cap. 12. num. 49. & alii.

Quòd si legatarius, putà pauper, vel opus pium, cui res legata fuerat, moriatur, aut destruatur, tunc hæres tenetur alteri pauperi, vel loco pio illud conferre legatum, si res legata ut opus pium fuerit relicta, quia adhuc finalis causa legati stat, & subsistit; secus dicendum, si non ut opus pium, sed in bonum pauperis illius fuisset relictum, nam tunc, mortuo legatario, cessat legatum. Sed dubium adsit an testator legatum illud pauperi illi reliquerit, ut opus pium, nunquid verò in ipsius pauperis bonum, ac præcisè inspecto bono ipsius; præsumendum erit ut opus pium fuisse relictum, subindeque semper, legatario mortuo, pauperi alteri solvendum esse, dandum vel alteri operi pio. ¶ Si autem pauper amicus, consanguineus, vel affinis testatoris fuerit, præsumitur in ipsius bonum fuisse relictum quod omne de legato loco pio dicendum venit. Legatur *Diana cit. tom.* 6. *Resol.* 49. ¶ Et si hæres fuerit in mora solvendi pauperi legatum illud, interimque moriatur pauper, hæredibus ejus solvere tenebitur, quoniam pauper ad legatum illud jus etiam habebat quæsitum. *Sanch. in Sum. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 15. *Bonac. Disp.* 3. *Q. ult. num.* 17. *Salmant. sup. Tract.* 14. *de Contract. cap.* 5. *num.* 179. multique alii.

82 Ambigitur vigesimotertiò circa sequentem casum. Petrus in suo Testamento hæredi suo mandavit ut ex hæreditate sua Patribus Religionis A viginti ducatorum millia darentur, ut ipsi ipsius testatoris ædibus Monasterium construerent sub conditione, quòd ipsi intra annum legatum locum acceptassent; aliàs, quòd substituebat Patres Religionis B. Quo sic dispositio, ambigitur primò quando dicta substitutio locum habeat? Secundò an donec dictis Patribus dicta viginti ducatorum millia non solvantur, fructus aliqui ex dicta pecunia eis debeantur?

Præfatus casus *apud Pignatell. in suis Consultis tom.* 10. *Consult.* 46. præponitur ad prim. circa quod dubitatur, dicitur in substitutionem non habere locum, si dicti Patres Religionis A intra annum legatum acceptarunt, & si in testatoris ædibus intra annum non construeretur, imò & si Monasterium in designato loco à testatore fundatum non sit, sed alibi justa de causa, hæredis, & Episcopi ad id accedente consensu, estò non scriptis, vel verbis, sed implicito, & tacito; imò etiam si talis requisitus consensus adveniat post factum. Ad secund. autem negativè respondetur, eo quòd pecunia non est fructifera, fructusque nunquam parit. Legatur Auctor, consulto dato per totum.

CAPUT II.

De Legatis pro Missis solvendis, piis promiscuè quibusdam & aliis.

INter plura alia, quæ testatores suis in ultimis voluntatibus testamentariè decernunt, atque disponunt, legata pro Missis dicendis, vel decantandis, tam ad tempus, quàm in perpetuum, non infimum obtinent locum, sed potiùs primam sedem obtinere debebant; tum quia opus piissimum, tum quoniam illud est, quod propriissimè Animæ ipsius testatoris, atque suorum maximè respicit; (& equidem si ipse Animæ suæ non curat, quid facient hæredes? Relicta comedere) cùm igitur præcedenti Tract. de Testamentis, ultimisque voluntatibus factus à nobis sit sermo, præsentique Tract. de Legatis agamus, non est cur de Legatis his pro Missis à testatore relictis, quæque passim instituuntur ab ipsis, aliquid non dicamus; sit ergo pro illis

LECTIO I.

Quando debeatur Legatum pro Missis relictum, & quando hujusmodi Legatum exigi queat?

1 DIcitur primò quòd quando hæreditas est adjacens, id est, quando adest qui hæreditatem adeat, sed illam non dum adivit, tunc, casus, & si aliqui dicant quòd legata pia (quale est legatum pro Missis) non debentur antequam adeatur hæreditas, de quorum numero sunt Tiraquel. de Privileg. piæ causæ Privil. 34. Vivius Decis. 301. num. 7. Gama Decis. 148. num. 4. vers. *Solum á die*; contraria tamen sententia semper tenenda (& sermo est, quando testator non præfixit tempus, in quo solvendum sit legatum, si nanque tempus præ-

præfixit, pro eo erit ſtandum, cùm Lex rebus in his ſit ejus voluntas) communior eſt, probabilior, & verior, in qua dicitur quòd legatum, ſive perpetuum, aut pro una vice, ut quàm primùm, vel ſtatim ſolvendum, adhuc hæreditate non adita, ita ut ſpatium ſex menſium à Jure conceſſum, ſit tantùm ad evadendas pœnas ſtabilitas in Jure contra eos, qui legata ſolvere negligunt, non verò ad evadendum peccatum; ita DD. communiter, inter quos Covar. in cap. Raynald. §. 3. num. 2. de Teſtam. Cevall. comm. contra comm. tom. 1. Q. 107. Barboſa de univerſ. Jure, lib. 3. cap. 27. num. 82. Rubeus Pract. cap. 6. num. 16. Sotus in 4. Diſt. 45. Q. 2. Art. 4. verſ. *Reſpondet*, Lara de Anniverſar. lib. 1. cap. 1. num. 21. cum multis & aliis Paſqualigus omnino legendus de Sacrific. Miſſæ, tom. 2. Q. 978. à num. 3. legendus & etiam Q. 983.

2 Dictum eſt quando hæreditas eſt jacens, nam quando eſt vacans, id eſt, quando non adeſt qui eam adire velit, vel valeat; tunc, caſus, à Judice (Eccleſiaſtico quidem, eo quòd res præſens ad Religionem, & ſalutem Animarum ſpectat, ſubindeque Tribunal Eccleſiaſticum reſpicit) hæreditatis aſſignatur curator, aſſignarive debet, & ad ipſum legatum, vel legata ſolvere quàm primùm ſpectat. Unde concludendum quòd antecedenter ab additione hæreditatis omni meliori modo, quo fieri poſſit, adimplenda eſt teſtatoris decedentis voluntas, omninoque legata ea ſolvenda, quorum dilatio in ejus Animæ præjudicium vergeret, cùm Anima rebus omnibus ſemper ſit præferenda, *juxta L. Sancimus, Cod. de Sacroſ. Eccleſ. & cap. Præcipimus* 2. Q. 11. non enim legatis in piis, ac in rebus Animæ Juris apices attendi debent, uti docet *Tiraquel. de Privil. piæ cauſæ, Privil.* 164. & communis.

3 Secundò dicitur quòd legatum annuum pro anniverſario non eſt neceſſariò ſolvendum, niſi adveniente tempore anniverſarii, licèt ſemper ſolvi debeat antequam celebretur anniverſarium, & ii, ad quos celebratio pertinet, legati ſolutionem petere valeant ante illius celebrationem. ¶ Quòd ſi annuum legatum ſit pro Miſſis quotidianis, eſtò non ſint celebrandæ ſucceſſivè quotidie, ſed ſolùm certis diebus hebdomadæ, tunc tale legatum pro talibus Miſſis ab initio cujuslibet anni ſolvendum erit ita, ut ſolvi debeat ſecundùm portionem, vel de bimeſtri in bimeſtre, aut de trimeſtri in trimeſtre. Ita quo ad omnia, quæ ſub hunc num. cadunt, tenet, & docet cum communi, ac multis *Paſqualigus ubi ſup. legendus Q.* 979. *&* 980.

4 Dicitur tertiò quòd, licèt à Jure *L. fin.* §. *Sin autem, Cod. de jure delib. juncto* §. *Donec*, hæredi trium menſium tempus pro conficiendo Inventario concedatur, ut ſic de hæreditatis bonis congruè diſponere queat, atque videat quem ſtatum habeant, hæc tamen regula fallit, nonque tenet in legatis piis, neque in legatis pro malè ablatis.

Non quidem tenet, ſed fallit in legatis piis, quia, uti dicebamus, diſpoſitio Juris Civilis, ejuſque apices in diſpoſitis pro cauſis piis locum nullatenus habent; unde legatum pro Miſſis peti poteſt modo dicto, aut ante inceptionem Inventarii, vel poſt ejus inceptionem, & dum adhuc currit, nonque dum confectum extat, aut conſummatum; pro quo legendi ſunt *Cevar. dicto cap. Raynald.* §. 3. *num.* 23. *Tiraquel. ſup. Privil.* 24. *verſ. quia res, Roland. à Valle de confect. Inventarii, P.* 4. *num.* 7. ac ex dictis clare conſtat, ſi enim legatum pro Miſſis relictum ante aditam hæreditatem debetur, certò debetur ante facturam Inventarii. Legatur *Paſqualig. Q.* 983. *ad* 985.

Quod etiam locum non teneat in legatis pro malè ablatis, patet: quoniam legata hujuſmodi æs alienum, quanvis incerti domini, continent, ac proinde ante omnia, etiam ante legata pro Miſſis, aut aliquam aliam cauſam piam, ſolvenda, cùm enim teſtator ex alienis diſponere nequeat; prius hæc legata pro malè ablatis ex defuncti bonis ſunt extrahenda, atque ſolvenda, & poſtea piæ teſtatoris voluntati ſatisfaciendum ita taliter, ut potiùs voluntas hæc perire debeat, quàm legata pro malè ablatis, quia ex re aliena nullatenus teſtator ſibi, vel aliis benefacere valet. *Cevallos comm. contra comm. Q.* 814. *num.* 4. *Gratian. Diſcept. forenſ. cap.* 26. *num.* 26. *Corneus in L. Eam, quam, Cod. de fideicomm.* cum his, & aliis *Paſqualig.* legendus *ſup. Q.* 985. legendus ac etiam *Q.* 992. *num.* 5. ubi & aliis dicit, & probat legata pro malè ablatis ex neceſſitate ſubſiſtere, etiam Teſtamento rupto ex hæredatione, vel ex alio capite.

SUBLECTIO.

Ex doctrina tradita aliqua deducuntur.

5 EX doctrina ſuprà tradita deducitur primò quòd hæreditate adita, eſtò non ex Teſtamento, aut quia hæres hæreditatem repudiavit, & alius tertius ab inteſtato ſucceſſit, vel ut ipſe eodem modo ſuccedat, aut aliquo alio capite adeatur hæreditas, ſed non ex Teſtamento, ſtatim debetur legatum pro Miſſis. Tiraquel. ſup. Privil. 15. & omnes illi, qui tenent, ſtatim à teſtatoris morte legata pia deberi, adhuc hæreditate non adita. Legantur Molina de Juſt. & Jure, Tract. 2. Diſp. 251. num.

num. ... Layman Theolog. Moral. lib. 3. quæ ... 3. cap. 11. num. 12. Abbas in cap. Si est ..., num. 5. de Testam. Alphonſ. de Leone ... offic. Capell. Q. 5 Sect. 6. num. 51. cum multis Paſqualigus ſup. Q. 986. ibi legendus.

6 Secundò deducitur quòd, licèt Teſtamentum ſit nullum ex defectu ſolennitatum, quas Jus Civile requirit, putà quia hæredis inſtitutio non adeſt, aut quoniam idonei, requiſitique teſtes pro ejus valore deſunt, & hujuſmodi, nihilominus adhuc legata pia debentur, conſequenterque legatum etiam pro Miſſarum celebratione relictum. Eſt communiſſima inter Canoniſtas, & Theologos, ut videri poteſt apud Paſqualig. ſup. Q. 990. ubi illam probat, DD. que plures pro ea adducit, inter quos Leſſ. lib. 2. de Juſt. & Jure, cap. 19. num. 7. Molinam ubi ſup. Diſp. 134 verſ. *quia verò*, Sanch. in Conſil. lib. 4. cap. 1. Dub. 7. num. 3. Trulhench. Decal. lib. 7. cap. 18. Dub. 4. num. 2. ac Bonacinam de Contract. Diſp. 3. Q. 22. P. 3. num. 19. Et hoc ait ex multis Paſqualig. ibid. num. 6. verum eſt, non ſolùm pro interno, ſed etiam pro externo foro ita, ut ſucceſſores ab inteſtato talia legata in utroque foro teneantur ſolvere, & ad id cogi poſſint. Et hinc

7 Deducitur tertiò quòd, licèt AA. in eo unanimiter conveniant, quòd, ſi teſtamentum ſit imperfectum ratione voluntatis diſponentis eo quòd ipſius voluntas non perfectè, vel completè diſponit, tunc legata non debentur. Dicendum tamen quòd ad hoc ut legata pia verè ſubſiſtant, & debeantur, nihil aliud requiritur, niſi tantùm quòd teſtatoris voluntas de ipſis diſponens ſit voluntas perfecta quo ad ipſa pia legata, quantumvis reliqua, quæ in ipſo Teſtamento habentur, imperfecta ſint, ideoque non teneant. Eſt etiam inter Canoniſtas, & Theologos non minus communis, quàm præcedens, quorùm plurimos adducit, ſequiturque *Paſqualig. ſup. Q.* 988. inter quos *Sanch. Molina, Trulhench. Benac. Lugo, Dicaſtill. Villalob. &c.* Et hinc

8 Venit quòd, ſi teſtator coram teſtibus dixerit ſe talem pium locum, putà Eccleſiam, Monaſterium, Hoſpitale, &c. bonorum ſuorum inſtituere hæredem, ſive quòd ei hæc, vel illa legata pia poſt ejus mortem ſolvantur, aut hujuſmodi relinquit, & poſtea Notarium accerſiri jubeat, ut ſuum Teſtamentum ſcribat, vel conficiat; tunc, caſus, quæcunque diſpoſitio ad cauſas pias ab eo facta valebit, etiam ſi antequam Notarius adveniat, ſive accedat, teſtator decedat; ſic tenere debent omnes, qui reſolutiones antecedentes tenent, & in ſpecie tenet Aretinus *in L. Siquis cum Teſtam. ff. de Teſtam.* cum eo, & aliis Paſqualig. legendus cit. Q. 988. à num. 7. ad 12.

9 Dictum eſt: *Sit voluntas perfecta*, nanque, ſi teſtatoris voluntas ſit imperfecta, putà ſi verba, quibus voluntatem ſuam exprimit, ſint: *Volo relinquere*, & hujuſmodi, tunc, caſus, non valet legatum, etiam pium, ac per conſequens neque pro Miſſis relictum. Ratio eſt: nam dum voluntas non eſt perfecta, & totaliter deliberata, efficaciam ullam non habet, neque tranſit in diſpoſitionem, uti docet *Mantica lib. 12. de Conject. ult. vol. tit. 16. num.* 3. & communis; conſtat autem quòd verbum *volo relinquere*, & hujuſmodi, perfectam, deliberatamque voluntatem non dicit, nec importat, ſed ſolùm imperfectam, quòdque ſolùm dicit intentionem faciendi in futurum, uti communiter docent DD. in L. *Servi electione*, verb. *poſſimus, ff. de legat.* 1. pro quo etiam videndus *Pichard. §. 1. num.* 35. *Inſtit.* quibus modis Teſtam. infirm *Molina de rit. nupt. lib. 1. cap. 20. num.* 34. quos, & alios adducit, ſequiturque *Paſqualig. ſup. Q.* 987. non ergo ex vi dictorum verborum debetur, neque ſolvendum eſt legatum: voluntas nanque obligandi vim habens perfecta eſſe debet in ratione voluntatis *ex L. Si repetendi, Cod. de condit. ob cauſam*, ac ibi communiter DD. Et voluntas, qua dicitur *volo relinquere*, vel *volo facere* ad futurum tempus ſe refert, ſolùmque intentionem faciendi poſtea importat, quæ quidem adhuc mutari valet, ſicque proinde obligandi vim non habet.

10 Sed excipitur, niſi ex circunſtantiis verba illa tempus præſens determinent ita, ut ſignum clarum ſint determinatæ jam diſpoſitionis juxta *L. Pamphilo, §. Propoſitum, ff. de legat.* 3. & juxta ea, quæ dicuntur à Barthol. *in L. Servi electione, num.* 3. *ff. de legat.* 1. ac ibid. Iaſon. & ab Aretino *in L. Gerit, ff. de acquirend. hæredit.* Et hinc ſi verba *volo relinquere* in Teſtamento ſcripta reperiantur, diſpoſitionem plenam, perfectam, ac deliberatam voluntatem inducere, eo quòd Teſtamentum ultimam teſtatoris voluntatem inducere, eo quòd Teſtamentum ultimam teſtatoris voluntatem demonſtrat, reſolvit *Paſqualigus dicta Q.* 987. legenda per totam.

11 Quartò deducitur quòd, licèt apud Juriſtas certa regula ſit, quòd nemo partim teſtatus, & partim inteſtatus decedere poteſt, *L. Jus noſtrum 7. de reg. Jur. ac L. Si ego, ff. de injuſt. & rupt. Teſtam.* reſpectu tamen cauſarum piarum, ac favore earum dicta regula non tenet, ſed fallit. Et ratio jam ex dictis conſtat, & eſt: quia quando de favore piæ cauſæ agitur, omnis Civilis Juris diſpoſitio ceſſat, & ad validitatem voluntatis teſtatoris ea ſola ſufficiunt, quæ ſunt de Jure gentium, & naturali. Accreſcit, nam quòd quis ſit partim teſtatus, ac partim

tim inteſtatus, ſolùm dicit quòd circa aliqua diſpoſuit, & non circa aliqua, ex quo oritur quòd circa ea, de quibus diſpoſuit, perfecta, plena, ac deliberata voluntas adfuit. Si igitur de hac voluntate conſtat quo ad exequutionem poſt mortem, (& ipſa voluntas re vera ſupponitur) eſtò quo ad reliqua non fuerit diſpoſitio perfecta, re vera intervenit totum id, quod requiritur, ut teſtatoris voluntas adimpleatur, juxta cap. *Relatum* 1. *de Teſtam.* ac ſubinde valebit legatum ad cauſas pias, & pro Miſſis in Teſtamento, in quo quis partim teſtatus, ac partim inteſtatus decedit. Cum multis *Paſqualig. ſup. Q.* 989. Et

12 Ipſemet Auctor *ibid. ac Q.* 993. cum multis aliis bene reſolvit non valere legatum pro Miſſis, ſi Teſtamentum nullum ſit ex defectu facultatis teſtandi, & per conſequens nullum eſſe legatum in eo relictum; qui etiam *Q.* 994. legi debet, ubi dicit quòd, revocato Teſtamento revocatione expreſſa, vel ſolenni, veluti ſi Teſtamentum novum fundetur, revocatum relinquitur etiam Teſtamentum pium, vel Miſſarum; ſecus autem, ſi ſimplex fuerit revocatio, uti ſi teſtator dicat ſe inteſtatum decedere velle, ſolennem tamen revocationem jam antea facti Teſtamenti non faciat, Teſtamentum vel non condat novum.

13 Deducitur quintò rupto Teſtamento ex præteritione filii ignoranter facta (tunc enim filius ignoranter præteriri dicitur, quando quis extraneum inſtituit hæredem, quia vel de facto filios non habet, & ei poſtea poſthumus naſcitur, aut putabat filium ſuum jam mortuum eſſe, qui tamen verè vivus erat, ac in ſimili) valere legata pro malè ablatis incertis, & etiam valere pro Miſſis annuis, pro aliis legatis piis, ac etiam, ſicut & moderatis aliis reſpectu bonorum teſtatoris; hujus reſolutionis pars prima conſtat ex jam ſup. poſitis, & modò amplius declaratur: quoniam talia legata pro malè ablatis non ſunt tanquam portio ex hæreditate detracta, ſed tanquam æs alienum, juxta *Gloſſ. in cap. Quanquam de Teſtam. in* 6. ac ibi DD. unde, cùm ſint de jure alterius, in bonis illis computari non debent, quæ hæreditario jure ad hæredem pervenire poſſunt, & debent; non igitur ad filium in Teſtamento præteritum tales res legatæ pertinent, cùm portiones non ſint ab hæreditate detractæ, utpote res aliis debitæ: valebit ergo tale legatum, eſtò filius dicto modo in Teſtamento fuerit præteritus. Secunda, & tertia pars de ſe patent; quia etiam ii, qui filios habent, hæredeſque eos inſtituunt, prædicta legata relinquere ſolent: nihil ergo filiorum ignorantia officit, ut ipſa ſubſiſtere queant, dummodo moderata ſint præfata legata ita, ut pro filio congrua, & competens remaneat p... multis, & communi legendus *Paſqu...* Cum *Q.* 992.

14 Sextò deducitur quòd quando Fiſ... teſtatori, ſive defuncto teſtanti ſuccedit, tunc vel hæredis loco ſuccedat, ſive non hæredis loco, ſed jure proprio, & tanquam à lege vocatus ſuccedat, legata pia, ac per conſequens ea, quæ relinquuntur pro Miſſis dicendis, omnino ad unguem ſolvi debent. Eſt quo ad utramque partem communis, & vera, ac quo ad primam patet: nam quando hæredis loco ſuccedit, etiam legata profana debentur, ſolvique debent, uti habetur *in L. Quidam* 96. §. *Quoties*: cùm enim Fiſcus tunc, caſus, hæredis loco ſuccedat, tenetur ad omnia, ad quæ teneretur hæres; ſed ſi hæres adeſſet, teneretur ad legata profana, uti de ſe patet, Fiſcus & ergo, cùm ſuſtineat perſonam hæredis, ſi ergo tunc, caſus, ad legata profana tenetur, potiori ratione ad pia tenebitur, conſequenterque ad Miſſarum legata.

Quo ad ſecundam partem jam patet: nam teſtatoris voluntas quo ad legata pia Juris Civilis diſpoſitioni non ſubjacet, ut ſæpiùs à nobis repetitum manet, & eſt inculcatum, communiſque tenet; eſtò ergo Fiſcus ex Juris Civilis diſpoſitione ſuccedat, tenet, & tenere debet teſtatoris voluntas quo ad pia legata: ea ergo abs dubio Fiſcus ſervare tenetur, dictaque legata ſolvere. Accedit quòd Fiſcus Legibus Canonicis ſubeſt, ſubeſſeque debet; ſtantibus ergo quibuſcunque caducariis Civilibus Legibus, Canonicum Jus quo ad pia legata ſervare tenetur, ſive quo ad cauſas pias diſpoſitas: ſed in Canonico Jure *cap. Relatum* 1. *de Teſtam.* diſponitur, atque præcipitur quòd per duos, vel tres teſtes de teſtatoris voluntate, quo ad diſpoſita pro cauſis piis, conſtante, ſecundùm ipſam judicari debet: ergo, &c. Et ita judicandum eſſe in Civilibus Tribunalibus omnibus etiam extra terras Eccleſiæ, docet Mantica de Conject. ult. vol. lib. 6. tit. 3. num. 4. Tiraquel. ſup Privil. 163, Jul. Clarus §. *Teſtamentum*, Q. 6. num. 1. Fragozo de Regim. Chriſtianæ Reipublicæ, P. 3. lib. 4. §. 4. n. 65. cum multiſque aliis Paſqualig. ſup. legendus Q. 991.

15 Deducitur ſeptimò quòd legata pia incerta ratione rei legatæ, ſive numeri, putà Miſſarum omnino ſuſtineri, & ſolvi debent. Eſt communis, conſtatque *ex L. Id, quod pauperibus* 24. *L. Nulli* 28. *de Epiſcop. & Clericis, & C. cum tibi* 13. *de Teſtam.* docentque Tiraquel. Privil. 55. ac 56. Covar. cap. *Indicante* de Teſtam. n. 2. Mantica de Conject. ult. vol. lib. 6. tit. 3. num. 37. Rubeus Pract. cap. 79. à n. 1. Sanch. Conſil. lib. 4. cap. 2. Dub. 8. n. 7.

cum

ulris & aliis Pasqualig. sup. Q. 995. estque ratio: nam testatoris voluntas certa tunc est quo ad exequutionem, licèt quo ad determinationem sit incerta; omnino ergo exequi debet, licèt determinatio facienda sit ad illius arbitrium, ad quem pertinet.

Neque obstat *L. Si quis de pluribus, neque L. Si ita fuerit legatum, ff. de reb. dub.* ubi deciditur quòd, si ex Testamento uni ex pluribus servis libertas concedatur, & non declaretur cui conceditur, dispositio talis non tenet, quia fieri potest quòd non manumittatur ille, quem testator voluit, sed alius. ¶ Non quidem obest, quoniam hoc in legato pro Missis, & in quocunque alio pio contingere nequit, eo quòd semper testatoris voluntas, ejusque mens obtinetur, sub quacunque consideratione legatum rei incertæ exequutioni mandetur, quia semper obtinetur causa finalis, quæ est Animæ salus. Legatur *Pasqualig. loco cit.*

15 Legatum pro Missis, sive perpetuis, aut pro unica vice statim solvendum esse constat ex dictis, id quod intellige, quando testator nullum præfixit tempus; secus verò, quando ipse declaravit tempus, in quo legatum pro Missis sit solvendum, tunc enim omnino ejus voluntati erit standum, quæ quidem semper pro lege habenda erit. ¶ Sed est notandum quòd quando dicitur quòd statim à morte testatoris debetur legatum pro Missis, intelligi debet, nisi justa causa adsit per modicum aliquod tempus (& nullo modo per longum) differendi solutionem legati, putà quia opus est hæreditatis bona aliqua vendere, ex quibus solutio extrahenda sit legati, quæ quidem bona si statim venderentur, id viliore fieret pretio. ¶ Dictum est *& nullo modo per longum*: nam dilatio dicta in gravissimum detrimentum Animæ defuncti cederet, quippe pro eo applicanda detinerentur suffragia, ac de ejus voluntate prudenter præsumi debet magis propriæ Animæ suæ favere velle, quàm ipsius hæredibus suffragari.

16 Quòd si testator mille putà pro Missis dicendis relinqueret, earum tamen numerum non designaverit, tunc, si totum relinquatur legatum, ut in Missis dicendis convertatur, tot Missæ dicendæ erunt, quot ex numero illo taxata stipendia aderunt: (nisi apud testatorem consuetudo fuerit maius stipendium pro singulis dare) nam hæc illius mens, voluntasque esse videtur. Diximus *nisi apud testatorem, &c.* nam, si apud eum consuetudo sit talis, pro ea standum erit, & tunc non tot Missæ dicendæ erunt, quot correspondent stipendio taxato, sive currenti, sed maiori stipendio dari solitum erat, nanque à consuetis optima fit voluntatis testatoris interpretatio. *L. Si servus plurium 50. §. fin. de legat. 1. ac L. Nam is, ff. de legat. 3.* cum multisque docet Pasqualig. sup. Q. 933. legendus num. 3. Menoch. de Arbitr. Casu 83. num. 10. & Surdus de Aliment. tit 1. Q. 66. num. 4. Addit Pasqualig. cit. Q. quòd, si testator Exequutoris arbitrio numerum Missarum reliquerit, tunc earum numerum poterit ipse determinare, quin Ordinarii recursus sit necessarius.

17 Si testator annuum legatum reliquerit, hoc, nisi adveniente tempore anniversarii, solvi non debet; si nanque anticipetur solutio, evenire poterit quòd tempore celebrationis anniversarii legati exactio pertineat ad alium, vel quia jam mortuus, aut quoniam mutatus sit Ecclesiæ Rector; ex quo si legati solutio anticipetur, penes solventem anticipationis periculum erit, optimèque poterit Rectoris successor, aut is, ad quem anniversarium celebrare spectat, rursus legatum, tanquam malè solutum, & in periculum illius, ad quem spectat, repetere, debitorque solutionis diem præveniens sibi imputare debet; & hoc, quando Rector ille, qui legatum accepit, non reliquit quòd titulo legati accepit legatum. *Pasqualig. sup. Q. 979.* qui cum multis ibi *Q. 980.* resolvit, & dicit esse communem, quòd, si legatum fuerit annuum pro Missis dicendis, sive singulis diebus totius anni, aut solùm certis diebus cujuslibet hebdomadæ anni, tunc solvendum est legatum, si relinquatur alicui Ecclesiæ, vel ¶Monasterio, ut per suos Capellanos, suos vel Fratres adimpleatur.

18 Utrùm autem legatarius teneatur Missas celebrare antequam annuum legatum solvatur? Ad hoc cum multis respondet *Pasqualig. sup. Q. 982.* sub distinctione dicendo quòd vel sermo est de Beneficiato, seu Capellano, qui collativam, aut in titulum Capellaniam habet, vel sermo est de simplici legatario, qui solùm ratione legati Missas celebrare tenetur; si de primo sit sermo, resolvit quòd possessione adepta statim insurgit celebrandi obligatio.

19 Si verò de secundo sit sermo, tria dicit; primum, quòd, si pro legato fundus aliquis frugifer sit assignatus, à legatarioque acceptatus, Missas ipse celebrare tenetur, etiam si fructus ab initio anni non fuerint percepti. ¶ Secundum, quòd etiam ad celebrandas Missas tenetur, si legati solutio est moraliter certa, tametsi non statim ab initio anni sequatur. ¶ Notat tamen quod, si legatarius solutione legati ad sui sustentationem indigeat, initio anni legati solutionem exigere potest, protestando se Missas celebraturum non esse, nisi ei prius solvatur legatum, quòdque tunc celebrare non tenetur, nisi prius legatum solvatur. ¶ Dicit tertiò Capellanum, seu legatarium non teneri

Missas celebrare quousque ei solvatur legatum, quoties legati solutio difficultatem patiatur aliquam, nonque sit moraliter certa. ¶ Ex quo infert (& bene) quòd, si ratione belli, pestis, aut alterius casûs fortuiti contingat deesse spem, quòd sit solvendum legatum, tunc non tenetur legatarius Missas celebrare; quòdque si celebret, compensare se poterit. Legatur Auctor, quem si legeris *Q.* 978. *num.* 7. scies qualiter puniendi sint hæredes, & illi, quibus competit adimplere legata, maximè si pia sint, si tempore determinato, sive debitor ea non solvant.

LECTIO II.

De Legatis Missarum relictis locis piis, putà Ecclesiis, vel Monasteriis.

20 Dicitur primò quòd, si à testatore relinquatur legatum pro celebrandis Missis, non determinando Ecclesiam, in qua Missæ quotannis celebrari debeant, eo quòd perpetuæ, & celebrandæ per singulos annos, tunc tale legatum pertinet ad Ecclesiam eam, (& hæc est legataria) in qua sepelitur, vel sepultum extat testatoris cadaver, nisi aliud ex testatoris mente prudenter conjecturetur. *Alphonsus Leo de offic. Capell. Q.* 5. *Sect.* 2. *num.* 29. *Garcia in Sum. Tract.* 3. *Diffic.* 11. *Dub.* 3. *num.* 2. *Phœbus in Decis. Lusitan. Decis.* 100. *num.* 11. *ac Mantica de Conject. ult. vol. lib.* 8. *tit.* 6. *num.* 6. Et

21 Id verum esse dicitur, non solùm quando testator talem, vel talem Ecclesiam pro corporis suis sepultura signavit, sed etiam quando nullam designavit Ecclesiam. Quod idem, quando testator legatum pro anniversario reliquit non determinando Ecclesiam, in qua sit celebrandum, de Jure nanque anniversaria celebranda sunt in Ecclesia, in qua cadaverum corpora sunt sepulta. ¶ Sed si electione loci quo ad Missas dicendas hæredibus suis, aut Testamenti Exequutoribus liberè reliquit, tunc ad eorum libitum erit quamcunque Ecclesiam eligere, ut sup. dictum manet, sicut & etiam, si de anniversario testator disposuit, non verò de Missarum numero, neque de quantitate eleemosynæ, quæ est exhibenda, hoc determinandum esse dicitur juxta qualitatem defuncti, facultatesque ipsius, boni viri arbitrio: *argum. L. si cui, ff. de annuis legatis,* ibique Glossa verb. *Solutus*, ac de quo Gama sup. Decis. 185. & Lara de Anniversar. lib. 1. cap. 18. num. 97. ac 98. ¶ Si verò celebrandæ Missæ perpetuæ non fuerint, sed sint manuales, sive celebrandæ pro unica vice, tunc omnes illæ, quæ die exequiarum celebrandæ veniunt, in sepulturæ Ecclesia celebrari d[e]
si omnes ibi tali die celebrari valeant, sin [m]
nus omnes, quæ supersunt, celebrari poterunt
ubi hæredibus, testamentariis, vel Exequutoribus magis placuerit; id quod nos quotidiana edocet praxis. Legatur *Pasqualig. sup. Q.* 996. *& Amostasus lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 44. *ad* 47.

22 Secundò dicitur quòd quando Missarum legatum alicui Ecclesiæ Cathedrali, vel Collegiatæ relinquitur, tunc emolumenta sive sint perpetua, aut manualia, dividenda erunt inter Canonicos, ac Beneficiatos, ea tamen inter eos proportione servata, quæ in distributionem divisione servatur, uti deducitur *ex cap. unico de Cleric. non resident. in* 6. & licèt textus de anniversariis expressè loquatur, idmetipsum dicendum de Missis manualibus, sive unica vice celebrandis; nam eadem militat ratio.

23 Sed excipitur primó, si legatum pro manualibus Missis consuetam duntaxat stipem contineat, nam tunc Sacerdotibus iis distribuenda est, qui Missas celebrant, cùm ipsis congrua, & justa pro Missis debeatur stipes, juxta superiùs dicta. ¶ Secundò excipitur etiam, nisi legatum sit *taxativè* relictum Capitulo, nanque tunc Beneficiati nullum jus habent ad dictum legatum, nec ad Missas, aut anniversaria tenentur; quia, cùm sint extra corpus Capituli, nullatenus Capituli nomine veniunt, nec intrant; *taxativè* diximus, nam, si secus fiat, tunc toti Clero factum censetur. Pro his legantur *Mantica ubi sup. lib.* 3. *tit.* 12. *num.* 4. *& tit.* 14. *num.* 6. *Lara sup. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 2. *& præcipuè Alphons. de Leone sup. Q.* 5. *Sect.* 3. *num.* 48. *ac* 51. *Garcia in Sum. Tract.* 3. *Diffic.* 11. *Dub.* 3. *num.* 6. *Pasqualig. sup. Q.* 997. *Amostasus sup. num.* 40. *ad* 43. ¶ Et notat *cit. Garcia num.* 5. quòd, si legatum pro Missis relictum sit alicui Capellæ, illi debetur, apud quem principalis est cura, vel regimen talis Capellæ, sive sit Beneficiatus, aut Confraternitas, sive Ecclesia regularis, aut secularis, sive parochialis, nisi ex testatoris voluntate aliter constet. Et *Garcia coheret Pasqualig. sup. Q.* 998. *ibid. num.* 4. addens quòd, si Capella, tanquam pars Ecclesiæ, sit sub cura, & regimine Rectoris ejusdem Ecclesiæ, tunc ad solum Rectorem ipsum, non vero ad Beneficiatum, neque ad Confraternitatem pertinet legatum. Idem quod *Q.* 999. repetit, & ubi legendus.

24 Dicitur tertiò quòd, si legatum pro Missis relictum fuerit alicui Ecclesiæ, vel Monasterio sub nomine tantùm alicujus Sancti, cujus nominis plures sunt Ecclesiæ, tunc ut resolvatur, cuinam earum debeatur legatum, omnino ad testatoris mentem recurrendum erit, id quod universale est in omni testatorum

dispo-

dispositione, quando ipsa clara non est, sed dubia remanet; in quo casu attendendum semper est ad id, quod verisimile est, quòd ab ipso, si viveret, fuisset dispositum, prout quid est tritum in Jure, & docent omnes. Unde ex regula hac generali, passimque trita.

25 Resolvitur primò quòd, si parochialis defuncti Ecclesia nomine eo vocetur, quo legataria vocatur, censendum est quòd ipsi testator legatum reliquit, & hoc maximè, si in ea sepulturam elegit. ¶ Secundò quód, si Ecclesia, in qua testator jussus est sepeliri, & sepultus est, nomine illius Sancti gaudet, quo gaudet Ecclesia, cui legatum relictum est, ipsi, & non alteri, & si sit parochialis, legatum debetur, ex electione nanque sepulturæ specialis quædam circa illam affectio detegitur. ¶ Tertió quód illi illius nominis Ecclesiæ legatum deberi censetur, erga quam testator, dum vivus erat, certò specialem ostendebat affectum, ex speciali nanque affectu pro testatoris mente indaganda efficax conjectura desumitur; quocirca, si ipse alicujus Ecclesiæ, vel Monasterii specialis benefactor erat, speciales illi eleemosynas tribuens, aut apud Religiosos talis Monasterii Sacramentales confessiones faciendo, &c. talem Ecclesiam, vel Conventum magis frequentans, aut ibi orare erat consuetus, frequentiùs cum Religiosis ibi conversationes habebat, consimile vel aliquod aliud speciale signum specialis devotionis ostendebat, tali Ecclesiæ, vel Monasterio potiùs, quàm alteri tale legatum debebitur, conjectura nanque hæc, qualis voluntas, mensque ejus fuerit, clarè demonstrat; quæ omnia tenent Mantica sup. tum lib. 12. tit. 17. num. 8. tum lib. 8. tit. 6. num. 6. vers. *Sed advertendum*, Garcia sup. num. 11. ac Nata Consil. 29. num. 14. cum quibus, & aliis Pasqualig. sup. Q. 1000.

26 Sed quid, si ex testatoris mente conjecturari nequeat de qua Ecclesia fuit ipse loquutus? Varii varia dixerunt, (uti communiter accidit) & omnium simpliciter debemus dictamina ponere. Eorum ergo aliqui dixerunt tunc legatum pro Missis Ecclesiæ pauperiori debitum esse; alii ab Episcopo adjudicari posse legatum Ecclesiæ illi, quæ ipsi magis placuerit: alii dividendum esse legatum, quando divisibile fuerit, inter Ecclesias nominis illius; suntque omnes sententiæ istæ probabiles. ¶ Et eadem dictaminum variatio est, quando legatum relictum est Parochiæ, testatorque duas Parochias habet, nesciturque de qua fuit loquutus testator: dixerunt nanque aliqui Ecclesiæ parochiali pauperiori legatum deberi; alii inter Parochias illas dividendum esse: alii (& est id, quod verius) Ecclesiæ, sive Parochiæ illi deberi, in qua testator ultima Sacramenta, & sepulturam recepit; alii id tandem ad Episcopi arbitrium relinquunt. ¶ Quòd si tempore conditi Testamenti Parochias duas, vel plures habebat, unamque duntaxat tempore mortis, quia domicilium omnino mutavit, adhuc non concordant DD. nam alii dicunt deberi Ecclesiæ parochiali tempore conditi Testamenti: alii (& id quod verius) parochiali Ecclesiæ tempore mortis, & si ab his sit diversa, quas tempore conditi Testamenti habebat. Legantur Menoch. Præsumpt. 14. num. 7. vers. *Caterum* hîc lib. 4. Boecius Decis. 179. num. 1. Sanch. de Matrim. lib. 3. Disp. 23. n. 17. ac Pasqualig. cit. Q. 1000. ad 1003.

LECTIO III.

De Legatariis, sive de illis, quibus legatum pro Missis relictum debetur.

CIrca Legatarios non pauca scitu digna se offerunt; circa eos ergo ambigitur primò an, si legatum pro celebrandis Missis relictum sit alicui sub obligatione, quòd efficiatur Sacerdos, & cum pacto resolutivo quòd, si Sacerdos non fiat, ad certum locum pium devolvatur legatum, quando locum devolutio habeat?

27 Dicitur quód in hoc videndum est an onus suscipiendi Sacerdotium adjectum sit per modum conditionis, nunquid verò per modum modi? Si primum, resolvitur quod, estò legatum, quodcunque sit illud, non debeatur, nisi prius purificata conditione, *juxta L. Cùm ita legatum, & L. Qui hæredi, §. fin. ff. de condit. & demonstrat.* attamen, cùm simus in conditione non pura, sed mista, utpote ex alterius facto dependente, legatarius obtinebit legatum, quin ad substitutum devolvatur; si ipse, quantum in se est, faciat ut ordinetur, nonque habeat impedimentum proprium, à testatore nescitum, & à Jure proventum, ex vi cujus impeditus sit suscipere Ordines; sed, si tale illud impedimentum habeat, tunc, casus, respectu illius non tenet legatum, sicque ad substitutum devolvitur. ¶ Si verò præfatum onus adjectum sit per modum modi, tunc, si ab ipso testatore principaliter non fuerit tempus præfixum per ordinem ad hoc, quòd Sacerdotium suscipiat, necessariò à substituto interponenda est interpellatio, instareque debet ut legatario assignetur terminus, in quo, vel intra quem Sacerdotium suscipere debeat, quo culpabiliter elapso, legatum ad substitutum devolvitur: nam dum quis obligatur ad factum, factumque non ponit, incidit in moram, & in pœnam caducitatis annexam, si interpellatus

non facit id, ad quod tenetur, privatur. ¶ Si tamen gravatus, quantum in se est, fecerit ut modus adimpleatur, hoc ostendatur ab eo, obtinebit legatum, dummodò canonicè non sit impeditus, quia, cùm tunc modus ei sit impossibilis, absque ejus culpa per casum defuit. Et ita cum multis *Pasqualigus sup. omnino legendus á Q.* 1027. *ad* 1032. ubi de legato pro Missis cum pacto resolutivo relicto curiosa plura habentur. Et si eum leges *Q.* 1038. *ad* 1040. habebis an mota lite super legato pro Missis, legatarius transigere valeat, aut pro aliqua summa concordiam facere.

28 Secundò ambigitur an quando annuum legatum relinquitur Regularibus, aut Ecclesiæ, Collegio, Hospitali, Misericordiæ, Confraternitati, & hujusmodi cum onere celebrandi, vel faciendi celebrare quotannis, vel per singulos dies, sive hebdomadas tales, vel tales Missas in tanto, vel tanto numero, possit legatarius emolumentum aliquod ex legato percipere? Affirmativè resolvitur, (negativè verò, si sit merus Exequutor, nonque saltem simul Legatarius) colligitur *ex L. Pecuniæ sortem, ff. de aliment. & cib. legat.* ibique observat Cujacius. Et hinc

29 Resolvitur quòd, si præfati Legatarii Missas celebrandas aliis committant, eleemosynam aliam dare non tenentur, nisi taxatam, consuetam, currentem, & justam ita, ut omne id, quod ex legato supersit, in ipsorum beneficium, utilitatemque cedat; id quod locum habet, etiam in pactis, & conventionibus, per quas certa annua assignatur pensio cum onere celebrationis Missarum.

30 Neque contra datam resolutionem obstare videntur Sacræ Congregationis de celebratione Missarum Decreta, ubi Congregatio Sacra prohibet Sacerdoti, qui Missam celebrandam cum certa eleemosyna suscepit, nè eandem Missam alteri, parte eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat, idem quod per Sanctitatem Alexandri VII. jussum extat, quatenus damnavit Propositionem sequentem: (& in ordine 9.) *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missa celebranda traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

31 Non inquimus id obstare videtur, ratio est: nam in casu Sacerdotis, obligantis se per se ad Missam stipendio eo dicendam, titulus ullus non adest, ratione cujus aliquid sibi retinere possit, nanque vel Sacerdos eleemosynam pro manuali Missa recipiens, illam suam non facit, nisi per se celebrando, vel estò demus quòd suam illam faciat, dominium revolvitur, onere, sub quo datur, per ipsum non adimpleto. Legatarii autem (quales sunt illi, de quibus hic sermo) legati dominium acquirunt, suumque faciunt omne illud, quod superest: *L. Cum Titio, ff. de furto*; sicut, quia Beneficiatus titulo Beneficii fructus suos facit, si Missas, quas ipse celebrare tenetur, alteri celebrandas committat, non tenetur, nisi currentem, taxatam, congruam, & justam præstare stipem; uti vidimus alibi, fortèque magis ex dicendis constabit: pariter ergo, & in nostro casu, cùm etiam Legatarius titulo legati legatum suum faciat, unde illud, quod objicitur, in contra nihil videtur facere. Legatur *Pasqualig. sup. Q.* 1062. per totam.

32 Ambigitur tertiò an, si mobilia bona pro Missis in perpetuum celebrandis legentur, (quæ quidem quantociùs in immobilia bona fructifera converti debent, uti auctoritate Urbani VIII. Sacra Concilii Congregatio in Decreto de celebratione Missarum, §. *Præterea*, statuit, & videre est *apud Pasqualigum sup. Q.* 1063. 1064. *ac* 1066.) si ita non convertantur, sed insumantur, ad Missarum onus Legatarii successores teneantur?

Dicitur quòd vel suprà dicta mobilia bona alicui Conventui, Capitulo, Hospitali, vel hujusmodi pro Missis in perpetuum dicendis relicta (quæ quidem convertenda erant in fundum fructiferum, in annuos redditus, & hujusmodi, nonque transmutantur) convertuntur in utilitatem Conventûs, Capituli, Hospitalis, &c. cui relictum est tale legatum, putà in solutionem debitorum, in Ecclesiæ fabricam, ornamenta, &c. ita ut Ecclesia facta sit ditior, utilitasque ad successores perveniat, vel non. Si primum, tenebuntur successores ad impositum onus, sive ad Missarum celebrationem, non secus, si adesset fundus erectus, vel annuos redditus ex tali fundo de facto perciperent, estque ratio: nam, cùm res, vel legatum conversum sit in utilitatem Conventûs, Ecclesiæ, Hospitalis, &c. adhuc successores ipsi ex tali legato utilitatem re vera percipiunt: tenentur ergo ad Missarum onus injunctum, idque patet *ex L. 1. ff. de in rem verso.* Si verò secundum, contrarium dicitur, id est, successores ad tale onus non esse adstrictos, & hoc ob contrariam rationem. Ita cum aliis legendus *Pasqualigus sup. Q.* 1065. Ex quo

33 Resolvitur primò quód, si testator majorem summam relinquat, quàm sit necessaria pro Missis perpetuis, tota investienda est, aut in fructiferas res transmutanda. Cum aliis *Pasqualigus legendus sup. Q.* 1068.

34 Secundò pecuniam investiendam pro Missis perpetuis, implicari nullatenus posse in Monasterii, &c. fabricam, aut reparationem domorum, quæ sunt pro ejus servitio, sed investiendam esse in immobilibus, actu fructificantibus,

bonis. Sic Bordon. in Consil. Re- Resol. 25. num. 34. Aversa Q. 81. de Eu- t. Sect. 19. Tambur. de Sacrific. Missæ, 3. cap. 1. §. 6. num. 24. vers. *quo ad septi-*, & ex nostris Gabriel à Sancto Vincentio Sacram. Disp. 3. de Missæ Sacrific. Q. 7. ific. 6. Lezana in Sum. verb. Missa, n. 37. vers. *An autem sufficiat.*

35 Tertiò obligationem celebrandi Missas ratione legati, si legatum sit annuum ab hæredibus solvendum, incipit à die acceptationis legati, ac multò melius, si legatus sit fructifer fundus; si verò legata pecunia fuerit, aut bona mobilia, quæ per distractionem investiri debeant, incipiet statim, ac facta sit investitura in fundo fructifero, & ita ex multis tenet, ac probat *Pasqualigus sup. Q.* 1069. legatur etiam *Lezana sup. Marchant. de Sacram. Ord. Tract.* 3. *P.* 2. *cap.* 15. *num.* 48. *Tambur. sup. num.* 4. quem etiam legere debes *á num.* 8. si scire velis quid veniat sub nomine bonorum fructiferorum, quæ in tacto Decreto Sacræ Congregationis de celebratione Missarum petuntur.

SUBLECTIO I.

Prosequitur materia præcedens.

36 QUartò ambigitur an, si Capitulum, vel Regulares Ecclesiam mutent, secum trahant, vel ferant legata pro Missis? Dicitur primò quòd, si Ecclesia destruatur, aut profanetur ita, ut ejus loco alia denuo substituatur, aut fabricetur, itaque fiat omnino Ecclesiæ mutatio, tunc legatum pro Missis Capitulum, aut Regulares consequuntur. Communis.

37 Secundó dicitur quòd, si prior Ecclesia remaneat ita, ut nulla subrogatio fiat, tunc distinguendum; aut sermo est de anniversariis, & reliquis Missis, quæ celebrantur pro in eadem Ecclesia sepultis, vel non; si primum, tunc Ecclesia ea, Capitulum, vel Regulares non secum trahunt, vel ferunt legata Missarum pro illis celebrandarum, sed remanere debent apud priorem Ecclesiam. Si verò secundum, subdistinguitur sic: vel tale legatum est Capellania collativa, aut non; si primum, non sequitur Capitulum, vel Regulares Ecclesiam mutantes; nam est Beneficium Ecclesiasticum, & hoc erigi nequit, nisi ad Altare; sed hoc est affixum Ecclesiæ: ergo etiam & Beneficium, vel Capellania; non ergo transfertur; si non collativa, respiciendum est an testator, sive fundator contemplatus est locum, nunquid verò personas; quòd si locum, locus non egreditur, utpote legatum locale; si verò personas, egreditur, personasque sequitur, quippe personale, & personalia personas sequuntur. Communis etiam, cum multisque docet *Pasqualigus legendus sup. Q.* 1050. *apud quem ibid. á num.* 7. habes qualiter cognoscendum sit quando testator, sive fundator contemplatus sit potiùs locum, quàm personas, aut è contrà.

38 Ambigitur quintò quot Missas Legatarius celebrare teneatur, quando testator legatum ordinat primò, & per se, sive principaliter ad benefaciendum ipsi Legatario, ac solùm per modum cujusdam appendicis aliquod Missarum onus, numerum non determinando, apponit? Dicitur quòd ad illud Missarum numerum tunc Legatarius tenetur, qui arbitrio boni, & prudentis viri judicabitur justus, ac rationabilis juxta prudentiæ regulas; qui quidem numerus ut rectè, prudenterque determinetur, legati quantitas, legatarii, vel legatariæ Ecclesiæ paupertas, & hujusmodi pensari debent, quando nanque aliquid alterius arbitrio committitur, intelligitur de arbitrio boni, prudentisque viri regulato, secundùm rectam rationem, uti constat *ex L. In personam, §. Generaliter, ff. de reg. Jur.* docetque Barthol. *in L. Cùm filius, §. Pater, num.* 2. *ff. de legat.* ac Menoch. de Arbitr. lib. 1. Q. 7. num. 15. & 17. docent & alii. Legatur Pasqualigus sup. Q. 1079.

Neque obstat declaratio Sacræ Congregationis de celebratione Missarum sup. tacta, quatenus ad secundum dubium sibi propositum respondet quòd quando Missarum numerus à testatore determinatus non est, tunc ab Ordinario determinatio fiat, non, inquam, hoc aliquid obstare videtur; nam Sacra Congregatio procedit, quando tota Missarum stipes, vel legatum totum ad Missas est ordinatum; secus verò in casu nostro, ubi Missarum onus tantummodo impositum est per modum cujusdam appendicis, uti dictum manet, & casus supponit.

39 Utrùm autem quando quis in suo Testamento clausulam hanc, vel similem ponit: *Omnia bona mea Joannis amici mei dispositioni committo*, vel *mariti mei*, aut si amico dicat, aut uxor marito, &c. *Omnia bona mea in manibus tuis pono, de ipsis ergo idmetipsum fac, quod ego facerem*; (id quod non facerem ego, neque de eo unquam alicui consilium præstabo) tunc hæredis institutio adsit, an verò solùm tunc detur pura commissio, vel talis nominatus sit solùm purus commissarius? Apud AA. datur variatio, & ea sententia nobis vera, quæ dicit tunc hæredis institutionem non dari, sed ibi solùm puram commissionem adesse ad distribuenda bona illa in Sacris faciendis, ac in piis operibus aliis. Legantur *Alphonsus Le-*

offic. Capellan. Q. 5. Sect. 2. Hieronym. Garcia in Sum. Tract. 3. Diffic. 11. Dub. 2. Peres de Lara de Anniverſ. lib. 1. cap. 10. num. 104. Manſica de Conject. ult. vol. lib. 4. tit. 1. num. 26. & Gerard. Conſil. 463.

40 Sexto ambigitur an Prælatus abſque conſenſu Capituli repudiare valeat legatum pro Miſſis relictum? (Et ſupponitur quòd ab eo acceptari poteſt, cùm ſupponatur in Communitatis utilitatem id cedere.) In hac re poteſt eſſe ſermo aut de licito, ſive de valido. Si de licito, dicitur non poſſe, ſed in repudiando peccare mortaliter, (dummodo Lex, aut ſtatutum non prohibeat talem acceptationem) ſi Capitulo, vel Communitati ex tali legato proveniat utilitas. Si verò ſit de valido, variant DD. ſed probabilior ſententia partem negativam amplectitur. Legatur *Paſqualigus ſup. Q. 1089. & Amoſtaſus lib. 1. de Cauſis pijs, cap. 12. legendus á num. 42.*

41 Ambigitur ſeptimò an religioſiſſimi Fratres Minores capaces ſint legati pro Miſſis etiam perpetuis? Ad hoc pars affirmativa jam conſtat ex ſuprà dictis, ac quo modo id poſſit fieri, ſed pro eo legi poterit Leander à Murcia in Regula Sancti Franciſci, cap. 12. num. 15. ſup. Regul. 6. Portel in Dub. Regul. verb. *Legatum* in Addit. num. 2. verſ. *de modo autem*, Martinus à Sancto Joſeph in eand. Reg. cap. 13. num. 26. Rodrig. QQ. Regular. Q. 125. Art. 6. tom. 2. & Q. 126. Matthæucci in ſuo *Officialis Curiæ* cap. 33. Q. 7. à num. 17. fol. mihi 233. ac Paſqualigus ſup. Q. 1092. & ſeq.

42 Octavò ambigitur an, deficiente Legatario, extinguatur legatum pro Miſſis relictum? Reſolutio eſt negativa; (ſive Eccleſia ſit legataria, aut Monaſterium, ſive Confraternitas laicalis, aut laicale Hoſpitale, & illius deſtructio adſit) ſed in perpetuum durare, devolvique ad Epiſcopum, vel ad Romanam Eccleſiam, ſi Eccleſia ſit exempta. Legatur *Paſqualigus ſup. Q. 1061.* ibique infert quòd, ſi legataria Eccleſia, locus vel alius ſupprimatur, alterique uniatur, legatum pro Miſſis etiam tali Eccleſiæ, aut loco pio, cui talis fit unio, unitur. Quòdque legata ad cauſas pias caduca non fiant quando fiunt religioſis perſonis, aut religioſis locis, ſed debere in alium pium uſum converti, quando in deſtinatum uſum converti non poſſunt.

SUBLECTIO II.

Adhuc præcedens materia proſequitur.

43 AMbigitur nonó an, deficientibus fructibus fundi, &c. ex quibus le- Miſſarum onere ſolvitur, celebrandi obligatio ceſſet? (Et non eſt ſermo, quando fructus ex culpa legatarii pereunt, vel ita ſit, aut ex ejus culpa pereant, adhuc ab dubio obligatio durat, legatariuſque proinde tenetur ad celebrationem Miſſarum per ſe, vel per alios, ut de ſe quid notum eſt, & communis docet; ſed eſt ſermo, quando ſine legatarii culpa pereunt.) Dicitur quòd, ſi fructus pro Miſſis aſſignatis omnino totaliter pereant, omnino etiam ceſſat celebrandi obligatio, in perpetuum quidem, ſi in perpetuum pereant, & ad tempus, ſi ad tempus deficiant, vel pereant: ac idem eſt, & ſi, licèt fructus adſint, non tamen ſint exigibiles, ſive abſque legatarii culpa exigi non valeant; cùm idem ſit, ſive valeat eos exigi non poſſe, ac non adeſſe, juxta *L. Ex conſenſu, 5. 1. ff. de Appellation.* ſic Lara de Anniverſar. lib. 1. cap. 85. num. 8. & 9. Alphonſ. Leo de offic. Capellan. Q. 5. Sect. 14. num. 236. Lezana in Sum. verb. *Miſſa*, num. 37. Garcia in Sum. Tract. 5. Diffic. 10. Dub. 10. num. 2. Tambur. Opuſc. de Sacrif. lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 89. Peyrin. lib. 3. de Privil. cap. 1. num. 29. Franciſc. de Lugo lib. 5. de Sacram cap. 12. Q. 9. num. 97. cum his, multis & aliis Paſqualigus ſup. Q. 1075. & eſt communis.

44 Decimó ambigitur an diminutis fructibus diminuendus ſit etiam numerus Miſſarum? Et non eſt ſermo, quando fructus, vel annui proventus pro Miſſis relicti ſunt ita pingues, ut excedant Miſſarum onus ita poſitum, nanque tunc, quacunque diminutione ſtante, ſi tamen adhuc conſueti proventus permaneant, Miſſarum numerus nullatenus eſt minuendus, ut communis docet: ſed eſt ſermo, quando proventus, ſive fructus infra conſuetos, qui aſſignari ſolent, notabiliter diminuuntur, in quo ſenſu.

45 Dicitur quòd, ſi proventus, ſive fructus æquales ſunt Miſſarum oneri, ac juxta conſuetam aſſignationem, tunc, caſus, ſi minuantur, proportionabiliter etiam Miſſarum numerus eſt minuendus. (Ita ut, ſi proventus in totum non ſubſiſtant, neque etiam in totum ſubſiſtat onus, & ſi in parte ſubſiſtant, onus etiam proportionabiliter ſubſiſtat in parte; & ſi non permanenter, ſed pro tempore diminuuntur proventus, etiam pro tempore, & non permanenter Miſſarum numerus, vel onus diminuetur.) Ita ſuprà citati, & communis.

46 Ambigitur undecimó an, fructibus auctis, Miſſarum numerus augeri etiam debeat? Et non eſt ſermo, quando fructus augentur induſtriâ, ac expenſis Sacerdotis, ſive poſſidentis legatum, nam tunc quid certum eſt, & apud omnes receptum, Miſſarum numerum

geri, cùm tale augmen-
industriæ, ac expensarum, mi-
fundi, nisi valde remotè, fructus
riæ ill. sunt, cujus est industria,
reliorantis sunt etiam, juxta
in L. ult. ff. locati, & ibid. alii.
r. sup. l. 3. cap. 1. §. 3. num. 92.
respondeo, ad Fraginel. de obligat. Sacer-
Sect. 4. Conclus. 4. §. 25. num. 2. & alii.

47 Est secus, quando fructus augentur absque industria, & expensis Sacerdotis possessoris legatum, in quo sensu distinguitur, & dicitur quòd, si testator, vel fundator Missam numerum determinavit, sive præfixit, tunc nullatenus earum numerus augeri debet, quantumcunque augeantur proventus, vel fructus; secus autem, si Missarum non taxavit numerum, sed solùm disposuit quòd dicerentur Missæ juxta mensuram fructûs, sive proventûs, nam tunc ad fructuum augendum, (si non notabile fuerit, secus si sit parvum, cùm modicum augmentum in consideratione venire non debeat; cap. *Licèt causam*, §. *Quanquam*, estque legendus Fraginel. sup. vers. si augeatur) Missarum numerus augeri etiam debet. Legatur Pasqualigus (apud quem plures alii) sup. Q. 1078. & etiam Amostus lib. 2. cap. 10. à n. 16. ad 37.

48 Ex dictis constat quòd, diminutis fructibus quo ad partem, etiam quo ad partem proportionatam Missarum obligatio cessat ita, ut tot Missæ duntaxat dicendæ sint, quot taxato, consueto, & currenti stipendio correspondent. ¶ Sed pro hoc adnotandum venit quòd ad dictam diminutionem necessaria non esse videtur licentia, neque auctoritas Sacræ Congregationis, nec Papalis: nam reductio, sive moderatio de eo est, quod sub obligationem cadit, est enim actus ad æqualitatem reducens id, quod aliàs æquum non esset, ac proinde solùm locum habet, quando aliàs Missarum onus, & obligatio in suo illo primævo vigore manerent, secus autem, quando ex se cessant, uti in præsenti cessant, & cessare supponitur. Ita cum *Bordon. Aversa, Francisc. Lugo, Garcia, Duard. Less.* & aliis, docet, ac probat omnino legendus *Pasqualigus sup. Q.* 1077. Et

49 Hinc *Pasqualigus ibid.* infert quòd, si novus Capellanus, dum Capellan.am acceptavit, diminutos fructus reperiat, celebrare non tenetur, nisi cum proportione ad fructus, quos repererit, nisi in casu, quo ipse expressum fecisset pactum de celebrando juxta à testatore, seu fundatore præscriptum. Legatur.

50 Inde iterum fit quòd expensæ omnes, & solæ, quæ pro manutentione fundi oneri Missarum subjecti fiunt, [illegible] parandum, aut conservandum [illegible] vindicandum, aut hujusmodi [illegible] sunt de Missis celebrandis ita, ut attentis pensis, Missarum numerus minor celebretur, sive dicatur; (sed hoc, quando proventus annui consuetam eleemosynam, quæ pro ratio perpetuis assignari solet, pro mente testatoris re est: nam tunc, casu, si fundus non manutevera agriculturæ dubio deterioraretur, aut fortè fueret in totum, vel periret, ex quo, aut omnino Missarum celebratio cessaret, sive reductio fieret, quæ perpetuò duraret; cùm igitur illud in testatoris utilitatem cederet, ille, qui dictas expensas faceret, illas repetere posset, se seque indemnem servare, minorem Missarum numerum celebrando. ¶ Dictum est: *Sed hoc quando proventus, &c.* nam, si proventus consuetam stipem excedant, tunc expensæ dictæ repeti non possunt, præsumitur nanque quòd dum fundator, vel testator consuetam eleemosynam, stipem vel auxit, voluit non solùm benefacere Missarum onera suscipientibus, sed etiam Missarum oneri providere, quantum fieri poterit, atque adeò pro manutentione fundi, sine quo onus manuteneri nequit, consequenterque pro expensis necessariis pro ejusdem fundi manutentione. Legatur *Amostasus sup. lib. 3. cap. 14. num. 22. & 23. ac Pasqualigus sup. Q.* 1096. per totam, juncta doctrinâ ab eodem tradita *Q.* 916. *&* 1078. *num.* 3.

51 Sed occasione proximè dictorum duodecimò ambigitur an, si hæreditas satis non sit pro legatis, legatum etiam pro Missis rejectum diminuendum sit pro rata? Hîc possumus loqui de legato Missarum unica vice dicendarum, vel de legato Missarum singulis annis, ac in perpetuum dicendarum, & comparatione facta ad cætera omnia legata, non solùm profana, sed etiam pia.

Dicitur quòd, sive legatum Missarum sit pro unica vice, aut pro singulis annis, & in perpetuum dicendarum, nunquam minuendum est tale legatum, sed totum ad unguem servandum, ac ex omnibus aliis detrahendum, ut impleatur. Ratio est: nam de mente, voluntateque testatoris præsumendum prudenter non est quòd ea legata, quæ immediatè ad suæ Animæ suffragium pertinent, diminutionem ullam patiantur, dum ex suis bonis adimpleri possunt, non enim conjectura prudens in detrimentum Animæ legantis est capienda, juxta *cap. Præcipimus* 12. *Q.* 1. *& L. Sancimus* 17. *Cod. de Sacros. Eccles.* Maior enim est legantis affectio erga se, quàm erga Legatarios, imò & quàm erga hæredes; pro quo bene facit illud, quod protulit Thuscus litera C. Con-

clus.

Capellan. Q. 5. Sect. ordinata charitate magis in ungue pedis, quàm alium in vertice in Sum. Tract. [illegible] ior igitur est legantis affectio erga [illegible] erga Legatarios: minimè ergo in casu nostro Missarum legata minui debent, nec possunt. Sic tenent plures. Legatur *Amostasus lib. 2. cap. 6. num. 10. ad 12. fol. mihi* 88. *ac* 1072. [illegible] *Lib. Q.* 1006. ¶ Quem si legeris *Q.* Testamentum praestatoris vota realia, quæ ad impletionem sunt legatis praeferenda quo stamento relictis; secus, si præcesserunt legata, & apud eundem *Q.* 1037. reperies ac etiam quòd ille, qui omnia bona sua donavit, adhuc congrua legata pro Missis celebrandis relinquere potest.

LECTIO IV.

De haredum obligationibus quo ad legata pro Missis solvenda.

52 IN hac re rogabis primò an, si legetur pecunia pro Missis, & hæres eum beneficio Inventarii, ac Legis hæreditatem adeat, legatum pro Missis solvere valeat, hæreditatis res in solutum dando, quando pecuniam ex hæreditate non habet, neque commodè hæreditarias res vendere potest, vel nisi incommodo aliquo, quale esset obligatio de evictione? Affirmativè resolvitur apud Rebuff. ad Constit. Gal. tom. 1. tit. de Sentent. Provis. Art. 3. Gloss. 3. num. 16. Valasc. Consult. 52. num. 39. & apud alios, decisumque videtur *in L. fin. §. Sed & si legatariis, Cod. de jure delib. ac §. Et si præfatam.*

53 Secundó rogabis an, si testator certam pecuniæ quantitatem pro Missis leget exprimendo monetam, cujus plures sint species, putà si pro Missis centum scuta centum leget, quæ in testatoris bonis reperiuntur argentea, & aurea, ac ignoratur de qua monetæ specie loquutus fuerit testator, quia circa speciem mentem suam non expressit, de qua monetæ specie intelligi debeat, testatorem fuisse loquutum? Dicitur intelligendum esse de moneta maioris valoris fuisse loquutum, & in hac specie hæredem solvere teneri. Ita in terminis Alphons. Leo de offic. Capell. Q. 5. Sect. 26. num. 360. tenereque debent DD. illi omnes, qui dicunt in legatis ad causas pias amplam interpretationem faciendam esse; inter quos *Sanch. Decis.* 298. *num.* 10. *ac de Aliment. tit.* 2. [illegible] 10. *num.* 17. *Menoch. Præsumpt.* 106. *num.* 33 *lib.* 4. *Mantica de Conject. ult. vol. lib.* 6. *tit.* 3. *num.* 37. *vers. verum. Legatur Pasqualigus sup. Q.* 1015.

54 Rogabis tertiò an legatum relinquens pro Missis conditio[illegible] quandiu hæres legatum [illegible] quid annuatim retribuat? affirm[illegible] tur. Pro quo legatur *Alph*[illegible] 5. *Sect.* 9. *num.* 136. *Lugo de* [illegible] 15. *& Disp.* 25. *Sect.* 6. §. 2[illegible] *P. Tract.* 22. *Diffic.* 9. *Pasqu*[illegible] quem plures) *Q.* 1007. fac[illegible] traditur ab *Amostaso sup. lib.* 2. *cap.* [illegible] *fol. mihi* 90. qui ibi legendus.

55 Quartó rogabis an, revocatis [illegible] iam ad pias causas, censeatur iam re[illegible] tum legatum pro Missis, ita ut hæc illu[illegible] vere non teneatur? Resolutio est negativa [illegible] ita communis, & cum multis *Pasqualigus* [illegible] *gendus sup. Q.* 1009. ¶ Imò plures, gra[illegible] que sunt DD. qui resolvunt, & dicunt leg[illegible] gatum pro Missis non censeri revocatum ex eo, quòd legatarius incapax moriatur, putà qui moritur in tali statu, quòd Missæ pro eo celebrari non valent, veluti si moriatur impœnitens, excommunicatus, in notorio peccato mortali, aut quocunque alio modo sepultur[illegible] Ecclesiastica careat, incapax prorsùs fit Ecclesiæ suffragiorum. Sic docent *Barth.* [illegible] *in L. Mi*[illegible] *des*, §. *Ream*, *ff. de adulter. & in L. Si quis ad declinandam, Cod. de Episcop. & Cleric.* Me[illegible] Præsumpt. 183. num. 46. lib. 4. Mantica [illegible] lib. 1. tit. 16. num. 29. Medicis de Sepult. P[illegible] 1. Q. 25. Ancharran. in cap. *Cùm filius*, nu[illegible] 1. Plaça in Epitome delictor. cap. 23. num. 1[illegible] Angel. verb. *Legatum*, num. 10. Peres de La[illegible] ra de Anniversar. lib. 1. cap. 11. num. 37. Alphons. Leo sup. Q. 5. Sect. 8. num. 278. multique alii.

56 Rogabis quintò an ex legatis pro Missis debeatur Episcopis Canonica portio, Parochis quarta funeralis, & nunquid ex stabilibus bonis, in quibus annua legata pro Missis fundantur, debeatur charitativum subsidium, debeantur & Decimæ, collectæ, & gabellæ?

Quo ad omnia negativè respondetur, & quo ad Canonicam portionem pro Episcopis, ultra quod constat ex alibi dictis, docet *Hostiensis in cap. ult. de Testam. ac in cap. Ex parte* 2. *de verb. signif. Azor* 2. *P. lib.* 9. *cap.* 12. *Q.* 7. docent & alii. ¶ Quo ad quartam parochialem constat etiam ex alibi dictis, docentque *Covar. in cap. fin. num.* 6. *de Testam. Molina de Just. & Jure Tract.* 2. *Disp.* 217. *Rodrig. QQ. Regul.* 39. *Art.* 2. *in fin. tom.* 1. *Tambur. de jur. Abbat. tom.* 1. *Disp.* 15. *Anniversar. lib.* 1. *cap.* 25. estque communis. ¶ Quòd tandem non debeatur subsidium, collecta, gabella, neque Decima docent Azor 2. P. lib. 9. cap. 14. Q. 6. vers. *insuper Clerici*, Quaranta in Sum. Bullar. verb. *Concilium Provinciale* Quæsito 19. Alphons. Leo sup. Sect. 17. num. 258. & 261. Moneta de

Deci-